UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Svmma Casvvm Conscientiæ, Sive De Instrvctione Sacerdotvm Lib. VII

Toledo, Francisco de

Coloniæ Agrippinæ

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

Visual Library

N. 2229

G III
28

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baptismus.

Matrimonium

Confirmatio.

Ordo.

Eucharistia.

Pœnitentia.

Extr. unctio.

FRANCISCI
TOLETI
S.R.E. CARDINALIS
SVMMA
CASVVM CONSCIENTIÆ,
SIVE
DE INSTRVCTIONE
SACERDOTVM LIB. VII
Item
De Peccatis liber unus, cum
Bullæ cœnæ Domini di-
lucidatione.
Nunc tandem vere in Germania post Romanam postremam editionem (quæ cum ipso Authographo collata, correcta et pluribus locis aucta, præsertim ys quæ de Censuris et bulla in Cœna Domini Author addiderat) excusa est.

COLONIÆ AGRIPPINÆ
Sumpt. Ioannis Gymnici, et Lamberti Rasfelt.
M D CIII.
Cum Priuileg. S.C. Mais.t.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Collegii Paderborna Societatis Jesu

QVVM hæc Franciſci Toleti Cardinalis de ratione officiorum ſumma, ſeu ſacerdotum inſtructio, non ita pridem, valde imperfecta, atq; adeo mutila ac deprauata prodierit; reddenda ratio videtur, prudens Lector, diligenter, & quare id acciderit, & quo ſtudio ac diligentia modo curatum ſit, vt in hac editione non ſolum ſuperiorum editionum errata corrigerentur; ſed etiã opus ipſum inprimis augeretur & ornaretur. Etenim ſtatuerat ipſe quidẽ autor id opus in lucem edere; verũ non niſi accurate à ſe recogitum ac locupletatum. Quod cum plane perficere, vt inſtituerat, præuẽtus morte nõ potuiſſet, ne opus quidem potuit, autore viuo, prodire. Ergo non ita multo poſt, quam vir tantus exceſſit è vita typographi quidam exemplum fortè neſcio quod nacti ex ijs, quæ Cardinali publice olim docente, dum in minoribus, vt iam loquimur, eſſet, tumultuaria opera auditores exceperant, vltro mandare prælo ac diuulgare non dubitarunt. Quamobrem, non modo contra quã Autor ſtatuerat, impolitũ opus prodijt, & imperfectum quippè, cum in eo multa, vt infrà dicetur, à Cardinali addita & perpolita deſiderentur; verum etiam erratis mendisq; non paucis inquinatum. Nam, & in illud operarum vitio irrepſerunt, & multo plura ex ipſo exẽplari redundarũt: quæ Autoris autographo ita repugnant; vt ſæpè diuerſam ſententiã, ſæpè etiam illi cõtrariam, in qua fuit autor, complectantur. Quare, vt his incommodis, quoad eius fieri poſſet, ſubueniretur, ſimulque conſuleretur ſummi viri exiſtimationi, atque vtilitati legentium; quæſitum eſt exemplum ipſius Toleti manu conſcriptum, & ab eodẽ multis locis correctum, quod eſt Romæ apud Patres ſocietatis IESV: cũ quo ab eijdem patribus vnũ ex iſtis, quæ, ita vt dictum eſt, incon-

sulto fuerant excusa, accurate collatum est, atq; vbi dis-
creparet, emendatum. At enim alij quoq; se id correxis-
se profitentur. Verum qua tandem ratione id assecuti
dicãtur? qui neque autoris autographum viderẽ, neque
eius consilia, sensaq; animi diuinare potuerunt. Huc ac-
cedit, quod etiã si Franciscus Toletus, Vir doctissimus
easdẽ quæstiones ac disputationes, quas tractare fusius
cœperat atq; ornare, nõ plane reliquerat absolutas; cu-
ratum tamen diligenter est, vt quæ iam adiunxerat ex-
polireq; cœperat, tum alibi sæpè suis quæq; locis inse-
rerentur, tum hæc in primo potissimũ libro de excõmu
nicatione, suspensione, Interdicto, depositione, & irre-
gularitate, explicatio denique Bullæ in Cœna Domini:
quarũ profecto rerũ vestigia dumtaxat aliqua in ijs ex-
emplarib. apparebãt, quæ ante hanc nostrã editionem,
circumferebantur. Quare cætera exẽpla, quæ adhuc in
hominum manus peruenerunt, nulla ratione videntur
esse cum his nostris, aut multitudine rerũ, aut sincerita-
te lectionis, aut sententiarum maturitate conferenda;
quippè, cum illa, vt erant olim non tam à Francisco To-
leto iuniore tum temporis dictata; quam à non doctis-
simo quopiam auditore festinanter excepta prodierint;
hæc verò vt sunt ab eodem Toleto iam seniore, longoq;
rerum multarum ac maximarum vsu, Romanæque præ-
sertim curiæ prudentissimo, seque ipso quodammodo
doctiore ac peritiore recognita, aucta, & propemodũ
perpolita, ita edantur in lucẽ. Excipe igitur, humanissi-
me Lector, hoc opus, ea, qua soles alacritate cætera hu-
ius viri opera cõplecti. Nam etsi nõ est omninò, vt dixi-
mus, vt alia eiusdẽ opera, quæ antea prodierunt, ab ipso
recognitũ, atq; omnibus, vt dicitur, numeris absolutũ;
tamen, & rerum, quæ in eo tractãtur vtilitas ac necessi-
tas, quũ videlicet ad sempiternam animorũ salutem ma-
ximè referantur; & Scriptoris ipsius autoritas, doctrina
perspicuitas, grauitas; & adhibita in eodẽ opere corri-
gendo, illustrando augendo cura, atq; industria est eius-
modi; vt speremus non minus tibi hoc opus gratũ fore,
quam cætera, vtilius etiã fortasse, quam cætera. Vale.

INDEX

INDEX CAPITVM HVIVS OPERIS.

CAPITA LIBRI PRIMI.

1 Quid sit sacerdos, & quare sic dicatur. pag. 1
2 In quibus differat sacerdos Euangelicus ab alijs pag. 3
3 De gemina sacerdotis potestate, & de duplici claue. 5
4 Quid excommunicatio sit. 7
5 De speciebus excommunicationis. 8
6 De causa efficiente excommunicationis, seu de eo, qui potest excommunicare. 9
7 De causa materiali, seu de eo, qui potest excommunicari. 13
8 De materiali causa proxima excommunicationis. 14
9 De formali causa excommunicationis. 19
10 De quibusdam qualitatibus excommunicationis, & de causa finali eiusdem. 23
11 De quibusdam communiter vocatis effectibus maioris excommunicationis. 27
12 De intelligentia prædictorum, iuxta extrauagantem Martini V. 31
13 De effectibus proprijs maioris excommunicationis. 33
14 De quibusdam adnotandis in absolutione ab excommunicatione. 40
15 De eo, qui potest absoluere ab excõmunicatione in mortis articulo. 43
16 De eo, qui potest absoluere ab excommunicatione ex-

tra mortis articulum. 48
17 De minori excommunicatione. 54
18 De excommunicationibus in Bulla Cœnæ reseruatis. 56
19 De prima excommunicatione in Bulla Cœnæ. 58
20 De 2. & 3. excommunicatione in Bulla Cœnæ. 64
21 De 4. & 5. excommunicatione in Bulla Cœnæ. 66
22 De 6. excommunicatione in Bulla Cœnæ. 70
23 De 7. excommunicatione in Bulla Cœnæ. 73
24 De collatione eorum, quæ dicta sunt in cap. præcedenti, cum his, quæ sunt in iure communi. 78
25 De 8. 9. 10. & 11. excommunicatione in Bulla Cœnæ. 81
26 De 12. & 13. excommunicatione in Bulla Cœnæ. 84
27 De 14. & 15. excommunicatione in Bulla Cœnæ. 85
28 De 16. & 17. excommunicatione in Bulla Cœnæ. 87
29 De 18. & 19. excommunicatione in Bulla Cœnæ. 88
30 De 20. & nonnullis alijs præter excommunicationes in Bulla contentis. 91
31 Qui contrahant excommunicationem ob iniectionem manuum in Clericos. 93
32 Qui excommunicati ob manuum violentam iniectionẽ ab alio, quam à Romano Pontifice absolui possint. 97
33 In quibus casibus non contrahatur prædicta excommunicatio. 100
34 De nonnullorum dubiorum resolutione. 105
35 De excommunicationibus in decretalibus, & in sexto reseruatis. 109
36 De excommunicationibus reseruatis in Clemẽtinis, & in extrauagantibus. 113
37 De excommunicationibus non reseruatis in decreto, & decretalibus. 117
38 De excommunicationibus reseruatis in sexto. 126
39 De excommunicationibus non reseruatis in Clementinis. 138

40 De excommunicationibus non reseruatis in extrauagantibus. 144
41 De excommunicationibus in Conc. Trid. positis. 146
42 Quid sit suspensio, & quæ eius species. 147
43 De quibusdam regulis, quibus explicantur species suspensionis prædictæ. 149
44 De causis suspensionis. 151
45 De effectibus suspensionis. 154
46 De absolutione à suspensione. 158
47 De suspensione Concubinarij notorij. 161
48 De alijs nonnullis iuris suspensionibus. 165
49 De suspensionibus Concil. Trid. 173
50 De degradatione, seu depositione. 176
51 Quid, & quotuplex sit irregularitas. 183
52 De irregularitate ex defectu natalium. 188
53 De irregularitate ex defectu originis. 190
54 De irregularitate ex defectu liberationis. 193
55 De irregularitate ex defectu ætatis. 194
56 De irregularitate ex defectu famæ bonæ. 197
57 De irregularitate ex defectu corporis. 200
58 De irregularitate ex defectu animæ. 207
59 De irregularitate ex defectu sacramenti. 210
60 De speciebus & modis bigamiæ. 212
61 De alijs bigamiæ speciebus. 216
62 De dispensatione irregularitatis ex bigamia. 220
63 De irregularitate ex delicto hæresis. 224
64 De irregularitatibus ex delicto circa baptismi sacramentum. 227
65 De irregularitatibus ex delicto ordinum susceptionem. 230
66 De irregularitatibus in ordinis ministerio. 232
67 De irregularitate ex delicto in scientia discenda, vel docenda. 240
68 De irregularitate ex criminis notorietate. 241

69 De irregularitate ex homicidio. 241
70 De irregularitate ex mutilatione. 246
71 Quotuplex homicidium & mutilatio. 250
72 Quando ex mutilatione, vel homicidio non inducatur irregularitas. 255
73 De irregularitate ex homicidio voluntario. 257
74 alias 79. De irregularitate homicidij ex necessitate facti. 261
75 alias 80. De irregularitate ex homicidio casuali. 270
76 alias 81. De nonnullis alijs circa huiusmodi regulas 277
77 alias 82. De homicidio lingua perpetrato. 284
78 alias 83. De irregularitate ex mandato 285
79 De irregularitate ex consilio. 291
80 De irregularitate ex defensione. 296
81 De alijs modis contrahendi irregularitatem homicidij. 303
82 De dispensatione irregularitatis ex homicidio 309
83 De modis quibus quæuis irregularitas tollitur. 315
84 De iurisdictione. 319
85 De peccato mortali. 320
86 Quando licet à malis ministris accipere sacramenta. 322
87 De qualitate ordinatorum. 324

CAPITA LIBRI II.

1 DE dispositione necessaria ante celebrationẽ. 328
2 De dispositionibus in ipsa celebratione. 332
3 De dispositionibus post consecrationem. 337
4 Quid sit Missa. 338
5 De Missæ partibus. 340
6 De valore huius Missæ, ratione sacrificij. 344
7 De ijs, quibus sacrificium prodest. 345
8 De resolutione trium dubiorum. 347

9 De remedijs erga ea, quæ in Missa accidunt. 349
10 Quid diuinum officium dicatur. 352
11 Quotuplex sit istud officium. 355
12 De obligatis ad diuinum officium persoluendum. 358
13 De circumstantijs circa diuinum officium obseruandis. 358
14 De causis excusantibus ab officio persoluendo. 363
15 Quid sit sacramentum. 365
16 De his, quæ in sacramento necessaria sunt. 367
17 De numero & sufficientia sacramentorum. 369
18 De materia remota & propinqua baptismi. 371
19 De forma baptismi. 373
20 De ministrante baptismum. 377
21 De suscipiente baptismum. 379
22 De effectibus & speciebus baptismi 382
23 De solennitatibus baptismi. 383
24 De Confirmatione. 385
25 De Eucharistiæ materia. 387
26 De forma corporis & sanguinis. 389
27 De efficacia verborum formæ. 391
28 De ministro & suscipiente. 392
29 De modis suscipiendi sacramentum, & eius effectus. 394
30 De varijs nominibus huius sacramenti. 396

CAPITA LIBRI III.

1 QVid sit peccatum. 397
2 De peccatorum differentijs in communi. 399
3 De partibus essentialibus peccatorum, & effectibus. 402
4 Quid sit contritio, quid attritio. 404
5 De quibusdam dubijs circa contritionem. 407
6 Quid sit confessio. 409
7 Qualis debet esse confessio. 411

8 Quibus casibus confessio non integra est valida. pag. 414
9 De alijs confessionis qualitatibus. 418
10 Quibus in casibus sit denuo facienda. 420
11 De satisfactione. 422
12 De absolutione. 426
13 De confessario. 427
14 De his, à quibus proprius Confessarius potest absoluere. 432
15 De scientia confessarij. 434
16 De sigillo obseruando à Confessario. 436
17 De examine faciendo à Confessario. 439
18 De his, quæ in confessione petenda sunt. 442
19 De his, quæ post confessionem petenda sunt. 443
20 De pœnitente. 444
21 De effectu huius sacramenti. 446

CAPITA LIBRI IV.

1 QVid sit fides, quæ eius sit materia. 447
2 De modo & necessitate fidei. 449
3 Quid sit hæresis, quare sic dicatur. 451
4 Quibus modis peccetur peccato hæresis. 454
5 De excommunicationibus aliorum circa hæreticos. 456
6 De apostasia & infidelitate. 458
7 De spe, & peccatis contra spem. 460
8 Quid sit charitas, & quàm necessaria sit. 463
9 De peccatis contra charitatem. 466
10 De amplitudine charitatis, quæ est erga proximum. 469
11 De modis, quibus proximo possumus velle malum temporale, & de scismate. 473
12 De primo decalogi præcepto. 474
13 De blasphemia & impietate. 476

14 De superstitione. 479
15 De diuinatione. 482
16 De vana obseruantia,& maleficio. 485
17 Quid votum,quæ eius materia, quanta sit eius obligatio. 489
18 De votorum differentijs,& ipsorum relaxatione. pag. 494
19 De tentatione Dei. 498
20 De secundo præcepto. Quid iuramentum sit, quot eius species. 500
21 An liceat iurare,& quomodo. 502
22 De obligatione iuramenti. 507
23 De iuramenti dispensatione. 511
24 De tertio præcepto decalogi. 512
25 De peccato non sanctificandi festa. 315

CAPITA LIBRI V.

1 DE quarto præcepto decalogi. Honora parentes. 517
2 De obligatione viri & vxoris. 521
3 De Episcopo. 523
4 De Episcopo post consecrationem. 526
5 De Curato. 533
6 De quinto præcepto & peccato se occidendi. 536
7 De homicidio sine intentione. 546
8 De circumstantijs homicidij. 548
9 De intellectu præcepti non occidendi. 552
10 De sexto præcepto de simplici fornicatione. 555
11 De adulterio & stupro. 557
12 De incestu,raptu,& sacrilegio. 560
13 De peccato contra naturam. 562
14 De ijs,quæ in isto præcepto simul prohibentur. 566
15 De septimo præcepto. Quid sit furtum. 567
16 De speciebus furti,& quod peccatum sit furtum. 566

17 Quid restitutio quis restituere teneatur ratione rei malè acceptæ. 571
18 Quis restituere teneatur ratione rei benè acceptæ. 577
19 De tertia radice, quæ dicitur iniusta actio. 579
20 De restitutione iniustæ acceptionis & detentionis. 582
21 De quarta radice restitutionis. 585
22 Quid sit restituendum. 588
23 Cui restitutio sit facienda. 591
24 Quantum, quomodo, quando sit restituendum. 593
25 Quo ordine, quove loco sit restituendum. 597
26 Quæ causæ excusent iniquum. 599
27 De alijs duabus causis non restituendi. 602
28 De vsura, quid sit. 605
29 Quotuplex sit vsura, & de mentali. 303
30 De vsura exteriori explicita. 610
31 De vsura exteriori palliata, seu implicita. 612
32 De causis, propter quas lucrum in mutuo potest exigi. 614
33 De lucro cessante. 616
34 De alijs causis exigendi in mutuo lucrum. 618
35 Quantum debeat vsurarius restituere, & ex quibus bonis. 621
36 Qui obligentur restituere ratione vsuræ. 624
37 De accipiente ad vsuram. 626
38 De montepietatis. 628
39 De alijs montibus, qui in vsu sunt in quibusdam locis. 269
40 De societate officiorum. 632
41 De alijs tribus speciebus. 636
42 De censibus, quid census. 638
43 Quotuplex census. 639
44 De emptione & venditione censuum. 641
45 De necessarijs ad iustitiam contractus huius secundum se. 643

46 De iustitia emptionis censuum, vt modo fit. 645
47 De necessarijs ad huiusmodi contractum. 646
48 De quibusdam circumstantijs in censibus appositis. 649
49 De censu temporali. 651
50 Quid sit cambium, quot eius species. 652
51 De iustitia cambij ad minutum. 653
52 De iustitia cambij sicci. 655
53 De quibusdam notabilibus pro alijs cambiorum speciebus. 658
54 De cambio per literas. 659
55 De cambio reali. 662
56 De octauo præcepto. Non falsum testimoniū dices. 663
Ibid. De Iudicis iniustitia.
57 De accusatore. 666
58 De Reo. 669
59 De Teste. 671
60 De Aduocato. 674
61 De Notario. 676
62 De Procuratore. 679
63 Quid detractio, quotque ipsius modi sint. 681
64 Quale peccatum sit detractio. 683
65 De resolutione aliquorum dubiorum. 685
66 De dubio secundo. 687
67 De audiente detractorem. 689
68 De restitutione famæ. 691
69 De modis restituendi famam. 692
70 De tribus dubijs circa restitutionem famæ. 693
71 De nono præcepto. Non concupisces rem proximi. 694
72 Quid gabella, & quotuplex. 696
73 De iustitia exigentis vectigalia. 697
74 De iustitia exigentis guidagia. 699
75 De iustitia soluentis gabellas. 700
76 Quid beneficium. & quotuplex. 701
77 Quis possit conferre beneficia. 703

78 Quomodo aliquis debeat dare beneficia alteri. 704
79 De accipiente beneficia. 706
80 An liceat plura habere beneficia simul. ibid.
81 Quando liceat plura habere beneficia. 707
82 Quid pensio, quotuplex, in quib. à beneficio differat. 711
83 Quomodo quis licitè pensionem habeat. 713
84 De simonia, quid sit. 715
85 Quale peccatum sit simonia. 717
86 De speciebus simoniæ. 718
87 De tribus regulis ad cognoscendam simoniam. 719
88 De simonia in primo & secundo genere rerum spiritualium. 720
89 De simonia in tertio genere rerum spiritualium. 723
90 De simonia in sacerdotiorum venditione & emptione. 725
91 De simonia in permutatione & locatione. 728
92 De simonia in pensionibus. 730
93 De pœna simoniaci. 731

CAPITA LIBRI VI.

1 De ieiunio: Quid sit ieiunium, & quotuplex. 734
2 Quis finis ieiunij, & qualis modus sit. 736
3 Quando sit ieiunandum, & qualis obligatio. 740
4 Qui excusentur ab obligatione ieiunij Ecclesiastici. 742
5 De obligatione ieiunij respectu aliorum. 744
6 De secundo præcepto audiendi sacrum. 746
7 Quæ missa, quo loco, & quanta sit audienda. 747
8 A quo, & quando, & qua obligatione sit missa audienda. 749
9 Quæ causa excuset ab audiendo sacro. ibid.
10 Quomodo audiendum sacrum, & quæ vtilitas ex auditione. 752
11 De tertio præcepto Ecclesiæ. 754
12 De quarto præcepto. Quid sit Eucharistia. 757
13 Quare instituta est Eucharistia. 759

14 De fructibus sumptionis Eucharistiæ. 760
15 Qualis debeat esse suscepturus Eucharistiam. 761
16 De alijs conditionibus suscipientis Eucharistiam. 762
17 De administrante Eucharistiam. 763
18 De obligatione communionis. 767
19 De frequentia communicandi. 768
20 De decimis. 769
21 De indulgentijs. Quid sit indulgentia. 771
22 Expositio singularum partium definitionis indulgentiæ. 774
23 De modo concedendi indulgentias in communi. 777
24 De modis particularibus indulgentiarum. 779
25 Quis possit indulgentias concedere. 780
26 Indulgentia prodest mortuis in purgatorio. 781
27 Quod indulgentia prosit viuis. 783
28 De causa indulgentiæ, seu ipsius valore. 785

CAPITA LIBRI VII.

1 QVid sit matrimonium. 787
2 De causis matrimonij. 788
3 De impedimento erroris & conditionis. 790
4 De impedimento voti & cognationis. 793
5 De cognatione naturali, seu consanguinitate. 794
6 De impedimento criminis. 796
7 De impedimento disparitatis cultus. 798
8 De vi, & ordine. 800
9 De impedimento ligaminis. 801
10 De impedimento iustitiæ publicæ honestatis. 802
11 De impedimento affinitatis. 803
12 De impedimento impotentiæ. 805
13 De impedimento conditionis, & raptus. 806
14 De impedimento Interdicti, & voti, sponsalium, & Catechismi. 807
15 De impedimentis criminis. 809

16 De sponsalibus, quæ dicantur sponsalia, & quibus modis contrahantur. 810
17 De differentijs sponsalium, & matrimonij. 811
18 De peccatis, quæ in ipso matrimonio committi possunt. 814
19 De alijs tribus peccatis in matrimonio accidentibus. 816
20 De peccatis in vsu matrimonij. 818
21 De alijs peccatis in vsu matrimonij euenientibus. 821

CAPITA TRACTATVS DE septem peccatis mortalibus.

1 QVid sit peccatum mortale. 823
2 Quotuplex mortale, & quomodo differat à veniali. 825
3 Quid sit superbia. 827
4 Quot species superbiæ, & quale peccatum. 828
5 De remedijs contra superbiam. 829
6 De vana gloria, & quid sit. 830
7 Quale peccatum sit vana gloria. 831
8 Quid, & quale peccatum sit iactantia. 832
9 De hypocrisi quid, & quale sit peccatum. 833
10 De contentione quid, & quale sit peccatum. 834
11 De discordia, & pertinacia. 835
12 De curiositate quid, & quale peccatum sit. 836
13 De inuentione nouitatum. 837
14 Quid inobedientia, & quibus sit obediendum. ibid.
15 In quibus est obediendum. 839
16 De obedientia religiosorum respectu prælatorum. 843
17 De obedientia respectu legum. 844
18 Quando lex vim obligandi habeat. 846
19 Quid sit legis obligatio. 848
20 De diuersitate Doctorum erga legum obediẽtiam. 850
21 De obedientia clericorum ad Episcopum, & filiorum ad pa-

ad patres. 852
22 De præsumptione. 853
23 De ambitione. 854
24 De auaritia, quid sit. 855
25 Quale peccatum sint auaritia & prodigalitas. 856
26 De filiabus Auaritiæ. 857
27 De eleemosyna, quid sit. 858
28 Qui possint facere eleemosynam, & quando religiosi. 859
29 Quando maritatæ possint facere eleemosynam. 860
30 Quomodo filij familias, & famuli possint eleemosynam facere. 861
31 Quibus sit facienda eleemosyna. 862
32 Ex quo facienda sit eleemosyna. 863
33 Quando sit obligatio faciendi eleemosynam. 864
34 De obligatione faciendi eleemosynam. 865
35 De discordia Doctorum circa præceptum eleemosynæ. 867
36 De quodam dubio circa eleemosynas. 869
37 De alijs duobus modis erga idem. 870
38 De duobus dubijs circa præceptum eleemosynæ. 872
39 Quo ordine sit eleemosyna facienda. 873
40 Quanta debeat esse eleemosyna. 875
41 De vtilitate eleemosynæ. 877
42 De solicitudine, seu inquietudine mentis, & quid sit. 878
43 Quomodo solicitudo sit peccatum. 879
44 De proditione. 880
45 De quibusdam dubijs circa proditionem. 881
46 De fraude. 883
47 De fraude in emptione ratione iusti pretij. 884
48 De regulis fraudis ratione iusti pretij. 886
49 De fraude ratione rei venditæ. 887
50 De fraude ratione modi vendendi. 891

51	De quibusdam dubijs.	893
52	De emptione cum pacto retrouendendi.	894
53	De negotiatione.	ibid.
54	De mendacio.	898
55	De Luxuriæ filiabus.	894
56	De ira, quid, & quotuplex sit.	900
57	Quando ira sit peccatum.	901
58	De filiabus iræ.	906
59	De Gula, quid sit, & quæ eius species.	903
60	Quale peccatum sit Gula.	904
61	De ebrietate, quale sit peccatum.	906
62	De filiabus Gulæ.	907
63	De inuidia, & quid sit.	908
64	Quale peccatum sit tristitia ex timore.	909
65	De æmulatione.	910
66	De odio, inuidia, & tristitia bona.	911
67	De filiabus inuidiæ.	912
68	De acedia, quid sit	913
69	Quale peccatum sit acedia.	914
70	De filiabus acediæ.	915

Finis Indicis Capitum.

INDEX RERVM ET VERBORVM QVAE IN HAC SVMMA CASVVM conscientiæ Francisci Toleti continentur.

A.

Abbates & Capitula ab officio & beneficio quando per annum suspendantur. lib.1.ca.49

Aborsus fœtus, antequam sit animatus, qui causa est, cur non sit irregularis. l.1.c.70

Abscissio membri quenã, & quando, ac cur irregularitatem inducat. l.1.c.57

Absoluat an generaliter omnes excommunicatos Papa in die Iouis Cœnæ. l.1.c.30

Absoluendi à casibus Papalibus facultas intelligitur, data facultate absoluendi à censuris, l.3. c.13

Absoluens ab aliqua excommunicationum in Bulla Cœnæ contentarum quam excommunicationem incurrat. l.1.c.30

Absoluere, & excommunicare suos subditos extra proprium territorium an quis possit. lib.1.cap.16.

Absoluere, qui excommunicat, an semper possit, & in quibus casibus non. l.1.c.16

Absoluere ab excommunicatione cur maius sit, quàm absoluere simpliciter. l.1.c.16

Absoluere præsumentes à casibus reseruatis in Cœna excommunicantur. l.1.c.36

Absoluere à reseruatis quando quis possit. lib.3.c.8

Absoluere multos simul interdum licet. l.3.c.20

Absoluere an possit quis non sibi subditos. l.3.c.13

Absoluere quare nemo debet cum conditione. l.3.c.12

Absoluere absq; peccati manifestatione, sacrilegium. l.3.c.6

Absoluere ab excommunicatione in articulo mortis an semper, & quilibet simplex Sacerdos possit l.1.c.15

Absoluere excommunicationes à prouincialibus, seu synodalibus Concilijs latas qui possint. l.1.c.16

Absoluere excommunicatum etiã inuitum, & ignarum quando liceat. l.1.c.14

Absoluere ab excommunicatione qui possint extra casum necessitatis. l.1.c.16

Absolui ab excommunicatione

post mortem quis, & à quo possit, & quando sepeliri. l.1.c.15
Absolui potest quis à reseruatis, & mitti ad superiorẽ, vt à reseruatis absoluatur, vrgente necessitate. l.3.c.17
Absolui an quis possit multoties ab ijsdem peccatis. l.3 c.12
Absolui excommunicatio minor à quo possit. l.1.c.7.
Absolutio quæcumque quando sit nulla. l.1.c.14
Absolutio ab excommunicatione quando sit nulla. ibid.
Absolutio ab excommunicatione quænam in foro exteriori non prosit. ibid.
Absolutio iniusta quando sit valida. ibid.
Absolutio cui prohibita est, eidem & dispensatio. l.1.c.63
Absolutio etiam iniqua vt sit valida, ex intentione Iudicis aliquando pendet, secus in excommunicatione. l.1.c.14
Absolutio excommunicationis duplex, & à quo, ac quomodo fieri debeat. ibid.
Absolutio à suspensione ad quem spectet. l.1.c.46
Absolutio ab excommunicatione in mortis articulo quo pacto detur. l.1.c.30
Absolutio excommunicationis, quam dicunt ab homine, ad quẽ spectet. l.1.c.16
Absolutio excommunicati, quia participauit in crimine criminoso ad quem spectet. ibid.
Absolutio aliquando differenda, audita confessione. l.3.c.18
Absolutio ad cautelam cuinam excommunicato concedatur. l.1.c.14
Absolutio solemnis ab excommunicatione quot, & quæ seruanda requirat. ibid.
Absolutio quarundam excommunicationum Papæ; quædam verò Episcopo, aut nemini reseruatur. l.1.c.18
Absolutio ab excommunicatione à iure quænam sit valida, quæ vero nulla. l.1.c.14
Absolutionem committere presbytero, in quibus casibus possit Episcopus. l.1.c.32
Absolutionem ab excommunicatione alteri delegare quis possit. l.1.c.14
Absolutionem ab excommunicatione maiori in mortis articulo impertiens simplex Sacerdos, quid cauere debeat. l.1.c.15
Absolutionem ad cautelam ab excommunicatione petẽs quid obseruare debeat. l.1.c.14
Absolutionibus pluribus, vel vna generali indiget pluribus ligatus excommunicationibus. ibid.
Absolutionis actum exprimens Verbum aliquod necessario requiritur. ibid.
Absolutionis ab excommunica-

tione in mortis articulo potestatem quisnam habeat l.1.c.15
Absolutionis ab excommunicatione potestatem extra casum necessitatis quinam habeant l.1. cap. 16
Absolutionis forma in pœnitentiæ sacramento l.3.c. 12
Absolutionis ab excommunicatione nō est certa forma sicut nec excommunicationis l.1.c.14
Absolutionis à suspensione forma l.1.c. 46
Absolutus in mortis articulo ab excommunicatione reseruata quid, vbi conualuerit, facere debeat l.1 c.15
Absolutus sacramentaliter ab excommunicatione, etiam à simplici sacerdote, in loco sacro sepeliendus l.1 c.14
Abusus duo in vendēdo res supra iustum pretium libr. de 7.pec. mortal.c. 50
Abusus in officiorum societate li. 5.cap. 40
Accipere ad vsuram, & inducere ad dandum l.5 c.37
Accipere ad vsuram, an, & quando peccatum ibid.
Accusare vel denunciare quando teneamur l.5.57
Accusare, & denunciare differunt l.5.c. 56
Accusator tenetur testibus comprobare l.5 c.57
Accusator iustitiam seruet, quæ in quatuor consistit ibid.
Accusator quandoque tenetur ad restitutionem ibid.
Acedia, quid, quotuplex, & etymon lib.de 7.pec.mor.c. 68
Accidia quale peccatum lib.de 7. pec.mort.c. 69
Acediæ filiæ sex ibid.c.70
Actio humana non dicitur, nisi adsit vsus rationis l.1.c.72
Actio perfecta requiritur, vt quis incurrat excommunicationem l.5.c. 8
Actio contra iustitiam obligat ad restitutionem l.5.c.19
Ad dandum ad vsuram an aliquē inducere licet l.5 c 37
Adire Sedem Apostolicam qui negligunt, quando ob læsionem alicuius tenentur, & possunt, quas pœnas incurrant l.1.c.32
Administratione sacramentorum non priuat minor excommunicatio l.1.c.17
Admonitio, antequam feratur excommunicatio, qualis requiratur l.1.c.10
Admonitio personalis an præmittenda semper, vt excommunicatio sit iusta ibid.
Admonitio præcedens an sit necessaria in suspensione l.1.c.44
Admonitio an semper requiratur ante excommunicationem l.1. cap. 9
Admonitiones quot requirantur, antequam excommunicatio feratur ibid.
Adultera aliquando tenetur reue-

lare factum l.5.c.11
Adultera perdit ius petendi deb. &, si potest petere ibid.
Adulterij aliquot casus ibid.
Adulterij quid, & quotuplex ib.
Aduocato quæ sunt necessaria lib. 5.cap. 19
Aduocato an liceat in quauis causa, & quando ibid.
Aduocatus pretium petat iustum, & quod sit l.5.c.69
Aduocatus non patiscatur de quota litis ibid.
Aduocatus peccat, si sua culpa innocens plectitur l.5.c.7
Aduocatus tenetur patrocinari pauperibus. l.5.c.69
AEgrotus non valens exprimere peccatum, an sit absoluendus l.2.c. 8
AEmulatio quid, quando virtus, quando vitium, lib.de 7.pec. mort.c. 65
AEquiuocatione vti an reo liceat & quando l.5.c.58
AEtas ad ordines necessaria qua necessitate sit necessaria lib.1. cap. 55
AEtas quæ requiratur ad vnumquemque ordinem ibid.
AEtas excusans à iciunio quæ. l.6 c. 4
Affinitas quomodo contrahatur l.7 c. 11
Affinitas in confirmatione inter quos l.2 c.24
Affinitas spiritualis in baptismo, inter quos l.2.c.23
Affinitas spiritualis inter quos, & an impediat matrimoniũ ib.
Aliena retinere inuito domino nõ licet l.5.c.20
Aliena iniustè retinens restituat & fructus l.5.c.22
Amandus proximus quantum ad quatuor l.3.c.9
Amare Deum quando quis teneatur ibid.
Amare magis creaturam, quam Deum, an sit mortale ibid.
Ambitio quid, & quale peccatum lib.de 7.pec.mort.c. 23
Amens, & ebrius an peccent lib. 5.cap. 10
Amor beneuolentiæ in charitate necessarius l.3.c.8
Amor Dei, & noster in quo differant ibid.
Amor sui vnde lib.de 7. pec.mor. cap. 55
Amor mundi, ac seculi, vnde libr. de 7 pec.mort.c. 55
Amor interior erga parentes non sufficit l.5.c.1
Amoris quantitas duplex, intensionis, & appretiationis l.3.c.9
Anathema, & excommunicatio maior quomodo differant. l.1 cap. 5
Angeli adsunt missæ sacrificio l.6 cap. 10
Anima ita indiget cibo spirituali, sicut corpus materiali l.6.c.13
Animæ defectus quinam irregularitatem inducant l.1.c. 58
Apostasia quid l.4.c.6

Apostasia triplex ibid.
Apostasia in voto duplex l.4.c.18
Apostasia in clericatu, duplex ibi.
Apostata in fide, quis, & an subiaceat excommunicationi libr. 4.cap. 6
Apostoli sola manuum impositione confirmabant l.2.c. 24
Appellatio in excommunicatione quando admittatur, & quãdo non l.1.c.11
Aqua an necessario in calice adhibenda l.2.c. 25
Ara ad celebrandum necessaria, & eius qualitas l.2.c. 3
Ariolos consulentes, excommunicati l.1.c.15
Arma non licita quæ intelligantur l.1.c.39
Arma quænam intelligantur infidelibus deferri prohibita l. 1.c. 23
Arma, & huiusmodi infidelibus deferentes in Bulla Cœnæ excommunicati qui intelligantur ibid.
Articulus mortis, ad effectum, vt quis possit absolui, quis censeatur l.1.c.15
Astrologia vti in triplici casu pec. mort. l.4.c. 15
Astutia quid lib. de 7.pec.mort. cap. 46
Attritio quid, & in quo differat à contritione l.3.c. 4
Attritio an sufficiat ad pœnitentiæ sacramentũ, & quando ibid.
Auaritia quid, & quotuplex l.5. c.75. & lib.de 7.pec. mor.c.24
Auaritia quale peccatum lib.5. c. 75. & lib.de 7.pec.mort.c.25
Auaritiæ filiæ lib.de 7.pec. mor. cap. 26
Audiens detractorem quãdo peccet l.5.c. 67
Auersio, & conuersio in peccato considerandæ l.3.c. 3
Aues capere an liceat, quando, & vbi l.5.c. 20
Auferens aliquid in extrema necessitate, an teneatur restituere, si ad pinguiorem venerit fortunam lib.de 7.pec.mort. cap. 36
Augurium, & auspicium quale peccatum l.4.c.15
Augurium, & auspicium quandoque licita ibid.
Augustini canon de Eucharistia quotidie sumenda. Nec laudo, &c. l.6.c. 19
Auricula an sit membrum lib.1. cap. 70
Auxilium dare alicui alterum occidere volenti, non licet, etiam metu mortis l.1.c. 24

B.

Balsamum in Chrismatis oleo necessarium est lib.2. cap. 24
Baptismi ablutio qualis esse debeat, & quoties l.2.c. 18
Baptismi ablutio, an in qualibet parte corporis ibid.
Baptismi aqua debet tangere corpus, vel partem ibid.

Baptismi effectus, & species l.2. cap. 22
Baptismi forma triplex, Græca, Latina, & dubia l.2.c.19
Baptismi forma Latina in quo differat à Græca ibid.
Baptismi forma mutata an impediat sacramentum ibid.
Baptismi materia, an quælibet aqua, & liquor l.2 c.18
Baptismi minister est sacerdos; in necessitate tamen, quilibet homo, etiam infidelis l.2.c.20
Baptismi vnius ministri plures an esse possint ibid.
Baptismi solennitates, quæ, & ad quid l.2.c.23
Baptismi forma multipliciter mutatur ibid.
Baptismi ex dilatione quomodo irregularitas nascatur l.1.c.64
Baptismi forma, & materia simul in baptizando adhibendæ lib. 2.c. 23
Baptismi formã variare peccatum graue ibid.
Baptismum suscipiens cum voluntate peccandi non suscipit gratiam, nec est admittendus lib. 2.cap. 21
Baptismum suscipere tenentur etiam sanctificati in vtero matris l.2.c.20
Baptismum quæ peccata præcesserunt, non sunt confitenda lib.3. cap. 20
Baptismus est ianua per quam intratur in Ecclesiam l.1.c.64
Baptismus tollit omnem irregularitatem ex homicidio voluntario quocumque l.1.c.82
Baptismus mali ministri, an conferat tantam gratiam, quantam boni ministri l.2.c.20
Baptismus si non sit in re, vel voto, nullus saluatur l.2.c.21
Baptismus sufficit in voto, cum re haberi non potest l.2.c.17
Baptismus quam irregularitatem tollat l.1.c.83
Baptismus quid, & quæ in eo sint necessaria l.2.c.18
Baptismus in aqua præsertim ibi.
Baptismus triplex, aquæ, sanguinis, & flaminis l.2.c.22
Baptismus flaminis, & sanguinis non imprimunt characterem ibidem.
Baptismus totam aufert culpam, & pœnam l.6.c.21
Baptismus remittit omnia peccata, nõ tamen restitutionem lib. 2.cap. 22
Baptismus remittit peccatum, cum tota pœna ibid.
Baptizans bis quando sit irregularis l.1.c.64
Baptizare in aqua non benedicta absque necessitate est mortale peccatum l.2 c.18
Baptizare non potest quis seipsum lib.2.c. 20
Baptizare potest Angelus, vel anima sancta ibid.
Baptizare licet in loco interdicto ibid.

Baptizantur paruuli, & quare ibidem.
Baptizari quis, quando, & quomodo posßit ibid.
Baptizari possunt plures simul in necessitate ibid.
Baptizari potius quis potest ab infideli, quam à simoniaco ibid.
Baptizari quomodo deberet, si quis esset duplici capite, & corpore l.2.c.25
Baptizatus cum non baptizata, & è contra, non contrahit validè matrimonium l.7.c.7
Beghinarum statum assumentes, & eas fouentes excõmunicantur l.1.c.39
Beneficia ad quid instituta lib.5. cap. 76
Beneficia conferre, resignare, præstare, differunt l.5.c.73
Beneficia conferre cuius sit ibid.
Beneficia quomodo iustè dignis conferantur l.5.c.78
Beneficia conferre indigno graue peccatum mortale ibid.
Beneficia plura habere, quãdo, & quibus liceat l.5.c.81
Beneficia habere in commendam perpetuam ibid.
Beneficia plura vni concessa successori non conceduntur ibid.
Beneficia plura cum dispensatione Pontificis, an licitè posßint retineri ibid.
Beneficia relinquenda, cum quis sciuerit, se simoniace, per se, vel per alium adeptum fuisse lib.5.c. 90
Beneficia ecclesiastica diuisa in quatuor partes l.5.c.76
Beneficiati iuuenes, quorum patres recipiunt reditus, officiũ recitare tenentur l.2.c.14
Beneficiato conditiones necessariæ l.5.c. 79
Beneficiatus quomodo, & ad quæ teneatur, quando l.5.c.4
Beneficiatus habeat mores, scientiam, & aptitudinem l.5.c.78
Beneficiatus persoluat quotidie horas canonicas l.5.c.82
Beneficiati fructus amittit beneficiatus excommunicatus, non titulum, nec possessionem lib.1. cap. 13
Beneficij collatio facta excommunicato, ipso iure est nulla ibid.
Beneficij quatuor proprietates lib. 5. cap. 82
Beneficijs habitis qui priuetur ipso iure l.1.c.82
Beneficio, aut officio Ecclesiastico quotupliciter quis priuetur ibi.
Beneficiorum vnitas, & annexio, quæ, & quomodo l.5.c.81
Beneficiorum pluralitatem annullat Concil. Trid. l.5.c.81
Beneficiorum permutatio, & locatio l.5.c.91
Beneficiorum fructus locare an liceat ibid.
Beneficiorum species quatuor lib. 5 cap. 76
Beneficium quid ibid.
Beneficium curatum suscipiẽs, ha-

beat curam animarum l.5.c.5
Beneficium secularis habere non potest de iure l.5.c.76
Beneficium differt à præbēda ibi.
Beneficium conferatur digniori l. 5. cap. 78
Beneficium quod, quomodo, & per quod homicidiū amittatur: per quod verò non l.1.c.82
Bigami qui, & quot de causis sint irregulares l.1.c.59
Bigamia similitudinaria quæ sit l. 1. cap. 61
Bigamia, & bigamus interpretatiue quando dicantur l.1.c.60
Bigamia nulla contrahitur sine copula l.1.c.61
Bigamia ex defectu sacramenti quæ sit l.1.c.60
Bigamia, siue bigamus quid, & quotuplex sit l.1.c.59
Bigamiæ non veræ species tres li. 1. cap. 61
Bigamiæ veræ, & irregularitatē inducentis quatuor species, & quid ad vnamquamque requiratur, vt bigamum irregularē faciant l.1.c.60
Bigamos quoscumque ad omnes ordines, & dignitates Papæ dispensat; difficillimè tamen veros; facilius verò interpretatiuos l.1.c.62
Bigamum, siue verum, siue interpretatiuum, cur nec ad maiores, nec ad minores ordines, tā susceptos, quā suscipiendos aut etiā primam tonsuram Episcopus dispensare possit l.1.c.62
Bigamum fictum in quibus casibus dispensare possit Episcopus ibid.
Bigamus, & irregularis censetur maritus de adulterio vxorem accusans, lite tamen pendente eam cognoscens l.1.c.60
Bigamus an sit vxorem adulteram cognoscens iussus ab Ecclesia ibidem.
Bigamus an sit contrahens nulliter & consummans cum vidua, vel corrupta l.1.c.61
Bigamus an sit, mortua priori, contrahens cum secunda, nullo tamen ob aliquam causam existente 2. matrimonio lib.1. cap. 61
Bigamus an sit bis contrahens, vtroque matrimonio consummato, sed nullo existente ibid.
Bigamus an sit Virginem prius defloraus, & postea eam in vxorem ducens ac matrimonium consummans l.1.c.60
Bigamus an sit ignoranter cognoscens vxorem post adulterium. ibid.
Blasphemia quid sit l.4.c.13
Blasphemia quandoq; veniale peccatum ibid.
Blasphemia triplex, & vtraque tripliciter sit. ibid.
Blasphemia quandoque coniuncta hæresi ibid.
Blasphemia non solum contra Deū, sed & contra Sanctos ibid.
Blasphemiæ peccatum quomodo

dicatur irremissibile ibid.
Blasphemis pœnitentia quæ imponatur ibid.
Bona ecclesiastica communia ad quod vsque tempus l.5.c.4
Bona ecclesiastica quomodo distribuenda ibid.
Bona ab vsurario alienata, an restitutioni maneant obnoxia l.5. cap. 35
Bona opera per peccata amissa, an recuperentur per nouam gratiã l.5.c. 11
Bona opera facta etiam in peccato multum valent l.5.c.2
Bona, quibus quis per excommunicationem priuari potest, quot, & quæ sint l.1.c.4
Bona locorum sacrorum, vel piorum vsurpantes qui excommunicentur l.1.c.41
Bonæ, & malæ fidei possessoris differentia l.5.c.17
Bonæ fidei possessor an teneatur restitutioni, & quomodo ibid.
Bonis quibus priuetur excommunicatus l.1.c.11
Bonorum ecclesiasticorum causa qui excommunicentur l.1.c.40
Bonum opus nullum sine charitate l.6.c.2
Bonum opus malo fine aggredi est mortale l.3.c.19
Bonum opus existentis in peccato ad quid prosit l.4.c.8
Bonum nullum meritorium vitæ æternæ sine charitate l.4.c.8
Bulla Cœnæ quid contineat præter excommunicationis l.1.c.30
Bullæ Cœnæ processus generales appellatæ cur, & contra quos editæ l.1.c.18
Bullæ Cœnæ excommunicationis 20.tenor l.1.c.30
Bullæ Cœnæ excommunicatio in subsidiũ aliquod aduersus Christianos infidelibus imminentes, quomodo differat ab ijs excommunicationib. quæ contra eosdem iure continentur l. 1.cap. 24
Bullæ Cœnæ primæ excommunicatio cõtra quos fulminetur l.1.c.19
Bullæ Cœnæ excommunicatio secunda contra quos fulminetur l. 1.cap. 20
Bullæ Cœnæ 3.excõmunicatio contra quos fulminetur ibid.
Bullæ Cœnæ 4. excommunicatio contra quos feratur l.1.c.21
Bullæ Cœnæ 5.excommun. contra quos feratur ibid.
Bullæ Cœnæ excommunicatio sexta quos complectatur lib.1. cap. 23
Bullæ Cœnæ excommunicatio septima, quos complectatur li.1. cap. 23
Bullæ Cœnæ excommunicatio 12. & 13.quos complectantur l.1. cap. 26
Bullæ Cœnæ excommunicationes 8.9.19.& 11.quos comprehendant l.1.c.25
Bullæ Cœnæ excommunicationem 17. vt quis incurrat, quot condi-

conditiones sint necessariæ lib. 1. c. 28
Bullæ cœnæ excommunicationis decimæ tertiæ tenor l.1.c.26
Bullæ cœnæ excommunicationum decimæ quartæ, & decimæ quintæ tenores l.1.c.27
Bullæ cœnæ excommunicationum 16.& 17.tenores l.1.c.28
Bullæ cœnæ excommunicationis 18.& 19.tenores, & quos complectantur l.1.c.29
Bullis hactenus concessis de eligendo confessore, per Concil.Trid. derogatum est. l.3.c.13.

D.

CAdauer a hominum exenterantes, qui, & quando excommunicentur l.1.c.36
Calices, & vestes sacræ quomodo vendi possint l.5.c.89
Calicis, & patinæ materia lib.2. cap. 2
Cambij pretium non augetur temporis ratione l.5.c.55
Cambire pecunias minus valentes pro re an liceat l.5.c.54
Cambium quid, & quotuplex sit l.5.c. 50
Cambium aulicum an sit vsurarium l.5.c.25
Cambium ad minutum quomodo iustum l.5.c.51
Cambium ad incertam solutionem l.5.c. 54
Cambium ad creditum quod sit, & quomodo liceat ibid.
Cambium siccum quotuplex, & an sit vsura l.5.c.51
Cambium cum recambio an sit vsura l.5.c.52
Cambium per litteras quinq; modis fit l.5.c.54
Campanam pulsans, inimicis venientibus, quando sit irregularis l.1.c.80
Canonici regulares, siue Monachi, qui excommunicentur l.5.c.39
Canonistæ non audiendi, qui negant censuum vēditionem lib. 5.cap. 44
Capite plectendi an possint communicari l.6.c.16
cap.nauiganti de vsur. quomodo intelligendum lib. de 7.pec. mort.c. 50
capitula subiaceant interdicto lib. 1.cap. 49
carcerem frangere, & abire vincto an liceat l.5.c.6
Cardinalibus, quando in conclaui existunt, non excommunicatis, qui eorum causa excommunicentur l.1.c.38
Cardinalis non semper dicitur præclarus l.3.c.13
Cardinalium occisor, aut percussor ipso iure est beneficijs habitis priuatus l.1.c.82
Carmina, quibus cōtinetur modus detractionis l.5.c.63
Carmina, quibus includuntur consortes peccatorum l.5.c.9
Carnes comedens tempore prohibito toties peccat l.5.c.3
Casibus à quibus reseruatis possint

absolue-

absoluere Episcopi, vel per se, vel per alium l.1.c.41
Castigare clericos per alium, qui & per quem possint; qui verò non l.1.c.33
Castrati vtroque testiculo non possunt contrahere matrimonium lib.7.c. 12
Casu inuenta, an, & cui restituere teneamur l.5.c.18
Casus, in quibus non contrahitur excommunicatio ob manuum in clericos iniectionem libr.1. c.33. *in quibus iudex secularis iudicare possit ecclesiasticos* l. 1.c.27. *aliquot de voto, an semper obliget* l.4.c.17. *aliquot de iuramento licito, & illicito* l.4.c.21. *aliquot, quando obligat iuramentum, vel non* l 4. c. 22. *aliquot, in quibus licet die festo operari* l.4.c.25. *aliquot de homicidio licito* lib.5. c.61. *aliquot de restitut.* l 5.c. 21. *aliquot de bonæ, & malæ fidei possessore* l.5.c.17. *aliquot de vsura* l.5.c.30. *aliquot, in quibus lucrum exigitur in mutuo, absque vsura* l.5. c.32.33. 34. *aliquot de restitutione famæ per totum* lib.5.c.65. *aliquot in Missa, & eorum remedia* l.2.c.9. *aliquot, in quibus tenemur subuenire proximo, etiam cũ vitæ, vel alterius rei periculo* l.4.c.10. *reseruati Episcopo qui* l.3.c.14. *aliquot, in quib. sortilegium licet* l.4.c.15
Catechismus impedit matrimoniũ contrahendum l.7.c.14
Catheeumeni morientes saluantur l.2.c.21. *in prima parte missæ admittendi* l.2.c.5.nõ *admittendi ad Eucharistiã* l.6 c.15
Causa iusta, iniusta, dubia re l.5.c. 60. *materialis excommunicationis quotuplex* l.1.c.7
Causæ rationabilis expressio requiritur ad contrahendam excommunicationem l.1.c.9
Causa efficiens excommunicationis l.1.c.6
Celebrare, vide multa in verbo Missa.
Censura ablata, nullus casus reseruatus l.3.c.14
Censuræ Ecclesiasticæ semper sunt propter peccatũ inflictæ l.1.c.51
Census descriptio, & declaratio l.5.c.42. *in quo differat à locatione ibid. ab emphyteosi in quo differat ibid. quotuplex* l. 5.c.43 *perpetuus ad tempor. redim. & irredim. ib. redimere nemo cogatur* l 5.c.47. *ad tempus certum, & incertũ* l.5. c.43. *realis dicitur, quia est supra rem aliquam ibi. temporales non excedant capitale* l.5. c.49. *cum pacto retrouendendi an sit licitus* l.5.c.45. *cum apothecatione bonorũ, & personæ an licitus* l. 5. c.46. *cum apothecatione vitiatur, si rei pretium excedat ib. non excedat fructum rei, quomodo in-*

telli-

telligatur l.5.c.47. anticipare iniustitia est l.5.c.45
Censuũ conditiones necessariæ quæ sint ibi. emptor non obliget venditorem ad redimendum ibid. emptio, & venditio, an sit licita l.5.c.44. fructus an liceat mutare in pretium l.5.c.48. fructus super re certa, an sit necessarius l.5.c.45. redẽptio an possit fieri per partes ibid. iustum pretiũ quodnam sit ibid.
Cessio bonorum an liberet à restitutione l 5.c.26
Character quid sit l.2.c.16. ordinis etsi ab excommunicato recipitur, non tamen executio li. 1.cap. 13
Characteribus quandoq; tacitè inuocatio sit dæmonum l.4.c.14
Charitas necessaria maxime ad duo l.4.c. 8
Charitatis definitio, & declaratio ibid.
Chiromãtia quod peccatũ l.4.c.15
Chrisma nouũ in Baptismo necessarium l.2.c.18. an sit necessarium l.2.c.24. nouum necessarium in Confirmatione ibid.
Chrismatis seu Cõfirmationis materia ibid. oleum singulis annis renouetur l.5.c. 4
Christus quonam modo sit in Eucharistia l.2.c.23
Cibos prohibitos ministrans tẽpore prohibito pec.mortal. l.6.c.5.
Cibus sumptus, etiamsi euomatur, soluit ieunium l.6.c.1
Circumstantiæ peccatorum mutantes speciẽ manifestandæ l.3.c.3 excusantes quandoque manifestandæ ib homicidij exprimendæ in confessione l.5.c.8. appositæ in bulla Martini, & Calixti l.5. c.46. obseruandæ in excommunicatione ob peccatũ præteritum ferenda l.1.c.9
Ciuitati inimicorum iustè obsessæ cibum subministrare peccatum mortale libr. de 7 pec. mort. cap. 31
Clamor ex filiabus iræ quale peccatum lib. de 7 pec.mort. c.58
Claues, quas Dominus Petro tradidit, quæ sunt, & cur claues dicantur l.1.c.3
Clericale priuilegium quotuplex sit l.1.c. 61
Clerici qui suspensionem incurrant l.1.c.48. bigamiam contrahentes quinam clericale priuilegium perdant l.1.c.61. percussio leuis quib. sit licita l.1.c. 33. nomine qui intelligantur l.1.c.31. soli irregulares non fiunt in causa sanguinis & quãdo, & in quibus casibus lib.1. c.80. quæ tributa soluere teneantur l 1.c.37. percussio ex odio an alicui liceat l.1.c.33. quando, & quæ officia sæcularia possint exercere l.1.c.37. & monachi appellatione qui intelligantur l.5.c.8. ordinati in maiorib. tenentur recitare horas l.2.c. 121

Clerici quando teneantur deferre habitum l.4.c.18. non accusentur in causa mortis coram iudice seculari, nisi ad eum remissi l.5. cap. 56

Clericis taleas imponentes excommunicantur l.1.c. 35

Clericos leuiter percutere quos, & quibus liceat l.1.c. 33. castigare per alium, qui, & per quē possint, qui verò non l.1.c.33

Clericum alienum ordinans absq; licentia proprij Episcopi, quam pœnam incurrat l.1.c. 48

Clericum percuti mandans, sed ante percussionem mandatum reuocans, an, & quando in excōmunicationem incidat l.1.c.34 capere, seu in vincula detrudere, an, & quando possit iudex secularis ibid. volentem percutiens an incidat in Canonem ibid.

Clericus quis possit priuari beneficijs l.1.c.13. prætermittens aliquam horam ex oblitione, non peccat mortaliter l.2.c.13. se exponēs percussioni an incidat in Canonem l.1.c.34. seipsum ex ira, vel odio percutiens, an incidat in Canonem ibid.

Cœlibatus perfectior matrimonio, & contrarium asserere hæreticum l.7.c.2

Cognatio triplex l.7.c.4. spiritualis triplex ib. legalis habet tres gradus ibi. naturalis quotuplex, & quæ impediat matrimonium lib.7.cap. 5

Collectæ an sint licitæ, quomodo, & quando l.5.c.74

Collectas imponentes Ecclesiasticis tam super patrimonialibus, quàm beneficiorum bonis, quā do excommunicentur l.1.c.29

Columbas, & aues alias an liceat capere, vbi, & quando lib.5. cap. 20

Comessatio, & crapula species gulæ. lib.de 7 pec. mort. cap. 55

Commendæ perpetuæ non licēt, & fraudes, quæ in his fiunt legi l. 5.cap. 8

Commissarij, & Inquisitores, qui excommunicentur l.1.c.39

Communicandum assiduè, & frequenter l.2.c. 29

Communicans cum conscientia peccati mortalis, etiā errore, mor. pec.l.6.c.16. careat etiam veniali culpa l.2.c.28

Communicare frequēter an sit bonum l.6.c.19

Communicare omnes tenentur in Paschate l.3.c.20

Communicatio cum excommunicatis etsi licita est, non tamen cōtra l.1.c.12

Communicatio cum excōmunicatis quando sit licita, quando verò non l.1.c.11

Communicatio cum excommunicatis, quando, cum quibus, & in quibus licita, aut illicita sit. li. 1.c. 11. & 12.

Communicatio cum excommunicato quando sit veniale l.1.c.17
Communio an sit danda ad mortem damnatis l.6.c.16. frequens an sit omnibus cõcedenda l.6.c.19. & communicans, vide in verbo Eucharistia.
Communionis præceptum differt à præcepto confessionis lib. 6. c.18. vel ieiunij præceptum soluens, an iterum teneatur l. 6.c.18. effectus qui sint lib.2. c.29.præceptum quo tempore obliget l.6.c.18
Comparationes in Dei amore tantum faciendæ in particulari l. 4.cap. 9
Conceptionis B. Virginis festum seruantes, vel contra, & de eadem alterutro modo sentiẽtes hæreticos esse, aut peccare mortaliter qui affirmant, excommunicantur l.1.c.36
Concilij Trident. suspensiones octo l.1.c. 49
Cõcilĩ generale quoscumq; cuiuscumq; diœcesis excõmunicare potest lib.1.c.6.Trid.quid statuat circa pluralit.benefi. l.5. cap.81.generale nunquam suspenditur, seu impeditur lib.1. cap. 6
Concionator an possit pretium accipere l.5.c.88
Concubinarij, & fornicatoris differential.1.c. 47. non absoluendi, nisi prius dimiserint concubinas l.5.c.10
Concubinarius, seu fornicator, quis quomodo, & à quibus sit suspensus, & an alias pœnas incurrat, quas, ac quando lib.1. cap.47. excommunicatur, & concubina ciuitate eijcitur lib. 5. cap. 10
Concubitus inordinatus quid, & quale peccatum l.5.c.13
Concupiscentia rei venereæ an sit semper peccatum mortale lib. 5.cap. 14
Conditiones necessariæ in quouis casu.l.5.c.47.necessariæ in nõ residendo l.5.c.4
Confessarij scientia quanta debeat esse l.3.c.14
Confessarijs constitutis in religionibus quilibet potest confiteri, quolibet tempore lib.3. cap. 13
Confessario quid considerandum in pœnitentijs iniungendis lib. 3.c.11.quæ sint necessaria lib.3. c.13.nullo modo licet peccatum revelare l.3.c.16.quid agendũ cum aliquid est sub opinione lib.3.c. 20
Confessarius de quibus præcipuè inquirat à maleficio lib.4. cap. 16
Confessarius quomodo se gerat in vsurario pœnitente l.5.c.36. peccat mortaliter absoluendo vsurarium ibid. mille potius mortes pati debet, quàm revelare confessionem l.5.c.66.ipsemet restituere tenetur, si non

obligat pœnitentem ad id l.3. c.15. obligatur sigillo, quamuis non absoluerit pœnitentem, per quamcumque causam l.3. c.16. non omnes admittat ad confessionem l.3. c.4. non debet imparatos audire l.3.c.9. proprius quis dicatur l.3.c.13. proprius an possit ab omnibus peccatis absoluere l.3.c.14. omninò ignarus peccat audiendo confessiones l.3.c.15. non alloquatur nec ipsum pœnitentem de peccatis in confessione auditis, extra eam l.3. c.16. quid petere debeat à pœnitente ante confessionem l.3.c.17. quid in ipsa confessione petere debeat à pœnitente l.3.c.18. quid post confessionem petere debeat à pœnitente l.3.c.19. quomodo prudenter se gerat. ibidem.

Confessio non integra quandoque valida l.3. c.8. ante celebrationem an semper sit necessaria l.2.c.1. quandoque non sufficit, ad celebrandum ibid. facta absque contritione iteranda l.3.c.10. spontanea differt ab ea, quæ est per torturam li. 5.c.56. præmittenda in principio Quadragesimæ l.6.c.2. frequens, optimum, & vtile remedium; nemo tamen obligandus ad hoc l.3.c.13

Confessio facienda proprio Confessario ibid.

Confessio quare non sit differenda ibid.

Confessionem iterare quando quis teneatur l.3.c.10. frequentare quantum sit vtile, & quare l.6.c.11. sacramentalem ante cõmunionem necessariam esse negantes qui excommunicentur l.1.c.41

Confessionis descriptio, & declaratio l.3.c.6. qualitates lib.3. c.7 & 9. sigillum quid sit, & ad quæ se extendat l.3.c.16. præceptum quos, & quãdo, & quomodo obliget l.6.c.11

Confirmatio necessaria, vt quis alia sacramenta suscipiat, lib.2. cap. 24

Confirmationis minister, effectus, modus ibid. sacramenti forma, quæ l.2.c.24

Confitendi nullum statutum tempus in anno l.3.c.20

Confitentes crimen non verum in tortura, an teneantur libr.6. cap. 66

Confiteri quando quis teneatur li. 3.c.5. multi simul an possint li. 3.c.20. an liceat per interpretem, vel nutu l.3.c.6. quandoque licet in scriptis ibid. laico an liceat necessitatis tempore l.3.c.13. quando liceat non proprio Confessario ibid.

Confiteri nolens tempore statuto, toties peccat mortaliter lib.6. cap. 18

Confiteri in tortura peccatũ, quod

non fecit, an liceat l.6.c.66
Coniugalis status cur sacerdotibus Euangelicis illicitus l.1.c.2. copula in loco sacro, an, & quando liceat l.5.c.12. copula an impediat communionem li. 6.cap. 16
Coniugium. Vide matrimonium.
Coniugũ copula nullo tẽpore prohibita l.7.c.20. separatio quãdo licita ibid.
Conscientia erronea an obliget ad peccatum l.3.c.2
Consecrationis Eucharistiæ forma an mutata l.2 c.26
Consilium, quantum ad homicidium, vel mutilationem, quando, & quam regularitatem inducat, quando vero nullam. l.1.c.79. quantum ad irregularitatem contrahendam, quotuplex sit, & quomodo à mandato differat ibid.
Consuetudo est optima iuris interpres l.1.c.35
Consulentes homicidium, vel mutilationem, qui, quando, & quã irregularitatem contrahant l.1. cap. 79
Contentio quid, & quale peccatũ lib.de 7.pec.mor.c. 9
Conteri statim post peccatum commissum l.3.c.5
Continentia cur in sacerdotibus Euangelicis requiratur lib.1. cap. 2
Contractus ebrij validi non sunt lib.de 7.pec.mor.c. 58
Contractus per excommunicatum celebrati an, & quando eius nomine sint validi, l.1.c.11. vigore in iudicio agere excommunicatus non potest, durante excommunicatione, agi contra ipsum potest ibid. aperte vsurarij sunt inuali l.5.c.36. aliquot in societate officiorum li. 5.cap. 40
Contrahentium matrimoniũ quot genera, & quando excommunicentur l.1.c.39
Contritio generalis an sufficiat singulis peccatis l.3.c.5
Contritio quanta esse debeat, vt peccatum deleat ibid. quandoque aufert pœnam totam ibid. an sufficiat ad Eucharistiam, & quando l.6.c.16. & confessio remittunt culpam l.6.c. 22. grandis multum aufert de pœna debita l.3.c. 11
Contritionis, & attritionis differentia l.3.c.4
Contumelia, & blasphemia filiæ iræ lib.de 7.pec.mor.c. 58
Contumelia, & conuicium quid l. 5.c. 9
Contumelias, cõuicia, & iniurias proferre, an sit peccatum ibid.
Coqui an soluant ieiunium gustando l.6.c.7
Corporalia munda, & mappæ duplices ad celebrandum l.2.c.3
Corpore vitiatus iam promotus ad ordines quorum beneficiorum sit capax l.1.c.57

Corporis Christi præsentia quamdiu duret in communicante l. 2. c. 29. defectus, quod ad ordines spectat, quid efficiat, & quotupliciter proueniat lib 1. cap. 57

Corporis Christi sacramenti multiplex nomen l. 2. c. 30

Corpus Domini, sacramentum, & sacrificium l. 2. c. 5

Correctionis causa percutiens Clericum quando excommunicationem incurrat l. 1. c. 33

Corrigere alios fraterne quando teneamur l. 5. c. 57

Credentes hæreticorum, qui dicantur l. 1. c. 19

Credentium hæreticorum receptatores, & defensores excommunicantur per Bullam Cœnæ ibidem.

Creditori in extrema necessitate existenti, an præferendi fratres, eadem necessitate laborantes l. 5. c. 24. & lib. de 7. pec. mort. c. 39

Crimen falsum imponere graue peccatum l 5. c. 59

Crimina quæ, & quando inducant irregularitatem l. 1. c. 68

Crimina quæ impediant matrimonium contrahendum l. 7. c 15

Culpa, quod ad homicidium casuale spectat, quotuplex sit lib. 1. c. 18. aliàs 76

Culpa remissa, non semper tota pœna remittitur l. 6. c. 21

Culpa quanta sufficiat ad irregularitatem inducendam in homicidio casuali l. 1. c. 81. aliàs 76.

Cultus Dei quid sit l. 1. c. 1

Cultus Dei in quot, & quibus rebus consistat ibid.

Curati officia aliqua, & præsertim de concione l. 6. c. 21

Curati ætas, vt possit retinere fructus rei ibid.

Curato an liceat propter periculum mortis relinquere oues l. 4. c. 1

Curatus habens duo beneficia curata, alterum relinquat infrà sex menses, alioquin vtroq; priuetur l. 6. c. 21

Curatus infrà annum fiat sacerdos ibidem.

Curatus an possit habere aliud simplex beneficium ibid.

Curatus an possit non residere, & quando ibid.

Curatus an teneatur celebrare singulis diebus ibid.

Curatus sepeliat pauperes gratis ibidem.

Curatus non potest delegare alicui suam auctoritatem. l. 3. c. 13

Curia in Romana morantes qui dicantur in Bulla Cœnæ. l. 1. c. 25

Curiales qui dicantur. l. 1. c. 54

Curiositas quid, & quot modis peccatum. lib. de 7. pecc. mortal. c. 12

D.

Dæmon an sciat futura contingentia. l. 4. c. 15

Dæmon an possit suscitare mortuos, & quo modo. ibid.
Dæmones non habent potestatem faciēdi effectus per se. l.4.c.14
Dæmones quomodo aliquid faciāt vel fingant. ibid.
Damni emergentis gratia exigere aliquid licet, & quomodo. l.5. c.32
Damnum iniustum inferentes, ad quid teneantur. l.4.c.19
Debitor, qui sua culpa non soluit, tenetur de damno. l.5.c.22
Debitorem ab obligatione soluendi creditori non liberat excommunicatio, l.1.c.13
Debitum coniugale quando liceat alteri coniugī negare. l.7. c.20
Debitum coniugale quando non liceat reddere. ibid.
Debitum quando teneatur vir reddere vxori adulteræ. ibid.
Decem dare pro centum an liceat pro censu. l.5.c.49.
Decima quadruplex, & de excommunicatione non soluentium l.6.c.20
Decimæ an de iure diuino, & vnde originem ibid.
Decimas soluere quando quis, & quomodo debeat ibid.
Defectus alterius an liceat manifestare quandoque l.5.c.56
Defensio in homicidio quando faciat irregularē l.1.c.80 *quotuplex sit* l.1.c.79.*aliàs* 74.*quātum ad homicidiū, vel mutilationem, quæ, quādo, & quā irregularitatem inducat, ac quos comprehendat* l.1.c.80
Defensores hæreticorum, qui dicantur l.1.c.19
Degradandus nemo est sine accusatione, licèt puniendus lib.1. cap. 50
Degradatio quid sit l.1.c.50
Degradationis species quot? ibid. *verbalis, & actualis differentia quintuplex* ibid.
Degradatus à Iudice sæculari potest priuari l.5.c.56
Dei cultus quid sit l.1.c.1.*in quot, & quibus rebus consistat ibidem.*
Delectatio morosa, quid, & quando l.5.c.14
Deliberationis defectum excusat à mortali l.4.c.12
Delictum alterius nomine factum vt retrotrahatur, quot requirantur l.1.c.31
Denariorum duo sunt vsus lib.5. c.51. *valor auctus, vel diminutus cui cedat* l.5.c.34
Denunciari excommunicatū quid sit l.1.c.12
Denunciati excommunicati à nominatim excommunicato discrimen l.1.c.12
Denunciatio excommunicationis, à quo, & quando facienda lib. 1.cap. 12
Denunciatione non facta, contrahentes matrimonium peccant mortaliter libr. 7. cap. 19

Denunciator quis dicatur. lib.1. c.57
Depositarius vtens deposito ad quid teneatur. l.5.c.22
Desperatio minus peccatum quàm hæresis, sed periculosius. l.4. c.17
Desperationis descriptio & declaratio. l.4.c.17. & lib.de 7.pec. mort.c.70
Detractio quid sit. l.5.c. 36. fit octo modis.ibid. peius peccatum quam furtum.l.5.c.64. quandoque veniale peccatum. ibid.
Detractio & contumelia in quo differunt. l.5.c.63
Detractionis qualitas cognoscitur ex tribus. l.5.c.64
Detractorem audiens non minus peccat,quàm ille.l.5.c.67. non impedire,an semper sit peccatũ mortale. ibid.
Deum amare quando quis teneatur. l.4.c 9
Deum amare præcipuè propter præmium est mortale ibid. tentare quid,& quomodo. l.4.c. 19.an semper sit mortale. ibid.
Deus quomodo amandus l.4.c.9. amandus supra omnia quantum ad appretiationem,& quantum ad intentionem, sed cum discrimine. ibid. quomodo adorandus. l.4.c.12
Diaconus potest ministrare sacramentum in necessitate.l.2.c.28. quandoque potest ministrare Eucharistiam. l.5.c.15
Dictum:qui tacet,consentire videtur, in foro exteriori intelligitur,non interiori. l.1.c.81
Dies à media nocte ad mediam noctem. l.6.c.1
Diffamatum in vno loco an in alio liceat diffamare. l.5.c.65
Diplomata de Confessario eligendo derogata in Concil. Trident. l.3.c.18
Discordia quid, & quale peccatũ. l.de 7. pec.mort.c.10
Dispensare quis possit à ieiunio. l.6.c.4
Dispensatio eisdem prohibita est, cui absolutio. l.1.c.63
Dispensatio in irregularitate ad quem spectet. l.1.c.52
Dispensatio tollit omnem irregularitatem.l.1.c.83.in ieiunio alia circa lacticinia, alia circa carnes.l.5.c.2.matrimonij propter affinitatem & honestatem qualis debeat esse. l.7.c.11. ne detur contrahentibus impeditis qui expresè copulam habent,vt dispensetur.l.7 c.18. matrimonij facta,quando duo sunt in duplici gradu, tenet, non narrato nisi remotiore. l.7.c.5 in plura beneficia, non reddit securos in conscientia.l.5.c. 85.in pensionibus, & in votis sine causa non licita. l.5.c.83
Dispensent qui, & in quibus cum homicidis. l.1.c.82
Dispenset quis super irregularitate ex defectu corporis.l.1.c.57

Diuinatio quid sit, & eius duplex genus. l.4.c.15
Diuites non subuenientes pauperibus in periculo mortis existentibus, an incurrant irregularitatem. l.1.c.81
Doctor defendens causam iniustã peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. l.5.c.60
Domini temporales quinam, & quando personarum Ecclesiasticarum causa excommunicentur. l.1.c.38
Domini tenentur restituere seruis fructus beneficiorum. l.5.c.26. *& Principes, vsurarios permittentes, an, & quando peccent.* l.5.c.37. *temporales qui Papalẽ excommunicationem incurrant.* l.1.c.36
Dos ab vsurario accepta, an sit restitutioni obnoxia. l.5.c.35
Dubitare in fide, an sit hæresis. l.4.c.4
Dubius in fide an sit apostata. l.4.c.6
Duellorum causa qui excommunicentur. l.1.c.41
Duellum quando liceat. l.5.c.6 *permittentes, & spectantes, patrini & pugnantes, mortaliter peccant, excom. & priuantur sepultura.* l.5.c.6
Durandi error circa matrimoniũ. l.7.c.1

E.

Ebrietas quid, & quale peccatum. l.de 7.pec.mort.c.61
Ebrij actus mali an peccata sint. l.5.c.10. *& ibid.*
Ecclesia polluitur propter quinq;. l.5.c.8
Ecclesia non semper polluitur his causis, & quando.ibid quot, & quibus priuet bonis spiritualibus per excommunicationem, quibus verò non. l.1.c.4
Ecclesiæ spoliatorẽ cum effractione denunciatum excommunicatum ab Episcopo solus Papa absoluere potest. l.1.c.16
Ecclesiæ libertatem quoquomodo violantes qui, & quando excommunicentur. l.1.c.30. *militantis thesaurus quis, vnde.* l.5.c.51
Ecclesiarum effractores, earumq; res rapientes quomodo excommunicentur l.1.c.35. *incendiarij quomodo sint excommunicati. ibid. nomine quæ intelligantur. ibid.*
Ecclesiastica libertas in quib. consistat. l.1.c.37
Ecclesiasticarum personarum causa qui, & quando excommunicentur. l.1.c.38
Earundem nomine qui comprehendantur. ibid.
Ecclesiastici, de bonis ab Ecclesia habitis, possint consanguineis dare nomine eleemosynæ. l.de 7.pec.mort.c.38
Ecclesiasticis collectas imponẽtes tam super patrimonialibus, quã beneficiorum bonis quando excommunicentur. l.1.c.29

Ecclesiastico in foro litigantium, vel literas Apostolicas impetrãtium causa qui & quando excõmunicentur. l.1.c.38

Ecclesiasticorum bonorũ causa qui excommunicentur. l.1.c.40. bonorum Episcopi dispensatores, & quomodo. l.4.c.4

Ecclesiasticos indicare quibus in casibus possit Iudex secularis. l.1.c.27

Ecclesijs, aut Ecclesiasticis talias imponentes quando excommunicentur. l.1.c.37

Effectus minoris excommunicationis quis sit, & quæ natura. l. 1.c.17. excommunicationis plures. l.1.c.11.& 13

Efficiens causa excommunicationis. l.1.c.6

Electio passiua ad beneficium excommunicati minori excommunicatione an sit valida l.1.c.17

Electione passiua beneficij Ecclesiastici priuat minor excommunicatio. ibid.

Electus in Pontificẽ à minori numero, quã duabus Cardinalium partibus, vel à sola tertia parte quando excõmunicetur. l.1.c.37

Eleemosyna quid. l.de 7.pec.mor. c.27. quibus eroganda. ibid.c.31 sibijpsi quando possit distribui. ibid. quo ordine facienda. ibid. c.39. quanta debeat esse. ibid.c. 40. abundans duplex. ibid.

Eleemosynæ præceptum obligat quoq; infideles. ibid.c.38. præceptum magis ligat Ecclesiasticos. c.36.& 38.& charitatis diuersus ordo. ibi.c.39. vtilitas. ibid. c.41

Eleemosynam qui non possint facere. ibid.c.28. facere quibus casibus omnibus licet. ibid. facere quandoq; peccatum. ibid.c.40. faciendi, quando, & quæ obligatio. ibid.c.34.& 35

Eligentes indignum in Episcopatum, vel aliam dignitatem Ecclesiasticam qui suspendantur. l.1.c.48

Emens fructus agri ante tempus, minoris, quam credito valituri essent, vsura est, & tenetur ad restitutionem. l.de 7.pec. mort. c.50

Emere vilius infimo pretio ob anticipatam solutionem, vsura, & peccatum mortale. l.5.c.31

Emere infimo, & vendere summo pretio an liceat. l.5.c.31

Emi, aut vendi res tanti debet, quanti valet, cùm traditur. l.de 7.pec.mort.c.50

Emphyteosis quid dicitur. lib. 5. c.42

Emptio cum pacto retrouendendi, vt sit iusta, quæ requirantur. l. de 7.pec.mort.c.52

Energumenis non est neganda cõmunio. l.2.c.18

Episcopatum recusare quandoque est peccatum mortale. l.5.c.3

Episcopatum desiderare quando peccatum mortale. ibid.

Episcopatum qui desiderat, bonũ opus desiderat, quomodo explicandum. l.5.c.3
Episcopi eligendi qualitates. ibid.
Episcopi status, & victus qualis esse debeat. l.5.c.4. *absentia quæ incommoda auferat. ibid. & alij superiores, qui, & quam diu ab officio suspendantur.* l.1.c.48. *denominatio.* l.5.c.3. *ad quid teneantur.* l.4.c.4
Episcopo quando intelligatur generaliter concessa facultas dispensandi. l.1.c.83. *qui casus reseruati.* l.3.c.14. *quæ à clericis, & laicis obediẽtia debeatur.* l.7 de 7. *pec. mort.* c.21. *reseruatur absolutio excõmunicati ob contractum matrimonium post solemne votum religionis.* lib.7.c.4. & 8
Episcopus, & reliqui prælati quãdo, & quos possint, vel non possint excommunicare. l.1.c 6
Episcopus Italus, seu alterius nationis quomodo intelligatur. l.1.c.48. *in quibus casibus absolutionem possit presbytero committere.* l.1.c.32
Episcopus quis ab exercitio Pontificalium sit suspensus. l.1.c.49. *excommunicatus faciens sibi missam celebrari an fiat irregularis* l.1.c.66. *qui renunciauit Episcopatui, an, quando, & quos ordines possit conferre.* l.1.c.65. *in casibus, in quibus absoluit & dispensat, deputare potest Confessarium, qui secum in eisdem dispenset.* l.1.c.83. *consecratus esse debet, vt eum vulnerantes, vel capientes incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ.* l.1.c.25. *ordinarius, & proprius sacerdos subditum in aliena diœcesi excommunicatum quando absoluere possint.* l.1.c.16. *potest tollere statutum contra libertatem Ecclesiæ.* l.1.c.37. *solus Confirmationis minister.* l.2.c.24. *non confirmat, nisi sibi subditos. ibid. ponat animam suam pro ouibus suis.* l.4.c.10
Episcopus, & pastor dicũtur presbyteri. l.5.c.1. *debito tempore nõ consecratus tenetur restitutioni.* l.5.c.3. *ad quid teneatur post cõsecrationem.* l.5.c.4. *non residens sine causa, peccat mortaliter. ibid. quando excusetur à residentia. ibid. admittere pauperes ad ordines sacros tenetur. ibid. dans consanguineis officia Ecclesiastica an peccet.* l.5.c.4. *tenetur inquirere, & castigare peccata publica. ibid. irreprehensibilis, & quomodo. ibid. quomodo eleemosynas facere teneatur.* l.de 7 *pec. mort.* c.36. *solus confirmationis minister.* l.2.c.24. *sub mortali tenetur, subtractis requisitis, reliqua pauperibus distribuere. ibid. an possit testari de licentia Papæ. ibid. ex religione assumptus ad quid teneatur. ibid.*

Episcopus veniens ad religionem, an teneatur. ibid. quando teneatur Episcopatū relinquere. ibid. pro ordinum collatione, nihil accipiat quouis prætextu, etiam candelas, quia periculosum est. l.5.c.88. tempore visitationis nihil accipiat. l.5.c.89

Episcopus quandoq; dispensat eum qui vouit castitatem, vt petat debitum matrimonij. l.7.c.14. conferens beneficia indignis, tenetur. l.5.c.4. tenetur per se cōcionari. ibid. curet vt concionatores sint idonei. ibid. constituēs malos ministros peccat mortaliter. ibid. Italus an Vltramontanum clericum ordinare possit. l.1.c.48

Eremitæ, item tertij ordinis S. Francisci, vel S. Dominici fratres & sorores, an Religiosi nomine comprehendantur. lib.1. c.34

Error personæ, vel sexus, an impediat baptismum. l.2.c.20

Error contra articulos, & Ecclesiam non semper hæresis. lib. 4.c.3

Error intolerabilis quid, & quotuplex sit. l.1.c.10

Ethnicorum sacerdotes an sint sacerdotes. l.1.c.1

Euagatio mentis. l.de 7.pec.mort. c.70

Euangelium quare in dextro cornu altaris dicatur. l.2.c.5

Eucharistia quid sit, explicatur. lib.6.c.12. Christi corpus, animā & diuinitatem complectitur. l.6.c.12

Eucharistia quare instituta, & in quos vsus. l.6.c.13

Eucharistia an sit pueris ministranda, quibus, & quando. l.6.c.15

Eucharistia an sit infirmis phreneticis ministranda. ibid.

Eucharistia quale ieiunium requirat. ibid.

Eucharistiæ materia, quæ, & qualis. l.2.c.25

Eucharistiæ minister solus sacerdos. l.2.c.28

Eucharistiæ minister quis esse debeat. l.6.c.17. species verum corpus, & sanguinem Christi cōtinet. l.6.c.12. veritatēs, quæ credendæ. ibid species sub vtraque, & sub altera totum continet Christi corpus, & de hoc optimum exemplum. ibid. fructus & vtilitas. l.6.c.14. cōsecrationis forma an mutata. l.2.c.26

Eucharistiam sumendi modus quadruplex. l.2.c.29

Eucharistiam suscipientis conditiones carminibus contentæ. lib. 6.c.15

Eucharistiam sub vtraque specie ministrare. l.6.c.17

Examen præmittendum ante confessionem. l.3.c.17

Excæcatio visu priuans, non tamē oculum extrahens, non inducit irregularitatem. l.1.c.70

Excommunicans ex mandato Papæ sine causæ cognitione, excommunicatum absoluere non potest l.1. c.16. si ppst quam excommunicauit, incidit in excommunicationem, excommunicatum à se absoluere nequit. ibid.

Excommunicantur dantes consilium, ne quis inquisitoribus faueat contra hæreticos. l. 4 c.5. in bulla Cœnæ, pedagia, tallias, gabellas, & prohibita exigentes. l. 5. c.73 tria genera personarum. l.1. c.36

Excommunicare qui possint, qui verò non. l.1. c.6. an liceat absq; præcedenti admonitione. l.1. c.9 & absoluere subditos suos extra proprium territorium an quis possit. l.1. c.16. qui possunt, an omnes similiter possint, & quod sit inter eos discrimen. l.1. c.6. seipsum nemo potest. l.1. c.7

Excommunicari qui possint, & qui non. ibid.

Excommunicati ob manuum violentam iniectionē, qui, & quando ab alio, quàm à Papa absolui possunt. l.1 c.32. quinam, & in quibus, & quando vitandi. l.1. c.11. & 12. etiam ignorantis se excommunicatum, electio ad beneficium, aut sæcularem dignitatem est nulla. ibid. c.13. ob participationem in crimine criminoso ad quem spectet absolutio. ibid. c.16

*Excommunicatio nō ex quauis leui causa. l.5. c.4. contra non soluentes non ligat, si ipsi non possunt. l.1. 5. c.21. contra non soluentes, an, & quando liget. ibid. an liget eos, qui suo patri secretò rapuerunt. ibid. antequam feratur, quot admonitiones necessariæ. l.1. c 9. non solo Iudicis verbo, sed & in scriptis ferenda. ibid. maior, & anathema quomodo differant l.1. c 5. iniusta in foro conscientiæ inualida. l.1. c 14. cur, & quando infligatur. l.1. c.4. quibus bonis priuet. l.1. c.11 quando & quomodo, & à quibus contrahatur, & à quibus non. l 1. c.8. quando dicatur errorem continere intolerabilē. l 1. c.10. quot modis sit iniusta ex parte excommunicantis, & quot ex parte excommunicati. ibid iniusta, quænam liget, & quomodo. ibid fulminari non debet propter res paruas, & leues. l.1. c.8. lata in eum. qui clam aliquid alteri surripuit, similiter contra occultum aliquod non reuelantes, aut occultas scripturas non producentes, quando non liget. ibid. vt contrahatur, intentio excommunicātus requiritur. l.1. c.9. minor quomodo contrahatur. l.1. c.17. minor alios non afficit ibid. minor, quibus priuet excommunicatum. ibid. Bullæ Cœnæ non incurritur ob hæresim interiorem tantùm. l.1. c.19. vt sit iusta, an semper admonitio per-

tio personalis præmittenda. l.1 c.10 quando afficiat excommunicatum. l.1 c.11
Excommunicatio licet ferri nō debeat absq; causæ expressione, lata tamen tenet. ibid. c. 9.
Excommunicatio à iure duplex, & quæ. ibid. c.16
Excōmunicatio quælibet, in quoscumq; lata, si effectus non sequatur, an, & quomodo contrahatur. ibid. c.8
Excommunicatio prima Bullæ Cœnæ contra quos fulminetur. l.1. c.19 quid sit. ibid. c.4
Excommunicatio à iure, & excōmunicatio ab homine quotupliciter differant. l.1. c.5
Excommunicatio simpliciter à Iudice fulminata, pro qua accipienda sit. ibid.
Excommunicatio vniuersalis lata à iure quos liget. l.1. c. 7. quomodo dicatur minus malum, quàm peccatum veniale, quomodo verò maius. l.1. c. 4. quot modis dici possit iniusta, & nulla. l 1. c.10
Excommunicatio ob iniectionem manuum in clericos, vel monachos, in quibus casibus non contrahatur. l.1. c.32
Excommunicatio reseruata quid sit, & quid non reseruata; item qui possint ab eis absoluere. l.1. c.16
Excommunicatio Bullæ Cœnæ in subsidiū aliquod aduersus Christianos infidelibus impendētes quomodo differat ab ijs excommunicationib. quæ contra eos dē in iure continentur. l.1. c.24. à quib. solui possit extra casum necessitatis. l.1. c.16
Excommunicatio non liberat ab obligatione soluendi debitum creditori. l.1. c.13
Excommunicatio quæuis solos facientes comprehendit, nisi verborum tenore aliter exprimatur. ibid. c.8. tam à iure, quàm ab homine, quando ignorantes liget, & quando non. ibid.
Excommunicatio à iure contracta in vita potest declarari post mortem. l.1. c.7
Excommunicatio minor à quo absoluatur. l.1 c 17. an semper absolui possit ab eo, qui excommunicauit, & in quibus casibus non. l.1 c.16
Excommunicatio ob communicationem cum excommunicato à Papa, vt contrahatur, quot concurrere debeant. ibid c. 35. dum durat, obligatum excommunicato liberat à vinculo fidelitatis & iuramenti. l.1. c.17 quomodo etiam in re leui ligare possit. l.1. c.8. quot, & quib. priuet bonis spiritualib. quib. verò non. l 1. c 4. multiplex. l. 1. c. 5. Excommunicatione durāte in iudicio agere cōtra eius vigore excōmunicatus non potest; agi cōtra ipsū potest. l. 1. c.

Excommunicationem incurrunt vndecim genera personarũ. Rursus, alia quinque. l.1.c.35

Excommunicationem, ne contrahatur, licet pars, ad cuius instantiam lata est, impedire possit, nõ tamen contractam tollere. l.1. c.9

Excommunicationem quam incurrat absoluens ab aliqua excommunicatione in Bulla Cœnæ contenta. l.1.c.30

Excommunicationem, qui incurrant Cardinalium in conclaui existentium causa, Cardinalibus eam non incurrentibus. l.1.c.38

Excommunicationem Papalẽ qui Religiosi contrahant, l.1. c.36

Excommunicationem sustinẽs per annum, hæresis suspectus habetur. l.1.c.13

Excommunicationem ab Episcopo latam quando absoluere possit inferior. l.1.c.16

Excommunicationem, vt sit iusta & valida, præcedere debet admonitio. l.1.c.10

Excommunicationes quædam Papæ, quædam nemini, aut Episcopo absoluendæ reseruantur. l.1. c.18

Excommunicationes non reseruatæ in Decreto, & Decretalibus. l.1.c.37

Excommunicationes non reseruatæ in sexto. l.1.c.38

Excommunicationes in Clementinis, & in extrauagantibus reseruatæ. l.1.c.36

Excommunicationes non reseruatæ in extrauagantibus. l.1.c.40

Excommunicationes in Concil. Trident. reseruatæ. l.1.c.41

Excommunicationes Papales, præter eas, quæ in Bulla Cœnæ continentur, quo ordine explicandæ. l.1.c.31

Excommunicationes contentæ in processibus generalibus, licèt sint ab homine, habent tamen vim iuris. l.1.c.18

Excommunicationes in Decretalibus, & in sexto reseruatæ. lib.1. c.35

Excommunicationes à prouincialibus, seu synodalibus concilijs latas, qui absoluere possint. l.1. c.16

Excommunicationes non reseruatæ in Clementinis. l.1.c.30

Excõmunicationibus pluribus ligatus, pluribus indiget absolutionibus, vel vna generali. l.1. c.14

Excommunicationibus multis simul potest aliquis ligari, l.1.c.26

Excommunicationis absolutio duplex, & à quo, ac quomodo facienda. l.1.c.14

Excommunicationis minoris natura, quæ sit, & quis effectus. l.1.c.17

Excommunicationis modi quatuor. l.1.c.10

Excommunicationis ferendæ ob peccatum præteritum aliquot

cumstantiæ conseruandæ, lib. 1. c. 9
Excommunicationis genera causarum quot, & quæ sint. lib. 1. c. 6
Excommunicationis effectus plures. l. 1. c. 11. & 13
Excommunicationis finis quis sit. l. 1 c. 10
Excommunicationis circumstantias non obseruantes, qui, quas, & quando pœnas incurrant. l. 1. c. 9
Excõmunicationis relaxatio quando sit illico facienda. lib. 1. c. 14
Excommunicationis, quam dicunt ab homine, absolutio ad quem spectet. l. 1. c. 16
Excommunicationis contrahendæ terminum an pars, ad cuius instantiam lata est, prorogare possit. l. 1. c. 9
Excommunicationis à suspensione differentia. l. 1. c. 46
Excommunicationis maioris, & minoris discrimen. l. 1. c. 5
Excommunicationis varia diuisio seu species variæ. ibid.
Excommunicationis absolutionem per vim, vel metũ extorquentes, quomodo, & quando excõmunicentur. l. 1. c 38
Excommunicato participãs, quomodo eandem excommunicationem contrahat. l. 1. c. 13
Excommunicatos omnes an generaliter absoluat Papa in die Iouis Cœnæ. l. 1. c. 30
Excommunicatos quoscunque ob manuum iniectionem absoluere qui possint. ibid. c. 32
Excommunicatum subditum in alienа diœcesi, quando absoluere possint Episcopus, Ordinarius, & proprius sacerdos. l 1. c. 16
Excommunicatum quãdo officiat excommunicatio. ibid. c. 11
Excommunicatur contrahens matrimonium post votum solenne religionis. l. 7. c. 4. & 8
Excommunicatus celebrans quis, & quando fiat irregularis. l. 1. c. 66
Excommunicatus beneficiatus, beneficij fructus amittit, non titulum, nec possessionem. l. 1. c. 13
Excommunicatus quis Ecclesiastica sepultura priuandus. ibid.
Excommunicatus à quibus possit absolui extra casum necessitatis. ibid. c. 16
Excommunicatus, in quibus casibus ab excommunicante absolui non possit. ibid.
Excommunicatus, cum domicilium haberet in vna diœcesi, ad aliã se transferens à quo absolui possit. ibid.
Excommunicatus quando etiã inuitus, & ignarus absolui possit. l. 1. c. 14
Excommunicatus iniuste se gerere debet vt excommunicatus, donec absoluatur. ibid. c. 10
Excommunicatus cum alijs con-

trahens, peccat, licet contractus sint validi. l.1.c.11
Excommunicatus à delegato Papæ, per annum manens in tali excommunicatione, à solo Papa absoluitur. l.1.c.35
Excommunicatus nullum iurisdictionis actum exercere potest. l.1. c.13
Excommunicatus quisnam in mortis articulo etiam possit absoluere ab excommunicatione. l.1. c.15
Excommunicatus impetrans à Papa litteras ad beneficium, simul absolutionem ab excommunicatione, quando impetret. l.1.c.13
Excommunicatus nominatim, & excommunicatus denunciatus qui differant. l.1.c.12
Excommunicatus in vna Ecclesia vbique locorum est excommunicatus. l.1.c.11
Excommunicatus, & infamis non faciunt fidem in iudicio. lib.5. cap. 59
Excommunicatus non absoluitur à peccatis, nisi prius ab excommunicatione absoluatur. lib.3. c.10. & 12
Excommunicatus vt sit aliquis, quia participat cum excommunicato in crimine criminoso. quot necessaria. l.1.c.34
Excommunicatus nullum ordinis actum potest exercere. lib.1. cap. 13
Excusantur à ieiunio permulti. l.6. c.4
Excusati à ieiunio non excusantur in esu carnium. l.6.c.3
Excusatur quis à ieiunio quatuor causis. l.6.c.4
Excusatur quis ab audiendo Sacro quinq; de causis. l.6.c.9
Excusatur quandoque à ieiunio quis, & à Sacramento, licet nõ habeat iustam causam, sed apparentem. ibid.
Exigere vltra sortem in mutuo in pœnam licet. l.5.c.33
Extrauag. Calixti, & Martini Papæ non obstant censibus. l.5. cap. 46

F.

FAllacia quale peccatum. l.de 7.pec.mor.c.54
Fallacia in verbis, fraus in factis. l.de 7.pec.mort.c.26.& 46
Falsarij literarum Apostolicarum quinam incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ. lib.1. c.22
Falsarij literar. Apost. quas pœnas incurrant. ibid.
Falsi testes damnum tenentur restituere. l.5.c.21
Falsum dupliciter dici, l.de 7.pec. mort. c.54
Falsum testificans propter lucrum an restituere teneatur. l.5.c.59
Fama quid. l.de 7.pec.mort.c.6
Fama, & honor in quo differant. l.5. c.36
Fama restituatur coram his, coram

ram quibus est læsa. l.5.c.69
Famam auferre quid sit, & quomodo, & quæ. l.5.63
Famam restituere cum detrimento propriæ famæ, an quis teneatur. l.5.c 70
Famam restituere cum periculo vitæ an teneamur. ibid.
Famuli quãdo possint facere eleemosynam. lib.de 7. pec. mort. c.30
Fautores hæreticorum qui dicantur, & quotuplex sit eorum genus. l.1.c.19
Festis diebus quibus casibus operari liceat, & quomodo. l.4. cap. 25
Festum non sanctificare ex genere suo mortale. l.4.c.24
Festum quomodo sanctificandum. ibid. quando incipiendum ibid.
Fidei materia quænã sit. l.4.c.4
Fidei articulos, & alia ignorare est mortale. l.4.c.2
Fidei bonæ, vel malæ possessor. Vide bonæ fidei.
Fidelitatis, vel iuramenti vinculo obligatum excommunicato liberat excommunicatio, dum durat. l.1.c.13
Fidem propriam confiteri, quando quis teneatur. l.4.c.2
Fidem implicitam habere an omnes teneantur. ibid.
Fides quid sit declaratur. lib.4. c.1
Fides necessaria adultis vt baptizentur. l.2.c.21
Fides sola non sufficit ad salutem. l.4. c.24
Fides absque exteriori confessione non sufficit. l.4.c.2
Fides manifestanda cum vitæ periculo. ibid.
Fides duplex, explicita, & implicita ibid.
Filijfamilias quando possint facere eleemosynã. l. de 7. pec. mort. c.30
Filiorum procreatio, & educatio concubitus causa est. libr.5. cap.10
Filij tenentur exhibere tria parentibus. l.5.c.4
Filij impedientes parentum testamenta peccant mortaliter. ibid.
Filius malè tractans patrem, peccat mortaliter. ibid.
Filius ingrediens religionem, relinquens patrem in necessitate peccat mortaliter. ibid.
Filius an teneatur egredi religione, ob patris necessitatem. ibid.
Filius non obediens parentibus an peccet mortaliter. ibid.
Filius prouocans ad iram patrem, an peccet mortaliter. ibid.
Filius negans patrem propter paupertatem, an peccet mortaliter. ibid.
Filius accusans patrem an peccet mortaliter. ibid.
Filius tenetur aliquando patrem accusare. l.5.c.4

Filius suppositius quid, & quomodo. l.5.c.13
Filius familias an possit ioco exponere aliquantam summam. l.5. c.27
Fœmina vi oppressa non peccat. l.5.c.10
Fœmina an possit excommunicare. l.1.c.6
Fœtum aboriri faciens quis nõ sit irregularis. ibid.c.70
Formalis causa excommunicationis quæ sit. ibid.c.9
Fornicari ad euitandum mortis periculum. l.5 c.10
Fornicatio quid, & quot eius species. ibid.
Fornicationem peccatum mortale non esse asserere est hæreticum. ibid.
Fornicator, seu cõcubinarius, quis quomodo, & à quibus sit suspensus, & an alias pœnas incurrat, quas, ac quando. l.1.c.47
Fraus quid. lib.de 7. pec. mort. c.46
Fraus ratione pretij. l.de 7. pec. mort.c.47.
Fraus ratione rei venditæ, lib.de 7.pec.mort.c.49
Fraus ratione modi vendendi, l. de 7.pec.mort.c.50
Fructus rerum in duplici differentia. l.5.c.35
Fructus in societate officiorũ quomodo locentur. l.5.c.40
Fructus censuum quandoq; mutatur in pretium. l.5 c.46
Fructus beneficij quos amittat beneficiatus excommunicatus, l.1. c.13
Funambuli, & taurorum aggressores, an peccent mortaliter. l.5.c.6
Fur restituat non solum rem, vel valorem, sed etiam fructus. l.5. c.22
Fur restituat rem, & damnum emergens. ibid.
Fur si furatur à fure, cui restituet. l.5.c.23
Furari an liceat aliquando. lib.5. cap.15
Furari quæ sibi debentur quibus conditionibus liceat. l.5.c.15
Furtum obligat ad restitutionem. l.5.c.16
Furtum prohiberi cum possit, an obliget ad restitutionem, & quomodo. l.5.c.21
Furtum manifestare an teneamur ibid.
Furtum quid & eius species. l.5. c.15
Furtum quando sit peccatum mortale, & quando non. l.5 c.16
Furtum etiam modicum quandoque mortale. ibid.

G.

Gabella quid sit, & eius causa. l.5.c.72
Gabella quadruplex. ibid.
Gabella, vectigal, dogma, portorium, pedagium, tallia, ibid.
Gabella non est de his, quæ in proprios vsus vertuntur. ibid.

Gabella in quo differat à collecta. l.5.c.72
Gabella quota debeat esse. ibid.
Gabella non sine necessitate imponenda. ibid.c.74
Gabella alcauala iniusta. ibid.
Gabellæ, seu talliæ conditiones tres. ibid.
Gabellæ debent cessare cessante causa. ibid.
Gabellæ, siue pedagia, quot modis possint esse iniusta. l.1.c.21
Gabellas imponere cuius sit. l.5. c.73
Gabellas nouas imponentes excommunicantur in Bulla Cœnæ. ibid.
Gabellas exigens de his, quæ in proprios vsus emuntur, excommunicãtur in Bulla Cœnæ Dom. ibid.
Gabellas iustas non soluens peccat non tamen tenetur ad pœnam. l.5.c.75
Gabellas, seu pedagia à sponte soluentibus, accipientes vtrum, & qui excommunicentur. l.1.c.21
Gabellas imponentes quouis modo iniustas, an sint excommunicati. ibid.
Gabellas, seu pedagia, aut vectigalia, qui imponere possint, ibid.
Gabellas veteres augentes, qui excommunicentur. ibid.
Gabellarum exactores qui sint, & qui excommunicentur. ibid.
Gaudium boni spiritualis ex triplici consideratione. l.de 7.pec. mort. c.68
Gloria quid. lib. de 7.pec.mort. c.6
Gloriæ appetitus ordinatus & inordinatus. lib.de 7.pec.mort. ibid.
Gradus finiti valoris in Sacramento ratione Sacramenti. l.2. c.6
Gratiæ infusio per Sacramentum abstergit peccati maculam. l.3. c.11
Gratiæ augmentum meretur offerens Sacramentum. l.2.c.6
Gratiæ gradus in Sacramento est finiti valoris. l.2.c.8
Gratiam confert Communio, qua mortale remittitur. l.2.c.29
Gratiam omnino aufert peccatum mortale. l.3.c.2
Gratiam, & remissionem peccatorum confert Sacramentum. l.2.c.6
Gratiam confert Baptismus, qua remittitur peccatum, non solum originale, sed actuale quoque in adultis, quantum ad totam pœnam. l.2.c.22
Gratiam melius est, quàm pœnæ remissionem acquirere. l.6.c.11
Gubernatores, & Iudices iustitiã non seruantes, quando excommunicentur. l.1.c.37
Guidagium quid, an liceat, quomodo, & quibus. l.5.c.74
Gula quid, & eius species. l.de 7. pec.mort.c.59

Gula quale peccatum. l.de 7. pec. mort.c. 60
Gulæ filiæ quinque. l.de 7.pec. mort.c. 62
Gustabilium tria genera. l.6.c.1

H.

HEbetudo mentis, filia gulæ, quando peccatum. l.de 7. pec. mort c. 62
Hæredes vsurariorum tenentur ad restitutionem. l.5.c.35
Hæredes necessarij, & non necessarij, qui dicantur. l.5.c.23
Hæresis tantum exterior, tantum etiam exterius excommunicatum reddit. l.1.c.19
Hæresis nomine, quantum ad irregularitatem spectat, qui comprehendantur. l.1.c.63
Hæresis suspectus haberi quis, & quando excommunicatus possit. l.1.c.13
Hæresis interior sicut non excommunicationem, ita nec irregularitatem inducit. l.1.c 63
Hæresis interior tantum, non satis est ad excommunicationem Bullæ Cœnæ. l.1.c.19
Hæresis quid sit, declaratur. l.4. cap. 3
Hæresis triplex, interius, exterius & simul. l.4.c.4
Hæresis nulla absque pertinacia. l.4.c. 3
Hæresis peccatum an semper subiaceat excommunicationi. lib. 4 c. 4
Hæresis peccatum occultum, cui reseruetur. ibid.
Hæresis exterius tantum peccatũ à quolibet potest absolui. ibid.
Hæretici an, & qui intelligantur cum infidelibus, quibus arma, & huiusmodi prohibita deferre non licet. l.1.c.23
Hæretici qui dicantur. l.1.c.19
Hæreticorum filij an omnes sint irregulares. l.1.c.63
Hæreticorum fautores qui. l.4. cap. 4
Hæreticorum causa qui, & quando excommunicentur. l.1.c.38
Hæreticorum credentes, receptatores, fautores, defensores, eorũ libros legentes, imprimentes, & eosdem defendentes, qui, & quando excommunicentur per Bullam Cœnæ. l.1.c.19
Hæreticos inquisitoribus reuelare quilibet tenetur. l.4.c.5
Hæreticos pertinaces accusare tenemur. l.5.c.57
Hæreticus interius, exprimens exterius aliquo signo, incidit in excommunicationem. l.1.c.19
Hæreticus quis, & quando dicatur. l.4.c.3
Hermaphroditus an sit irregularis censendus. l.1.c.57
Homicida voluntarius quis sit, etiamsi non lethaliter percusserit. l.1.c.73
Homicidæ, vel mutilatores, qui non sint irregulares. l.1.c.72
Homicidij voluntarij nomine, quãtum ad irregularitatem, quod

nam intelligatur. l.1.c.82
Homicidij circumstantia exprimenda. l.5.c.8
Homicidij casualis, ad ipsum declarandum, variæ regulæ, & exempla. l.1.c.80.aliàs 75
Homicidio an teneatur, qui innocentem diffamauit, vnde morti addictus est. l.5.c.70
Homicidio causam dantes an semper peccent mortaliter. lib.5. cap. 7
Homo est causa materialis remota excommunicationis. lib.1. cap. 7
Homicidium quotupliciter perpetretur. l.1.c.82
Homicidium quid, & quotuplex. l.5.c. 6
Homicidium facto, consilio, præcepto, promissione, auxilio. ibid.
Homicidium an semper sit cum peccato, & quando. ibid.
Homicidium tribus causis excusatur. ibid.
Homicidium in sui defensionem non semper licet. ibid.
Homicidium sine intentione an sit peccatum. l.5.c.7
Homicidium casuale, vel mutilatio casualis quid sit, quotupliciter committatur, quando sit peccatum, ac irregularitatem inducat & quando non. l.1.c. 80.aliàs 75
Homicidium ex necessitate quid sit.l.1.c.79. alias 74
Homicidium, vel mutilatio ex consilio, quando, & quam irregularitatem inducat, quando verò nullam. l.1.c.79
Homicidium voluntarium quodnam irregularitatem inducat. l.1.c. 73
Homicidium casuale quanta ex culpa inducat irregularitatem. l.1.c.81 aliàs 76
Homicidium quotuplex, seu quotupliciter fiat. l.1.c.71
Homicidium vt sit iustum quot requirantur. l.1.c.73
Homicidium casuale quid, & quando sit. l.1.c.71
Homicidium, vel mutilatio quando non inducat irregularitatem l.1.c. 72.& 73
Homicidium casuale ex opera illicita subsecutum, non semper inducit irregularitatem.l.1.c. 81 aliàs 76
Homicidium, aut mutilatio ex mandato, quos, & quando siue mandantes, siue mandatarios efficiat irregulares, & qua irregularitate. l.1.c. 83. aliàs 78
Homicidium non impedientes an semper peccent mortaliter. lib. 5.c. 7
Homicidium concomitantia. lib. 5.c. 9
Homicidium quod, & quando sit, vel non sit peccatum, ac quando & quam inducat irregularitatem.

tem. l. 1.c.59.alias 74
Homicidium casuale, quando nulla est culpa, non inducit irregularitatem, secus de alijs homicidijs. lib.1.cap.81. aliàs 76
Homicidium casuale ex opera licita, & præsertim obligatoria, non inducit irregularitatem. l.1. c.81. aliàs 76
Homicidium lingua perpetratum. lib.1 cap 82.alias 77 & 83. aliàs 78
Homicidium quodnam inducat irregularitatem. l.1.c 69
Homicidium illicitum, quam irregularitatem inducat, & quam licitum. ibid.
Homicidium quotuplex. lib. 1. c.69
Homicidium voluntarium quotuplex. l.1.c.71
Honor quid. l.5.c.36 & l.de 7. pec.mort. c.6
Honora patrem tuum, & matrem tuam, &c. l.5.c.1
Horæ canonicæ à quibus recitandæ. l.2.c.14
Horæ canonicæ quare septem. l.2. c.11
Horæ canonicæ quando recitandæ. l. 2 c.3
Horarum ordo an sit sub præcepto l.2.c.12
Horas recitare tenentur omnes beneficiati. ibid.
Horas recitare qui excusentur. l.2.c 14
Horas canonicas an, & quomodo teneatur recitare clericus excommunicatus. l.1.c 66
Horas recitare, ac pensionem soluere quomodo obligetur beneficiatus excommunicatus. lib.1. cap.13
Horror futuri sæculi vnde. lib. de 7 pec mort.c.55
Hypocrisis quid, & quale peccatum. l.de 7.pec mort.c.9
Hypocrysis duæ species. lib.de 7. pec.mort.c.9.

I.

Iactantia quid, & quale peccatum. l.de 7 poc mort. c.8
Iactantia quibus modis sit mortale. l.de 7.pec mort.ibid.
Idololatriæ definitio, & an subiaceat excommunicationi. lib.4. c.14
Ieiunans à quibus cibis abstinere debeat, & eorum differentia. l.6.c.2
Ieiunanti licet ientaculum sumere, & de eius quantitate. l.6. c.2
Ieiunare quandoque quis tenetur ex diuino præcepto. lib.6. cap 3
Ieiunij modus & finis. l.6.c.2
Ieiunij modus duplex, intrinsecus, & extrinsecus. lib.6. c.2
Ieiunij hora, & an sit peccatum eam anticipare. ibid.
Ieiunij tempus, & de eius obligatione l.6.c.3

Ieiunij præceptum obligat omnes ad mortale l.6.c.3
Ieiunium quid sit l.6.c.1
Ieiunium an semper necessarium, vt quis communicet lib.2. cap. 28
Ieiunium quale requiratur ad celebrandum l.6.c. 1
Ieiunium spirituale quid sit ibidum.
Ieiunium in Quadragesima quare præcepiatur l.6.c. 2
Ieiunium in vigilijs quare præcipiatur ibid.
Ieiunium factum in peccato, licet non sit meritorium, valet tamen ad multa ibid.
Ieiunium soluens an teneatur illo die amplius ieiunare. lib.6. cap. 3
Ieiunium non seruat infirmitas, labor, paupertas, pietas, lib.6. cap. 4
Ieiunium domini seruare faciant, alioquin peccant. lib.2. cap. 5
Ieiunium seruare extra propriam ciuitatem an quis teneatur, cum in sua non tenetur. ibidem.
Ientaculum vespertinum in matutinum commutare an liceat lib. 6.c. 5
Ignorantia iuris, & facti, dummodo non crassa, excusat lib. 5. c. 26
Ignorantia quomodo excuset à peccato libr.de 7.pec. mort.c. 1
Ignorantia quotuplex sit lib.1. cap. 8
Ignorantia facti quid sit, & quid ignorantia iuris ibid.
Ignorantia quænam excuset ab excommunicatione: quæ verò minimè ibid.
Ignorare articulos fidei, & alia, est mortale l.4.c.2
Illegitimus, & irregularis quomodo quis sit de verè coniugatis natus, & contra legitimus, nec irregularis, natus ex fornicatione l.1.c. 52
Illegitimus omnis est irregularis ibid.
Illiterati, & Neophiti irregulares censentur ex defectu animæ, & quis dispenset cum eisdem l.1.c.58
Immunditia filia gulæ lib.de 7. pec.mort.c. 62
Impediens ne quis consequatur beneficium, an teneatur, & quomodo l.5.c. 19
Impediens aliquod bonum, an teneatur restituere, & quando. ibid.
Impietatis peccatum est imaginem conculcare lib.4. cap. 13
Incendiarij Ecclesiarum quomodo sint excommunicati lib.1. cap. 35
Incendiariorum excommunicatio quando soli Papæ reseruetur, ibid.

Incendiarius à quocunque excommunicatus post denunciationem à solo Papa absolui potest lib.1. cap. 16
Incestuosus spe coniugij dispensationem non habeat l.5.c.12.& l.7.c.15.
Incestus quid,& quomodo impediat matrimonium l.5.c.12.& l.7.c.15.
Inconsideratio vnde.lib.de 7.pec. mort.c. 55
Inconstantia vnde ibid.
Indignatio quid, & quale peccatum lib.de 7. pec.mor.c.58.65.& 66.
Inducere aliquem ad iurandum falsum est mortale lib.4. cap. 21
Inducere aliquem ad dandum ad vsuram,an liceat lib.5.c. 37.
Indulgentia non remittit pœnam æternam l.6.c. 22
Indulgentia non est noua in Ecclesia,sed antiqua lib.6.cap. 22.
Indulgentia quomodo concedi debeat l.6.c. 23
Indulgentia non solũ remittit pœnam taxatam ibid.
Indulgentia tot annorum quomodo intelligatur ibid.
Indulgentia acquiritur sex modis, limitatare lib.6. cap. 24.
Indulgentia plenaria omnem delet pœnam. ibid.
Indulgentia limitata cum numero quarentenarum, quomodo l. 6.c. 24
Indulgentia limitata cum tertia, vel quarta parte peccatorũ,quomodo. ibid.
Indulgentia plenaria, & Iubilei in quo differant ibid.
Indulgentia prodest mortuis, & hoc negare hæreticum est.lib.6. c.26.
Indulgentia pro mortuis certissima, contra Caietan. ibidem.
Indulgentia quomodo prosit mortuis in modum suffragij, & quid ibid.
Indulgentia an prosit mortuis, si in peccato est, qui eam sumit ibid.
Indulgentia non concedenda absque causa,& quæ sit ista lib.6. cap. 27
Indulgentia data confessis, & contritis, an sit opus statim confiteri,& conteri lib.6. cap. 27
Indulgentia magna propter paruam causam an sit valida lib. 6.c. 28
Indulgentia consecuta, an teneatur quis amplius satisfacere l. 6.c. 23
Indulgentia quid sit l.6.c. 21
Indulgentia in se continet misericordiam,& iustitiam lib.6. cap. 22
Indulgentia non remittit culpam

lib. 6. cap. 22
Indulgentia à pœna, & culpa quomodo intelligatur lib. 6. cap. 22
Indulgentia non prodest existenti in peccato ibid.
Indulgentiæ remittunt pœnam debitam in purgatorio libr. 3. cap. 6
Indulgentiam perpetuam sæpius, eodem etiam die, consequi aliquis potest l. 6. c. 28
Indulgentiam ad certum tempus non potest quis nisi semel consequi ibid.
Indulgentiam conferre cuius sit, & quomodo cum discrimine l. 6 cap. 25
Indulgentiam prodesse viuis, fide catholica tenendum lib. 6. cap. 27
Indulgentiam non consequitur existens in peccato ibid.
Indulgentiam non consequitur, qui non adimplet opus impositum, & si implet in peccato, & postea confiteatur. ibid.
Indulgentiam cõsequutus an possit de oblitis postea absolui ibidem.
Indulgentiarum fons, origo, & thesaurus l. 5. c. 21
Indulgentias magnas pro parua causa dare, peccatum est libr. 6. cap. 28
Inebriari ob sanitatem, an liceat lib 5. cap. 10. & lib. de 7. pec. mortal. c. 61
Infamans aliquẽ tenetur de damno illato l. 5. c. 68
Infamantes se inuicem, an teneantur reddere famam lib. 5. cap. 69
Infamare alios quale peccatum l. 5. c. 63
Infamare seipsum an liceat lib. 5. cap. 66
Infamatus crimine vero iniustè an teneatur fateri libr. 5. cap. 69
Infamatus dicitur quis dupliciter lib. 5. c. 65
Infamia facti quæ sit, & quæ iuris, ac quomodo hæc contrahatur, & quomodo, aut à quo vtraque tollatur l. 1. c. 55
Infamia quotuplex sit ibid,
Infamia legalis quomodo contrahatur, & quomodo canonica ibid.
Infamiam tollere, & dispensare in irregularitate ex infamia quo modo differant l. 1. c. 55
Infamis an sit irregularis ex delicto l. 1. c. 56
Infantes quare baptizentur lib. 2. cap. 21
Infantes mori ex incuria parentũ quotupliciter contingat l. 1. c. 81. aliàs 76
Infanti primam tonsuram conferens quam pœnam incurrat l. 1. cap. 48
Inferior non iudicet maiorum facta lib. 5. c. 57

Inferior cedat in Baptismo præsenti superiore l.2.c. 20
Infideles petentes baptismum non sunt statim admittendi lib.2. cap. 21
Infideles non excusantur in Decalogi transgressione lib.4. cap. 6
*Infidelibus deferri prohibita quænam sint l.1.c.*23
Infidelis conuersus an cum altero coniuge remanente infideli debeat cohabitare libr.7. cap. 7
Infidelitas non semper est peccatum l.4.c. 6
Infidelitatis descriptio, & declaratio ibid.
Infidelium filij, an possint baptizari inuitis parentibus lib.2. cap. 21
*Infirmitas quadruplex liberat à ieiunio l.6.c.*4
*Infirmo an satis sit adorare corpus Christi l.6.c.*7
Inhabilis ad officium, etiam inhabilis est ad beneficium lib.1. cap. 51
Inhabilis ad ordines quotupliciter aliquis esse possit ibid.
Inhabilitas an omnis sit etiã irregularitas ibid.
Inhabilitatem, deformitatem, scandalum, & huiusmodi inducentia irregularitatem iudicare ad quem spectet lib.1. cap. 57
Iniectio manuum in clericum, vel Monachum quæ dicatur, & qualis esse debeat, vt contrahatur excommunicatio lib.1.cap. 31
Iniscientiũ in Clericos manus violentæ nomine, qui comprehendantur ibid.
*Inimicis non tenemur relaxare satisfactionem l.4.c.*10
Inimicis, quæ, quando, & quomodo officia exhibenda ibid.
Inimico non sunt subtrahenda cõmunia beneficia ibid.
Iniuriæ satisfactio quanta lib.5. cap. 24
*Iniuriam verbis proferre est per se mortale l.5.c.*9
*Iniurias, & offensas remittere an teneamur l.4.c.*10
*Innocentem occidere propter bonum an liceat l.5.c.*6
*Inobedientes pertinaciter Rom. Pontifici excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt, & quomodo isti differant à schismaticis l.1.c.*19
Inobedientia quid lib.de 7.pec. mort.c. 14
*Inquietudo, & solicitudo mentis, lib. de 7 pec.mort.cap.*26. & 42.
Inquisitores, & Commissarij, qui excommunicentur lib.1. cap. 39
Inquisitores quomodo incurrunt excommunicationem lib.4. cap. 5
Inquisitores qui, & quando ex-

communicationem incurrant l. 1.c. 36
Intellectus habet quatuor actus l. de 7.pec.mort.c. 55
Intētio ministri necessaria in quolibet sacramento libr.2. cap. 20
Intentio necessaria etiam in suscipiente sacramentum ibidem.
Intentio excommunicantis necessaria est ad contrahendam excommunicationem l.1.c.9
Interdictum impedit matrimonium contrahendum l.7. c.14. & 18.
Interficiunt,mutilant,spoliant capiunt,aut detinent, an eodem modo se habeant respectu venientium, & recedentium à Sede Apostolica sicut se habēt respectu morantium in Curia l.1.c. 25
Interdictus, & ob interdictum quis fiat irregularis lib.1. cap. 66
Inuasor, seu aggressor quis censendus lib.1.cap.79.aliàs 74
Inuenta casu cuius sint, & quotuplicia l.5.c. 8
Inuenta casu,an, & cui restituere teneamur l.6.c.18
Inuentio nouitatum, quando,& quale peccatum lib.de 7.pec. mort.c. 13
Inuidia quid, & vnde dicatur, lib.de 7.pec.mort.c. 63
Inuidia quale peccatum lib.de 7. pec.mort.c. 66
Inuidia gratiæ fraternæ,peccatum in spiritum sanctum lib.de 7. pec.mort.c. 68
Inuidiæ quinque filiæ. ibidem cap. 67
Ira quid, & quotuplex. ibidem cap. 56
Ira quando peccatum, & quale ibid.c. 57
Ira aliquando virtus. ibidem cap. 57
Iracundia quid ibid.c.56
Iræ filiæ sex ibid.c.58
Iræ tres status ibid.c.58
Irregularem se censere in foro conscientiæ vnusquisque debet in dubio facti. libr.1. cap. 51
Irregularem censere aliquem in dubio an possit iudex. ibidem.
Irregulares ex indebito ordinum ministerio,qui sint, & quando l.1.c. 66
Irregulares ex defectu animæ quinam censeantur, & à quo dispensentur l.1.c. 58
Irregulares ob delictum hæresis qui sint l.1.63
Irregulares non sunt reconfirmatus, nec reordinatus libr.1. cap. 64
Irregulares ex delicto circa ordines qui sint,& à quo dispensari possint l.1.c.65
Irregulares ob delictum circa

baptismum qui sint lib. 1. cap. 64
Irregulares soli nō fiunt Ecclesiastici in causa sanguinis, & quando, & in quibus casibus lib. 1. cap. 80
Irregulares hæreticorum filij qui, & quando non sint, & ad quæ beneficia inhabiles lib. 1. cap. 63
Irregularis quando sit bis baptizans l. 3. c. 64
Irregularis quis, & quando fiat excommunicatus celebrans l. 1. cap. 66
Irregularis, quando sit mandans occidi, aut mutilari aliquem: quando vero mandatarius, & qua irregularitate l. 1. c. 83. *aliàs.* 78
Irregularis improprie dicitur corpore vitiatus l. 1. c. 57
Irregularis celebrans num contrahat aliam irregularitatem l. 1. cap. 66
Irregularitas strictè sumpta præsupponit subiectum capax ordinis l. 1. c. 50
Irregularitas non est censura, quia sæpè sine peccato contrahitur li. 1. cap. 51
Irregularitas ob homicidium ex necessitate factum lib. 1. c. 79. *aliàs* 74
Irregularitas ex defensione lib. 1. cap. 80
Irregularitas ex causa omissionis non liberationis, seu non prohibitionis quando, & à quibus cōtrahatur l. 1. c. 81
Irregularitas quæ, & quot modis tollatur l. 1. c. 83
Irregularitas ex homicidio voluntario an sit de iure diuino li. 1. cap. 82
Irregularitas ex consilio lib. 1. cap. 79
Irregularitas ex defectu famæ bonæ l. 1. c. 55
Irregularitas quid sit, & eius species l. 5. c. 24
Irregularitas ex defectu ætatis l. 1. c. 55
Irregularitas ex defectu corporis l. 1. c. 57
Irregularitas ex mutilatione lib. 1. c. 77
Irregularitas ex defectu liberationis quæ sit, & quinam eam contrahant l. 1. c. 54
Irregularitas ex defectu originis vnde proueniat l. 1. c. 53
Irregularitas ex mandato l. 1. c. 83 *aliàs* 78
Irregularitas ex defectu natalium quos comprehendat lib. 1. cap. 52
Irregularitas nulla est statuenda, nisi quæ in iure habetur expressa l. 1. c. 51
Irregularitas ex homicidio l. 1. c. 69. & 73.
Irregularitas ex criminis notorietate l. 1. c. 68
Irregularitas ex defectu sacramenti l. 1. c. 59

Irregularitas ex homicidio casuali l.1.c.80.aliàs 75
Irregularitas omnis ex bigamia sitne ex defectu, an vero aliqua sit ex delicto l.1.c. 62
Irregularitas ex defectu, & irregularitas ex delicto quomodo differant l.1.c. 51
Irregularitas quid, & quotuplex sit ibid.
Irregularitas ex defectu animæ l. 1.c. 58
Irregularitatem per homicidium cur incurrat baptizatus solus, non autem infidelis lib.1. cap. 82
Irregularitatem ob scientias discenda vel docendas quinam cõtrahant l.1.c. 67
Irregularitatẽ sine sua culpa quomodo quis contrahat suscipiendo ordines l.1.c. 65
Irregularitatem quando, aut quomodo inducat corporis defectus l.1.c. 57
Irregularitatem ex defensione in causa sanguinis quot genera personarum incurrant lib.1. cap. 80
Irregularitatem tollit religionis ingressus l.1.c. 52
Irregularitatem quænam membri abscissio inducat l.1.c. 57
Irregularitatem ex hæresi cur dispensare non possit Episcopus l.1.c. 63
Irregularitatis variæ divisiones, & differentiæ l.1.c. 69
Iubilæa nullam tollunt irregularitatem l.1.c. 83
Iubilæi origo, modus, tempus, & causa l.5.c. 24
Iubilæum, & huiusmodi à Romano Pontifice concessa non concernunt forum exterius lib. 1.cap. 14
Iudas an communicauerit in Cœna l.6.c. 17
Iudex secundum allegata, & probata potest innocentem condemnare l.5.c. 6
Iudex nocentem damnans non zelo iustitiæ peccat mortaliter l. 5.c. 6
Iudex damnans non sibi subditos an peccet l.5.c. 6
Iudex subornatus an teneatur ad restitutionem l.5.c. 22
Iudex sæcularis peccat contra iustitiam, iudicando clericum præterquam in quibusdam casibus, & est excommunicatus in Bulla Cœnæ, l.5. cap. 56
Iudex iudicet secundum allegata, & probata l.5.c. 56
Iudex seruet formam iuris, alioquin peccat mort. ibid.
Iudex neminem conuocet sine accusatore ibid.
Iudex supremus, & inferior quomodo ibid.
Iudex secularis Clericum capere, seu in vincula detrudere an, & quando possit lib 3. cap. 34

Iudex quis, & à quibus, & quamdiu suspendatur l.1.c. 48
Iudex secularis quibus in casibus iudicare possit Ecclesiasticos l.1. cap. 27
Iudices iniustè detinentes in carcere operarios, tenentur ad restitutionem l.5.c. 19
Iudices, & alij officiales non parentes Inquisitoribus excommunicantur l.4.c. 5
Iudices, & Gubernatores iustitiã non seruantes quando excõmunicentur lib 1.c. 37
Iudici quæ sint necessaria lib.5 cap. 56
Iudici quædam necessaria, vt sit verus, & rectus l.5.c.56
Iudici an procedere liceat in causa, accusatore desistente, ibidem.
Iudicis sententiã seruare an quis teneatur l.5.c.5
Iudicis officium in condemnandis reis: & de tortura lib.5. cap. 6
Iudicis potestas quadruplex ordinaria l.5.c. 56
Iudicis causa qui, & quando excommunicentur l.5.c. 38
Iudicium humanum duplex l.1. cap. 83
Iudicum cõseruatorum causa qui, & quando excommunicentur. ibid.
Iuramenti quotuplex differentia l.4.c. 20
Iuramenti iustitia, & necessitas qualis l.4.c. 21
Iuramenti liciti, & illiciti casus aliquot ibid.
Iuramenti, vel fidelitatis vinculo obligatum excommunicato liberat excommunicatio, dum durat l.1.c. 13
Iuramentum quid sit declaratur l.4.c. 20
Iuramentum falsum, etiam in leui materia est mortale l.2.c.16. & 4.c. 24
Iuramentũ quomodo necessarium l.4.c. 20
Iuramentum requirit veritatem, iustitiam necessitatem lib.4. cap. 21
Iuramentum an liceat, & quomodo ibid.
Iuramentum verum, & falsum vt cognoscatur ibid.
Iuramentum non seruare est mortale, etiam in re leuissima. lib. 4.cap. 22
Iuramentum non seruare quandoque licet ibid.
Iuramentum annullari, dispensari, mutari, absolui quomodo & possit, & quando l.4.c. 23
Iuramentum quibus casibus obliget, vel non l.4.c. 21
Iurare an teneamur secundũ mentem aliorum ibid.
Iurare in dubio est mortale lib.4 cap. 22
Iure antiquo qui excommunicentur l.1.c. 12
Iuri ciuili, vel medicinæ operam

ram dantes qui, & quando excommunicentur l. 1. c. 37
Iurisdictio triplex, ordinaria, delegata, iure concessa. lib. 3. cap. 13
Iurisdictio ad sacramentorum administrationē, quæ, & an semper requiratur l. 1. c. 84
Iurisdictionem habens potest suos absoluere l. 3. c. 19
Iurisdictionis solum actus, non autem ordinis exercens excommunicatus, non fit irregularis l. 1. cap. 66
Iurisdictionis actum nullum exercere potest excommunicatus l. 1. cap. 13
Iurisdictionis potestas in sacerdote quid sit, & quotuplex lib. 1. cap. 3
Iurisdictionis actus ab excommunicato quando sit validus lib. 1. cap. 13
Ius patronatus vendere, an sit simonia l. 5. c. 90
Iusti inter se participant lib. 5. cap. 5
Iustitia quid l. 5. c. 1
Iustitia, & obseruantia quomodo differant ibid.
Iustitiæ ministri, & officiales ac quicunque in causa sanguinis occasionem, & opem aliquam præbent sunt irregulares l. 1. cap. 80
Iustum qui petit eo fine, vt alteri noceat peccat mortal. lib. 5. cap. 57

L.

Labor an semper excusat à ieiunio, & qualis lib. 6. cap. 4
Læsio quotuplex sit l. 1. c. 32
Læsio leuis quomodo iudicanda ibidem.
Lætitia inepta filia gulæ, quale peccatum lib. de 7. pec. mort. cap. 62
Laico si conferatur sacerdotium, vel alius ex maioribus ordinibus, non præmissis minoribus, an teneat l. 1. c. 50
Laicus in mortis articulo ab excommunicatione absoluere non potest l. 1. c. 15
Latinus baptizans in formâ Græca vere baptizat, licet peccet l. 2. cap. 19
Latro ablatam rem restituat cum lucro cessante l. 5. c. 22
Laus quid libr. de 7. pec. mort. cap. 6
Laus Dei duplex l. 4. c. 3
Legati de latere Pontificis excōmunicatos quoscumque ob iniectionem manuum absoluere possunt l. 1 c. 32
Legatorum, vel Nunciorum Papæ causa, qui excommunicentur l. 1. c. 40
Legem condens in fauorem vsurarij excommunicatus lib. 5. cap. 37
Legitimus, nec irregularis quo pacto quis sit natus ex fornicatione l. 1. c. 52

Lex quid, & eius diuisio. l.de 7. pec.mort.c. 17
Lex debet esse iusta quomodo ibidem c. 18
Lex debet esse promulgata, recepta, & scita ibid.
Lex quomodo obliget ibid. c.19. & 20.
Lex de censuum pretio an possit excedere l.5.c. 45
Lex obligat etiam futuros subditos l.1.c. 5
Libellos infamatorios scribẽs, vel recipiens, an excommunicetur l. 5.c. 64
Librorum causa qui excommunicentur l.1.c. 41
Lignamina deferri prohibita infidelibus in Bulla Cœnæ quænam intelligantur l.1.c. 23
Litteræ Apostolicæ quæ dicantur l.1.c. 22
Litterarum Apostolicarum falsarij quinam incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ ibidem.
Litterarum Apostolicarum falsarij quas pœnas incurrant ibidem.
Litteras Apostolicas impetrantium, vel in foro Ecclesiastico litigantium causa qui, & quando excommunicentur. l.1. cap. 38
Litteras Apostolicas falsas habentes, ijs tamen non vtentes an, & quando sint excommunicati l.1.c. 22
Litteras ad beneficium à Papa impetrans excommunicatus, simul etiam absolutionem ab excommunicatione quando impetret l.1.c. 13
Litteras falsas impetrare qui dicantur l.1.c. 22
Locorum piorum, vel sacrorum bona vsurpantes qui excommunicentur l.1.c. 41
Loquacitas, & multiloquium filiæ gulæ. lib.de 7. pec.mor. cap.6.
Loth an peccauerit, quando cum filiabus coiuit. lib.5. cap. 10
Lucri cessantis condemnationem, vt quis accipiat vltra sortem. l.5.c. 32
Lucri cessantis ratione vltra sortem quando accipere licet lib.5. cap. 55
Lucri cessantis conditiones quædam l.4. c.vlt.
Lucrum aliquod vltra sortem an constituat vsuram lib. 5. cap. 28
Lucrum non principaliter intendere non est vsura. lib.5. cap. 29
Lucrum in mutuo quandoque licet l.5.c. 32
Lucrum cessans, & damnum emergens in quo differant. ibidem.
Lucrum cessans an possit exigi, cũ res venditur credito. lib.de 7. pec.mort.c. 51

Ludens cum ijs , qui non sunt sui iuris, tenetur restituere lib. 5. cap. 27
Ludo deperdita an teneamur restituere ibid.
Ludus alearum sic prohibetur clericis ac secularibus ibid.
Ludus cum magna summa vix à mortali peccato excusatur ibidem.
Ludus, & sors dominium rerum transferunt ibid.
Luxuriæ filiæ quæ. lib. de 7. pec. mort. c. 55

M.

Magi frequenter habent pactum cum dæmone lib. 4. cap. 14
Magi licet non sint excommunicati, eorum tamen opera volentes sunt excommunicati. ibidem.
Magia quid, & an per eam dæmones compellantur ibid.
Magus quandoque excommunicatus ibid.
Magus examinandus an credat. ibid.
Maledicere creaturis an sit mortale l. 4. c. 13
Maledicus. Vide detractor.
malefici, magi, & diuini differentia ibid.
Malefici an teneantur ad restitutionem l. 4. c. 14
Maleficij amatorij, ac veneficij descriptio l. 4. c. 16
Maleficium dissoluere eadem arte malum est l. 6. c. 14
Malitia quale peccatum lib. de 7. pec. mort. c. 70
Malum ex se nulla potest conditione fieri bonum. lib. 5. cap. 44
Mandans occidi, aut mutilari aliquem, & mandatarius quando sint irregulares, quãdo verò non, & qua irregularitate l. 1. c. 83. aliàs 78
Mandatum, & consilium , quantum ad irregularitatem inducendam, quomodo differant l. 1. cap. 79
Manichæi damnabant nuptias lib. 7. c. 1
Manifestare occulta peccata proximi, contra ius naturæ lib. 5. cap. 27
Manifestare crimen occultum alterius an sit detrahere. lib. 5. cap. 69
Mansuetudo quid lib. de 7. pec. mort. c. 58
Manus violentas in Clericos inijcientium nomine qui comprehendantur l. 1. c. 31
Manuum iniectio in Clericum, vel Monachum quæ dicatur, & qualis esse debeat, vt contrahatur excommunicatio. ibidem.
Mare, vel flumen ingredientes vt deprædentur, an excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrãt l. 1. c. 20
Maria Virgo sine peccato originali,

ginali l.6.cap. 21
Martyrium remittit peccatũ cum tota pœna l.2.c. 22
Masculis solum cur sacerdotium concessum l.1.c. 1
Materia sensibilis in sacramento. l.3.c. 6
Materiæ leuitas excusat à mortali.4.c. 12
Materialis causa excommunicationis quotuplex sit lib.1. cap. 7
Matrimonia, quominus libere fiãt impendentes qui excommunicentur l.1 c. 41
Matrimonia clandestina nulla l.7 cap. 9
Matrimonij sacramento accedens cũ mortali peccato peccat mortaliter l.7.c. 19
Matrimonij in vsu quæ peccata comprehenduntur. lib.7. cap. 20
Matrimonij dispensatio propter affinitatem, & honestatem qualis debeat esse l.7.c. 11
Matrimonij dispensatio, quando duo sunt in duplici gradu, mentione solum facta de remotiori, ri, valet l.7.c.5
Matrimonij onus excusat ab vsura l.5.c. 31
Matrimonij finis triplex lib.7. cap. 2
Matrimonij quatuor causæ lib.7. cap. 2
Matrimonij ad essentiam requiruntur minister, & duo testes post Concil. Trident. lib.7. cap. 2
Matrimonio in ipso quæ peccata committantur l.7.c. 18
Matrimonio contracto post solenne votum religionis, absolutio excommunicationis reseruatur Episcopo lib.7.cap.4. & 8.
Matrimonio secundo contracto, priore coniuge viuo, qui credebatur mortuus, quid. lib. 7.c. 9
Matrimonium contractum impedimentum dirimens Papa solus relaxat l.7.c. 18
Matrimonium contrahentes, nulla denunciatione præmissa, peccant mort. l.7.c. 19
Matrimonium contrahentiũ quot genera, & quando excommunicentur l.1.c. 39
Matrimonium esse sacramentum l.7.c. 1
Matrimonium infidelium est contractus, non sacramentum ibidem.
Matrimonium quid, & quomodo contrahatur ibid.
Matrimonium legis naturæ, & Mosaicæ non erat sacramentum ibid.
Matrimonium fidelium in tribus differt ab alijs ibid.
Matrimonium in foro poli nõ est, nisi interfit consensus interior l.7.c. 2
Matrimonium contractum diri-

rimitur per errorem in subst ãtia personæ l.7.c. 3
Matrimonium non impeditur per errorem in sola qualitate personæ ibid.
Matrimonium quandoque impeditur per errorem conditionis ibid.
Matrimonium contractum dirimitur per votum solenne religionis l.7.c. 4
Matrimonium contrahens post votum solenne religionis excommunicatur ibid. & 8
Matrimonium nullum, si non baptizatus cum baptizata, vel è contra contrahat libr.7. cap. 7
Matrimonium vi, vel metu contractum, nullum l.7.c. 8
Matrimonium ratum, licet non consummatum, impedit alterũ contrahendum, & dirimit contractum l.7.c. 10
Matrimonium inter affines contractum nullum l.7.c. 11
Matrimonium contrahendum impeditum interdicto l.7.c.14. & 18.
Matrimonium tempore ebrietatis contractum non valet. lib. de 7.pec.mort.c. 61
Matrimonium ratum, quid. lib.7. cap. 9
Matrimonium contrahens cum aliqua per verba de præsenti, ea viuente, cum alia non potest contrahere lib.7.c. 9
Matrimonium impeditur per iustitiam publicæ honestatis l.7. cap. 10
Matrimonium impeditur, & annullatur per impotentiam coeundi, & quomodo lib.7. cap. 12
Matrimonium nullum, vbi apponitur conditio contra bonum matrimonij l.7.c. 13
Matrimonium nullum, quod contrahitur inter rapientem, & raptam, toto tempore raptus. ibidem.
Matrimonium contrahendum, non contractum impedientia lib. 7. cap. 14
Matrimonium de præsenti non potest contrahere, qui cum altera sponsalia inijt. ibidem.
Matrimonium contrahendũ quæ crimina impediat lib.7. cap. 15
Medici suadentes mollitiem propter sanitatem, peccant mortaliter l.5.c. 12
Medicinæ, vel Iuri Ciuili operam dantes qui, & quando excommunicentur lib.1. cap. 37
Medicus, si vocatus nolit venire, & hac causa moriatur infirmus, an incurrat irregularitatẽ l.1.c. 81
Medicus peccat mortaliter, si sua culpa infirmus moritur lib.5. cap. 7

Membrorum quotuplex sit genus, & cuiusnam mutilatio irregularitatem inducat l.1.c. 70
Membrorum defectus quando constituat irregularitatem lib.4. cap. 25
Membrum debilitans solum, non est irregularis l.1.c. 70
Membrum sibi abscindere est mortale, etiam prætextu sanctitatis l.5.c. 6
Membrum quid sit, & quid mutilatio l.1.c. 70
Mendacium in confessione an semper mortale l.3.c. 5
Mendacium quocumque modo, & sine. est peccatum. l.5.c.80
Mendacium, quid, quotuplex, & quale peccatum lib.5.cap.54. & lib de 7.pec. mortal.cap. 54.
Mendicantes Fratres cuiuscumque ordinis qui excommunicentur l 1.c. 36
Mercator an teneatur quærere exactores gabellarum l.5.c.75
Merendi tempus non est in Purgatorio l.6.c. 2
Meretrix non tenetur ad restitutionem lucri l.5.c. 21
Meretur quandoque quis credendo dogma hæreticum lib.4. cap. 3
Metus in constantem virum cadēs quis l.7.c. 8
Ministrans Eucharistiam potest in multis delinquere lib.6. cap. 21
Ministratione sacramentorum non priuat minor excommunicatio l.1.c. 17
Misericordia quid l.de 7.pec.mor. cap. 27
Missa quid, & declaratio lib.2. cap. 4
Missa quibus, & quomodo prosit l.4.c. 19
Missa existentis in mortali, an prosit, & quibus. libr.4. cap. 8
Missa defunctorum an prosit magis ipsis, quam viuis. ibidem.
Missa pro pluribus an ita prosit singulis, ac si pro vno ibid.
Missa quomodo, quaue reuerentia audienda l.6.c. 10
Missæ partes quot sint. lib.2. cap.5.
missæ totius breuis declaratio ibidem.
missæ valor ratione sacrificij. ibidem.
missæ sacrificium soli Deo debetur l.4.c. 12
missæ in celebratione multi casus occurrentes, & remedia lib.2. cap. 9
missæ in sacrificio id fit, quod Dominus in morte fecit lib.2. cap 4
missæ in corpore non omnia sunt de iure diuino l.2.c. 5
Missam audiens excommunicatus an fiat irregularis lib.1.cap. 66.

Missam celebrare, non persolutis matutinis, non est mortale. lib. 2. c. 1
Missam celebrare ante auroram, graue peccatum, nisi certo casu ibid.
missam celebrare sine candela est mortale l. 2. c. 2
missam celebrare interdum licet bis in die l. 2. c. 3
missam in die Natiuitatis ter celebrare, quid significet ibid.
missam celebrare quando quis possit, non recitando officium l. 2. cap. 13
missam celebrare sine debita munditia, est mortale. lib. 2. cap. 21
missam audire, ad multa prodest. l. 6. c. 17
missam audire in quo consistat, & quomodo l. 6. c. 6
missam audire in parochia propria an teneamur l. 6. c. 7
missam integram audire an sit de præcepto l. 6. c. 7
missam audire ab interdicto, vel excommunicato an liceat lib. 6 cap. 8
missam audire, quis, quibus diebus, & quando teneatur. ibidem.
missam audiens an possit recitare horas canonicas l. 6. c. 6
missam quamlibet audiens præcepto satisfacit l. 6. c. 7
missam vnicam audiens die Natiuitatis præcepto satisfacit. ibid.
missam non audiens, quandoque & quibus ex causis excusatur lib. 6. c. 9
Moderamen inculpatæ tutelæ in homicidio quando sit, l. 1. c. 79. aliàs 74.
Mollities quid, & an semper sit peccatum mortale l. 5. c. 13
Mollities difficillimæ emendationis & eius remedium, ibidem.
Mollities voluntaria grauissimum peccatum. ibid.
Monachi, siue Canonici regulares, qui excommunicentur. lib. 1. cap. 39
Monachi appellatione qui intelligantur l. 5. c. 8
Monachi nomine qui comprehendantur l. 1. c. 31
Monachus sacerdos, per duos menses vacans Iuri Ciuili, vel Medicinæ extra monasteriũ peccat, & est excommunicatus. lib. de 7. pec. mortal. cap. 12
Monasterij pro ingressu aliquid ex pacto accipientes qui, & quando excommunicentur lib. 1. cap. 36
Monasterio præfecta quando suspendatur l. 1. c. 49
Monialem in vxorem capiens, cũ alia non potest contrahere matrimonium l. 2. c. 15
Monialem extrahens è religione ad quid teneatur l. 5. c. 19

Monialium causa qui, & quando excommunicentur, & quænam Monialium nomine comprehendantur l.1.c.38. & 41
Monialium Visitatores impedientes qui excommunicentur lib.1. cap. 39
Monopolium quid sit, & an liceat l.5.c. 53
Monopolium obligat ad restitutionem lib.de 7. pec. mor.c. 47.
Mons pietatis quid sit, ad quid institutum l.5.c. 38
Mons pietatis non habet labem vsuræ, contra Canonistas. ibidem.
Mons pietatis tenetur mutare petenti, & ob id licitus ibid.
Monte pereunte, reditus pereunt l.5.c. 39
Montes alij, qui sunt in vsu, an liciti ibid.
Montes isti non instituantur absque graui necessitate. ibidem.
Montium istorum conditiones necessariæ ibid.
Montium reditus an varientur augente culmine ibid.
Montium reditus an possint vendi. ibid.
Morantes in Curia Romana qui dicantur in Bulla Cœnæ lib.1. cap. 25
Morientes sine fine an salucntur l.4.c. 2
Morosa delectatio. Vide delectatio.
Mortem pati ex sententia damnati communicandi. lib.2. cap. 28
Mortem alicuius tractari sciens, si illi non reuelet, an sit irregularis l. 1.c. 81
Mortem sibi, vel alteri optare an semper sit mortale lib. 5. cap. 9
Mortis articulus, ad effectum vt quis absolui possit, quis censeatur l.1.c. 15
Mortis periculo se exponere absque necessitate peccatum est. l.4.c. 19
Mortuo abscindēs caput, aut aliud membrum cur non sit irregularis l.1.c. 70
Mortuus excommunicari non potest, ab excommunicatione in vita contracta absolui potest l.1.c. 7
Mulier in defensionem castitatis potest occidere inuasorem lib. 5.cap. 6
Mulieres delectationis ergo concupiscere, an peccatum mortale l.5.c. 14
Mulieres grauidæ, & lactātes non tenentur ieiunare.l.6.c. 4
Mutilatio quæ dicatur l.1.c. 32
Mutilatio, aut homicidium ex mandato quot, & quando siue mandantes, siue mandatarios faciat irregulares l.1.c. 83. aliàs 78

Mutilatio cur homicidio comparetur. l.1.c.70
Mutilatio quotuplex, lib.1.cap. 71
Mutilatio quid sit, & quid membrum. l.1.c.70
Mutilatio, vel homicidium quando non inducat irregularitatem. l.1.c.72
Mutilator sui, etiam occultus, sicut & mutilator alterius, irregularis est. l.1.c.57
Mutilatores, vel homicidæ, qui non sint irregulares. lib.1. c. 72
Mutuans cum pignore fructificante, vsurarius est. lib.5. cap.30
Mutuare rem, quo tempore minus valet, & exigere tempore, quo plus valet, an sit vsura, & quando. l.5.c.34
Mutuum quid, & quomodo à commodato differt. lib.5. c.28
Mutuum differt à cambio. lib.5. c.53
Mutuum dantes, nihil inde sperantes, quomodo intelligatur. l.5. c.29

N.

Necessarium, vel superfluum quot modis dicatur. l.de 7.pec.mort. c.23
Necessitas an liberet à restitutione. l.5.c.27
Necessitas vitæ propriæ defendæ quotuplex. l.1.c.79.aliàs 74
Necessitate extrema laborans, an, si quid abstulerit, teneatur restituere, cùm ad pinguiorem venerit fortunam. l. de 7.pec. mort. c.36
Necessitate extrema, vel graui laboranti, an sufficiat mutuare, vendere, vel ad cambium dare, &c. l. de 7.pec.mort.c.37
Necessitati parentum an filij teneantur subuenire. l.5.c.1
Necromantiæ peccatum mortale grauissimum. l.4.c.15
Negotiatio quando illicita. l.de 7 pec.mort.c.53
Neophiti, & illiterati censentur etiam irregulares ex defectu animæ, & quis possit cum eis dispensare. l.1.c.58
Nominatim excommunicatus à denunciato quomodo differat. l.1. c.12
Notarij pretium an sit lege taxatum. l.5.c.61
Notarij protocollon an fidem faciat. l.5.c.77
Notarius habeat scientiam, fidelitatem, iustitiam. lib.5.cap. 61
Notarius in contractu fingens ea, quæ non sunt, peccat mortaliter. ibid.
Notarius semper seruet ad se Registrum. ibid.
Notarius occultans contractus peccat mortaliter, & ad damnum

partium tenetur. ibid.
Notarius conficiens instrumentum illicitum, peccat mortaliter. ibid.
Notarius instrumentum conficiens, pallians vsuram peccat mortaliter, restit. tenetur. ibidem.
Notarius nihil accipiat pro dimissorijs. ibid.
Notarius pro literis dimissorijs an possit aliquid exigere, & quantum. l.5.c.88
Notorium quotuplex sit, libr.1. cap. 68
Notorium iuris quid sit, & quid notorium facti. ibid.
Notorium crimen, etiam post pœnitentiam, irregularem facit. ibid.
Nouitatum inuentio, quando, & quale peccatum. lib. de 7.pec. mort.c. 13
Numismata ad quid inuenta. l.5. cap. 50
Numorum diuersus valor an cedat damno creditoris. libr. 5. cap. 31
Numorum valor duplex, naturalis, & legalis. libr. 5. cap. 51
Nunciorum, vel Legatorum Papæ causa qui excommunicentur. l. 1.c. 40
Nuptiarum benedictio. libr. 7. cap. 19
Nuptiarum tempus secundum Concil.Trident. ibid.

O.

OBduratio contra misericordiam. lib.de 7.pec. mort. cap. 26
Obediendum quibus.lib.de 7.pec. mort.c. 14
Obediendum superiori quando, & in quibus non. l.de 7.pec.mort. cap. 15
Obedientia religiosorum debita Prælatis. ibid.c.16
Obedientia filiorum parentibus debita. ibid.c.21
Obedientia Episcopo debita à Clericis & laicis. ibid.c.21
Oblatio Domini in Cruce, differt ab hominis oblatione in missa. l.2.c. 5
Obseruantia & iustitia quomodo differant. l.5.c.1
Obseruantia vana quæ, & an sit mortale. l.4.c.6
Occasiones peccandi omnino extirpandæ. l.3.c.18
Occidens inuasorem propter castitatem, non peccat. lib. 5. cap. 6
Occidens sacerdotem non potest contrahere matrimonium.lib.7. cap. 15
Occidere inimicum, se defendendo, an liceat, & quando.l. 5.c. 6
Occulto in quonam crimine dispenset Episcopus. libr. 1. cap. 83
Occultum quotuplex, & quid vnumquodq; sit. ibid.

Odio aliquem prosequi quomodo liceat. l.4.c.11
Odium Dei vnde. l.de 7.pec.mor. cap. 55
Odium Dei omnium peccatorum maximum. l.de 7.pec.mort.c. 55. & l.4.c. 9
Odium tenemur remittere, non satisfactionem. l.4.c.10
Officiales laici talias imponentes Ecclesijs, aut Ecclesiasticis, quando excommunicentur. lib.1. cap. 37
Officio, aut beneficio Ecclesiastico quotupliciter quis priuetur. lib. 1 c. 42
Officiorum societas non potest vltra duodecim perceptorum reddere. l.5.c.40
Officiorum societas poterit renunciari alteri. ibid.
Officiorum societas. Vide in verb. societas.
Officium mutare an liceat ordinatis. l.2.c.13
Officium diuinum quid, & quare sic dictum. l.2.c.10
Officium quomodo recitandum. l. 2.c. 13
Officium recitare qui non teneantur. ibid.
Officium recitare tenentur beneficiati, etsi totum reditum dent pro pensione. l 2.c.13
Omen quale peccatum. libr. 4. cap. 15
Omissio, seu non liberatio in casu homicidij an, quando, & quos faciat irregulares. l.1 c.81
Opera animæ nō prohibentur diebus festis. l.4.c.24
Opera bona, alias debita, pro satisfactione imponi possunt. lib.3. cap. 11
Opera bona sunt meritoria, & satisfactoria. l.6.c.21
Opera bona alicuius an possint meri alteri gratiam. lib.6. cap. 21
Opera bona existentis in peccato an prosint mortuis in Purgatorio. l.6.c.26
Opera externa ordinata ad rem veneream sunt mortalia. lib.5. cap. 14
Opera pietatis an excusent hominem à ieiunio. l.6.c.4
Opera licita, & præsertim obligatoria, etiam si scienter sit causa homicidij, non inducit irregularitatem. lib. 1. cap. 81. aliàs 76
Opera illicita in homicidio casuali an semper inducat irregularitatem, & quando non. l.1.c.81. aliàs 76
Operari festis diebus, quomodo, & quando liceat. lib.4. cap.25
Opus bonum nullum est meritoriū sine fide. l.4.c.1
Opus bonum existentis in peccato quid prosit. l.4.c.8
Opus operantis, & operatum in missa, quid sit. l.2.c.6
Orare pro excommunicato quo-

modo liceat. l.1.c.11
Oratio in Missa semper dirigitur Deo, & non sanctis. lib.2. cap. 5
Oratio externa coniuncta ad interna, semper est melior quàm altera per se l.2.c.10
Oratio Leonis Papæ dicenda post officium cum indulgentia. li.2. cap. 13
Ordinans, & ordinatus, siue præsentans, & præsentatus quis, & à quibus per triennium suspendatur. l.1.c.48
Ordinarius quis dicatur. lib.1. cap. 16
Ordinati qui suspendantur, & nullo priuilegio clericali gaudeant. l.1.c.49
Ordinatus, & ordinans, siue præsentatus. & præsentans ad ordines quis, & à quibus per triennium suspendatur. lib.1. cap. 48
Ordinatus ab excõmunicato quis suspendatur. l.1.c.13
Ordinatus qualis esse, & quæ habere debeat. l.1.c.87
Ordines maiores suscipiens habet votum solenne castitatis. l.7. cap. 8
Ordines maiores suscipiens ante annos discretionis an adultus factus teneatur continentiæ voto. l.1.c.55
Ordines sacros recipientes qui suspendantur. l.1.c.48
Ordines singuli quam ætatem ire quirant. l.1.c.55
Ordinis character etsi ab excommunicato recipitur, non tamen executio. l.1.c.13
Ordinis actum nullum potest exercere excommunicatus. ibidem.
Ordinis tam executio, quàm character, quando recipiatur ab excommunicato. ibid.
Ordinis potestas in sacerdote quid sit. l.1.c.3
Ordinum ex indebito ministerio irregulares, qui sint, & quando. l.1.c.66
Ordo collatus ante legitimam ætatem an teneat. l.1.c.55
Ordo maior, minori non suscepto, an teneat. l.1.c.50
Ordo seruandus in restitutione. l.5.c.25
Oscula, tactus & amplexus, an sint peccata mortalia. lib.5. cap. 14

P.

PActum cum Dæmone duplex fieri potest. l.4.c.14
Pactum de quota litis, ab aduocato, vel procuratore factum cum cliente, an licitum. lib.5. cap. 26
Pactum, ne per tot annos redimatur census, an licitum. lib.5. cap. 48
Pactum, nisi infra tempus certum redimatur census, vt maneat irredimibilis, an liceat. ibid.

Pactum de redimenda pensione an liceat. l.5.c.92
Papa non est Dominus, sed dispensator bonorum Ecclesiasticorum. l.5.c.83
Papa non potest dispensare in vera simonia. l.5.c.85
Papa solus dispensat in impedimento matrimonium contractum dirimente. libr.7. cap. 18
Papa, & Cõcilium generale quoscumque, cuiuscumque diœcesis possunt excommunicare. l.1.c.6
Papa, & generale Concilium nunquam suspenduntur, seu impediuntur. ibid.
Papa à nullo excommunicari potest. l.1.c.7
Papa an sine causa possit circa residentiam dispensare. libr.5. cap.4
Papæ electi litteras impugnantes excommunicantur. lib.1. cap.40
Papæ in morte obseruanda non obseruantes qui, & quando excommunicentur. lib.1. cap. 38
Papæ dispensatio tollit omnem irregularitatem. ibid.
Papæ præceptum an obliget ad peccatum. l.5.c.40
Papæ reseruantur quinque vota. l.4 c.16
Papæ Calixtus, & Martinus approbauerunt census. l.5.c.44
Parcere an teneamur. l.4.c.10
Parentes filijs præferendi in extrema necessitate. l.de 7. pec. mort. c.39
Parentibus non obedire an sit peccatum mortale. l.5.c.1
Parentum necessitati an filij subuenire teneantur. l.5.c.1
Parochum celebrantem, quem nullo modo liceat audire. lib.1. c.86
Parochus matrimonio coniungens alterius Parochi sponsos, quamdiu suspendatur. l.1.c.49
Parochus. Vide Curatus.
Participans, & cooperans tenentur in solidum. l.5.c.21
Pascha tempus communicandi. l.3 c.20
Passio Christi in missa repræsentatur. l.6.c.10
Pater, & mater qui dicantur. l.5. cap.1
Pater tenetur filium alere. ibidem.
Pater, correctionis ergo, ad tempus potest negare alimenta filio. ibid.
Pater exponens filium extra necessitatem, peccat mortaliter. ibid.
Pater extrahens à religione filium, peccat mortaliter. ibid.
Pater arcens filium à confessione & communione peccat mortaliter. ibid.
Pater cogens fillium, aut filiam ad mutationem status, peccat mortaliter.

taliter. ibidem.
Patri licet ad tempus expellere filium. l. 4.c.10
Patrini, vel susceptores in Baptismo, vnus tantum, vel ad summum vnus, & vna. lib.2. cap. 23
Patrinus an quilibet esse possit, & huius officium. ibid.
Paupertas an liberet à ieiunio. l. 6.c. 4
Peccat quis contra charitatem dupliciter. l.4.c.9
Peccata confitendo se excusare, abusus est. l.3.c.6
Peccata reseruata, à quo, quando, & quomodo absoluenda. lib.3. cap.8
Peccata dissimulare in confessione quandoq; licet. ibid.
Peccata in confessione audita reuelare numquam licet. lib.3. cap. 16
Peccata solum post baptismum cõmissa ad confessionem pertinent. l.3.c.20
Peccata contra charitatem quæ. l.4.c. 9
Peccata quomodo dignoscantur. l.3.c. 2
Peccata in triplici differentia, item dupliciter se habent. lib. 5.c. 57
Peccata contra charitatem & iustitiam. l.5.c.19
Peccata contra charitatem, & contra iustitiam differunt. lib. 5.c. 68
Peccata contra charitatem, non contra iustitiam, non obligant ad restitutionem. lib.5. cap. 59
Peccata occulta licet quandoque reuelare. l.5.c. 67
Peccata contra iustitiam obligant ad restitutionem. lib.5. cap. 68
Peccata Prælatorum in ipsa collatione. l.5.c.3
Peccata, quæ committuntur in ipso matrimonio. lib. 7. cap. 10
Peccata, quæ in ipso vsu matrimonij. l.1.c.20
Peccati effectus, macula, & reatus. l.3.c.3
Peccati pœna duplex. l. de 7. pec. mort.c. 1
Peccator incurrit culpam. & reatum pœnæ. l.6.c.21
Peccatores publici arcendi à communione. l.2.c.18
Peccatores sacramentorum ministri quotuplicis sint generis, an, & quæ sacramenta valida sint ab ipsis ministrata. lib. 1.c. 85
Peccatoribus publicis pœnitentia. l.6.c. 17
Peccatoribus occultis an sit neganda communio. ibid.
Peccatorum multiplex diuisio. l. 3.c. 7
Peccatorum materia & forma. l. 2.c. 2
Peccatorum circũstantiæ, an sem-

per manifestandæ. l.3.c.7
Peccatorum numerus necessarius in confessione. ibid.
Peccatorum circumstantiæ excusantes quandoque manifestandæ. l.3.c.9
Peccatum quid sit. l.3.c.1
Peccatum nullum, nisi voluntarium. l.3.c.1.& l.5.c.7
Peccatum mortale, quid sit. l.3.c.1. l.5.c.7. & lib. de 7.pec. mort.c. 1
Peccatum veniale quid. ibid.
Peccatum mortale duplex. l.de 7. pec.mort.c. 2
Peccatum veniale quandoque fit mortale. l.3.c.2
Peccatum commissionis, omissionis, cordis, operis. ibid.
Peccatum contritum, confessum, & satisfactum, materia sacramenti pœnitentiæ. l.3.c.4
Peccatum nullum reseruatum Papæ, nisi ratione censuræ. lib.3. cap. 14
Peccatum mortale à venidi quomodo differt. l.3.c.19.& l.de 7.pec.mort.c. 2
Peccatum est transgressio diuinorum mandatorum. l.4.c.1
Peccatum cõtra naturam quadruplex. l.5.c.13
Peccatum non consistit nisi in voluntate. l.5.c.84
Peccatum contra præceptum, de genere suo semper est mortale, nisi vna trium causarum excuset. l.4.c.12
Peccatum veniale quomodo dici possit maius malum, quàm excommunicatio. l.1.c.4
Peccatum mortale an, & quomodo impediat sacramentorum administrationem. lib.1. cap. 85
Peccatum præteritum, nisi adsit contumacia non sufficit ad excommunicationem contrahendam. l.1.c.8
Peccatum mortale est causa materialis proxima excommunicationis. ibid.
Pecunia præsens magis valet, quã absens. l.5.c.51
Pecunia potest multis casibus dari pro re spirituali. lib.5. c. 53
Pecunia, præsertim aurea, venditur, locaturve absque vsura.
Pecuniæ duplex valor ratione formæ, & materiæ. l.5.c.51
Pecunias vendere vltra pretium legale an liceat. ibid.
Pecunijs pecunias commutare, & vltra. ibid
Pedagia vetera augentes, qui excommunicentur. l.1.c.21
Pedagia, siue gabellæ quot modis possint esse iniusta. ibidem.
Pedagia, seu gabellas à sponte soluentibus accipientes vtrum, & qui excommunicentur. ibidem.
Pedagia noua imponentes, & prohibita

prohibita exigentes, excommunicati in Bulla Cœnæ. l.5. c.73
Pedagia, seu gabellas, aut vectigalia, qui imponere possint. l.1. c.21
Pedagiorum exactores qui sint, & qui excommunicentur. ibidem.
Pedagium quid sit. ibid.
Pensio differt à beneficio. libr.5. cap. 76
Pensio quid, quotuplex, & in quo differat à beneficio. lib.5. cap. 82
Pensio an possit vendi, & quantum. l.5.c.82.& 92
Pensio an possit redimi. ibid.
Pensio non danda nisi clericis. l.5. cap. 82
Pensio non potest mutari cum beneficio matrimonij causa. ibidem.
Pensionem habere licite quis possit. l,5.c.83
Pensionem retinere etiam cum dispensatione non semper licet. ibid.
Pensionem habere quomodo quis licite possit, regula, lib.5.cap. 85
Pensionem soluere, ac horas recitare quomodo teneatur beneficiatus excommunicatus. l.1. cap. 13
Pensiones supra montes quandoque plures venduntur, & licet. l.5.c.39
Percussio Clerici ex odio an alicui liceat. l.1.c.33
Percussio Clerici, correctionis causa, quando excommunicationem pariat. ibid.
Percussio, quando inducat irregularitatem. l.1.c.70.& 71
Percussio leuis Clerici quibus sit licita. l.1.c.33.
Percussioni se exponens Clericus an incidat in canonem. lib.1. cap. 34
Percussor sui citra abscissionem nō est irregularis. l.1.c.57
Percutere leuiter Clericos, quos, & quibus liceat. l.1.c.33
Percuti Clericum mandans, sed ante percussionem mandatum reuocans, an, & quando in excommunicationem incidat. l.1. cap. 34
Percutiens seipsum Clericus ex ira, vel odio, an incidat in canonem. ibid.
Percutiens clericum non semper incurrit excommunicationem. l.5. c.8
Percutiens Clericum volentem an incidat in canonem. l.1.c.34
Peregrini excusantur à ieiunio. l.6, c.4
Peregrini à quolibet absolui possunt. l.3.c.13
Periculi causa an possit aliquid amplius exigi, cum res venditur credito. l.de 7. pec. mort. cap. 51
Periurium semper mortale. lib.3. c.58.

c.58.& l de 7.pec mort.c.54
Permittere se occidi an semper sit mortale,& quando. l.5.c 6
Præcruans in voluntate homicidij an multoties peccet. ibidem.
Pertinacia quid,& quale peccatum. l.de 7 pec.mor,c.10.
Pertinacia quid sit. l.1.c.19
Pietas,& religio quomodo differant. l 5 c.1
Pirata quis dicendus sit. l.1.c.20
Piratæ,& huiusmodi, qui præcipuè in Bulla Cœnæ excommunicentur. ibid.
Piratæ an statim ac mare discurrere incipiunt, incidant in excommunicationem Bullæ Cœnæ,& an iure antiquo fuerint olim excommunicati. ibid.
Piratarum excommunicationem qui incurrant. ibid.
Piscatio, venatio, syluarum cæsio non omnibus licet. l 5.c.20
Pluralitas beneficiorum quando permissa. l.5.c.5
Pœna damni,& census quid. lib. 3.c. 3
Pœna temporalis soluenda in hoc mundo, vel in alio. l.3 c 10
Pœna capitis infligitur monialium raptori. l.5.c.87
Pœna non exigenda ab eo, qui non habet vnde l 5.c.40
Pœna appositia in censu an liceat. l.5.c. 48
Pœna exigenda, vbi nulla inest causa. ibid.
Pœna non semper remittitur tota per confessionem,& communionem. l.6.c.2
Pœna remittitur iuxta quantitatem deuotionis. l.6.c.21
Pœnæ quantitas duplex, intensionis,& extensionis. l.6 c.23
Pœnæ decem contra vsurarios. l. 5.c. 37
Pœnam soluere nemo tenetur ante condemnationem. l.5 c.12
Pœnam grauem pro minima culpa imponere nefas ibid.
Pœnitens tenetur acceptare pœnam à Confessario. l.3.c.9
Pœnitens non absoluendus, nisi pœnitentiam acceptet. libr.3. cap. 11
Pœnitens nesciens symbolum,& diuina mandata an sit absoluendus. l.3.c.17
Pœnitens an possit manifestare aliis peccata commissa,& pœnitentiam iniunctam. l.3.c.20
Pœnitens aliquando obligat Confessarium, vt eum absoluat in sua opinione. l.3.c.16
Pœnitentes etiam irregulares ex defectu animæ cẽsentur,& cum eis quis dispenset. l.1.c.58
Pœnitentia sufficit in voto, cum re fieri non potest. l.2.c.13
Pœnitentia septem annorum pro simplici peccato mortali, quandoque verò duodecim. libr.6. cap. 23
Pœnitentia sacramentalis an sufficiat ad totam pœnam. ibid.

Pœnitentia imposita blasphemanti. l.4.c.13
Pœnitentiæ effectus qui sint lib.3. cap. 16
Pœnitentiæ quomodo iniungendæ. l.3.c.11
Pœnitētiæ materia duplex.l.3.c.1
Pœnitentiæ materia propinqua est contritio. l.3.c.4
Pœnitentiæ sacramento nemo ante vsum rationis accedat. l.3. cap. 20
Pœnitentiam iniunctam an alius mutare possit. l.3.c.11
Pollutio nocturna quando sit peccatum. l.5.c.13
Pollutio peruigil an sit peccatum, & quando. ibid.
Pollutio triplex, & an impediat communionem. l.6.c.16
Pollutionis causam quando teneamur auferre. l.5.c.13
Possessio necessaria in præscriptione. l.5.c.26
Possessionem beneficij non amittit beneficiatus excommunicatus, nec titulum. l.1.c.13
Possessor bonæ, & malæ fidei. Vide bonæ fidei.
Potestas iurisdictionis in sacerdote quid sit, & quotuplex. l.1. cap. 3
Potestas distribuendi indulgētias in Ecclesia. l.6.c.21
Potestas sacerdotis quotuplex sit. l.1.c. 3
Potestas ordinis in sacerdote quid sit. ibid.
Potestas ordinis, & potestas iurisdictionis quomodo differant. ibid.
Potestatem absoluendi ab excommunicatione in mortis articulo quisnam habeat. lib.1.c.15
Potestates, Capitanei, & huiusmodi Rerumpublicarum administratores, quando excommunicentur. l.1.c.39
Præbenda differt à beneficio. lib.1.c. 76
Præcepta primæ, & secundæ tabulæ quæ sint. l.2.c.16
Præcepta non ad finem, sed ad actum obligant. l.4.c.12
Præcepta implere quoad substantiam. ibid.
Præcepta primæ tabulæ ad Dei dilectionem. l.5.c.1
Præcepta secundæ tabulæ ad proximi dilectionem. ibid.
Præcepta Decalogi fundata in iustitia.. l.5.c.1
Præcepta Ecclesiæ quæ sint. lib.6. cap. 1
Præceptum sub pœna excommunicationis, vel maledictionis à Deo obligat ad mortale. lib. de septem pecca. mortal. cap. 19
Præceptum negatiuum semper obligat, affirmatiuam non. l.4.c.9 & l.6.c. 3
Præceptum primum Decalogi lib. 4.c. 12
Præceptum secundum Decalogi. l.4.c. 12

Præceptum tertium Decalogi. l. 4 cap. 24
Præceptum quartum Decalogi. l. 5. c. 1
Præceptum quintũ Decal l. 5. c. 6
Præceptum sextum. l. 5. c. 10
Præceptum septimum, non furaberis. l. 5. c. 15
Præceptum octauum. Non falsum testimonium dices. l. 5. c. 56
Præceptum nonum & decimum: Non concupiscες. l. 5. c. 71
Præceptum abstinendi ab esu, quibus, & quando, & quomodo. l. 6. c. 16
Præcipitatio vnde. lib. de 7. pec. mort. c. 55
Prælati an sint simoniaci tradentes beneficia propter famulatum. l. 5 c. 26
Prælatorum absentia quando permittitur. l. 5. c. 4
Prælatorum, siue aliarum personarum Ecclesiasticarum causa qui, & quando excommunicentur. l. 1. c. 38
Prælatorum iurisdictionem euacuantes laici quando excommunicentur. l. 1 c. 37
Prælatos percutiens ante consecrationem an incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini. l. 5. c. 8
Prælatura perfectior monachatu. l. 5. c. 3
Prælaturas desiderare quando sit peccatum mortale. ibid.
Prælatus superior an possit semper excõmunicatum ab alio sibi subdito absoluere. l. 1. c. 16
Prælatus non residens tenetur. l. 5. c. 4
Prælatus dans beneficia famulis, an sit simoniacus. l. 5. c. 90
Præpositi sæcularis, vel Vicecomitis officium exercens sacerdos quis, & quando excommunicetur. l. 1. c. 37
Præscriptio, & vsucapio an liberent à restitutione. l. 5 c. 26
Præscriptio, & vsucapio, quid, & quomodo. ibid.
Præstigij peccatum mortale grauissimum. l. 4. c. 15
Præsumptio quid, & quale peccatum. l. 1. de 7. pec. mort. c. 22
Præsumptio duplex, & quandoq; hæresi coniuncta. l. 4. c. 7
Presbyteratus ordo etiam infantibus conferri potest. lib. 1. cap. 55
Pretio summo rem vendere quando licet. lib. de septem pec. mort. cap. 50
Pretio infimo quando possit emi res. ibid.
Pretium iustum quod, & quomodo cognoscatur. l. 5. c. 41. & l. de 7. pec. mort. c. 47
Pretium naturale triplex. ibid.
Pretium legitimum semper idem. ibid.
Pretium naturale quibus causis varietur. ibid.
Pretium vt constituatur, regulæ. ibid. c. 48.

Pretium iustum qui excedit, mortal. pec. & ad restitutionem tenetur. ibid.
Pretium iustum in cēsu quodnam sit. l.5.c.47
Pretium ratione temporis augere, vel minuere non licet. lib. 5. cap. 53
Pretium in cambijs quomodo ministrandum. ibid.
Pretium quodlibet pro re spirituali est simonia, l.5.c.87.& 89
Pretium accipere pro labore in cōfessione est simonia. l.5.c.88
Pretium accipere, vel paciſci pro missa an liceat. l.5.c.89
Princeps latronum causa quando peccet mortaliter. l.5.c.7
Priuilegia deferendi quædam ad infideles derogata. l.1.c.23
Processus generales Bullæ Cœnæ appellatæ cur, & contra quos editæ. l.1.c.18
Processus generales, licet sint ab homine, habent tamen vim iuris. ibid.
Procurator quando teneatur ad restitutionem. l.5.c.26
Procurator quibus modis peccet. ibid.
Procuratori quæ necessaria. ibid.
Procuratoris officium. ibid.
Prodigalitas quid. lib.de 7.pec. mort.c. 24
Prodigalitas quale peccatum. ibi. cap. 25
Proditio quid, quotuplex, & quale peccatum. ibid. 44
Promittens ducere, an semper ducere teneatur. l.5.c.1
Promoti per saltum pœna quæ sit. l.1.c. 50
Promotus per saltum quando incurrat irregularitatem. ibidem.
Protestatio in causa homicidij quādo prosit. l.1.c.80
Proximo subuenire quando quis teneatur. l.4.c.10.& l.5.c.71. & l.de 7.pec.mort.c. 9
Proximus quomodo diligendus. l 4.c.10 & ibi.
Proximus noster quis dicatur. lib. 4.c. 10
Prudentes, & senes cur misericordes. l.de pec.mort.c.27
Prudentia quid. ibid.c.46
Prudentia carnis. ibid.
Pueri qui peccare possint, & teneantur confiteri. l.6.c.15
Purgatorij pœna qualis. libr.4. cap. 23
Purgatorij pœna respondet pœnæ temporali. ibid
Pusillanimitas quale peccatum. l. de 7.pec.mort.c. 70
Pyromantiæ peccatum. libr. 4. cap. 15

R.

Rancor quale peccatum. l.de 7.pec.mort.c. 70
Rapiens puellam non potest eam ducere toto tempore raptus. l.7. cap. 13
Rapientes res Ecclesiarum, & ipsarum effractores quomodo ex

com

communicati. l.1.c.35
Raptores mulierum, vel eis faciuentes excommunicantur. lib.1. cap. 41
Raptores, siue surripientes bona Christianorum naufragantium qui intelligantur. libr.1. cap. 21
Raptus alienæ sponsæ impedit matrimonium. l.7.c.15
Raptus quid, & eius pœna. lib.5. cap. 12
Raptus mulieris quando dicatur raptus. l.1.cap.41
Ratihabitio homicidij an, & quando faciat irregularem. libr.1. cap. 81
Ratihabitio quotuplex. ibid.
Ratihabitio in delictis mandato æquiparatur. ibid.
Rationis vsus necessarius in suscipiente sacramenta. l.2.c.28
Receptores hæreticorum qui dicantur. l.1.c.19
Regalia quæ dicantur. l.1.c.38
Regaliorum causa qui, & quando excommunicentur. ibid.
Reges, Principes, Domini honorandi sub quarto præcepto Decalogi. l.5.c.1
Reipublicæ administratores quando excommunicentur. libr.1. cap. 39
Relaxatio ab excommunicatione quando sit illico facienda. lib.1. cap. 14
Religio quid sit. l.1.c.87
Religio & pietas quomodo differant. l.5.c.1
Religionis ingressus tollit irregularitatem. l.1.c.52
Religionis votum an dirimat matrimonium. l.4.c.18. & l.7.c.3. & 14
Religionis ingressus quam irregularitatem tollat. l.1.c.83
Religiosi quando possint facere eleemosynam. l.de 7 pec.mort. cap. 28
Religiosi nomine qui contineantur. l.1.c.34
Religiosi dimittentes habitum an sint apostatæ. l.4.c.18
Religiosi non habentes beneficium nec administrationem qui, & quot de causis excommunicentur. l.1.c.39
Religiosi, & Religiosorum causa qui, ac quando excommunicentur. l.1.c.38. & 39
Religiosi qui Papalem excommunicationem contrahant. lib.1. cap. 36
Religiosi detrahendo graviter peccant. l.5.c.64
Religiosi audientes leges vel medicinam qui, & quando excommunicentur. l.1.c.37
Religiosus præsidens Monasterio quis ab officio suspendatur. lib.1. cap. 48
Religiosus an ob patris necessitatem teneatur relinquere religionem. l.5.c.1
Remedia contra superbiam. l.de 7 pec.mort.c. 5

Remigantes Christiani in infidelia triremibus contra Christianos an peccant, & sint excommunicati. l.1.c.24

Repræfaliarum contra personas Ecclesiasticas causa qui excommunicentur. l.1.c.38

Reo an liceat de carcere fugere, & ad quid teneatur. l.5.c.58

Restituenda prius debita, quàm vsuræ. l.5.c.25

Restituendi ordo, & locus. ibid.

Restituere quis teneatur. lib.5. cap. 17

Restituere rem locatam an teneamur, si furto ablata sit. lib.5. cap. 18

Restituere quando teneantur Aduocati. l.5.c.62

Restituere Procurator quando teneatur. ibid.

Restituere Notarius quis teneatur. l.5.c.61

Restituere vsurarij tenentur, eorumque hæredes. lib.5.cap.35. & 36

Restituere tenentur qui per monopolium carius vendunt. l.de 7. pec.mort.c. 47

Restituere, quis vendens teneatur. l.de 7.pec.mort.cap. 45. & 49

Restituere tenetur, qui tribus casibus vitium occultum non manifestat, l.de 7 pec.mort. c.49

Restituere tenetur quæ quis in ludo lucratus est ab ebrio. l.de 7. pec.mort.c. 61

Restituere an teneatur qui in extrema necessitate aliquid abstulit, cùm ad pinguiorem venit fortunam. lib.5.c.24. & l.de 7. pec.mort.c. 36

Restituere tenentur & cooperantes, & participantes iniustitiæ. l.5.c. 21

Restituere an teneamur eandem rem. ibid.

Restituere rem deterioratã an, & quando liceat. l.5.c.22

Restituere ijs, qui abusi sunt pecunijs, an liceat. l.3.c.23

Restituere cum detrimento proprio an teneamur. l.5.c.24

Restituere an teneamur cum famæ, vel vitæ periculo. l.5.c.24. 26. & 70

Restituere famam coram ijs, qui audierunt detractionem. lib.5. cap. 69

Restituere quando quis teneatur quæ ludendo vicit. lib.5.c.27

Restituere ludo acquisita quando teneatur. ibid.

Restituere dotem ab vsurario acceptam quando quis teneatur. l. 5.c. / 35

Restituere an teneatur, qui stuprũ commisit. l.5. c.11

Restituere cui simoniaci teneantur. l.5.c.93

Restituere an teneantur suffragium iniuste concedentes. lib. 5. cap. 21

Restituere quando teneatur Confessarius. l.3.c.15

Restituere an teneatur impediens aliquod bonum. l.5.c.19
Restituere non tenetur qui cessit bonis. l.5.c.26
Restituere non tenetur cui, debiti remissio valida est facta, & quæ sit remissio valida. ibid.
Restituere non tenetur quis ob cōpensationem. ibid.
Restituere testis quando que tenetur. l.5 c.59
Restituere tenemur, quando peccatum est contra iustitiam. l.5. cap. 19
Restituere quid teneantur homicidæ. ibid.
Restituere tenentur iudices iniuste detinentes in carcere operarios. ibid.
Restituere an maleficitenean tur. l.4.c. 14
Restituere an teneatur Iudex subornatus. l.5.c.22
Restitututio quid. l.5.c.17
Restitutio cui facienda. l.5.c.23
Restituiio quomodo facienda absenti, & hæredibus. ibid.
Restitutio pauperibus facienda quando, & quomodo. ibid.
Restitutio quanta, quando, & quomodo sit facienda. l.5.c.24
Restitutio creditori absenti quo modo facienda. l.5.c.23.& 25
Restitutio in quauis necessitate, citra extremam, facienda. l.5. cap. 27
Restitutio ex quibus bonis facienda. l.5.c 35
Restitutio quædam facienda in societate officiorum. l.5.c.41
Restitutionem differre, cum statim fieri potest, peccatum mortale. l.5.c.24
Restitutioni obnoxiæ res vsurariæ ad quemcumque peruenerint. l.5.c.35
Restitutionis casus carmine contenti. l.5.c.17
Restitutionis obligatio an transeat ad hæredes, & quomodo. lib.5.c. 21
Retrotrahatur vt delictum alterius nomine factum quot requirantur. l.1.c.31
Reus an teneatur verum respondere, & quando. l.5.c.58
Rixæ, bellum, contentiones, vulnera, & c. opera iræ. l.de 7 pec. mort.c. 58

S.

Sabbati nomen comprehendit alia festa. l.4.c.16
Sabbatum quid, & quare sanctificandum. l.4.c.24
Sabbatum cur in Dominicā translatum. ibid.
Sacerdos quid sit. l.1.c.1
Sacerdos cur sic dicatur. ibid.
Sacerdos non ieiunus quando possit celebrare. l.2.c.1
Sacerdos celebrans, prima non recitata, non peccat. ibid.
Sacerdos non valens absoluere, nec dimittere aliquē sine scandalo quid faciet. ibid.

Sacerdos teneatur celebrare saltē festis solennibus. l. 2. c. 3
Sacerdos excedat vigesimū quartum annum. l. 5. c. 1
Sacerdos recipiens eleemosynam à multis an satisfaciat vnico sacro. l. 2. c. 8
Sacerdos impeditus in missa quid agat. ibid. c. 9
Sacerdos habens iurisdictionem in aliquos, potest eos in quauis diœcesi absoluere. l. 3. c. 13
Sacerdos si non obligat pœnitentem, tenetur ipse ad restitutionem. ibid.
Sacerdos inscio Ordinario benedicens nuptias ipso iure suspensus. l. 7. c. 19
Sacerdos proprius quis dicatur. l. 1. c. 16
Sacerdos simplex, absoluens ab excommunicatione maiori in mortis articulo, quid cauere debeat. l. 1. c. 15
Sacerdos, hæc vox, vnde dicatur. l. 1. c. 1
Sacerdos quomodo aliter dicatur, & ratio nominum. ibid.
Sacerdos Vicecomitis, aut Præpositi secularis officium exercens quis, & quando excommunicetur. l. 1. c. 37
Sacerdos simplex an quilibet, & semper possit in articulo mortis ab excommunicatione absoluere. l. 1. c. 15
Sacerdotes Euangelici quot modis differant ab alijs tam naturalis, quàm scriptæ legis sacerdotibus. l. 1. c. 1. & 2
Sacerdotes ministros cur nemini habere liceat. l. 1. c. 1
Sacerdotes an possint mutuo confiteri inter se. l. 3. c. 13
Sacerdotes Ethnicorum an sint sacerdotes. l. 1. c. 1
Sacerdotes creandi auctoritas penes quos sit. ibid.
Sacerdotibus Euangelicis cur status coniugalis sit illicitus. lib. 1. c. 2
Sacerdotis conditiones aliquæ. l. 2. c. 2
Sacerdotis impedimenta. ibid.
Sacerdotis fornicarij pœna decem annorum. l. 6. c. 24
Sacerdotis potestas quotuplex sit. l. 1. c. 3
Sacerdotium cur masculis solum sit concessum. l. 1. c. 1
Sacerdotium, vel alius ordo ex maioribus, si laico conferatur, non præmissis minoribus, an teneat. l. 1. c. 50
Sacerdotium Euangelicum quomodo ab antiquo differet. l. 1. c. 1. 2. & 3
Sacramenta carentia charactere. l. 2. c. 16
Sacramenta quædam in omnibus necessaria. l. 2. c. 17
Sacramenta non semper remittunt totam pœnam. l. 6. c. 2
Sacramenta in remissionem venialium. l. 6. c. 24
Sacramēta à malis ministris acci-

pere quando, & à quibus liceat l.1.c. 86
Sacramenta conferens in peccato mortali cur mortaliter peccet l.1.c. 85
Sacramenti effectus, & gratia duplex l.2.c. 16
Sacramenti materia sensibilis li. 3.c. 4
Sacramentorũ administratio quotupliciter impediatur l.1.c.84
Sacramentorum administratione nõ priuat minor excõmunicatione l.1.c. 17
Sacramentorum susceptione priuat minor excommunicatio ib.
Sacramentum quid l.2.c. 15
Sacramentum existentibus in peccato non prodest l.2.c. 8
Sacramentum quodlibet dantis, & accipientis intentionem necessario requirit l.2.c. 20
Sacramentum suscipiens debet habere vsum rationis l.2.c. 29
Sacrificium triplici gen. l.2.c. 4
Sacrificium fit Deo solum, non sanctis l.2.c. 5
Sacrificium oblatum quæ conferat l.2.c. 6
Sacrificium taurorum &c. mutatum l.5.c. 44
Sacrificium missæ soli Deo debetur l.4.c. 12
Sacrilegium est absoluere sine materia l.3.c. 6
Sacrum vide Missa.
Sanctum quotupliciter aliquid dicatur l.1.c. 87
Satisfacere an possit vnus pro alio l.3.c. 11
Satisfactio quid. ibid.
Satisfactio per ieiunia, orationes. & eleemosynas. ibid.
Satisfactio duplex & earum discrimen ibid.
Satisfactio huius mundi excedit satisfactionem Purgat. l.6.c.2
Schisma quot modis contrahatur. l.1.c. 19
Schisma quid sit l.1.c. 19
Schisma quotuplex ibid.
Schisma quid l.4.c. 11
Schismatici excommunicantur per bullam Cœnæ l.1.c. 19
Schismatici causa quot genera personarum excommunicentur li. 1.c. 37
Scientia quæ requiratur inordinatis l.1.c. 87
Scribens libellos infamatorios an excommunicetur l.5 c. 74
Scribentes, vel legentes cõtra mõtem pietatis excommun. l.5.c.38
Secretum alicuius reuelare, vel aperire, quando, & quale peccatum lib.de 7.pec.mor.c. 45
Seculares non potest præscribere, vel vsucapere ecclesiastica l.5. cap. 26
Sedem Apostolicam ob læsionem alicuius non adeuntes, quando tenentur, & possunt, quas pœnas incurrent l.1.c. 32
Separatio coniugum quando licita l.7.c. 20
Sepelicndi causa qui excommu-

nicentur l.1.c. 39
Sepeliens vsurarium in loco sacro est excommunicatus l.5.c.36
Septem peccata capitalia, cur mortalia dicta l.de 7.pec.mort. cap. 2
Sepultura ecclesiastica quis excõmunicatus priuetur l.1.c. 13
sepultura terræ an vendi possit, l. 5.c. 89
Sequestrationis de beneficio ecclesiastico per ordinarium factæ causa qui, & quando excommunicentur l.1.c. 39
Sermo vester sit, est, est, quomodo intelligatur l.4.c. 20
Serui circa ordinationem quædam notanda l.1.c. 53
Seruus quando ob læsionem alicuius teneatur sedem Apostolicam adire l.1.c. 32
seruus quando ordinari possit, quãdo vero non l.1.c. 53
seruum quando, & quomodo absoluatur ab Episcopo etiam ob enormem læsionem, & quando non l.1.c. 32
Sigillum confessionis ad quæ se extendat l.5.c. 16
sigillum confessionis seruare tenentur, nõ solum sacerdotes, sed & circumstantes ibid.
Signum demonstratiuum, remeratiuum, & prognosticum l.2. cap. 15
Simonia quid l.5.c. 84
simonia vnde dicatur, & quale peccatum ibid.
simonia prohibita de iure diuino humano, & canonico l.5.c.85
simonia cognoscitur ex tribus regulis l.5.c. 87
simonia non est, si datur pecunia pro re spirituali, non tanquam pretium ibid.
simonia est, pacisci, vel dare aliquid de religionis ingressu lib. 5.c. 90
simonia quomodo cõmittatur circa beneficia l.5.c. 90
simonia in electione ibid.
simonia in locatione, & permutatione beneficiorum l.5.c.91
simonia an sit, tuspatronatus vendere l.5.c. 90
simoniæ tres species, mentalis, realis, & conuentionalis l.5.c.84
Simoniace tam ordinantes, quam ordinati à quibus suspendantur l.1.c. 48
simoniace accipiens beneficium an retinere possit l.5.c. 90
simoniaci pœna quadruplex ex cõuentione l.5.c. 93
simoniaci pœna an pro quauis simonia incurratur ibid.
simoniaci pœnam an incurrat qui nondum accepit ibid.
simoniaci cui restituere teneantur, ibid.
Simoniacus an semper incurat excommunicationem latam. ibidem.
simoniacus tenetur reddere beneficium, & cui l.5.c. 93
simoniacus, ad quod beneficium

omni-

omninò sit inhabilis l.1.c. 51
Simoniam non committit, qui fingit se daturum l.5.c. 90
Simulatio quid lib.de 7.pec. mor. cap. 9
Societas officiorum quid, & quando originem sumpsit l.5.c.37
societas in negotiatione an sit licita l.5.c. 41
societas in emptione animalium. ibid.
Societatis officiorum conditiones nonnullæ l.5.c. 38
societatis in negotiatione tres conditiones l. 5.c. 41
societatis alterius conditiones seruandæ ibid.
Sodomia abominabile peccatum l. 5.c. 13
Solicitudo quomodo, & quale pec catum, lib.de 7.pec.mor.c. 43
Sors, sponsiones, & risæ quandoq; licent l. 5.c. 27
Sortilegium triplex, & an semper sit mortale l.2.c. 21
Spei definitio, & quid in ea considerandum l.4.c. 7
spei, desiderij, & amoris definitio ibid.
Spes, desiderium, & intentio, quomodo differant l.5.c. 29
Spiritualia in quadruplici differētia l.5.c.84.& 87.
spiritualia commutare inter se, an sit simonia l.5.c. 88
Spoliator Ecclesiæ quis à solo Papa absoluatur l.1.c. 16
Sponsalia quot modis contrahātur lib.7.c. 16
sponsalia, & matrimonium in quibus differant lib.7.c.12.aliàs. 17
sponsalia quibus casibus dissoluuntur ibid.
Sponsalia impediunt aliud matrimonium contrahendū l.7.c.24
sponsalia quid. l.7.c.16
sponsalia inter quos non fiant. ibidem.
sponsalia quando non valida. ibidem.
sponsalia nulla matrimonio nullo. ibid.
Stationum Romanarum origo, & causa l.6.c. 28
Statuta contra Ecclesiæ libertatē quæ dicantur, & quis ea tollere possit l.1.c. 37
Sterilitatem procurare est peccatum mortale l.5.c. 6
Stuprum quid, & an obliget ad restitutionem l.5.c.11
Suffragium iniustè concedentes an ad restitutionem teneantur li. 5.c. 21
Superbia quid. lib.de 7.pec.mort. cap. 3
superbia quādo mortale. ibid.c.4
Superbiæ species quatuor ibid.
Superiorem nemo potest excommunicare l.1.c. 7
Superstitio quid, eiusque duplex genus l.4.c. 14
superstitio an sit mortale. ibid.
Superstitiones aliquæ tacitæ inuocationes Dæmonum. ibid.

Suppli-

Supplicationes quæ intelligantur in Bulla Cœnæ l.1.c. 22
Susceptor filij proprij non potest contrahere matrimonium l.7. cap. 15
Suspendere quis possit l.1.c. 44
Suspendi quis possit ibid.
Suspensi ab officio, & suspensi à beneficio pœnæ quæ sint l.1.c. 45
Suspensio non contrahitur sine peccato l.1.c. 50
Suspensio priuans ordinis executione triplex l.1.c. 66
Suspensio quid sit, & quæ eius species l.1.c. 42
Suspensio quæ absque absolutione auferatur l.1.c. 46
Suspensio à quo absoluatur ibid.
Suspensio ab homine quot de causis ponatur l.1.c. 44
Suspensio an feratur propter venia le peccatum ibid.
Suspensio, quando simpliciter fertur, pro qua intelligatur lib.1. cap. 43
Suspensiones iuris nouemdecim præcipuæ enumerantur l.1.c. 48
Suspensiones octo Concilij Triden. l.1.c. 49
Suspensionis effectus quinque lib. 1.c. 45.
Suspensionis finis idem, qui & excommunicentur l.1.c. 44
Suspensionis effectus l.5.c. 14
Suspensionis, & excommunicationis differentia l.1.c. 42. 44. & 46.
Suspensionis causæ quatuor l.1.c. 44
Suspensionis forma ibid.
Suspensus ab ingressu Ecclesiæ quibus priuetur l.1.c. 43
Suspensus ab ordine simpliciter, & suspensus ab aliquo ordine qui differant ibid.
Suspensus ab administratione Ecclesiæ, non est suspensus ab ordine. ibid.
Suspensus ab administratione Ecclesiæ celebrans, an fiat irregularis l.1.c. 45
Suspensus in quo priuetur aliorum communione ibid.
Suspensus ordinis actum exercens quis fiat irregularis l.1.c. 66
Suspensus ab ordine an sit suspensus à iurisdictione, vel contra l.1.c. 45
Suspensus ab officio, & suspensus à beneficio qui differant ibid.
Suspensus, generaliter loquendo, quando fiat irregularis l.1.c. 45
Suspensus à canone ob defectum corporis an fiat irregularis ibid.
Suspensus ab ordine, vel depositus, vel degradatus an possit absoluere l.3.c. 13
Suspensus à beneficio, an censeatur etiam suspensus ab officio, & contra l.1. 45
Suspensus ab ordine, vel ab aliquo includente ordinẽ quando peccet, & quando fiat irregularis. l.1.c. 45
Syluas cædentes in vsum, an teneantur, & ad quid, & quando. l.5.c. 20

Synodus diœcesana singulis annis facienda l.5.c. 4

T.

Tactus inter coniuges quomodo prohibiti l.7.c. 20
Taleas imponentes Clericis excõmunicantur l.1.c. 35
Tentare Deum interdum licet li. 4.c. 19
Tentationis descriptio, & eius materia ibid.
*Testes repulsare an, quãdo, & quibus de causis liceat l.5.c.*59
Testes repulsando non omnia crimina aperiantur ibid.
Testimonium reddere cum sui detrimento, an quis teneatur ibid.
Testis quando teneatur testimonium reddere ibid.
Testis quando obligetur ad restitutionem, & quo. ibid.
*Theologiæ lector pretium potest accipere absq; simonia l.5.c.*88
Theologica virtus, quæ dicatur l. 4.c. 7
Thesaurus Ecclesiæ militãtis quis vnde l.5.c. 51
Titulum ad ordines sine licentia dimittens post ordinationẽ an sit suspensus l.1.c. 48
Titulum beneficij non amittit beneficiatus excommunicatus, nec possessionem l.1.c. 13
Torpor, quale peccatum lib.de 7. pec.mor.c. 70
Tortura reo adhibita l.5.c. 6
Tortura an excutiendus, qui aperiũt secretum l.5.c. 66
Trinitas tota per concomitantiam in hostia consecrata l.2.c. 7
Tristicia de bono alterius multiplex lib.de 7.pec.mor.c. 63
Tristitia ex timore, quando, & quale peccatum ibid.c. 64
Tristitia ex odio quale peccatum ibid.c. 66
Tumor mentis quid, & quale peccatum ibid.c. 58
Tyranno occupante vi ciuitatem, an eã liceat per proditionẽ tradere ibid.c. 45
Tyrannum occidere an liceat. lib. 5.c.6.& 7.c. 45

V.

Valor rei dupliciter sumitur ibid.c. 47
Valor rei venditori ignoranti ab emptore est manifestandus. ibid.c. 49
Vana gloria quid, & vnde. ibid. cap. 6
Vana gloria quale peccatũ. ib.c.7
Vectigalia, qui impouere possint. l.1.c. 21
*Venatio, piscatio, syluarũ cæsio quibus liceant, & vbi. l.5.c.*20
Vendens rẽ vitiosam, an quis restituere teneatur lib. de 7. p.mor. cap. 47
*Vendere vltra summum pretium, an, & quando vsura l.5.c.*31
Vendere summo, & ab eodem redimere infimo pretio, vsura ib.
Vendi, aut emi res quanti debeat lib.de pec.mor.c. 50
Venenum fontibus imponere quã-

do licitum, ibid. c. 45
Veniale peccatum non est materia necessaria pœnitentiæ. l. 3. c. 3. & l. 6. c. 11
Venialia quare confitenta, & quomodo remittatur l. 3. c. 3. & 5. & l. 6. c. 11
Venialia inducunt culpam, & pœnam, licet non æternam lib. 6. cap. 21
Venientes ad Sedem Apostolicam qui intelligantur in Bulla Cœnæ l. 1. c. 25
Verba intelligenda ex mente proferentis l. 6. c. 58
Veritas, & falsitas triplex lib. 4. cap. 21
Veritas in iuramento, qualis. ibid.
Veritas in dubio duplex lib. 5. cap. 56
Vestes aptæ ad celebrandum sacrificium l. 2. c. 2
Vestes sacerdotales quid denotent ibid.
Vestes sacræ quomodo vendi possint l. 5. c. 89
Vexationem redimere an liceat, & quomodo l. 5. c. 90
Viduæ post mariti obitum quando tempore excusentur à sacro audiendo l. 6. c. 8
Vir impediens vxorem à bonis sine causa, an peccet mort. lib. 5. cap. 2
Vir ad quæ teneatur erga vxorem ibid.
Vir percutiens sine causa vxorem an pec. mort. ibid.
Virginem deflorans, aut ducat, aut dotet l. 5 c. 11
Virgo vi oppressa non peccat, nec virginitatem amittit. ibid.
Visitantes Ecclesias qui interdicantur, & qui suspendantur. l. 1. c. 48
Visitatores Monialium impedientes qui excommunicentur. lib. 1. c. 39
Vitam alterius cum propriæ dispendio saluare l. 5. c. 71. & lib. de 7. pec. mort. c. 39
Vitiosum vendere vt bonum pec. mort. oblig. ad restit. lib. de 7. pec. mort c. 49
Vitium rei triplex. lib. de 7. pec. mort. c. 49
Vitium rei manifestum quando emptori manifestandum. ibidem.
Voluntarium opus quomodo dicatur. ibid. c. 1
Voluntarium quotupliciter accipiatur, & quotuplex sit. lib. 1. cap. 71
Voluntarium casuale quodnam dicatur l. 1. c. 71
Voluntas sola occidendi quando non inducat irregularitatem l. 1. cap. 70
Voluntatis duo actus l. de 7 pec. mort. c. 55
Voluntatis motus triplex, & quis obliget ad peccatum. lib. 4. cap. 17
Voti materia possibilis, ex qua multi casus l. 2. c. 24

Voti materia qualis esse debeat l. 2. c. 17
Voti conditionalis, pœnalis, & absoluti differentia l. 4. c. 18
Voti commutatio in æquivalens, ibid.
Voti transgressio potest à quolibet Confessario absolui. ibid.
Votum irritare quid. ibid.
Votum quid l. 4. c. 16
Votum quando obliget, casus aliquot l. 4. c. 17
Votum sine promissione est nullũ. ibid.
Votum continentiæ, & virginitatis, quid ibid.
Votum religiõis determinatæ, vel non quomodo obliget. ibidem.
Votum subditorum, quando, & à quo irritetur ibid.
Votum ad quid obliget ibid.
Votum simplex, & solenne, quid lib. 4. c. 18
Votum castitatis solenne dirimit matrimonium post contractum. l. 4. c. 18. & l. 7. c. 4
Votum simplex castitatis, vel religionis qui fecit, licet peccet, matrimonium tenet l. 4. c. 18. & l. 7. c. 14
Vox articulata cur necessaria horis l. 2. c. 10
Vsucapi quæ prohibeantur lib. 5. cap. 26
Vsucapio, & præscriptio an liberẽt à restitutione. ibid.
Vsucapio liberet à restitutione in vtroque foro l. 5. c. 18
Vsura quid sit, & quæ in ea considerandæ sint l. 5. c. 28
Vsura comparatur morsui, aspidis. ibid.
Vsuram peccatum mortale negare, hæreticum ibid.
Vsura quotuplex l. 5. c. 29
Vsura mentalis quæ, & quomodo fiat ibid.
Vsura mentalis tripliciter contingit l. 5. c. 30
Vsura exterior explicata ibid.
Vsura palliata dupliciter fit lib. 5. cap. 31
Vsura est contra ius naturæ lib. 5. cap. 37
Vsura non est absque mutuo lib. 5. cap. 30
Vsura quandóque in societate officiorum committitur. lib. 5. cap. 40
Vsura restituatur vel Dominis, vel hæredibus, vel pauperibus l. 5. c. 35
Vsurarij vxor, filij, & famuli an possint sustẽtari ex bonis vsuræ acquisitis, & an ad restitutionem teneantur l. 5. c. 35
Vsurarij, & fures nunquam acquirunt Dominium l. 5. c. 26
Vsurarijs fauentes tenentur ad restitutionem l. 5. c. 36
Vsurariorum causa, qui, & quando excommunicentur lib. 1. cap. 38
Vsurariorum hæredes tenentur ad restitutionem l. 5. c. 35

Vsurariorum bona in quadruplici differentia ibid.
Vsurariorum bona omnia restitutioni obnoxia ibid.
Vsurariorum testamenta quomodo irrita l.c. 36
Vsurariorum, Aduocati, Procuratores, Notarij tenentur ad restitutionem ibid.
Vsurarius duplex, notorius, & occultus ibid.
Vsurarius non absoluendus à peccato, nisi prius restituat, ibid.
Vsurarius notorius non sepeliatur in loco sacro ibid.
Vsurarius in montis articulo an sit absoluendus, & quomodo ibid.
Vsurarius an restituat solum vsuras, an etiam fructus l.5.c. 21
Vsurarius quantum restituat lib. 5.cap. 35
Vsurarius an teneatur restituere etiam fructus, & damnum.ib.
Vsuras restituere cogantur non solum vsurarij l.5.c. 36
Vsuras agnoscendi regula l.5.c. 30
Vulnerantes, vel capientes Episcopos quomodo incurrant excõmunicationem Bullæ Cœnæ lib. 1.cap. 25
Vulneratio quomodo inducat irregularitatem l.1 c. 70
Vxor tenetur ad quædam erga virum l.5 c. 2
Vxor quomodo excusetur à ieiunio l.6.c. 4
Vxorem ducere, inuito patre, quando sit mortale l.5.c. 2
Vxores quando possint facere eleemosynam lib.de 7.pec.mor. cap. 29
Vxoricidium impedit matrimonium, & quomodo lib.7. cap. 15
Vxoris nomine quid intelligatur lib.1.c. 33

FINIS.

INSTRVCTIONIS SACERDOTVM,

LIBER I.

Quid sit Sacerdos, & quare sic dicatur?

CAPVT I.

OPVS Diuino fauore instituimus, ad Sacerdotem in ijs, quæ sui sunt muneris instruendum ; non quidem omnia, quæ dici de hoc poterant, disputãdo, aut varias Doctorum opiniones discutiendo, sed quæ præcipua sunt, & certiora ordinatè, dilucidè, breuiterque proponẽdo. Ab ipsa igitur definitione exordiamur, & quid sit Sacerdos describamus. *Est autem Sacerdos, Vir, cultui veri Dei, auctoritate diuina, determinatis personis concessa, firmiter deputatus.* In qua descriptione sex sunt partes,

Prima est, *Vir.* fœminæ enim diuino iure à Sacerdotio excluduntur, vt habetur in cap. noua. de pœnit. & remiss. id enim masculis solum est concessum, ad officij huius dignitatem, & perfectionem denotandam.

Secunda pars est. *Cultui Dei deputatus.* Est autem Dei cultus, reuerentia quædam, tàm interior, quàm exterior, Deo, ob ipsius excellentiam, exhibita; qui maximè in tribus consistit, in sacrificio, quo eius dominium, in laudibus, quibus eius bonitatem, in Sacramẽtorum administratione, quibus ab ipso salutem, & redemptionem procedere cõfitemur; cui cultui conueniens fuit, personas certas dedicari, vt perfectius exhiberetur: & tales sunt sacerdotes. Vnde fit, cum hic cultus actus sit latriæ, & religionis, quæ soli Deo debetur, vt nulli creaturæ liceat, Sacerdotes habere sibi ministros: habent quidem Reges & Principes, œconomos, cubicularios, villicos, iudices, & alios huiusmodi, solus Deus Sacerdotes habet. Qui ergo sibi sacerdotes constituit, & sacrificium, precesque ab eis petit, se Deum facere præsumit.

Tertia pars, *veri Dei*. ad excludendos Ethnicorum Sacerdotes: sunt quidem cultui Dei deputati, sed non veri Dei, sed falsi, quem ignorantes homines, & Idololatræ vt Deum recipiunt: Dæmon enim illo peruerso diuinitatis appetitu, Sacerdotes sibi, templa, & sacrificia, quæ solius sunt Dei veri, vsurpat. Tales igitur nomine tenus, non re sacerdotes sunt, nec talia templa, aut sacrificia vera sunt.

Quarta pars est. *Diuina auctoritate*, quia nemo propria sua auctoritate, & placito se sacerdotem creat. Rursus, nec auctoritate Reipublicæ sit; non enim habent Respublicæ potestatem creandi sacerdotem, sicut habent creandi Regem, Ducem aut Principem: sed diuina auctoritas necessaria est.

Quinta pars. *Determinatis personis concessa*. Non enim hanc auctoritatem communitati vlli Dominus concessit, sed personis tantum particularibus.

Primò quidem fuit in Christo Domino, à quo in Apostolos deriuata est: ab Apostolis vero in Episcopos, in quibus modò de iure diuino residet hæc potestas sacerdotes creandi.

Sexta pars est. *Firmiter*: non enim sacerdos est ad tempus, sicut Duces, Milites, Iudices, &c. sed in perpetuũ, ita vt, dum viuit, priuari sacerdotij potestate nulla ratione possit. Talis igitur est sacerdos, non quidem omnis, sed Euangelicus. fuerunt enim in statu omni sacerdotes veri: nam in lege naturæ nõ defuit sacerdotium, & sacrificiũ, seu oblatio: fuit enim Melchisedech sacerdos Dei altissimi. Similiter in lege scripta fuerunt sacerdotes: nam Aaron sacerdos fuit, & eius filius Eleazar, & reliqui ex tribu Leuitica. His tamen non conueniunt omnes simul conditiones positæ in descriptione, vt paulò inferius dicemus; sed solis sacerdotibus noui testamenti, quibus, ob ipsorum excellentiam, definitionem adaptauimus, in qua omnia causarum genera comprehenduntur; materialis enim est Vir. formalis, Firmiter deputatus; talis enim deputatio, quæ, vt dicemus, per impressionem characteris fit, est velut forma. Auctoritas diuina determinatis personis concessa, est efficiens. Dei veri cultus, est finis. Nomen sacerdotis non alienum à re ipsa est; vt enim auctor est Isidor. libr. 7. etym. cap. 12. & habetur can. Cleros. d. 21. Sacerdos, quasi sacra dans, seu sacrificans dictus est, nomine ab officio, & fine sumpto.

Dictus etiam est, Clericus, vt idem auctor dicit, à κλῆρος Græcè, quod Latinè sors dicitur, & hoc propter duo.

Primò, quia Matthias, primus ab Apostolis sacerdos

creatus,

creatus, sorte electus est, vt habetur, Actor.1.

Secundò, quia in sortem Domini vocatus est.

Dicitur etiã Presbyter, id est, Senior; ob iudicij maturitatẽ, quæ ad id muneris necessaria est, & ob reuerentiam, quæ eis debetur; sacerdos enim Domini magno ab omnibus honore afficiendus est, sicut tempore nascentis Ecclesiæ habitus fuit. Sunt igitur nomina hæc, non naturæ, sed officij, & dignitatis.

In quibus differat Sacerdos Euangelicus ab alijs.

CAPVT II.

SAcerdotes habuit Dominus in omni statu, & tẽpore, tàm naturæ, quàm legis, & gratiæ: tamen sacerdotes gratiæ, siue Euãgelij, perfectiores multò alijs omnibus sunt; quorum perfectio ex his, in quibus ab illis differunt, manifestatur.

Differunt ergo primò, ex parte causæ efficientis. Sacerdotes enim in lege naturæ creabantur potestate humana; vt enim Respublica habebat potestatem creandi, hos Iudices, illos Duces, istos alterius muneris, sic etiam habuit potestatem sacerdotes creandi. Adueniente autem lege, Dominus abstulit hanc potestatem cuidam Populo, quem in suum peculiarem recepit, scilicet Iudæorum, cui ipsemet Deus sacerdotes instituit, præcipiens, vt inter duodecim tribus, ex vna sola, scilicet Leuitica, sacerdotes assumerentur. Sicque in hac tribu residebat ista potestas, quæ diuina erat. Hi sacerdotes adhuc non ex quauis familia huius tribus, sed tantum ex familia Aaron: ex reliquis vero familijs Leuiticis reliqui templi ministri assumebãtur: filij autem sacerdotum eo ipso, quo filij sacerdotum erant, ius ad sacerdotium habebant; nõ tamen vsum, nisi post consecrationem, quæ fiebat per olei aspersionem, non vnctionem; vnctio enim erat Summi sacerdotis. Potestas ergo, seu auctoritas creandi sacerdotes, fuit per modum generationis deriuata ab Aaron, quem creauit sacerdotem Moses auctoritate diuina. At auctoritas creandi Euangelicos sacerdotes, diuina est, non vtcunque, sed deriuata à Christo Domino in Apostolos; & per hos in Episcopos, qui non per generationem, sed per diuinam consecrationẽ, ex quauis familia Christiana, hominem possunt in sacerdotem eligere.

Differũt secundò, ex parte ipsi⁹ institutionis; non.n. in naturæ statu, aut legis p̃ institutionẽ, sacerdos sanctificabatur, nec

nec recipiebat gratiam ex vi ipsius institutionis: at verò Euangelicus sacerdos, gratiam recipit per ipsam institutionem, quæ vnũ est ex septem Sacramẽtis, gratiam ex opere operato conferentibus. Non solum autem gratiam recipit, sed signum quoddam spirituale, quo insignitur interius, character dictũ, quod quidem est & signum, & potestas mirabilis, vt dicemus post, eoque charactere carebant illi sacerdotes.

Differunt tertiò in potestate cõficiendi corpus, & sanguinẽ Christi; possunt enim Euangelici sacerdotes vinum in Christi sanguinem, panem in corpus cõuertere, quam potestatem nullus sacerdos alius habuit; in quo vincit nostrum sacerdotium illud Aaronis, & Melchisedech supra modum.

Differunt quartò in sacrificio, quod offertur. Illi panem, & vinum, aut animalia Deo offerebant: at noster sacerdos Christum Dominum, Dei filium, sub speciebus panis, & vini, æterno patri offert, quo nihil potest esse acceptius, nihil dignius. Quod sacrificium prophetauit Dauid Psal. 49. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendã illi salutare Dei.

Differunt quintò in potestate mirabili absoluendi à peccatis. Nullus alius sacerdos ad hanc ascendit dignitatem, vt scilicet vnum veniale peccatũ possit dimittere: immò Iudæi, hoc, vt soli Deo cõueniens, Christo opponebant, quod peccata dimitteret, & vera dicebant; Christus enim homo erat, & Deus: quia Deus erat, peccata dimittebat; vnde ante eius aduentum, nulli est concessa tanta potestas, donec Deus homo fieret: ac per hoc natura humana ita sublimis remansit, vt potestatem acciperet, quam nullus ante sortitus erat; quod cognoscentes Sacerdotum principes, Iudæ pœnitenti, & peccatum confitenti non dimiserunt, sed dixerunt: Tu videris, quasi se potestate dimittendi peccata carere ostendentes.

Differunt etiam sextò ratione status, illi quippe coniugati erant, vxoresque ducebant etiam post sacerdotium; at Euangelicus sacerdos in statu continentiæ est, qui perfectior est, quàm coniugatorum status. Hoc autem non absque causa rationabilissima factum est.

Primò quidem, ad denotandam sacerdotij huius excellentiam: vt enim longè superat omnia officia, & munera ciuilia, ita debuit ad statum hominum perfectum reduci, qualis est continentium.

Secundò,

Secundò, ad exprimendam puritatem, & munditiam sacrificij in hoc Sacerdotio oblati: vt enim est Angelorum, ac Beatorum cibus, ita per manus puras, & angelicas tractari debuit.

Tertiò, ad ostẽsionem obseruantiæ erga hoc munus; debet enim totus homo vacare officio huic, nec alienis implicari negotijs, quia magna sunt, quæ tractat.

Quartò, ad similitudinem inducendam cum capite. Fuit enim primus Sacerdos Christus Dominus continens. Debuerunt ergo tali Sacerdotio fungentes ipsum imitari. Multæ etiam aliæ sunt causæ, quas libens prætermitto.

De gemina eius Sacerdotis potestate: & de duplici claue.

CAPVT III.

DVplex in Sacerdote est potestas; & potestas ordinis, & potestas iurisdictionis.

Potestas ordinis est, potestas cõficiendi Christi corpus, & conferendi etiam Sacramenta.

Potestas verò iurisdictionis, est potestas excommunicandi, absoluendi ab excommunicatione, dispensandi, conferendi indulgentias, leges ecclesiasticas condendi, &c. Quæ quidem potestas respicit duplex Christi corpus. Est enim corpus Domini verum: est etiam mysticum, quod est fidelium congregatio. Prior potestas ordinatur ad verum Christi corpus: nam est transubstantiandi panem in Christi verum corpus: posterior potestas est, ad corpus mysticum, scilicet in ordinationẽ, regimen, & vtilitatem fidelium.

Est autem differentia inter vtramque potestatem. Ordinis enim potestas in omni est Sacerdote, nec ab eo auferri potest. Tamen iurisdictionis potestas, est tantùm in primo Sacerdote, in alijs autem, prout a summo delegati.

Vnde fit, vt potestas iurisdictionis, sit duplex, & ordinaria, & delegata.

Ordinaria est in eo, cui ex suo officio incumbit: vt, excommunicatio est ordinaria Episcopi, indulgentia, & dispensatio Papæ.

Delegata est, cui non ex officio, sed ex commissione superioris competit; vt, si Pontifex concedat Episcopo potestatem dispensandi in voto, vel alia, quæ sunt illius propria. Plena

enim iurisdictionis potestas est summi Pontificis ordinaria: quamuis etiam Episcopis, Parochis, & alijs multis insit aliqua potestas ordinaria iurisdictionis; vt pòst dicemus. Simplex tamen Sacerdos ordinis potestatem habet ordinariã; iurisdictionis verò delegatã. Et hoc sequitur vnum, quòd cùm, ad absoluendum à peccatis, sit opus aliqua iurisdictione, dici solet potestas absoluendi potestas iurisdictionis: sed reuerà non est sola, sed potestas etiã ordinis; ad cuius exercitium est necessaria iurisdictiõ aliqua, sicut ad calefaciendum, necessaria est approximatio ignis ad passum. Hæc autem potestas ordinis, est qualitas quædam impressa animæ, per quam homo potest conficere Christi corpus, & à peccatis absoluere, quæ dicitur character, qui impressus fuit in ipsa sacramentali Sacerdotis institutione. Quæ quidem potestas spiritualis dicitur, non solùm quia in anima est spirituali, sed etiã quia ad finem spiritualẽ, scilicet salutẽ animarum: atq; etiam quia efficit effectum spiritualẽ; causando gratiam, per remissionẽ peccatorum. Ob idque, Euangelicum Sacerdotium spirituale dicitur simpliciter, quoad effectũ, scilicet, & quoad finẽ. Antiquum verò solũ erat quoad finẽ, quia ordinabatur in bonũ spirituale; tamen illud non efficiebat sicut nostrũ. Hæc est igitur duplex potestas Sacerdotalis. Nec putes, vt aliqui putant, has duas potestates esse duas claues, quas Dominus Petro, & successoribus dedit: potestas enim conficiendi corpus Christi non dicitur clauis.

Sed vna clauis est illa potestatis absoluendi à peccatis, quæ dicitur clauis iurisdictionis, quia ad ipsius exercitium necessaria est iurisdictio.

Altera clauis est potestas interrogandi, & examinandi ipsum de peccatis eius. Ita Magister 4. sent. dist. 13. Habet enim hanc potestatem Confessarius in pœnitentem, sicut habet iudex in reum, ita vt possit obligare respondentem ad manifestandum. Talis dicitur clauis scientiæ. Possumus ergo has claues potestati iudicis ciuilis conferre: hic enim habet potestatem examinandi reum, & etiam ferendi sententiam: sic Sacerdos in confessione examinandi habet potestatem per clauem scientiæ: iudicandi verò per clauem iurisdictionis secundum potestatem absoluẽdi, quæ dicitur potestas ordinis, quia cum charactere datur; & potestas iurisdictionis, quia non exercetur sine iurisdictione.

Dicuntur autẽ claues per metaphoram; vt enim aperitur per claues ianua, vt possit domus ingressus patere, sic per has

pote-

potestates remouentur impedimenta, quæ homini prohibebant ingressum regni cælorum, scilicet peccata ipsa, quibus homo ligatus est.

Quid excommunicatio sit?

CAPVT V.

DE excommunicatione tractant Magister cum Theologis 4.sen.d.22.& Canonistæ lib.5.decretal.tit.de excom. *Est autem excommunicatio ecclesiastica censura, qua homo Christianus bonis fidelium communibus priuatur.* Tria sunt fideliũ communia bona, quibus per Ecclesiæ potestatem Christianus priuari potest.

Primum est, ista exterior conuersatio, quæ in mutuo colloquio,& conuictu consistit.

Secundum est, sacramentorum participatio: omnes enim fideles cõmunem habent vsum & fructum sacramentorum.

Tertium est, orationes, & suffragia Ecclesiæ: nam Ecclesia pro omnibus fidelibus communes fundit preces, & sacrificia offert. Cùm ergo fidelis aliquis inobediẽs est Ecclesiæ, in eius correctionẽ, solet ipsa hanc pœnam infligere, puta eũ ad tempus, donec corrigatur, aliquo horũ, aut omnib. simul priuare bonis, vt sic cõfundatur,& resipiscat. hac ratione 1.Cor.5.Paul' tradidit fornicariũ Sathanæ in interitũ carnis, vt spiritus saluus fieret. Et talis pœna excõmunicatio dicitur, quasi à cõmuni bono separatio. Et attende definitionis partes. Dicitur *cẽsura* quasi pœna quædã, ad correctionẽ data; & est loco generis: nam cẽsura, cõmunis est excõmunicationi, suspensioni, & interdicto, vt habetur c.quærenti.de verb.signif. Dicitur *ecclesiastica*, non.n.est potestatis secularis excõmunicare: sed Ecclesiç, aut cui Ecclesia cõmunicat, & cõmittit. Dicitur, *cõmunibus bonis*; non autem dictum est omnibus, quia non omnis excommunicatio prædictis illis omnibus priuat, vt inferiùs dicetur. Dixi autem, tria esse cõmunia bona, quibus priuari homo potest; sunt enim alia cõmunia bona fidelium, quib. per excommunicationem Christianus nõ priuatur, nempè interiori cõmunione charitatis, & gratiæ, qua efficimur membrum viuũ corporis Christi mystici, à qua solum peccatum mortale nos separat. c.qui natus, & seq.de pœn.dist.2. Excommunicatio verò non priuat, sed supponit dictam communionem, ablatam propter peccatum, cuius ratione ipsa excõmunicatio fertur, Glos. in c.quodcunq; 24.q.1. Abb. in Rubr.de sen. excom. nu.4.

& in c.veritatis,num.44.de dolo, & contum. Hinc est,quòd excommunicatus, si peccatorum suorum pœnitentiam egerit,consequi possit gratiam Dei, & consequenter fructus bonorum operũ,qui iusti inter se participant,iuxta illud Dauid: Particeps ego sum omnium timentium te.probabile est tunc non priuari.ita habet S.Thom.4.d.18.q.2.art.1.q.1.ad 2. Similiter excommunicatus non priuatur bonis particularibus,puta orationibus,quas persona particularis pro alijs fundit; possumus enim orare tanquam personæ particulares pro excommunicatis ad eorum conuersionem. Hostien. in sum.de sen. excom.§.nunquid,n.17.Quin immò,si excommunicatus vere contritus,pro viribus absolutionem procurauerit, etiamsi illam non obtinuerit,non solum his fruitur : sed etiam suffragijs communibus Ecclesiæ , quibus omnes fideles participes sumus,vti affirmant Turr.Crem.in cap.si quis Episcopus 11.q. 3.Ricar.in 4.sent.d.18.Florent.3.par.tit.24.cap.77.arg. tex.in c. dixi.& c.magna.iuncta Glos.de pœnit.dist.1.vbi habetur, sufficere contritionem,quando deest tempus confitendi. Hinc sequitur,quod excommunicatio non est malum culpę aliquod, sed solum pęna inflicta pro culpa:vnde maius malum est vnũ veniale peccatum,quàm ipsa excommunicatio, si sola per se consideretur,quamuis quoad effectus sit maius malum , quia maioribus priuat bonis.Similiter quoad causam , quia maior excommunicatio non infligitur, nisi pro mortali peccato,c. nemo 11.q.3.

De speciebus excommunicationis.

CAPVT V.

EXcommunicatio in duas diuiditur species, in maiorem, & minorem.Maior excommunicatio est,quæ illis tribus bonis in cap.præcedenti notatis priuat. Minor verò,quæ vnò tantum,scilicet participatione sacramentorum : nemo enim potest susceptioni sacramentorum accedere,si sit excõmunicatione minori ligatus.ita habetur,in cap. si celebrat.de cleric.excommunic.ministr. Vnde maior excõmunicatio ita se habet ad minorem,quod eam includit , & adhuc pluribus priuat bonis,eaque de causa absolute dicitur excõmunicatio, & solet verbo Græco exprimi, scilicet Anathema, vt notant Doct.3.q.4.can.Engeltrudam.Homo enim excõmunicatione maiori irretitus,dicitur anathema,quasi seorsum posit⁹, & se-

paratus

paratus à communione fidelium. Aduerte autẽ, quòd licet anathema, quoad vinculum, non differat ab excommunicatione maiori, vt dicit Abb. in cap. cum ab Ecclesiarum, num. 5. de offic. ordin. tamen quoad solemnitatem, cuius forma habetur. 11. q. 3. cap. debent, maxime differt; & inferre tale anathema, Episcoporum tantum est, iuxta Glos. communiter receptam, in cap. cum ab Ecclesiarum, de offic. ordin. & ibi Abb. nu. 5. Vlterius aduerte, anathema fulminari ad maiorem terrorem vulgarium, & difficilius conceditur absolutio; vt notat Abb. vbi supra, & in cap. cum in cunctis. §. inferiora, nu. 5. de elect.

Excommunicatio iterum est duplex, altera à iure, altera ab homine. A iure est, quæ per aliquem canonem, vel statutũ, vel constitutionem fulminatur, qualis est contra percussores Clericorum, contra exhumantes cadauera, & aliæ multæ, de quibus dicendum est postea. Ab homine vero est, quæ per aliquem iudicem fertur, & vtraque, tàm à iure, quàm ab homine duplex est, aut ipso iure, seu facto, aut comminatoria. Illa dicitur ipso facto, seu iure, quæ statim cõtrauenientes ligant, absque vllius sententiæ expectatione. Illa verò comminatoria est, quæ non statim ligat, sed expectatur Iudicis sententia, per quam fulminanda est excommunicatio. Est autem regula habenda, ad dignoscendum, quando sit excommunicatio ipso iure, vel facto; quãdo verò comminatoria. Si enim sit aliquod verbum denotans excommunicationem ipsãm non expectare actum Iudicis, tunc est ipso iure: vt quando est per verbum præteriti, Sit excommunicatus, habeatur pro excommunicato: vel dicitur ipso iure, ipso facto, lata sententia, & similia. Quando verò non est, sed dicitur: Sub pœna excommunicationis, vel, excommunicetur, vel aliquod verbum futuri, tunc est comminatoria. ita habet Glos. cap. si quis ex clericis, de vita, & honestat. Cleric. Abb. in cap. in quibusdam, nu. 6. de pœnit. late Tiraqu. in l. si vnquam, §. reuertatur, cap. de reuocat. don. Et tunc, licet contraueniens peccet mortaliter, non tamen statim est excommunicatus; sed venit excommunicandus per Iudicem: si verò esset ipso iure, absque vllo alio, statim esset excommunicatione ligatus. cap. pastoralis, in fin. de appell. Fely. in cap. Rodulphus, nu. 38. de rescrip.

Inter excommunicationem autem ab homine, & eam, quæ est à iure, multiplex est differentia.

Prima est, Iuris excommunicatio semper est generalis;

non enim ponitur contra determinatam personam, sed determinatè contra facientes, vel non facientes hoc, vel illud. c. vt animarum, §. statuto. de const. lib. 6. Glos. in c. Romana. verbo futuris, de sen. excom. eod. lib. At, quæ est ab homine, aliquando est generalis, aliquando particularis contra determinatam personam. d. c. Romana, §. sed nec in specie, & ibi Glos. de sen. excom. c. à nobis 1. eod. tit.

Secunda est, Posita ab homine cessat, cessante vita Iudicis, vel quando ab officio remouetur, in hunc sensum, quod iam de nouo contrauenientes non ligat, quamuis, qui iam ligati erant, non ob id desinunt esse excommunicati. Abb. in d. c. à nobis circ. fin. & ibi Fely. nu. 8. de sen. excom. At verò excommunicatio iuris, durat etiã mortuo conditore, dum ius ipsum durat. Ista differentia est Panorm. cap. nobis, 1. nu. 12. de sen. excom. communiter recepti.

Tertia differentia est, Ab excommunicatione posita à iure & nemini reseruata, potest ordinarius absoluere: à posita verò ab homine, non sic, vt habetur c. pastoralis, §. præterea de offi. iudi. ordi. de qua re dicemus inferius.

Quarta est, si feratur à canone, vel statuto, pro futuris culpis, ligantur contra facientes intra territorium legislatoris: quamuis tempore legislatæ, seu delicti non essent subditi, respectu originis, vel domicilij. Glos. in c. à nobis. 1. verbo non nisi, vbi Abb. nu 6. & Fely. nu. 1. id affirmant. At sententia hominis comprehendit illos tantum, qui tempore sententiæ, sub Iudicis eam pronunciantis iurisdictione continebantur, & illi subditi erant. & ratio est, quia sententia sumit vires incontinenti, in eum, contra quem fertur. Lex autem, cùm semper loquatur, obligat etiam eos, qui futuris temporibus futuri sunt subditi. Abb. vbi supra, nu. 6. & 7. post Inn. in fin. Silu. ver. excom. 2. nu 10. in fin.

Quinta est, Inducta per statutum Archiepiscopi Metropolitani, ligat, non tantum subditos proprios ipsius Archiepiscopi, ratione diœcesis, quam habet distinctam à suis suffraganeis, sed & eos, qui suffraganeis subditi sunt, & singulos totius Prouinciæ. Excommunicatio verò lata per sententiam Metropolitani, tantum afficit eos, qui sunt diœcesis ipsius Metropolitani, & non suffraganeorum, Glos. in c. Romana. §. porrò. verbo sententiæ, de sent. excom. lib. 6. Doct. in d. c. à nobis, nu. 1. quod tamen limitat Henri. Boic. in d. c. à nobis, nu. 6. respectu statuti editi in concilio prouinciali; alias si fieret sta-

tutum

tutum in synodo, non ligaret. nisi subditos suæ diœcesis. Obseruandum est autem, quando à Iudice fulminatur excommunicatio simpliciter, & non restricta ad minorem, intelligenda est de maiori: vt habetur cap. penul. de sent. excomm. & eadem est ratio de excommunicatione à iure, quoniam maior est simpliciter, & absolutè excommunicatio: minor verò secundum quid. Verba autem absolutè prolata sumuntur in significatione sua simpliciter. l. non aliter. ff. de leg. 3.

De causa efficiente excommunicationis, seu de eo, qui potest excommunicare.

CAPVT VI.

QVatuor genera causarum reperiuntur in excommunicatione, nempe, efficiens, materialis, formalis, finalis, de quarum singulis agendum est, & primum de efficiẽte, nempe de eo, qui excommunicare potest, & duo statuenda sunt, prius est remouere eos, qui non possunt; posterius est explicare eos, qui possunt excommunicare. Quantum ad prius, fœmina non potest excommunicare, vt habetur cap. dilecta, de maiori, & obedient. posset tamen ex commissione Papæ, vt notant Panorm. cap. decernimus, de iudi. & Antoni. 3. par. tit. 25. cap. 75. Rursus laicus non potest excommunicare, nisi ex cõmissione Papæ, vt habetur can. bene quidem, d. 96. adiuncta Glos. Ab. in c. Ecclesiæ sanctæ Mariæ, num. 5. de constit. Addit autem Palu. 4. sen. d 18. q. 2. art. 3. solum Papam posse dispensare cum vtroque, tàm laico, quàm fœmina: idem affirmant Abb. in cap. 2. nu. 5. de iudic. Armil. verbo excommunicatio. Voco laicum, qui nec primam tonsuram habet. Rursus, nec simplex sacerdos, aut clericus potest excõmunicare; quia simplex sacerdos, vel clericus habet potestatem solam ordinis, non autem iurisdictionis, ad quam pertinet excommunicare, vt habet Glos. cap. transmissam, extra de elect. Rursus, nec simplex curatus potest excommunicare, vt habet Palu. 4. d. 18. qu. 2. ar. 1. ob eandem rationem, quia non habet talem iurisdictionem exteriorem: eam tamen potest habere ex consuetudine præscripta, vti affirmant sum. confess. lib. 3. tit. 33. q. 50. circa fin. Abb. in cap. Sacerdos, num. 10. de offi. ordin. & latius in reper. c. si quis contra, nu. 51. de foro comp. & in hoc concordãt quasi omnes doct. vt testatur Henric. Boic. in d. c. si sacerdos,

num. 48.

num.48.vnde Card.Alex in c.nemo.11.q.1. & Boic. vbi ſupra, dicunt,quod ſententiæ excommunicationum, quas ſacerdotes proferunt alicubi diebus dominicis & feſtiuis,in vſurarios turbantes aratra,pro damnis, quorum ignorantur auctores, & cæteræ ſimiles valent,ſi ſcientibus Epiſcopis, & non contradicẽtibus proferãtur.Rurſus,excommunicatus maiori excommunicatione,etiamſi aliàs habeat iuriſdictionem, non poteſt excommunicare:ita habetur.24.q.1.can.audiuimus;ſed hoc Doct. communiter intelligunt de publicè excommunicato.ita habent Innoc.cap.ſi verò,de ſent.excom. & Panorm. cap.ab excommunicato,num.7.de reſcrip.Fely.in cap.ad probandum,nu.7.de re iudic.Henric.Boic.ibidem,nu.4.ex cap. ad probandum,de ſent.& re iudic.vbi habes ſententiam ab excõmunicato latam,nõ valuiſſe;ſi tamen publicus fuit: quamuis non deſint contrarium affirmantes.Eadem eſt ratio de ſuſpẽſo,& interdicto,ſecundum Palu.4.d.18.q.2.art.3. Qui ergo excommunicat,eſſe debet perſona Eccleſiaſtica, habens iuriſdictionem Eccleſiaſticam in foro exteriori, & non impeditam: qui autem excommunicat,cùm tamen non poſſit,peccat grauiter,quia vſurpat ſibi iudicium,cùm non habeat poteſtatem, vt docet S.Tho.2.2.q.60.ar.6.

Ex his ſequitur poſterius,quod propoſuimus, nempe poſſe excommunicare Papam,Concilium generale, Prouinciale,Abbates,Generales ordinum,Prouinciales,Guardianos, & denique habentes iuriſdictionem Eccleſiaſticam, in exteriori foro:tamen cum diſcrimine; Papa enim,& Concilia generalia poſſunt excommunicare,etiam excõmunicatione ab homine per ſententiam,& à iure condendi leges,& canones generales obligantes omnes Chriſtianos:Concilia verò prouincialia,etiã per ſententiã, ſed non per leges,ſed per ſtatuta particularia:Reliqui inferiores per ſententiam, & per ordinationes,etiam particulares,ſicuti etiam iuriſdictio horum limitata eſt. Rurſus,Papa,& Generale concilium nunquam ſuſpenduntur,ſeu impediuntur: ſed inferiores aliquando impediti ſunt per cenſuras,& ſic non poſſunt ſemper excommunicare. Rurſus,Papa,& Concilium Generale poſſunt, in quacunque diœceſi exiſtãt,excommunicare: At Epiſcopus in aliena diœceſi exiſtens, non poteſt,nec ſuos ſubditos excommunicare, quia ibi iuriſdictionem exercere non valet, vt habetur Clem. vni. de for.compe. vbi etiam conceditur Epiſcopo,qui fuerit expulſus à ſua,commorari in locis alterius diœceſis, vici-

niori-

nioribus propriæ, in quibus tutò possit esse, & ibi, petita licentia proprij diœcesani, iurisdictionem in suos exercere, & consequenter poterit excommunicare. Rursus potest Papa, & Cõcilum Generale, quoscumque, cuiuscumque diœcesis excommunicare. Episcopus vero, & reliqui Prælati, non, nisi suos subditos, quamuis aliquando possint non subditos excommunicare, puta, quando ratione delicti commissi in eius territorio, vel ratione contractus ibidem initi, vel ratione rei ibi sitæ ad eius iurisdictionem aliquo modo pertinent; tunc enim, prout ius exegerit, ratione prædictorum, poterit excommunicare, vt habetur cap. 1. de priuileg. in 6. & licet hoc caput sit de priuilegiatis, eadem est ratio de non subditis, vt Doct. notant communiter, cum quibus consentit Ange. ver. excommunicatio. 1. §. 9.

De causa materiali, seu de eo, qui potest excommunicari.

CAPVT VII.

MAterialis verò causa excommunicationis duplex est, remota, & propinqua. Remota est subiectum ipsum, seu persona, quæ excommunicatur. Propinqua est causa in ipso subiecto, propter quam excommunicatur. Remota ergo causa, scilicet, qui potest excommunicari, est homo determinatus, baptizatus, viuus, inferior, subditus. Dicitur primo, Homo, tàm masculus, quàm fœmina; nec enim aues, locustæ, aut reliqua animalia excommunicari possunt; vt enim hæc non communicant nobiscum in bonis illis, de quibus supra dictũ est, ita, nec excommunicari possunt, vt late per Io. de Ligna. in tracta. de censur. eccles. §. 9. in prin. Dicitur, determinatus, quia tota ciuitas, aut collegium simul excommunicari non potest per sententiam, nisi in particulari excommunicandi distinguantur, ita habetur cap. Romana. §. in vniuersitatem, de sen. excom. in 6. Sufficeret autem, si ratione criminis determinarentur, vt qui hoc, vel istud commiserũt, excommunicentur; tunc enim non est periculum, ne excommunicatio cadat super innocentes. Per ius autem potest vniuersalis excommunicatio ferri, sed tunc non ligat, nisi eos, qui postea ipsum ius transgrediuntur. Dicitur, baptizatus, quia, nec Turcæ, nec in-

fideles alij excommunicari possunt, cùm Ecclesiæ membra nõ sint; non enim excommunicatur, nisi qui prius communicabat; immo nec Cathecumenus, quia nondum pertinet ad iurisdictionem Ecclesiæ. Arg. c. veniens de presb. non baptizat. Dicitur inferior, quia nullus se ipsum potest excommunicare, quamuis condat vniuersalem ordinationem. Arg. l. qui iurisdictioni, ff. de iurisd. omn. iudi. vt si Episcopus excommunicet omnes ludentes, si ipse luserit, non incurrit. ita habet S. Thom. 4. dist. 18. q. 2. art. 2. Host. in summ. de sent. excomm. §. quis valeat, & ratio est, quia non habet in se iurisdictionem, nisi denunciauerit illam excommunicationem, vt latam à superiore; tunc enim, si contraueniret, contraheret, sed non à se, sed à superiore esset tunc excommunicatus. Similiter nullus potest superiorem excommunicare. Host. in summ. de excom. §. quis valeat; vnde Papa à nullo excommunicari potest, quia non habet superiorem, vt habetur can. cuncta per mundum. q. 3. Dicitur subditus, id est eius subiectus iurisdictioni; nec enim illi possunt ab Ordinario ipso excommunicari, qui priuilegio Apostolico exempti sunt ab eius iurisdictione, cap. cum capella, & ibi Doct. de priuileg. & cap. porrò, eodem tit. nisi in tribus casibus, cap. præcedenti notatis. Similiter nec alij non subditi, nisi in eisdem casibus. Dicitur viuus, quia mortuus propter nullum peccatum in vita commissum potest excommunicari, licet excommunicatio facta in vita duret post mortem, cap. à nobis. 2. de sent. excomm. Potest quidem excommunicatio à iure contracta in vita declarari post mortem, vt fit in defunctis hæreticis, vt habetur, cap. si quis, de hære. & Glos. in d. cap. à nobis. & Host. num. 12. Potest etiam ab excommunicatione contracta in vita absolui post mortem; tamen excommunicari post mortem non potest, secundùm communem sententiam Theologorum, & Canonistarum. Quicquid dicant Glos. cap. si quis, de hære. & ibi Panorm. & Glos. cap. Iudæi, 2. de Iudæ. Hi igitur sunt, qui excommunicari possunt.

De materiali causa proxima excommunicationis.

CAPVT VIII.

CAusa materialis proxima est peccatum, non quodcũq;, sed mortale; nemo enim contrahit excommunicationem, nisi interueniente mortali peccato; nec fulminari

excom-

excommunicatio debet propter aliquod peccatū, nisi sit mortale, id quod multis canonibus est statutum. 11. q. 3. can. nemo. & canon. nullus cap. 1. de iudi. cap. sacro. de sen. excom. in cuius rei explicationem, attende

Primò. Quando excommunicatio ab homine fulminatur propter aliquod peccatum præteritum, debet esse mortale; propter veniale enim non debet fulminari, vt in prædictis canonibus constat.

Secundò non sufficit peccatum præteritum ad contrahendam excommunicationem, nisi adsit contumacia, nēpe quando admonitus, vt à peccato desistat, id renuit facere: vnde, si homo paratus est corrigi, propter quodcumq; enorme peccatum præteritum excommunicari non debet, idq; can. nemo. allegato probatur. & tradit Pan. cap. reprehensibilis, num. 3. de appellat. cum communi sententia. Dixi, non debet; nam an aliquando possit saltem à Papa aliquis excommunicari, propter aliquod peccatum commissum, in pœnam etiam citra contumaciam, sicut suspendi potest, non est omnino ita certū sicut certum est, iuxta canones id fieri non debere.

Tertiò, quando fulminatur in futurum, quia vel præcipitur aliquid faciendum, vel prohibetur ne fiat, tunc, dummodo iustum sit, quod præcipitur, resque sit grauis, potest excommunicatio ferri in transgressores, quia qui non obedit, iam fit contumax, & inobediens, & mortaliter peccat, & ideo excommunicationem contrahit. Dixi, dum sit res grauis, non enim fulminari debet excommunicatio propter res paruas, & leues.

Aduertendum tamen est, aliquando ferri excommunicationem iusta de causa in communi, quæ in particulari non esset iusta, nec ligaret: tamen, considerata causa in communi, obligat etiam in particulari; vt, si excommunicentur, qui vinearū fructus surripiunt, vel, qui surripuerunt, nisi restituant, iusta causa est in communi, quia mortale est furtum notabilis quantitatis: quòd si vnus paruam quantitatem surripuerit, & quæ per se nō efficeret mortale, tamen ligatur censura, quia consideratur ad excommunicationem solum, quòd multum rapiunt, vel rapuerunt: & talis excommunicatio obligat singulos ad mortale. ita habet Sotus. 4. sent. d. 22. quæst. 1. art. 2.

Quartò, excommunicationes à iure, quæ communiter sunt in futurum latæ, similiter, quæ sunt ab homine, quibus

aliquid

aliquid iustum præcipitur faciendum, aut aliquid malum prohibetur fieri, contrahuntur à transgressoribus propter contumaciam, & transgressionem, quæ est mortale peccatum, non autem quando esset veniale, aut nullum esset peccatum: vnde, quando certum est, non interuenisse mortale peccatum, certum etiam est, non esse eo casu contractam talem excommunicationem, vt rectè adnotat Palud. 4. sentent. d. 18. quæst. 1. art. 2.

Quintò, ex præcedente doctrina sequitur, cùm fertur excommunicatio in eum, qui aliquid alteri clam surripuit, nisi illud restituat, tamen qui surripuit, iustè abstulit ab altero, quia nimirum ei nolebat soluere debitum, nec alia via erat recuperandi, non ligari tali excõmunicatione, etiamsi non reddat, vt notat Couar. alios citans vari. resolu. lib. 1. cap. 2. nu. 15. quia non tenetur in eo casu reddere, nec est vlla contumacia, nec peccauit auferendo. Idem dicit Siluest. in summ. verb. furtum, num. 19. Similiter cum fertur excummunicatio in debitorem, nisi soluat, & ipse non potest, non ligatur; debet tamen soluere, vt potest, saltem in parte, etsi non cùm primum potest, alias ligatur. Similiter, quando fertur excommunicatio in non reuelantes aliquid occultum; qui verò sciunt, iustam causam habent non reuelandi, tunc non ligantur. Iusta causa autem non reuelandi est, quando præcipitur reuelari aliquod peccatum, quod est occulte commissum, & iam est emendatum; aut si non est emendatum, probabiliter speratur emendatio, si correctio fraterna adhibeatur, tunc non est reuelanda ante correctionem, vt habet S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 3. Aut quando aliquis præcipitur testificari in iudicio id, quod non potest probare; secus tamen, si præciperetur denunciare aliquid ad correctionem delinquentis, præcedente iam fraterna correctione. Aut, quando præcipitur, vt occultæ scripturæ producantur, quæ cedunt in graue detrimentum iustitiæ producentis. Si verò non esset iusta causa non reuelandi, tũc ligaret excommunicatio. Abusum autem excommunicationum fulminatarum ad reuelationem pro perditis, aut abstractis rebus reformauit Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. ferri enim debet ab Episcopo, & non aliter, quàm in subsidium aliorum iuris remediorum.

Sextò, ex eadem doctrina sequitur, excommunicationem, tàm à iure, quàm ab homine, non ligare ignorantes, quia vbi ignorantia est probabilis, non est contumacia, sine qua nemo

excom-

excommunicationem contrahit. At quia hæc res difficilis est, & in controuersia multiplici posita, declaranda est. Aduertę igitur, duplicem esse ignorantiam, nempe facti, & iuris. Ignorantia facti est, quando aliquis nescit factum ipsum, quod sub excommunicatione prohibetur, aut præcipitur. Iuris verò est, quando nescit ius, aut sententiam, quibus excommunicatio fulminatur: verbi gratia, percussit quidam clericum, ignorans esse clericum, est ignorantia facti: quidam alius percussit clericum, sciens esse clericum, sed ignorans excommunicationem latam cõtra clerici percussores, est ignorantia iuris. Hoc idem accidit in excommunicatione ab homine; nomine enim iuris, etiam Iudicis sententia comprehenditur. Aduerte rursus hoc factum, quod sub excommunicatione prohibetur, aliquando esse ex se malum, & illicitum, etiamsi tali censura non prohiberetur: vt, etiamsi non prohiberetur sub excõmunicatione percussio clerici, mala esset; vtpote contra Dei præceptum: similiter, quando prohibentur furtum, adulterium, & alia, quæ iure diuino sunt prohibita: aliquando verò, ex se non esse malum, nisi quia sub excommunicatione prohibetur, vt audire leges Monachis malum non est ex se, sed quia sub excommunicatione id est eis prohibitum. Sunt alia multa huius rei exempla.

Aduerte rursus, ignorantiam iuris, aliquam esse iuris communis, nempe quando ignoratur canon à Pontifice, vel Concilio Generali statutus; aliquam verò esse iuris particularis, quale est, quòd Ordinarij in suis diœcesibus condunt, vel Iudices particulares edunt. Demum, tàm vna, quàm altera ignorantia, aut est probabilis, quam alij inuincibilem appellant; quando nempe aliquis ignorat, aut quæ scire non tenetur, aut si tenetur, ea scire non potuit, nec per ipsum stetit, quo minus sciret: aut est ignorantia crassa, supina, licet improbabilis, quando aliquis ignorat, quæ scire debuit, & potuit. His sic stabilitis, in primis dico, ignorantiam facti cuiuscumque, siue liciti, siue illiciti, quando probabilis est, excusare ab excommunicatione contrahenda; crassam verò secus. In hoc conueniũt Doctores, & constat ex capit. si vero, de senten. excomm. Vnde, qui probabiliter ignorabat, quendam esse Clericum, at percussit, non contraxit excommunicationem, licet peccauerit contra præceptum Decalogi: si verò ignorantia fuit crassa, peccauit, & est excommunicatus. Præterea, ignorantia iuris, siue communis, siue particularis crassa, & supina, non excu-

sat ab excommunicatione contrahenda, in quo etiam Doctores sunt concordes. Rursus ignorantia iuris particularis probabilis, seu inuincibilis, excusat ab excommunicatione, quando factum erat aliàs licitum, & hoc est sine contcouersia: nam habetur cap. vt animarum, de constitu. Item eadem ignorantia probabilis iuris particularis excusat ab excommunicatione, etiamsi factum sit aliàs illicitum. In hoc non omnes conueniunt; tamen id affirmant Anchar. eodem capit. vt animarum, num. 6: & Adria, quæstione 3. de claui excep. 3. estque magis ad mentem præallegati capitis, quod generaliter procedit de ignorantia probabili iuris particularis, non distinguendo, an factum sit illicitum, vel aliàs licitum. Postremò, ignorantia iuris, etiam communis, etiam quando factum aliàs erat illicitum, excusat ab excommunicatione. In hoc maior est controuersia, præsertim, quando factum erat aliàs illicitum: tamen tamquam probabilius id tenemus, quoad forum conscientiæ, cum Antoni. 3. parte, titulo vigesimo quinto, capitulo trigesimo tertio, Ange. verbo excommunicatio, 7. casu vlt. Siluestro verbo ignorantia. §. 16. & Soto. 4. sen. d. 22. q. 1. ar. 2. cum alijs multis, ratioque id persuadet: nam non dicitur contumax contra canonem Ecclesiæ, qui probabiliter illum ignorat, etiamsi faciat id, quòd aliàs erat prohibitum; qui enim probabiliter ignoraret canonem ferentem excommunicationem contra percussorem clerici, etiamsi sciret malum esse percutere clericum, vtpote lege Dei prohibitum, peccaret quidem contra Deum, non tamen contra canonem Ecclesiæ, quem probabiliter ignoraret, nec esset cõtumax contra eam; idcirco nec contraheret excommunicationem latam ab Ecclesia, quæ non excommunicat, nisi suos contumaces, & inobedientes. Hæc de ignorantia.

Denique, pro complemento huius capitis, duo sunt adnotanda.

Vnum est, quando excommunicatio, siue à iure, siue ab homine fertur contra aliquid facientes, non comprehendi mandantes, consulentes, fauorem, vel auxilium præstantes, sed solos facientes, nisi tenore verborum id exprimatur, aut alijs iuribus id habeatur declaratum. Vnde excommunicatio Clem. 1. de consang. & affi. lata contra contrahentes, non extenditur ad consulentes, aut mandantes, aut auxilium ferentes; nec lata Clem. 1. de sepult. contra sepelientes excommunicatum, cõprehendit consulentes, aut iuuantes. Idem de alijs huiusmodi

ceuſen-

censendum est. Ista doctrina est communis, vt testatur Iul. Clar.prax.crim.q.86.§.2.& eam sequitur Caie.ver. excommunicatio.in prin.cum alijs multis:quãuis non desint,qui,quantum ad mandantes,aliter sentiant.Dictum autem est, nisi tenore verborum id sit expressum, quia sæpè excommunicatio fertur contra faciantes,& mandantes,& consulentes, aut auxilium præstantes. Dixi, nisi alijs iuribus sit determinatum, aut interpretatum:nam excommunicatio lata contra percussores clericorum,alijs iuribus extenditur ad mandantes,& ratum habentes,quod etiam in alijs excommunicationibus fit, vt suis in locis ostendetur.

Alterum est,quando excõmunicatio fertur contra aliquid facientes,mandantes,consiliũ,aut auxilium dantes,non contrahi ab vllo horum,nisi effectus sequatur:vnde, qui mandat percutere clericum,qui consilium dat,& qui tentat percutere, nõ sunt excommunicati,nisi ipsa percussio fiat. ita dicit Glos. cap.in audientiam.§.iniuriarum,de sen.excomm. & Couar.in Rubri.de homi.2.p.relect.nu 5. dicit esse communem sententiam,quod intellige, nisi iuris,aut sententiæ dispositio æquè principaliter de illis procedat; vnde,qui mandat occidere per per assassinum,statim est excommunicatus, etiamsi non sequatur effectus, cap.2.de homi.in 6. quia principaliter ista actio prohibetur.Ob eandem causam Religiosi, qui concionantur animo retrahendi auditores à solutione decimarum, excommunicati sunt,quamuis non sequatur effectus. Clem.cupiens.de pœnis.§.1.

De formali causa excommunicationis.

CAPVT IX.

NOn sunt determinata verba,nec in iure, nec in sententia hominis, sub quibus excommunicatio ferenda sit: sed satis est verbum exprimens ipsam excommunicationem,vt sit anathema;Excommunicetur, à cõmunione separetur,vt similia verba.Vt ait Host.in sum.de sen.excomm.§. qualiter.in prin.& hæc,aut comminatoria, aut latæ sententiæ excommunicationis expressiua sunt,vt diximus superius. Aliquæ tamen circũstantiæ,quæ ad formã quodammodo reduci possunt,obseruandæ sunt in excommunicatione ferenda; non quidã in ea,quæ est à iure,nec in ea, quæ est ab homine lata in

peccatum futurum, sed in ea tantum, quæ fertur in præteritum cum contumacia. Est igitur prima circumstantia obseruanda, vt præcedat trina admonitio, qua excommunicandus admoneatur prius ter, an velit parere. Sint autem admonitiones hæ cum competentibus interuallis. ita habetur. cap. constitutionem. de sen. excom. in 6. Qui verò aliter excommunicationis sententiam fert, per mensem interdicitur ab ingressu ecclesiæ, iuxta cap. sacro. de sen. excom. Sufficiet autem vna admonitio pro tribus, datis tribus interuallis, nisi facti necessitas aliter suaserit ista interualla moderanda, iuxta cap. constitutionem, præallegatũ. Esset autem facti necessitas, vt Glos. eiusdem cap. notat, cum partes essent ad rixam, & ad arma paratæ, nec curarent admonitionem Episcopi, vel quid aliud simile. vbi eadem Glos. interualla singula, quando non est talis necessitas, dicit esse duorum dierum. Quando autem vna admonitio fit, debent dari sex dies, exprimendo, vt primi duo sint pro prima, secundi pro secunda, tertij pro tertia admonitione. Hinc sequitur, quando excommunicatio ita fertur in aliquem, vt omnes participantes cum ipso eandem contrahant excommunicationem maiorem, debeant prius admoneri nominatim participantes; aliàs non valebit prædicta excommunicatio in ipsos. ita habetur cap. statuimus, de sent. excom. in 6. Aduerte autem, ipsam monitionem fieri posse etiam absque scriptura; vt notat Abb. in cap. sacro. num. 3. de sen. excom. Notandus tamen est quidam casus in quo licet excommunicare aliquem absque vlla admonitione præmissa, quem adnotat Abbas antiqu. cap. reprehensibilis, de appellat. vbi dicit, quando aliquis est excommunicatus propter aliquod delictum à iure, tunc posse sine admonitione, propter idem delictum excommunicari ab homine; refertque se excusasse quendam Abbatem, qui suum subditum excommunicauerat absque admonitione, quia sine licentia claustro exiuerat: excusauit autem, quia repertum fuit statutum in monasterio, vt, qui sine licentia exiret, esset excommunicatus. Panorm. eod. c. num. 5. refert Abbatem in hac sententia, & probat affirmans, quando aliquis est excommunicatus à iure, posse à superiori pro eodem delicto iterum excommunicari, etiam delicto non iterato, & sine contumacia de nouo cõtracta, tuncq; non esse necessariam admonitionem. Quæ doctrina videtur esse eiusdem, capit. reprehensibilis. secundum intellectum legitimum.

Altera

Altera circumstantia est, vt excommunicatio feratur, non solo verbo Iudicis, sed in scriptis, in quibus etiam exprimatur causa excommunicationis, & qui aliter excommunicat, vltra graue peccatum, contrahit suspensionem per mensem ab ingressu ecclesiæ, & participatione diuinorum officiorum; ita vt exercens actum aliquem ordinis intra talem mensem, fiat irregularis à solo Papa dispensabilis. Hæc habentur cap. cum medicinalis, de sent. excom. in 6. Ista verò suspensionis pœna, sicut & præcedentis circumstantiæ, non ligat Episcopos, nec superiores prælatos, quia non fit expressa mentio eorum, vt fieri debet, ad contrahendam ab eis ipso facto iuris suspensionem, iuxta cap. quia periculosum, de sent. excom. in 6. ligat tamen Prælatos religiosorum, nisi quando vel esset periculum in mora, si in scriptis daretur, vel aliud statueretur in suis constitutionibus, seu statutis. ita habet Ange. excom. 2. §. 3. immo, quãdo esset periculum in mora, eadem ratio esset in alijs prælatis omnib⁹, vt habet Glos. c. cum medicinalis, de sent. excom. in 6. ver. temerarius. Lapus alleg. 73. num. 4. Fely. in cap. sacro. num. 4. de sent. excomm. Sed aduerte ad ea, quæ dixi de prælatis regularibus, quod Lapus dicta alleg. 73. & Fely. in capit. sacro. num. 7. simpliciter tenent, non ligari pœnis in d. can. contentis: nam in istis prælatis non seruatur iuris ordo, sicut in sæcularibus; durum enim esset, vt ipsi dicunt, & incommodum prælato regulari, qui sæpe in die, modo pro ista re, modo pro illa habet increpare, monere, & præcipere suis subditis claustralibus, habere pennam, & folium, & ante scribere, quàm sub pœna excommunicationis mandare.

Tertia circumstantia est, intentio excommunicantis; si enim proferatur excommunicatio exterius, tamen Iudex non intendit excommunicare, sed terrere tantum, non cõtrahitur à contraueniente. ita habet Panorm. cap. ex parte, nu. 6. de offic. ordina. immo est necessaria intentio partis, quando ad eius instantiam excommunicatio fertur; vt, si quis petit sententiam excommunicationis ferri in eos, qui sibi ablata non restituunt, & tamen non intendit filios, si forte abstulerunt, excommunicari, quamuis excommunicatio generalis sit, non tamen ligantur, nisi iuxta partis intentionem. ita habetur Ange. excomm. 3. §. 16. quia officium Iudicis requisitum non excedit intentionem requirentis. Hinc consequitur, quando excommunicatio fertur ad instantiam partis contra non sol-

uentem intra certum terminum, si pars velit illum non incurrere excommunicationem, non incurri, etiamsi ille non soluat in præscripto termino; at postquam contracta est, non poterit pars tollere. An tamen possit pars prorogare terminum, nempe, vt, si lata sit excommunicatio, nisi intra mensem soluat, facere possit, vt ad duos menses prorogetur, post quos excommunicatio contrahatur, si non soluerit, controuersia est inter Doctores. Innocen. cap. præterea, 2. de appella. citat duas sententias, affirmatiuam, & negatiuam, & adhæret negatiuæ, nempe, vt nequeat pars id facere absque consensu Iudicis: Panorm. verò ibidem, num. 4. citans Innocentium, tenet constanter affirmatiuam, & ibidem Dec. & talis opinio probabilis est, & teneri potest. Hoc tamen in loco vnum adnotandum est, quod stylus curiæ habet circa pensiones, nempe excommunicationem contra pensionarium non soluentem pensionem statuto tempore, latam in fauorem eius, cui soluitur pensio tali tempore elapso, non censeri incursam, nisi ille, cui debetur, declaret se velle illam esse incursam: & si decedat ante declarationem, vel soluatur pensio, vel fiat cõcordia, seu pensionarius moriatur, non censetur incursa. ita habet Cassiod. decis. 2. nu. 3. & 4. de locat. quia pœna sic videtur apposita, in gratiam eius, cui soluenda est pensio, vt, ipso tacente, non sit is, qui non soluit, excommunicatus, nec aliam pœnam incurrat.

Quarta circumstantia est expressio causæ rationabilis, & manifestæ: nec sufficit, quod sit nota ipsi soli excommunicãti, cap. si tantum, & cap placuit, 6. q. 2. Abb. in cap. sacro. nu. 4. & ibi Fely. num. 1. de sent. excomm, per illum tex. nam, vt dicit Glos. in d. cap. si tantum. ver. iubeatur. Prælatus ex cuasa sibi soli nota potest tantum monere criminosum: vt se abstineat à participatione sacramentorum, per cap. non prohibeat de consecrat. d. 2. non tamen potest excommunicare; si tamen fertur sententia absque causæ expressione, tenet, vti affirmat Host. in cap. per tuas, num. 3. ver. quod si dicatur, de sent. excom. Hæ sunt circunstantiæ, quæ ad formam excommunicationis quodammodo pertinent.

De qui-

De quibusdam qualitatibus excommunicationis, & de causa finali eiusdem.

CAPVT X.

EX his, quæ dicta sunt in cap. præcedenti, facile est, quosdam excommunicationis modos, seu qualitates cognoscere; est enim excõmunicatio, iusta, iniusta, valida, nulla. Iusta est, quæ omnibus vestitur circumstantijs, & causis, quę necessariæ sunt, vt prædictum est. Iniusta fit ex defectu alicuius, quod si essentiale est, facit, vt nulla sit excommunicatio, quę quidem in foro tàm poli, quàm fori non est timenda, nec tenet, vt dicunt Host. in sum. de cleri. excom. minist. ver qualiter excusetur, & Glos. in cap. sententia, 11. qu. 3. & Henric. Boic. in cap. dilectis, nu. 13: de appell. facit tex. in §. cùm ergo, 11. qu. 3. vbi iniqua sententia, nec apud Deum, nec apud Ecclesiam, quemquum grauat. Aduerte autem, excommunicatum nulliter, si ad probandum nullitatem admittitur, donec constet de ea, preter articulũ nullitatis, nõ audiri in iudicio, cap. per tuas, §. nos igitur; iuncta Glos. ver. in alijs. de sent. excom. vbi habetur huiusmodi excommunicatum in alijs negotijs, vel factis iudicialibus non audiri tamquam actorem, licet extra iudiciũ non cuitetur. idem habet in cap. solet, circa fin. de sent. excom. lib. 6. Si verò defectus non sit essentialis, excommunicatio iniusta est, valida tamen. Vt autem hoc planum fiat, aduertendũ est, tripliciter excommunicationem posse dici iniustam. Vno modo ex parte ipsius excommunicationis.

Altero ex parte excommunicantis.

Tertiò ex parte ipsius excommunicati. & adhuc omnibus his modis dupliciter; aut ex defectu alicuius essentialiter requisiti, & tunc est nulla excommunicatio; aut alicuius requisiti, sed non essentialiter, & tunc est iniusta, sed valida. Ex parte ergo excommunicationis accidit primò, cùm deficit trina monitio, si est ab homine, & tunc est iniusta, sed valida. ita habet Glos. cap. sacro. de sen. excom. ver. probari. Abbas ibi nu. q. & Fely. num. 2. Glos. in c. Romana. ver. iniustas. eod. tit. lib. 6. Si verò desit prorsus admonitio, ita vt nulla præcedat, est iniusta & nulla, excepto illo casu, quem præcedenti capite adnotauimus. ita habet Sotus. 4. d. 22. q. 1. ar. 2. conc. 4. licet Innoc. c. illud. de cleri. excom. ministr, videatur dicere validam esse, tamen ratio in cõtrarium est, quia excommunicatio nõ est pro

peccato præterito, nisi adsit contumacia: hæc autem non est, nisi admonitio præcedat, iuxta illud Matthęi. Si te non audierit, sit tibi sicut Ethnicus. Hoc autem certum est inter omnes, quando excommunicatio fertur de participantibus, & non præcessit admonitio legitima facta participantibus, tunc iniustam esse, & nullam, per cap. statuimus. de sen. excomm. in 6. Attende tamen, nonnullos Doctores intelligere illud c. statuimus. quando Iudex excommunicat participantes cum excommunicatis à se, & non ab alio, vel à iure: his enim casibus dicunt esse iniustam, & non nullam. sed hanc Doctorum sententiam censet dubiam Couar. in c. alma mater, prior. part. relect. §. 3. num. 5. Hæc autem admonitio regulariter debet esse personalis, nec sufficeret ad domum. Rota in antiquis decis. 338. Felyn. in c. sacro. num. 2. de sen. excomm. quod tamen limita.

Primò, si, qui admonendus est, dolo latitet, & subterfugiat. secundò, si legitime iam citatus semel ad causam personali citatione. tertiò si citatio facta domi, peruenit ad notitiam illius. quartò, si fuerit male absolutus, & agatur de illo reducendo in pristinam excommunicationem, vt dicunt Fely. in d. c. sacro. & in. c. cum sit Romana. nu. 14. de app. & Rot. in nou. decis. 399.

Secundò dicitur nulla, si errorem cõtineat intolerabilem, iuxtà cap. solet. & cap. venerabilibus. de sen. excom. in 6. §. penul. Tunc autem dicitur sententia errorem continere intollerabilem, quando aliquis excommunicatur, quia facit, quod in se bonum est, vel non facit, quod ex suo actu illicitum est; ita prædictum caput definit. Addit etiam Glos. cap. per tuas. de sen. excom. quando præcipitur aliquid impossibile. Addit etiã Glos. cap. sacro. eod. tit. quando est pro leui re; vt, quia Pardus currit. item, quando Prælatus interdicit subditis, ne exponant suis superioribus statum Ecclesiarum suarum. c. quia plerique de offic. ordin. libr. 6. His & alijs causis notatis per Abb. & alios Doct. in c. per tuas. de sen. excomm, lata excommunicatio dicitur errorem cõtinere intollerabilem, & iniusta, ac nulla est. Aduerte autem, errorem intolerabilem in duplici esse differentia; primus enim est iuris, secundus est facti. Error iuris intolerabilis tunc dicitur, quando in sententia reperitur expressus talis error, seu causa, propter quam excommunicatio dicitur continere errorem intolerabilem; vt dicunt Host. in c. per tuas. num. 3. de sen. excom. late Gabriel in tract.

commu.

com.opin.tit.de sent.concluſ.7.exempla ſunt, quæ dixi. Facti autem error intolerabilis tunc dicitur, quando notorie conſtat de iniuſtitia excommunicationis, puta, quia puer adulterium fecit, quod improbabile eſt; vel ſuperior, referendo ſe ad acta, aliquem excommunicat, quia furtum fecit : ex actis autem conſtat de falſitate cauſæ. Vide Hoſt. in cap. per tuas. de ſen.excom. latè Gabriel. vbi ſuprà concluſ.10. Cæterùm, ſi in ſententia non exprimitur iuris error, & notorie non conſtat de falſitate facti, non dicitur continere errorem intolerabilem, ſed eſt valida, licet iniqua. Hoſt. vbi ſupra. S. Anto. in tract. de excom. c.73.num.9. & faciunt allegata per Gabriel. in citata concluſ.7.

Tertiò, ſi excommunicatio non fertur in ſcriptis, & cum cauſæ expreſſione, iuxta cap. cum medicinalis de ſent. excom. in 6. eſt quidem iniuſta, ſed valida, vt ibi Gloſſ. & Doctores, & ex ipſo cap. probatur.

Ex parte autem excommunicantis iniuſtitia accidit.

Primò, ſi mala intentione, & odio excommunicet, tunc eſt iniuſta, ſed valida. iuxta Gloſſ. cap. ſacro. de ſent. excom. & habet omnes effectus iuſtæ excommunicationis, ſecundùm Caiet. in opuſc. q.13.tom.2. hoc enim peccatum potius eſt contra charitatem, quàm contra iuſtitiam, & dicēda eſt talis excommunicatio, malè potius, quàm iniuſtè facta.

Secundò, ſi erat publicè ſuſpenſus, aut excommunicatus, iniuſta eſt, & nulla. can. audiuimus. 24.q.1. Hoſt. in ſum. de cleri. excom. miniſtr. §. qualiter excuſetur. Si verò non publicus, valida eſt per ea, quæ diximus cap.13.

Tertiò, ſi nullam habuit iuriſdictionem, quia excommunicauit eos, qui ipſius iuriſdictionis non ſunt, vel aliquo priuilegio ſunt exempti, iuxta cap. quanto. de priuileg. tunc iniuſta eſt, & nulla. per. c. nullus. de paroch. vel ſi ſit delegatus, & contra intentionem delegatis excommunicat, cap. fin. de præb.

Ex parte verò excommunicati. Primò, cùm in tempore à iure requiſito appellauit, & adhuc excommunicatio contra eum fertur, tunc eſt nulla, iuxta cap. ad præſentiam. de appell.

Secundò, cum vere non peccauit mortaliter, tamen conuincitur per teſtes contumaciæ, & peccati, tunc nulla eſt in foro interiori, tamen valida in exteriori, & obſeruanda, donec veritas nota fiat, iuxta Gloſſ. cap. per tuas. de ſent. excom. ver. intolerabilem. in fin. Alioquin ex iniuſta, fieret ratione con-

temptus iusta, etiam quoad Deum, vt habet Gloss. prædicta. & tenet Abb. ibi. num. 4. Host. in sum. de sen. excom. §. quis sit effectus, col. 2. & ibi Apostil. in litera C. arg. text. in d. c. per tuas, & c. illud in fin. 24. q. 3. Quod tamen limita eo in casu, quando sic excommunicatus celebrat absque scandalo, præsertim in occulto, quia tunc in animæ iudicio non peccat, nec pœnas Canonicis afficitur, vt dicit Caiet. 22. q. 70. art. 4. Couuar. in c. alma mater. prior. part. relect. §. 7. num. 7.

Aduerte autem, sententiam excommunicationis iniustam nullam, nec quoad Deum, nec quoad Ecclesiam ligare, quamuis, de nullitate constet, in publico sit seruanda. Quæ vero iniusta est, sed valida, excepta ea, quæ iniusta est ex solo animo excommunicantis (hæc enim, vti dicimus, omnes effectus habet iustæ excommunicationis) apud Ecclesiam ligat, sed non apud Deum, quod est dicere non priuat communibus, & generalibus suffragijs Ecclesiæ, quibus priuat iusta, quoniam nō censetur Ecclesia quemquam velle iniustè tanta læsione afficere, cap. illud. 11. q. 3. sed priuat communione fidelium, participatione, & perceptione sacramentorum, ac diuinorum officiorum auditione, secundùm Host. in sum. de sen. excomm. § quis sit effectus. Henric. Boic. in c. dilectis, nu. 13. de app. D. Th. 4. d. 18. q. 2. in art. 1. ad 4. & sic intellige illud Gregorij in c. 1. 11. q. 3. vbi habetur sententiam, siue iustam, siue iniustam esse timēdam. Aduerte rursus, si huiusmodi iniustè excommunicatus ante obtentam absolutionem aliquid ex ijs, quæ excommunicatis prohibentur, fecerit, pœnis Canonicis afficitur, etiam in foro animæ. secundùm communem sententiam, teste Conuar. in c. alma mater. prior. par. relect. §. 7. ver. quarta, & ver. his equidem. quia apud Ecclesiam censetur excommunicatus, quod intellige, etiamsi occultè faciat; illo excepto, de quo paulò superiùs dixi, qui falsis testibus conuictus est de mortali, quod verè non commisit: hic enim quo ad Ecclesiam non ligatur, sed in occulto; in publico tamen, quia censetur iustè excommunicatus, debet se abstinere, & grauiter delinquit, si aliter faciat, donec de veritate constet. Modos autem iniustæ excommunicationis latè ponit Palu. 4. d. 18. q. 1. art. 4.

De causa finali excommunicationis nulla est controuersia: cum enim excommunicatio, iuxta cap. medicinalis, de sent. excom. in 6. medicinalis sit, non mortalis, disciplinans, non eradicans, finis ipsius est bonum, & vtilitas hominis, vt resipiscat, & ad bonum se conuertat, vel vt à malo perpetrando

retra-

retrahatur: hinc est, quoe citatio non fit, vt in alijs sententijs, ad audiendam sententiam, sed vt se corrigat. Abbas in c. sacro. num. 2. de sen. excom.

De quibusdam communiter vocatis effectibus maioris excommunicationis.

CAPVT XI.

POst causas excommunicationi, propositas, consequenter de ipsius effectibus tractandum est: horum primus est priuare communibus suffrugijs Ecclesiæ, ita vt nec missas, nec publicas orationes Ecclesiæ pro eo fundere, aut celebrare liceat ita communiter Doctores dicunt. Ad hoc, nō tam effectus, quam natura, & substantia ipsius excōmunicationis est; vt enim non dicimus priuare visu esse effectum cæcitatis, sed naturam ipsius, sic natura excommnicationis est, his suffragijs cōmunibus priuare. Quod quidem sic est intelligendū, vt non liceat orationes, quæ nomine Ecclesiæ fiunt, pro ipsis applicare; tamen, quando quis orat, vt persona particularis, potest orare pro excōmunicato, & orationes quascunq; fundere, vt habet S. Tho. 4. d 18. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1 ad 2. immò in memento Missæ, potest quis, vt persona particularis, orare pro excōmunicato, nō tamen ipsum sacrificium pro ipso applicando. ita habet Siluest excom. 1. §. 2. Omnibus ergo suffragijs, quæ nomine Ecclesiæ fundūtur, quatenus nomine Ecclesiæ funduntur, priuatus est. Quando aūt persona particularis orat, non debet orare pro eo, tanquam pro membro Ecclesiæ, cum non sit.

Alter communiter vocatus effectus, est priuare susceptione sacramentorū, tàm actiua, quàm passiua, ita vt, nec sacramenta ministrare, nec ea suscipere absq; peccato mortali possit. ita Doct. colligunt ex can Engeltrudam. 3. q. 4. vbi excommunicatus dicitur esse resciissus a corpore Ecclesiæ. Hic etiam non effectus, sed ipsa natura excommunicationis mihi videtur, sicut & præcedens; non enim intelligi potest, quæ alia sit natura excommunicationis, quàm horum priuatio bonorū communium.

Tertius effectus est, priuare externis quibusdam bonis communibus, quæ hoc versiculo vulgari exprimi solet. *Os, orare, vale, communio, mensa negatur.* Per, *os*, intelliguntur collocutiones, siue per verba, siue per signa, siue per literas. Per,

orare,

orare, intelliguntur conuentus in sacro audiendo, orando, recitando horas, cantando in choro, diuinis officijs adesse; non enim licet cum excommunicato conuenire in talibus; similiter, nec eis conferre sacramenta, nec ab ipsis recipere. Per, vale salutationes, donaria, honoris exhibitiones, aperiendo caput, & similia. Per communionem, significantur humani, & ciuiles contractus. Hoc autem est intelligendum, quantum ad peccatum; excommunicatus enim cum alijs contrahendo peccat. cap. illud. §. illud. vbi Gloss. & Doct. de cler. excom. ministr. Abb. in cap. si vere. num. 37. de sen. excom. Cæterùm quoad illorum validitatem, si contrahit tanquam priuata persona quamuis secundùm Host. in d. c. si vere. & in cap. veritatis de dol. & contum. quem multi sequuntur, contractus in eius fauorem non valeant, sed in fauorem tantum cum illo contrahentium: tamen etiam in ipsius excommunicati fauorem, contractus esse validos, nulla etiam habita distinctione publicæ, vel occultæ excommunicationis, tenet Inn. in c. veritatis, nu. 1. de dol. & contum. & ibi Abb. num. 35. qui respondet ad rationes Host. & Gem. in c. decernimus. in fin. de sen. excomm. li. 6. Idem tenet Sum. Confess. lib. 3. tit. 33. q. 133. cir. fin. Siluest. ver. excom. 3. in fin. & hanc sententiam consuetudo amplectitur, teste Henric. Boic. in d. c. veritatis, num. 18. Aduerte rursus, quòd licèt contractus etiam in fauorem excommunicati sint validi, ipse tamen agere in iudicio non poterit, excommunicatione durante. ita tradunt Inn. Abb. & Henric. Boic. vbi supra. Ancar. in c. pia. §. si quis, num. 2. ver. aut facit de except. l. 6. & probatur ex cap. intelleximus. de iudi. vbi habetur, excommunicatum per alium conueniri posse; at non conuenire alium. Aduerte vlterius, quòd licèt contractus celebrati per excommunicatum nomine proprio, vt dixi, sint validi, secus tamen est, si excommunicatus esset beneficiatus, & contraheret super bonis Ecclesiæ, quia tunc actus non valeret, cap. veritatis, in fin. de dol. & contum. ita habet Deci. qui alios citat in cap. pastoralis. §. verum, colum. 3. de appellat. expresse dicès, quod gesta per excommunicatum de bonis Ecclesiæ non valent, & hoc est verum, si sit publicus excommunicatus; sicut, si sit occultus; quia tunc valent secundum Abb. in d. cap. veritatis, num. 33. Silu. verb. excomm. 3. q. 15. num. 5. Per, Mensam, intelligitur, simul in vna mensa cõuesci, in vno lecto dormire, quamquam, in eadem domo manere licere, vt dicit Innocent. cap. nuper. de sent. excom. & Anton. 3. part. tit. 24. cap. 2. eo ta-

men

men modo, quo solent multi in eadem domo habitare, non vt simul conuenientes, sed veluti si domus essent distinctæ: sicque secundum eundem Innocen. liceret eodem in cubiculo esse, & habitare. In his omnibus non licet communicare cum excommunicatis; ita vt, qui communicat cum eis in aliquo prædictorum, minorem contrahat excommunicationem, iuxta cap. nuper. de sent. excom. & peccet mortaliter quidem, si communicat in diuinis: immò, si clericus communicaret cum excommunicato à Papa in diuinis, sponte, & scienter Papalem contraheret excommunicationem, iuxta cap. significauit. de sent. excomm. In cæteris vero venialiter, nisi in contemptum Ecclesiæ id fiat. ita habet S. Thom. 4. sen. d. 18. ar. 4. quæstiunc. 3. & Inno. & Ioan. Andre. cap. sacris. de his, quæ vi. met. cau. fi. quod caput de participatione in diuinis procedit. Ang. excomm. 8. §. 4. dicit, hoc intelligendum esse, nisi esset excommunicatio de participantibus; tunc enim participantes quocumque modo mortaliter peccarent, & excommunicationem maiorem contraherent. cap. nuper. & cap. si concubinæ, de sent. excom.

Non tamen ista communio est tam generaliter prohibita, quin sint casus, in quibus liceat modo aliquo communicare, qui versiculo vulgari continentur. *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse*, cuius versiculi meminit S. Thom. 4. d. 18. art. 4. quæstiunc. 1. vbi hos casus declarat. Per, vtile, intelliguntur, verba ad salutem spiritualem excommunicati pertinentia: licèt enim hortari, vt sibi consulat. Per, legem, matrimonium significatur: nam licet vxori colloqui, conuescì, reddere debitum, &c. Per, humile, intellige officium seruorum familiarium, & filiorum, quod non denegandum est excommunicato. Similiter, ignorantia, qua ignoratur excommunicatio ab alijs, excusat eos à peccato in communione; a quo quidem non excusaret, si à fide digno audirent, illum esse excommunicatum, vt dicit Maior. in 4. d. 18. q. 2. arg. cap. illud de cleric. excomm. ministr. & cap. inquisitioni, de sent. excom. Per, necesse, intellige, quando occurrit necessitas grauis, vel consilij, vel refugij, vel eleemosynæ, vel petendo, vel dando. Extra hos casus non est cum excommunicato communicandum: atque hic est tertius effectus cõmuniter assignatus excõmunicatis; sed mihi eadẽ ratio videtur huius, & aliorum duorum; vt natura excõmunicationis cõsistat in hac priuatione, & non tam ad effectum, quam ad eius substantiam istę tres priuationes pertineant.

Aduer-

Aduertendum tamen, casus hoc versiculo exceptos nō pertinere ad communicationē in diuinis; in his enim, nec vxori, nec seruis licet cōmunicare, nisi quando ignorantia esset: liceret tamen aliquo casu in diuinis cōmunicare, nempè, quando immineret mortis periculum non cōmunicāti cum excōmunicato. ita limitat D. Nauar. c. 27. summ. nu. 36. & Sotus 4 dist. 22. quæstione 1. art. 4. vt, si excommunicatus, ne ab alijs agnosceretur, minaretur mortem sacerdoti, nisi coram eo celebraret, tunc liceret celebrare ei: nec obstat, c. sacris. de his, quæ vi. me. ca. quia procedit de metu leui. Est aūt ista limitatio intelligenda, dum non incuteretur metus hic in contemptum fidei vel Ecclesiæ; tunc enim mors potius esset subeunda Aduerte etiam, generāliter excommunicatum in vna Ecclesia, esse excommunicatum vbiq, locorum, c. iure. 11. quæst. 3. Abb. in cap. pastoralis, nu. 18 de appel. Aduerte rursus, excōmunicationem statim suum sortiri effectum, quia non potest stare in pendenti: hinc est, quod excommunicatio lata in diem, vel sub conditione, non afficit illum, in quem fertur, donec dies, vel conditio eueniat: sed ab ea die, seu ab adueniente conditione eū afficit, secundum communem; vt testatur Couar. in c. alma mater. prior. part. relect. §. 10. nu 6. Vnde, si quis appellaret à sentēria tali lata, etiam post diem ante conditionis euentum, sine scrupulo posset communicare, etiā conditione illa impleta, Gloss. in c. præterea. 2. de app. & ibi Doct. con. Panorm. contrariū sentientem. Vlterius aduerte, excommunicationem trahere secū executionem, & inhabilitat, quoad oēs eius partes, illum, qui in eam incidit absq; alia declaratoria. Fely. in c. Rodulphus, n. 38. de rescrip. per c. pastoralis. §. verum, de app. & propterea ab illa non appellatur ad effectum suspensiuum, c. 15. cui. de sent. excom. lib. 6. Et hoc est verum respectu sententiæ excommunicationis: secus, si sit declaratoria excommunicationis à iure illatæ, quoniam ab ista declaratione appellare licebit, iuxta Gloss. in c. cupientes. §. quod si. ver. priuatos, de elect. libr. 6. & & Gigan. in tract. de pens. q. 78. in fin. Quod limita in eo casu, quando constat declaratum non incidisse in excommunicationem latam à iure, vel sit dubium, an inciderit: nam si constaret, declaratum incidisse in iuris excommunicationem, appellatio non admitteretur, quia à pœna legis, vel Canonis non appellatur, vt habet prædicta Gloss. reputata notabilis à Doct. & tenet Abb. in c. peruenit. 1. nu. 6. de appel.

De intelligentia prædictorum iuxta extrauagantem Martini Quinti.

CAPVT XII.

DOctrina præcedentis capitis, quantum ad communicationem cum excommunicatis, quamuis secundùm ius antiquum vniuersaliter procedat, tamen limitanda est post extrauagantem Martini V. quæ in fauorem fidelium facta est, ad euitanda multa pericula, quæ ex participatione cum excommunicatis contingebant; placuit enim Martino Pontifici, ne fideles multum detrimenti paterētur, eos non semper obligare, quoscumque excommunicatos vitare, quantum ad communicationem illo versiculo cantentam. *Os, orare, vale, communio, mensa negatur*: nisi duos tantùm, nempè percussores Clericorum notorios, & nominatim excommunicatos, postquam denunciati, & declarati fuerint. Cæteros verò, siue à iure, siue ab homine, etiam nominatim excommunicatos, nō tamen denunciatos, non teneri vitare, sed licere fidelibus in diuinis, & humanis cum ipsis communicare: quod quidē priuilegium, non in fauorem cedit ipsorum excommunicatorum, quasi liceat ipsis excommunicatis, illis duobus exceptis, communicare, sicut licèt non excommunicatis; hoc enim nō ita est; ipsi enim excommunicati nullum ex hoc vtilitatem reportant: sed semper tenentur abstinere à communione fidelium; vt benè adnotarunt Doctor. Nauar. de pœnit. d. 6. cap. 1. §. laboret, & Couuar. relect. cap. alma mater. p priori. §. 2. numer. 11.

Hanc extrauagantem refert Antoni. 3. p. tit. 26 cap. 3. Ang. excom. 8. §. 3. & Sotus in 4. d. 22. q. 1 art. 4 cuius tenor est, qui sequitur: Ad euitandum scandala, & multa pericula, quæ conscientijs timoratis contingere possent, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicuius, Sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscumq; diuinis, intus, & extra, prætextu cuiuscumque censuræ, aut sententiæ ecclesiasticæ, à iure, vel ab homine generaliter promulgatę, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, vel censura huiusmodi fuerit illata contra personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certam, à Iudice publicata, vel denunciata

specia-

ſpecialiter,& expreſsè,conſtitutionibus Apoſtolicis , & alijs in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Saluo,ſi quem pro ſacrilega manus iniectione in Clericum,in ſententiam latam à Canone,adeo notoriè conſtiterit incidiſſe,quod factum non poſſit aliqua tergiuerſatione celari , nec aliquo ſuffragio excuſari:nam à communione illius, licèt denunciatus non fuerit,volumus abſtinere,iuxta canonicas ſanctiones.Hæc Martini extrauagans.Et quamuis Doctores quidam recentiores dicant, non ſic legendam eſſe prædictam extrauagantem , ſed aliter , & ex lectione ſua colligant notorios excommunicatos,quamuis non ſint percuſſores clericorum,nec denunciati,eſſe etiam vitandos, tamen quia nõ probant ſuam correctionem , viſum eſt mihi ſtare prædictis Doctoribus grauiſſimis,& fide digniſſimis,quibus adhæſit communis vſus;fideles enim,tam Romæ quàm alibi , non vitant conuerſationem cum excommunicatis, etiam notorijs, niſi nominatim excommunicati , & denunciati ſint,aut publici percuſſores Clericorum. Aduerte autem,poſſe aliquem nominatim eſſe excommunicatum, & non denunciatum : ſenim Iudex præcipiat alicui , vt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ compareat in iudicio,& hic contumax eſt, nec comparet,excommunicatus ſtatim eſt, & nominatim,tamen non denunciatus.Denunciari autem dicitur,quando declaratur à Iudice , eum contraxiſſe excommunicationem talem. Ante denunciationem ergo , non tenemur eum vitare,nec eſt recipienda Gloſſ.in cap.à nobis 1.ver. quiſque.de ſent.excom. quæ excommunicatum nominatum illum eſſe affirmat,qui excommunicatur à Canone his verbis:Quiſquis furtum commiſerit,ſit excommunicatus. Hoc reijciendum eſt,vt falſum , & contra communem ſententiam Doct.vt notat Couuar.in cap.alma mater.prior.part.relect.§.2.num.8.affirmans,illum eſſe nominatim excommunicatum , qui hac notatur cenſura,expreſſo nomine proprio,aut aliquot appoſitis ſignis,quæ certè , & abſque vllo dubio ſignificent eum, qui excommunicatur. per l.nominatim , ff. de cond. & demonſtr.

Aduerte autem , denunciationem poſſe fieri per Ordinarium excommunicati,licet ipſe non excõmunicauerit. Abb. poſt Inno.in c.paſtoralis.§.verum,in fin.de appell.arg. cap.iure.11.quæſt.3.& cap.1.de treg.& pac. Quod tamen limitat Dec in d.§.verum,col.4.ver.extra Gloſ.quando quis in excommu-

nicatio

nicationem incidisset ex dispositione iuris: sed ab homine excommunicatum dicit ipse non posse denunciari ab illo, qui non excommunicauit; quoniam causa per vnum incepta, per alium absq; causa non potest perfici. & ad c.1.de treg.& pac. respondet habere locum in eo, qui excommunicauit, vt verba expressa sonant. Aduerte vlterius, si sententia excommunicationis lata ab homine sit nulla, fieri nō posse publicationem, seu denunciationem; si autem est valida, & ab illa, postquam contracta est, directè, vel indirectè non est appellatum, denunciatio fieri non potest. Si verò est appellatum, & sciat excommunicatus, se iam excommunicatum, per appellationem sequentem non impeditur denunciatio. Si autem est ignorans, appellatio interposita secundum Host. impedit denunciationem. ita Henric. Boic. in c. pastoralis, §. verùm, num. 15. de app. appellatio enim post latam excommunicationem impedit denunciationem in ignorante; non autem in sciente se esse excommunicatum. Cæterùm, si sententia excommunicationis lata est à iure, & est notorius excessus, absque citatione, & declaratione potest iudex denunciare excommunicatum: si verò excessus non est notorius, reo non vocato, & declarato, in canonem incidisse, denunciatio fieri non debet. Abb. in c. peruenit. 1 num. 5. de appell.

De effectibus proprijs maioris excommunicationis.

CAPVT XIII.

EXcommunicationis effectus, qui magis propriè effectus vocari possunt, consideremus: hi autem multi sunt, quorum primus est; eos, qui cum excommunicato in eodem crimine, propter quod excommunicatus est, participant, ità affici, vt pariter sint excommunicati eadem excōmunicatione. ita habetur c. nuper. de sent. excomm. vbi aduertendum est cum Panor. c. contingit. 1. de sen. excomm. duo esse necessaria, vt participans cum excommunicato, eius excommunicationem contrahat; vnum, quod participet in eodem crimine, propter quod ille alter excommunicatus est, dando auxilium, consilium, fauorem. Alterum est, vt ista participatio sit, postquam iam commissum est crimen, & contracta est iam ab illo excommunicatio: vnde, qui excommunicato, postquam excommunicatus est, modo aliquo ex prædictis in crimine

illo, propter quod est excommunicatus, participat, afficitur eadem maiori excommunicatione. & hoc vocant Doctores, participare cum excommunicato in crimine criminoso. Adde tertium, non de quocunque excommunicato hoc procedere, sed de nominato, & rursus de eo, qui sciens excommunicatum ob tale crimẽ, sic participauit cum eo; de his enim canon ille expresse loquitur.

Alter effectus est, collatio beneficij facta excommunicato ipso iure est nulla. ita habetur cap. postulastis, de cler. excom. ministr. Et licet postea absoluatur ab excommunicatione, non diget noua collatione, si, quando beneficij collatio facta fuit erat excommunicatus, quia nulla fuit collatio prior. c. postulasti. & ibi Gloss. & Doct. de cler. non ordin. ministr. Immò etiam impetratio literarum à Papa, ad beneficium obtinendum & quodcumque rescriptum ab ipso excommunicato impetratum, ipso iure est nullum, præterquam super articulo excommunicationis, vel appellationis, per c. de rescript. in 6. Modo verò, quoties à Papa literæ impetrantur ad beneficium, solet similiter impetrari absolutio ab excommunicatione, ad effectum validitatis literarum, & sic cessat iste effectus in hoc casu Fely. in c. ad Apostolicæ. in prin. de except. quod intelligo, dummodò impetrans nõ in surduerit per annũ, vel non commiserit aliquid eorum, quæ in regulis cancellariæ excipiuntur, quibus illa absolutio non suffragatur, si post quatuor mẽses, ob aliquod illorum delictorum commissorum, excommunicationem sustinuerint: ante quatuor autem menses impletos, etiam istis suffragatur. Quamuis autem huiusmodi regulæ minuantur, aut augeantur, pro Pontificum beneplacito, tamen tenor regulæ, quæ in Xisti Quinti Pontificatu seruatur, hic est. Item, ne personis, pro quibus literæ suæ Sanctitatis emanabunt, ob generalem absolutionem à censuris ecclesiasticis, quibus ligati forent, ad eorum effectum indifferenter concedi, & in literis Apostolicis apponi solita, præsetur occasio censuras ipsas vilipendendi, & insurdescendi in illis, statuit, & ordinauit, huiusmodi absolutionem, & clausulam in literis, quas in futurum cum illa concedi continget, non suffragari non parentibus rei iudicatæ, Incendiarijs, Violatoribus ecclesiarum, falsificatoribus, & falsificari procurantibus literas, & supplicationes Apostolicas, & illis vtentibus, receptatoribus, fauoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus, Violatoribus ecclesiasticæ libertatis, via facti, ausu

temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus, & Nuncios, vel executores Apostolicæ Sedis, & eius officialium eis commissa exequentes impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati à iure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam huiusmodi sustinuerint, & generalitet quibuscumque alijs, qui censuris aliquibus, etiam alias, quam vt prefertur quomodolibet ligati in illis per annum continuum insurduerint.

Tertius est, non potest excommunicatus eligi ad beneficium ecclesiasticum, per cap. constitutis. 1. de appel. & ibi Glos. & consequenter, nec postulari, nec præsentari ad beneficium patronatus, quia eadem est ratio electionis, postulationis, & præsentationis, iuxta Gloss. cap. quoniam. de elect. in 6. & ita tenet Couar. relect. cap. alma mater. prior. p. §. 7. num. 1. & 2. & idem esse de pensionibus censuit Gigas tract. de pensio. q. 14. cui consentit Couar loco allegato.

Aduerte autem, quamuis electus ignoret, se esse excommunicatum, electionem tamen esse nullam; & idem de collatione, & alijs: excusabitur quidem à peccato, & pœna, quoad Deum, dum ignorat, si ignorantia probabilis est, tamen quoad actum, cum primum sciat, debet procedere, ac si nullus esset. ita habet Gloss. c. Apostolicæ, vt ignorantia. de Cleri. excom. ministr. & ibidem Panorm. & Henric. Boic. nu. 1. nam excommunicatio, quoad pœnas, ignorantem excusat; sed non quoad validitatem actus. Cassiad. decis. 1. de præb per cap. postulatis. de cleric. non ordin ministr. Quod dictum est de electione ad ecclesiasticum beneficium, dicitur etiam de electione ad dignitatatem secularem, Regis, vel Imperatoris, vel Ducis; nulla enim electio est, si electus est excōmunicatus. ita habetur c. venerabilem de electio. Aduerte tamen, quòd, licèt, excommunicato hæc conferri non possint, & collationes, si fiant, sint nullæ, potest tamen excommunicatus acceptare beneficium ante excommunicationem sibi collatum, & optare præbendam, si aliàs iure consuetudinis competebat sibi optio, Rot. in antiq. decis 126. cui accidit communior sententia, teste Couarruuias libro tertio vari, resolut. cap. 16. numer. quarto.

Quartus est, excommunicatus non potest exercere actū iurisdictionis, absque peccato, imò si publica est excōmunicatio facta, & sentētiæ nullæ sunt. c. ad probandum, de sen. & re iud.

Hinc est, eum, nec excommunicare, nec conferre beneficia, nec eligere, nec præsentare, nec alia posse, quæ ad iurisdictionem pertinent; &, si facit, actus est nullus. c. cum inter. in fin. de elect. & c. cum dilectus, de consuet. ita etiam dicunt Io. Andr. in cap pia, colum. 5. in fin. de excep. lib. 6. & Abb. in c. ad probandum, nu. 20. de re iud. Hoc autem procedit, vt dixi, si sit publice excommunicatus, secundum Abb. in d. c. ad probandum. sed si sit occultus, actus in aliorū fauorem factus, ratione publici officij erit validus, Abb. vbi supra, nu. 15. & ibi Fely. nu. 3. cum opinione communi, per l. barbarius. ff. de offi. præs. Aduerte tamen in hoc, quod si ille, in cuius fauorem actus iurisdictionalis est gestus, adiuit scienter ipsum excommunicatum occultum, actus ille debet retractari in eius odium, secundum Cald. in c. ad probandum. de re iud. & Abb. in c. veritatis, num. 43. de dol. & contum. alios etiam pro eadem sententia citat Felyn. in d. c. ad probandum. nu. 8. per. c. fin. de procur. quamuis post constit. Martini ipse Felyn. credat huiusmodi dictum Cald. cessare, ea ratione, quia cessat odium culpæ communicantis cum excommunicato occulto, subdens, quod licet ipsi constitutio Martini non suffragetur excommunicatis, sed illum succurrat conscientijs timoratis, vt in ea dicitur, tamen dictum Cald. est fundatum in odium scientis, & non euitantis excommunicatum, quod quidem odium est sublatum, & per consequens eius dictum non videtur habere locum. ita Fely. ibi & in c. Rodulphus, num. 4. de rescript.

Quintus est, non potest exercere actum ordinis; vt, celebrare, ordinare, nec confirmare, nec absoluere; denique nec exercere actum aliquē, cuiuscunq; etiam minoris ordinis, &, si exerceat, fit irregularis, per c. cum medicinalis. de sent. excom. in 6. & ibi Gloss. quo casu, licet ordinatus recipiat characterem, non tamen executionem recipit. c. 2. & ibi Glos. & Doct. de ordin. ab Episcop. qui renunciau. Episcop. quod tamen est verū, si sit ordinans publicus excommunicatus: nam si occultus, nō solum characterem, sed etiam executionem reciperet ordinatus ab excommunicato. Abb. in c. ad probandum. nu. 15. de re iud. Innoc. in c. 1. nu. 4. de Schismaticis. Lapus alle. 89. num. 12. quamuis non desint contrarium affirmantes. Hæc intelligē de iure communi: nam post extrauagantem Martini supra allegatam, solos excommunicatos nominatim post denunciationem, & publicos percussores Clericorum vitare debemus. Qui igitur ab his ordines suscipit, suspensus est: a cæteris verò,

non,

non, quamuis ipsi conferentes peccent, & sint irregulares. de hac tamen irregularitate, quæ etiam contrahitur, si excommunicatus recipiat ordines, dicemus inferiùs, quando de tali materia occurret sermo.

Sextus est, qui tenebantur aliàs obnoxij vinculo fidelitatis, vel iuramenti alicui, liberantur à tali vinculo, si is inciderit in excommunicationem, ea durante: ita habetur can. nos sanctorum. & can. iuratos. 15. q. 6. Non tamen per hoc intelligendum est, absolui debitorem ab obligatione soluendi debitum creditori etiam excommunicato, vt benè notauit D. Medi. de restituti. q. 3. cauſ. 9. Canones enim illi procedunt de debitis, non re, sed verbis contractis, contra Glossam c. absolutos. de Hæreticis.

Septimus est, priuat actu iuridico accusandi, testificandi, patrocinandi, procurandi, cap. decernimus. de sen. excom. in 6. immò etiam reconueniendi. c. cum inter priorem. de excep. defensio tamen legitima ei non negatur, iuxta idem c. cum inter priorem.

Octauus, si in excommunicatione à viuis decedat, priuatur ecclesiastica sepultura, & est exhumandus, si excommunicatus sepultus est, c. sacris. de sepult. hoc intellige post extrauagantem Martini, quando est nominatim excommunicatus, & denunciatus, vel notorius percussor Clerici; alios enim licet sepelire, sicut communicare cum eis viuis: nam cui communicamus viuo, communicamus etiam mortuo. 24. q. 2. can. sane. 1. & c. sacris. de sepult.

Nonus est, clericus perseuerans in excommunicatione vltra annum, poterit priuari beneficijs, quæ obtinet. Abb. & Dd. in c. cum bene. de æta. & qualit. qui in eodem textu fundantur, & Couar. in rep. c. alma mater. prior. part. relect. §. 7. nu. 10. ver. tertio si quis.

Decimus est, conuentus super crimine ciuiliter, vel criminaliter, & ob contumaciam excommunicatus, si in annum perseuerat, censetur conuictus de crimine, cuius fuit accusatus. Couar. qui alios citat vbi suprà.

Vndecimus effectus est, qui per annum permanet in excõmunicatione, efficitur suspectus de hæresi, vt habetur c. vlt. de pœnis; vbi, qui biennio in excommunicatione perdurauerat, suspectus dicitur hæreticæ prauitatis. Notat autem ibi Panor. & Doctores idem esse, si per annum in excommunicatione in surduerit, argum. can. rursus. & can. quicumque. 11. q. 3. suspicio

antem hæc inducit purgationem, vt ibi notat Panor. ex Innocent. & alijs Simancas autem in Catholicis instit. tur. c. 7. tradit ex praxi inquisitorum, esse suspicionem leuem; quæ intelligq quacunque de causa sit excommunicatus, etiamsi non sit materia hæresis. Hæc doctrina confirmata est Concil. Trid. sess. 25. c. 3. vbi sic habetur: Excommunicatus quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramẽta, & communionem fidelium non recipiatur, sed si obdurato animo censuris annexus in illis insurduerit, etiam cõtra eum tanquam de hæresi suspectum procedi possit. Notant autem Felyn. & Ioan. de Anan cap. postulasti. de homici. contumacem in excommunicatione, etiam ante annum, posse puniri pœna temporali.

Duodecimus effectus est, suspectus de hæresi, & ea de causa vocatus ab inquisitoribus, iudicium subterfugiens, & ob eam contumaciam excommunicatus, si ad annum in ea persistat, tanquam conuictus de hæresi est pronunciandus hæreticus ita habetur c. cum contumacia. & ibi Gloss. de hære. in 6. & c excom. §. qui autẽ. de hæreti. Nota ex Glos. c. cum contumaci hoc habere locũ, quando contumax suspectus de hæresi citatus fuerit expresse, vt ad iudiciũ accedat super reb. fidei c. super crimine hæresis, cuius accusatur, aut suspectus est, responsurus. Notat autem Francus in eodem c. satis esse, si in genere crimen hæresis in edicto exponatur, nec requiritur in specie hæresim significari. notat etiam Gonsaluus à Villadiego tract. de hæreti. quæst. 12. præfatam decisionem habere locum, quando vere contumax est; si enim absens iustum habuit impedimentum, quo legitime impeditus non potuit eo tempore ad tale iudicium accedere, non est vt hæreticus condemnandus, poteritque ille iustas causas absentiæ allegare, & probare

Vltimus effectus est, excommunicatus non potest percipere fructus beneficiorum suorum, hæc est communis sententia, quam sequuntur Palu 4. d. 18. q. 4. & Silu. Clericus. 4. q. 25. & Ioan. de Ligna in c. quia diuersitatem. de concess. præb. Dec. in c pastoralis. §. verum. col. 3. de app. Sum. Confess. lib. 3. tit 33. q. 81 ver. effectus. Armil. ver. excom. num. 9 qui limitant, hoc procedere, quando excommunicatus est in mora, id est per ipsum stat, quo minus absoluatur Panor. vero c pastoralis. §. verum, nu. 21 de app. nullam ponit limitationem: sed dicit, excõmunicatum ipso facto nõ posse percipere fructus beneficiorũ

suorum

ſuorum, nec, poſt abſolutionem, fructus temporis præcedẽtis, in quo fuit excommunicatus, eidem reddi deberi: ſed eccleſiæ propriæ. & hanc ſententiã tenuit ante ipſum Glo. in c. ſtudeat. in fi. diſt. 50. & Hoſtien. in ſum. Rubr. de ſent. excom. nu. 11. ver. item vt quamdiu & Inno. in d. c. paſtoralis, nu. 4. & cum his eſt communis ſententia, teſte Pute. deciſ. 280. lib. 1. Quod quidem adeo verum eſſe, affirmãt communiter Doct. vt quamuis clericus excommunicatus ſit egenus, & pauper, illi tamen nõ ſit prouidendum de alimentis, niſi fame periret, Gloſſ. in d. §. verum. & ibi Abbas nu 16. & Couar. variar. reſolu. lib. 3. c. 13. nu. 8. ver. duodecimo: & ratio eſt, quia poteſt ſibi ipſi prouidere petendo abſolutionem. verba Hoſtie. ſunt: Nihil de fructibus beneficiorum ſuorum percipiat. Abb. verba: Fructus debent conuerti in vtilitatem eccleſiarum, & excommunicato non dabuntur. Pute. verò dicit: Excommunicatus non facit fructus ſuos. Aduerte verò, quòd ſi ſint diſtributiones quotidianæ, nõ Eccleſiæ, ſed alijs accreſcunt. Gloſ. in Clem. 2. ver. pars dimidia de ætat. & qualit. Dec. in c paſtoralis. §. verum. colum. 3. de appel. Aduerte rurſus, ſi excommunicatio eſt iniuſta, excommunicatus poſtea abſolutus recuperat fructus medij temporis ſibi ſubtractos, vt dicunt Hoſtien. Abb. Boic. & alij vbi ſuprà per c. ſuper cauſa 2. qu. 4. quod etiam reſpectu diſtributionum quotidianarum locum habet, quando ante excommunicationem iniuſtam erat ſolitus diuinis officijs adeſſe, & tẽpore excommunicationis præſens fuit in loco, vbi beneficium habebat, vt notat Couar. varia. reſolu. lib. 3. c. 13. num. 8. verſi. duodecimo. Hæc ſententia communis maximè nititur cap. paſtoralis. de appellat. vbi dicitur: Meritò ſubtrahuntur prouentus eccleſiaſtici, cui Eccleſiæ communio denegatur. quibus verbis ſignificat; ſicut excommunicatio lata priuat ſtatim communione Eccleſiæ excommunicatum, ita etiam ſtatim conſequenter priuat prouentibus, vnde merito Panor. ibi reprobat Gloſſam, dicentẽ, non priuare, niſi in ipſa ſentẽtia exprimatur priuatio, quod verũ non eſt, cum ſit cõſequens effectus ipſius excõmunicationis. Titulum autem beneficij ante excommunicationem obtenti, excommunicatus nõ amittit, vt notat Panorm. c paſtoralis. allegato. §. verum. nu. 18. nec amittit poſſeſſionem: immò ſpoliatus poſſet agere de ſpolio vt notat Innocen. cap. veritatis, num. 3. de dolo. nec etiam abſoluitur ab obligatione recitandi horas canonicas, vt dici. Couarru. alios citans cap. alma mater. prior. part. relect. §. 3.

num.8.eas tamen recitare debet priuatim,& secrete,&,si sit in sacris,absque,Dominus vobiscum:sed loco illius dicet, Domine exaudi orationem meam,vt notat Albert. de Ferrari.in repetit.c.1.q.12.de celebra.miss.& Armil.excom. nu.9. Nec etiam liberatur ab onere soluendi pensionem,si iustè sit excommunicatus,licèt fructus nō percipiat, vt notat Gigan.tract.de pensio.q.64.

De quibusdam adnotandis in absolutione ab excommunicatione.

CAPVT XIV.

PRiusquàm de eo,qui potest absoluere ab excommunicatione,in particulari tractemus,opus est,quedam in generali ad absolutionem pertinentia præmittere.

Primò,sicut vnus potest simul multis ligari excommunicationibus,varijs de causis cōtractis,vt habetur.3.q.4. can. Engelerudam,&Glos.ibi cum communi Doctorum sententia,ita consequenter pluribus indiget absolutionibus,vel vna generali,si omnes sunt relaxandæ,vt habet Inno.c. cum pro causa de sen.excom.potestque vna sine alia relaxari, secundùm Palud.4.d. 18.p.5.art.3.

Secundo,vt rectè adnōtant Silu.absolutio.1.§.3.& Ange.absolutio.1.§.1. Absolutio dupliciter fieri potest; vno modo in foro exteriori;altero modo in foro cōscientiæ, quæ fit vna cū absolutione à peccatis. Illa prior potest à non sacerdote fieri, hæc posterior à solo sacerdote,non ratione ipsius excommunicationis:nam ab ea,quilibet habens iurisdictionem excommunicandi,potest absoluere,etiamsi is, nec presbyter, nec diaconus,nec subdiaconus sit.Qui aūt à non sacerdote absolutus, à sola excommunicatione est, maner quidem reconciliatus communioni hominum,& sacramentorum,inquantum priuatus erat per sententiam, vt Ioan. Andr. in c.a nobis 2.& ibi Henric.Boic.numer.11.de sent. excomm. Sed ratione peccatorum, à quibus non sacerdos non potest absoluere, indiget absolutione sacerdotis; vt dicunt Henric.Boic, vbi supra,& latè Conar. in c.alma mater.prior.part.relect,§.11. numer. 10. qui reprobant opinionem Hosti. distinguentis duplex vinculum in excōmunicatione;à quorū vno potest absolui à nō sacerdote;ab altero verò,à solo sacerdote, in foro pœnitentiali.

quæ

quæ distinctio nullius est momenti: nam, vt dicit Io. Andr. & Henric. vbi supra, communiter Iudices delegati, & Ordinarij absoluunt perfectè, & ex integro, quos ligant, licet presbyteri non sint; nec curant subtilitatem Host. Nec est necessaria absolutio à sacerdote, nisi ratione peccatorum, qua non existente, etiam non sacerdos in vtroq; foro absoluit; quando verò coniuncta est cum absolutione à peccatis, tunc à solo sacerdote fit: & hæc dicitur propriè absolutio in foro conscientiæ. Rursus, ad illam priorem non est necessaria voluntas excommunicati: nam etiam inuitus potest absolui, sicut potuit inuitus excommunicari. ita habet Palu. loco citato, & S. Thom. 4 d. 18. q. 2. ar. 5. quæstiuncula. 2. Non tamen debet id fieri, nisi ex causa rationabili, nimirum quando excommunicatio non prodest excommunicato, & nocet communitati, propter participationem, vt notat Panorm cap. apostolicæ, de excep. Capel. Tolosan. q 290. num. 3. Rursus, illa priori potest absolui ignarus, & insçius absolutionis; non enim est necessaria admonitio, sicut ad excommunicationem. Aduerte tamen circa monitionem, quòd, si excõmunicatio sit facta ad alicuius instantiam, cuius interfit audiri, puta, quia potest prætendere offensam manifestam, quo casu excommunicatus absque satisfactione non absoluitur, etiam cum cautione. c experte 1. de verbo. sign. tunc citatio eius, ad cuius instantiam est excommunicatus, requiritur, secundum Glos. in c. excommunicatos. 11. q. 3. & notat Abb. & testatur de communi, in c. qua fronte, nu. 6. de appella. vbi id tractant Ancar. num. 6. & Dec. col. 3. in fin. post specul. in tit. de contum. § fin. ver. sed pone excommunicatus. Quamuis autem hoc casu citatio requiratur, si tamen fieret absq; citatione, teneret absolutio, vt dicunt Abb. & Dec. in d. c. qua fronte Fely. in c. sacro de sen. excom. per illum tex. Potest etiã illa prior dari per literas, vt habet Ricar. 4. d. 18 ar. 10. q. 2. immo habetur can. quantò. 2. q. 5, vbi Glos. addit. quod etiam potuit per literas excommunicari. Potest etiam illa fieri per procuratorem, vt habent Archidia. cap. eos, qui de sent. excom. in 6. & Ioan. Andr. cap. qui ad agendum. de procura. in 6. Hæc tamen fieri non possunt in absolutione postetiori ratione absolutionis à peccatis, quæ non potest prædictis fieri circumstantijs.

Tertiò, absolutio ab excommunicatione debet fieri sine cõditione, vt adnotat Panorm. cap. de quibus. de baptis. Quod intelligendum est de conditione futuri, quæ actum suspendit,

donec conditio impleatur;tunc enim nulla est, vt notat Silu. absolutio.3.§.1. & probatur ex cap. actus.de reg.iur.in.6.Vt,si quis dicat,absoluo te,si restitueris, vel hoc, aut aliud feceris: hoc casu nulla est absolutio; quando tamen conditio est,quæ actum non suspendit, quia,vel est de præterito,vel præsenti, tunc fieri potest,& valet, sicut dicitur in baptismo. Si non es baptizatus,ego te baptizo.

Quartò,absolutio quæ datur ad cautelam non conceditur iniustè excommunicato;sed illi tantum, qui dicit excommunicationem nullam,c.solet de sent. excomm. lib.6. & in c.per tuas.extra eod.tit. Conceditur autem ad cautelam ex quadam iuris benignitate,& gratia; vt habetur in dictis constitutionibus,& in c.venerabilibus.§. sed si ex causa.de sent. excomm. lib.6.

Quintò,petens absolutionem ab cautelam, nō tenetur exprimere causam nullitatis. Oportet tamen eam in specie nominare,nempe quia lata est post appellationem, aut quia errorem continebat intolerabilem; aut quia defuit iurisdictio, aut alijs de causis nullitatis,in specie narratis.Couar.cap.alma mater.prior.part.relect.§.12.num.7.

Sextò, relaxatio ab excommunicatione illico debet fieri, quando excommunicatus vult satisfacere, secundùm Abb.in c.reprehensibilis,nu.3,de appell.per cap.nemo 1.& cap.illud.11. q.3.quod limitandum est,quando tunc satisfacere non potest, & cautionem dat sufficientem de satisfaciendo,aliàs expectari debet satisfactionis complementum,maximè quando agetur de interesse partis.

Septimò,absolutio ab excommunicatione à iure, quando datur ab eo,cui de iure competit,valet, etiamsi prius non fiat id,quod canon præcipit,puta satisfacere,aut hoc,vel illud implere.ita habet Innocen.in cap.cum ab Ecclesiarum,num.6.de offi.ordin.Tamen non valet ea,quæ fit ab eo, cui de iure non competit,sed ex aliqua commissione,aut mandato;talis enim debet fieri iuxta formam mandati,vel commissionis, alias est nulla, vt notat D.Nauar.cap.27.summæ.num.37. & Ang.excomm,3.§.2.etiamsi sit articulus mortis, si potuit seruari forma mandati,vel canonis. Est & inter hos altera differentia; nam cui de iure competit, potest alteri delegare,vel demandare absolutionem,vt habet Glos.cap.eis quibus de offi.ordin. Ei autem de iure competit, cui ex officio alicuius ordinariæ potestatis competit, & Glos.exemplificat in legatis ex officio

legatio-

legationis,& his,quibus committitur ex priuilegio perpetuo, ratione dignitatis,& Episcopis in certis casibus, de quibus dicemus inferius,& Abbatibus. Si verò sit alicui commissum ex priuilegio speciali, quia habet nudum ministerium, non autem iurisdictionem, hic non potest alteri committere, vt habetur cap.quoniam,de offi.iudi.deleg.& ibi Glos.

Octauò,absolutio obtenta in foro conscientiæ,etiam præmissa satisfactione,non prodest in foro exteriori, vt notat Couarr.in cap.alma mater.prior.part.relect.§.11. num.15.ver. 3.plurimum etenim,vt ipse dicit, detraheretur iurisdictioni Ecclesiasticæ,si à Confessario absolutus secretè, posset se ingerere diuinis.

Nonò,facultates, quæ per Romanum Pontificem dantur per Iubilæum,aut Bullas Confessarijs absoluendi à quibusuis censuris,non concernunt forum exterius;sed tantum ea, quæ ad pœnitentiæ forum,& conscientiæ purgationem spectant, vt notat Paris.cons.67.num.20.libro quarto, & Couar. vbi supra,ver.quinto,attestantes,hunc esse stylum Romanæ Curiç, vt reuera est.

Decimò,non est certa forma absolutionis,sicut nec excommunicationis,est tamẽ necessarium aliquod verbum, quo exprimatur actus absolutionis,seu relaxationis à vinculo, Sunt autem seruanda quædam in absolutione solemni, vt notant Doctores,& refert Ang.ver.absolutio.3.§.1.

Primò,vt absoluens faciat absoluendum iurare, eum pariturum mandatis Ecclesiæ, seu ipsius absoluentis, iuxta c. ex tenore,de sentent.excomm.quod limitat in horrendis criminibus,vt incendiarijs,falsarijs, & huiusmodi, non in leuioribus.

Secundò,antequam absoluatur, satisfaciat sufficienter læsis pro facultate sua, iuxta cap.porro.& cap. parochianos, de sen.excom.

Tertiò,absoluatur cum psalmo,& oratione dominica,verberibus,& alijs consuetis,vt dicit Silu.absolutio.3.nu.4.

Quartò,iniungatur ei præceptum, ne vnquam faciat contra canonem illum,contra quem faciens incurrit excommunicationem.

Quintò,vtatur verbo absolutionis,vel relaxationis.

Dicat ergo primo,*Miserere*.& orationem dominicam.Rursus. *Saluum fac seruum tuum, &c. Domine exaudi orationem meam, Dominus vobiscum; Deus,cui proprium est misereri, &c.*

Deinde

Deinde dicat, *Absoluo te ab excommunicatione, quam incurristi propter hoc, vel illud, & restituo te sacramentis Ecclesiæ.* Ista forma nõ est ita necessaria, v, si prætermittatur, & solo verbo fiat, nõ teneat; immò tenet, quia hæc non sunt de essentia, vt dicit Panor. cap. fin. de rest. spolia. & Inno. c. cum dilect. de rescrip. cum communi Doctorum sententia.

Vndecimò, absolutio iniusta valet, vt habetur cap. venerabilibus. §. vbi de sen. excom. in 6. etiam, si sit ex parte causæ iniusta. Ideo Inno in cap. cùm ab Ecclesiarum, num. 6 de offic. ordin. dicit, quod, si Episcopus absoluat, non præmissa satisfactione, tenet absolutio; Episcopus tamen male facit, & deber corrigi, quia iurisdictionem non seruat subditis suis: & in hoc differt ab excommunicatione, quæ quando ex parte causæ iniusta est, non valet in foro conscientiæ, vt supra diximus, in c. 10. Non tamen valet absolutio, etiamsi iusta sit causa, per vim, & metum extorta, cap. vni. de ijs, quæ vi. met. in 6. quod capitulum iuxta Glos. 2. ver excommunicationis. habet locum, etiamsi excommunicatio esset iniusta. Idem Gem. ibi. num. 5. valeret tamẽ excommunicatio tali medio extorta, si iusta esset causa, vt Glos. notat eod. cap ver. vacuamus. quam Glos. dicit Abb. in c. albas, nu. 17. de his, quæ vi. met. esse mente tenendam. Nec etiam valet absolutio, quando causa expressa est falsa, vt habet Innocen. cap. ex parte. de offic. ordi. & ibi Glos. ver. redire: vt deducitur ex c. officij. & ibi Glos. de sent. excom. puta, si mentiatur, qui absoluitur, dicens, se satisfeciisse, & non satisfecit, ratio est, quia superior nõ intendit absoluere, nisi ex causa expressa, vt notat Abb. in c cùm pro causa. in fin de sent excom. arg. tex. in d. c. officij. eod. tit. valeret tamen, licet iniqua sit absolutio, si iudex intenderet absoluere, etiamsi falsa causa esset expressa, vt dicit Panorm cap. ex parte, de offic. ord. num. 6, & quamuis dicat simili modo in eodem casu excommunicationem valere, & consentiat. Silu. absolutio. 1. §. 4 nu. 13. post Glos. in c. venerabilibus. §. vbi. ver. competit. de sent. excomm. lib 6. Qua par ius est ligandi, & soluendi. c. verbum, de pœniten. d. 1. Rot. decis. 399 in nou. tamen re vera non valet sententia excommunicationis lata ex falsa causa, quando in ea continetur notoria iniquitas facti, vel exprimitur iuris error, iuxta notata superius in cap. 10. quia tunc continere diceretur intolerabilem errorem, excederetque potestatem Iudicis; quæ quidem ratio intolerabililis erroris & excessus potestatis non militat in absolutione concessa, ex falsa, vel nulla causa ex-

pressa, si cōstat de intentione superioris absoluentis, quia nec ius humanum, nec diuinum irritat talem absolutionem. Aduerte tamen, in casibus, in quibus ita prohibet absolutionem absque causa, vt aliter facta non valeat, quantumcumque superior intenderet absoluere, talis absolutio non valet, argu. tex. c. venerabilibus, §. vbi. de sent. excomm. in 6. vbi Pontifex reddēs rationem, cur teneat absolutio iniusta, dicit, quoniam, etsi contra ius litigatoris, non tamen contra ius constitutionis absoluit.

De eo, qui potest absoluere ab excommunicatione in mortis articulo.

CAPVT XV.

IN primis statuendum illud est, in mortis articulo omnes sacerdotes posse absoluere quoslibet pœnitentes à quibuscuis peccatis, & censuris etiam reseruatis; in eo enim articulo nulla est reseruatio, vt habetur Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. & ante Concilium erat doctrina receptissima, & multis canonibus confirmata. Nec desunt, qui affirment, eam facultatem cuilibet Sacerdoti, deficiente proprio, esse concessam iure diuino; inter quos sunt S. Thom. 4. sen. d. 20. q. 1. ar. 3. Dur. d. 19. q. 2. & Palude. d 20. q. 1. art. 2. Communis tamen opinio Canonistarum est, iure Ecclesiastico concessam esse; præsumitur enim Papa in eo casu facultatem talem dare cuilibet sacerdoti, etiam simplici. Sunt tamen aliqua adnotanda.

Primò, secundùm Innocen. & Panorm. cap. quod de his, de sent. excomm. mortis articulus non solum est, quando ex infirmitate, sed etiam quando ex alijs causis mortis periculum probabile imminet: vt pote in mari, non quidem quando aliquis mare ingreditur, sed quando imminet naufragium, vt notat Glos. cap. pastoralis, de offic. iudi. ordi. ver. præterquam in articulo mortis. Quòd si talis esset nauigatio, in qua timeretur probabiliter periculum, nec copia tunc Confessarij futura, censeretur articulus necessitatis, etiam ante imminens naufragium. Idem dicendum est in obsidione, vt ibi etiam notat Glos. & in bello, & in prægnantibus, quando imminet partus, vt notat Ioann. Andr. cap. pastoralis, allegato.

Denique, quando non solum ex infirmitate, sed ex alijs

causis

cauſis periculũ mortis probabiliter imminet, cenſetur articulus mortis, ad effectum vt poſſit abſolui conſtitutus in tali articulo à quolibet ſacerdote, etiam à reſeruatis, vt notant allegati Doctores: vnde canones aliquando articulum, aliquando periculum mortis appellarunt.

Secundò, qui in tali mortis articulo abſolutus eſt ab excommunicatione reſeruata, ſi conualuerit, debet ſe præſentare, cùm primũ commodè poterit corã ſuperiore, cui erat reſeruata; quòd ſi non fecerit, reincidit in eandem, vt habetur cap. eos de ſen. excom. vbi etiam definitur; quando aliquis à Papa, vel delegato abſoluitur, iniuncto, vt ſe Ordinario præſentet, ſi id non facit, cùm primum commode poteſt, reincidere etiam in excommunicationem eandem. Qui ergo in tali articulo abſoluit, admonere debet de hoc pœnitentem. Notat autem Caietan. ver. excom. cap. 69. ſatis eſſe, ſi per ſe, aut per procuratorem ſe præſentet: quod ſi non eſt cenſura, ſed ſola peccatorum reſeruatio, non tenetur ſe præſentare, vt notat Silueſt. ſecundùm communem opinionem, verb. confeſſor. 1. num. 16.

Tertiò, quando in tali articulo ſimplex ſacerdos abſoluit ab excommunicatione maiori, caueat, ne abſoluat, niſi ſatisfactione præmiſſa, ſi forſan ea fieri debet, iuxta Clement. 1. de Hæret. quod ſi commodè fieri non poteſt, abſoluat cum cautione, ſecundum Gloſ. eiuſdem Clemen. §. verum. ver. & tunc. quæ cautio fiat, vel per fidei iuſſores, vel per iuramentum, vel modo, quo potuerit effici. Si verò articulus neceſſitatis vrget, nihilq; horum fieri poteſt, abſoluat; cùm ad impoſſibile nemo teneatur.

Quartò, laicus in eo articulo non poteſt abſoluere ab excommunica. ita habet Panorm. cap. à nobis. 2. de ſen. excomm. quicquid alij dicant. & ratio eſt efficax: nam non conceditur huiuſmodi facultas abſoluendi à cenſura, ſeu excommunicatione, niſi, vt pœnitens poſſit abſolui à peccatis. Cùm igitur laicus nequeat abſoluere à peccatis, vt dicit Gloſ. communiter recepta capit. paſtoralis, de offic. ordin. § præterea, conſequitur, vt nequeat abſoluere ab excommunicatione.

Quintò, præſente eo, cui caſus, ſeu excommunicatio reſeruata ſunt, ſeu abſente, ad eum tamen poteſt ſine periculo fieri recurſus, non debet abſoluere pœnitentem ſacerdos ſimplex, qui extra articulum mortis abſoluere non poterat. ita habet

Innoc.

Innoc.cap.1.& cap.nuper.de sent.excomm& probari potest ex cap,eos,de senten.excomm.si enim tenetur pœnitens conualescens,cùm primum poterit adire superiorem, aliàs incidit in excommunicationem, igitur multo magis tenebitur adire eum ante absolutionem, quando sine periculo id fieri poterit.

Sextò, non quilibet sacerdos potest in articulo mortis absoluere:nam præcisus,qualis est Hæreticus,aut Schismaticus, non potest.ita habet S.Thom.3.par.quæst.82.art.7.ad 2.quamuis Glos.cap.non est.de sponsa.contrarium teneat;tamen Prepositi.ibi dicit, Glossam hanc communiter esse reprobatam, & Panormit.ibidem,affirmat, veriorem esse alteram Glos.d. 32.can.præter.§.verum,quæ tenet oppositum. Ratio Panormit.& aliorum est, ne pœnitens in eo articulo decipiatur ab Hæretico,aut in desperationem inducatur. At,si casus accideret,quòd non esset periculum tale desperationis,aut seductionis,non est improbabile,quod affirmant, præter Glos.allegatam,etiam Palud.4.sentent.distinct.25.quæstione 1. & Silvest. verb.confessor.1.§.16. posse nempe absolui ab Hæretico, aut Schismatico,quando scandalum nõ esset. Communis tamen opinio est in contrarium.

Septimò, idem censent quidam de excommunicato maiori excõmunicatione, quod de Hæretico,& Schismatico. ita habet Turrecrem.can. præter hoc.distinct.32. tamen oppositum est verius ; & quidem de excommunicatis quibuscumque,præter nominatim denunciatum, & publicum percussorem clerici,certum est,eos posse in articulo mortis absoluere, cùm liceat cum illis communicare per extrauagantem Martini,vt supra diximus.Quod verò ad hos duos attinet, non est eadem ratio de eis,& Hæreticis,cùm certum sit, nullum periculum subesse, si ab excommunicatis sacramenta suscipiantur;& si concessum est extra articulum mortis communicare cum excommunicatis alijs, multo magis concessum erit in mortis articulo communicare cum illis duobus. Quam opinionem ante nos amplexus est Melchi. can. relect. de pœni.p.5.

Octauò, absolutus sacramentaliter in mortis articulo, à simplici etiam sacerdote,sepeliri debet in loco sacro, etiamsi absolutus non sit ab eo, cui erat reseruata excommunicatio. ita habetur cap.Parochiano,de sepul.quod etiã intelligitur de

Hære-

Hæretico, quamuis propter instantem necessitatem non fuerit solemniter reconciliatus, ita habet Innoc. cap. à nobis. 2. de sent, excom. & Host. lib. 3. summ. tit. de sepul. §. quibus interdicatur.

Nonò. qui non potuit in mortis articulo absolui ab excommunicatione, si petijt pœnitentiam, & signa contritionis ostendit, potest absolui post mortem, non quidem à peccatis, sed ab excomunicatione; non tamen à quolibet sacerdote, vt potuit ante mortem, sed ab eo, ad quem est reseruata excommunicatio. ita habetur cap. à nobis. 2. de sentent. excomm. vbi Innocent. & Panormit. reddunt causam, cur non à quolibet post mortē absoluatur, sicut ante mortē, nimirum, quia iam cessat periculum, quod prius erat in mora, ne discederet non absolutus à peccatis. Signa autem talia pœnitentiæ, quæ fuerunt ante mortem, probari possunt per vnum testem fide dignum, vt dicit Henric. Boic. eodem cap. à nobis, num. 6. & Astens. lib. 5. tit. 16. quid nulli fit præiudicium. Non tamen debet sepeliri huiusmodi, qui mortuus absoluitur, antequam absoluatur ab excommunicatione, etiamsi cum signis contritionis mortuus fuerit, vt definitur eodem capit. à nobis, allegato. Etiam Hereticum mortuum cum signis contritionis posse absolui post mortem, sicut & alios pœnitentes, affirmat Innocent. in eodem cap. & ratio eadem militat in omnibus.

De eo, qui potest absoluere ab excommunicatione extra mortis articulum.

CAPVT XVI.

IN primis illa, quæ dicta sunt de eo, qui potest excommunicare, etiam dici debēt de eo, qui potest absoluere eisdem de causis. Nec enim fœmina, nec laicus, nec simplex sacerdos absoluere possunt, cum absoluere sit iurisdictionis ecclesiasticæ; quæ iurisdictio in illis non est, nisi ex priuilegio aliquo, vt illic diximus. Qui etiam iurisdictionem habent ex officio, tamen impeditam ob aliquam censuram, quia nimirum excommunicati, vel suspensi sunt, absoluere non possunt, quando nominatim excommunicati, & denuntiati, aut publici clericorum percussores sunt, iuxta Bullam Martini. Supposita ergo iurisdictione, & remoto impedimento, & extra tempus necessitatis, modò quærimus, quis possit absoluere a

maiori

maiori excommunicatione: pro cuius resolutione repetenda est diuisio illa excommunicationis à iure, & ab homine, & loquendum primo de ea, quæ est à iure; quæ quidem duplex est, & reseruata, & non reseruata. Reseruata est, quando conditor canonis absolutionem sibi, vel alteri reseruauit. Non reseruata est, quæ à conditore absolute fulminatur, non exprimendo, ad quem eius absolutio pertineat. Quando reseruata est, tunc ille solus potest absoluere, cui reseruatur: vnde, quando absolutiones in canonibus & iuribus Summo Pontifici reseruantur, Episcopi non possunt absoluere, nec alij inferiores, nisi ex commissione aliqua, vel concessione, vel priuilegio ab eodem summo Pontifice factis, & in hoc omnes Doctores conueniunt.

Quando autem non est reseruata, etiamsi à Papa sit fulminata, potest tunc excommunicatus absolui ab Ordinario, vel à proprio sacerdote; vt habetur in cap. nuper. de sen. excomm. licet enim proprius sacerdos non habeat iurisdictionem, tamen absoluit ex commissione Papæ: vt habetur expresse in d. cap. nuper. Et per Ordinarium intelligimus Episcopum, Capitulum, sede vacante, vel alium Prælatum habentem iurisdictionem in excommunicatum, vt habet Silu. absolutio. 1. §. 4. Simplex etiam sacerdos, qui non sit curatus, seu parochus, habens tamen facultatem absoluendi à peccatis mortalibus, potest absoluere ab excommunicatione, secundum Innocen. & Hostien. in dicto cap. nuper in fin. & S. Thom. 4. d. 18. q. 2. art. 5. & Bonauen. 4. d. 18. q. vltima. Silu. ver. absolutio. 1. nu. 4. & hæc est communis sententia: nam per proprium sacerdotem intelligitur omnis is, qui à peccatis mortalibus absoluendi habet facultatem, & de sic proprio sacerdote procedit tex. in d. c. nuper. licet. Panormit. cap. monachi. & c. mulieres de sent. excom. cum alijs teneat, proprium sacerdotem, etiam curam animarum habentem, absoluere non posse, & ipsam sententiam Abb. praxis communis recepit. teste Couar. in rep. c. alma mater. prior part. relect. ver. nobis autem prior placet, §. 12. nu. 5. in fin. qui etiam reflatur vtramq; opinionem esse communem, nec obstat, quod sit par potestas ligandi, & soluendi, c. verbum de pœnit. d. 1. quia sacerdos proprius ex commissione canonis nuper. absoluit, prout etiam aliquibus in casibus canonum commissione etiam excommunicat, vt notat Silues. absolutio. 1. num. 5.

Aduerte autem, aliquãdo in iure excommunicationis, ab-

solutionem reseruari Episcopo, vt in cap. mulieres, de sent. excom. vbi statuitur, vt mulieres, & personæ non sui iuris iniicientes manus violentas in clericos, ab Episcopo Diœcesano absoluantur, & tunc nonnisi ab Episcopo, non autem ab inferiori absolui possunt, vt notat Ange. absolutio. 1. §. 3. Si tamen Prælatus inferior habet iurisdictionem quasi Episcopalē priuatiuè ad Episcopos, potest omnia, quæ potest Episcopus in his, quæ sunt iurisdictionis, vt tenent Abb. in Clem. 1. num. 1 de reb. eccles. non alien. & in c. 1. nu. 7. de voto. & Fely. in cap. a si clerici. §. de adulterijs nu. 11. Et sic officium concessum Episcopo in sua diœcesi in his, quæ sunt iurisdictionis, competit etiam prælato inferiori habente iurisdictionem Episcopalem, vel quasi; vt etiam in specie absolutionis ab excommunicatione notat Fely. vbi supra. Simile est in alijs casibus, in quibus ius alicui reseruatur, tunc inferior non potest, sed ille cui reseruatur, vel superior. Idem est dicendum de excommunicationibus statutorum Prouincialium Conciliorum, seu synodalium, seu quæ faciunt Legati in suis legationibus. Sic enim non reseruantur absolutiones, potest Ordinarius, vt habet Panorm. in cap. graue. de præben. Addit etiam Silu. absolutio. 1. §. 7. proprius sacerdos etiam potest absoluere: nam excommunicationes sunt furis cuiusdam: excipit tamen Religiosos, quibus prohibitum est à talibus synodalibus, aut prouincialibus sententijs absoluere, præterquam in casibus à iure expressis, vel per Sedis Apostolicę priuilegia concessis, Clem. religiosi. de priuileg. Vltra hoc Panorm. in prædicto cap. graue. addit, posse Episcopum absoluere subditum suum, etiamsi in aliena diœcesi contraheret excommunicationem, contrauenies statuto prouinciali, vel synodali illius diœcesis, etiam esset confirmatum per Papam, si non est reseruatio vlla: & ratio est in promptu, quia, si potest absoluere ab excommunicatione lata per canonem, igitur & ab ea, quæ fertur per constitutionem inferioris, licet sit confirmata per Papam. Immo si quis habens domicilium in aliqua diœcesi contrahit excōmunicationem ex statuto aliquo non reseruatam, & postea se transfert in aliam, potest absolui ab Ordinario, ad quem se transfert, vt dicunt Ioan. Andr. & Panorm. cap. ex frequentibus, de institu. & Ricar. 4. d. 18. art. 9. q. 5. Etiam proprius sacerdos posset iuxta superius dicta: sed intellige, si non est reseruata, aut ab homine in particulari lata; tunc enim pertinet ad eum qui excommunicauit. Eadem etiam est ratio in statutis,

seu sententijs generalibus Ordinariorum, quando excommunicationes fulminantur in genere, non determinata persona; hæ enim vim iuris habent, etsi non est reseruatio, & ab eis possunt absoluere illi, qui absoluunt à non reseruatis à iure, vt habent Io. Andr. & Card. in d. c. graue. de præben. Hæc dicta sint de excommunicatio. à iure vel ab homine in genere latis.

Superest dicamus de excommunicatione ab homine, quæ in particulari fulminatur contra determinatam personam: huius autem absolutio pertinet ad eum, qui excommunicauit; vel ad successorem, si mortuus est, vel ab officio ammotus qui tulit sententiam; vt habetur. 11. q. 3. can. 38. vel ad superiorem habentem plenam iurisdictionem in excommunicatorem: vt, si sacerdos parochialis, vel Archidiaconus, aut alius subditus Episcopo ex consuetudine, vel alio iure subditum suum excommunicauit, talis ab Episcopo potest absolui, vt habet Inno. cap. cum ad Ecclesiarum. de offi. ordi. quia Episcopus est Ordinarius totius diœcesis. 11. q. 1. per totam, & c. cum Episcopus, de offic. ordin lib. 6. & concurrit cumulatiue cum his ad actum iurisdictionis. Glos. in cap. pastoralis, in prin. & ibi Doct. de offi. ordin. & Abb. in cap. qua fronte, num. 7. de appel. Non tamen debet, irrequisito excommunicatore, si ex officio processit, absoluere, vt habet Abb. in cap. per tuas, num. 13. de sent. excom. Nec etiam parte non citata, sed ad instantiam partis fuit lata excommunicatio; vt dicit Abb. ibi & notant Doct. in cap. qua fronte, de appell. nisi periculum, sit in mora, secundum Abb. in d. c. per tuas, num. 13. Si tamen faceret, teneret absolutio, secundum cõmunem, vt notat Abb. in d. cap. qua fronte, nu. 6. 7. etiam non præmissa satisfactione; tamen male faceret, quia suis subditis iurisdictionẽ non seruat, vt notat Inn. in d. c. cum ab Ecclesiarum, nu. 6. Hoc tamen limitandum est, nisi consuetudo habeat, ab Episcopo non posse absolui excõmunicatos per inferiorem: sed alterum primò cognoscere debere; tunc enim absoluere non posset, neque teneret, quod ab Episcopo fieret; iuxta Inn. vbi supra, num. 6. per cap. dilecto. de offi. Archi. Si autem superior non haberet plenam iurisdictionem, absoluere non posset; vnde Archiepiscopus non potest absoluere excommunicatum a Suffraganeo indifferẽter, nisi ab eo fuerit ad illum appellatum, & hoc, vocatis partibus, & cognito de appellatione, vt habetur cap Romana. de appel. in 6. vel in quibusdam casibus, in quibus iudicare potest de subditis Suffraganeorum. Qui autem sint isti casus, vide

Silueſt.in ſumm.ver,Archiepiſcopus. Extra hos caſus, ſi abſoluat,nulla eſt abſolutio,quia eſt à non ſuo,iuxta cap. paſtoralis,de offic.ordin.& notat Abb.in cap. qua fronte, num.7. de appell.

Aduerte autem, ſi ſuperiori, ad quem deuoluitur iuriſdictio via appellationis,conſtat euidenter, ſententiam excommunicationis eſſe iuſtam,debet abſque abſolutione remittere excommunicatum ad excommunicatorem ; niſi excommunicator requiſitus,malitioſo illi abſolutionis beneficium deneget,iuxta cap.per tuas,in fin.& ibi, Abb.num.10.de ſent. excomm.Si verò conſtat,iniuſtam eſſe ſententiam,nequaquam eſt remittendus ad ſuum excommunicatorem: ſed debet ſine difficultate aliqua mox abſolui,cap.venerabilis,§.ſane de ſent. excomm.lib.6.& Abb. vbi ſupra. Quod ſi dubitatur de iuſtitia,vel iniuſtitia,tunc ante abſolutionem,ſiue petatur ad cautelam,ſiue non,debet conſtare de legitimitate appellationis, & tunc eſt in optione ſua,an velit remittere,an abſoluere, vt habet Abb, vbi ſupra per illos tex.

Aduerte rurſus,in caſibus, in quibus eſt deuoluta iuriſdictio ad iudicem,ſi ipſe iudex abſoluat abſque citatione, vltra abſolutionem,iuxta Abb.in cap.qua fronte,num.7. de appell. Poteſt etiam ille,cui Epiſcopus committit ſuas vices,abſoluere ab excommunicatione lata per ipſum Epiſcopum, quando expreſsè commiſſa eſt abſolutio:non autem,ſi in genere commiſit vices ſuas,vt habet Directori.lib.3.tit.5. & Ange.abſolutio.2.§.4. immo etiam,ſi committat vices in his,quæ requirunt ſpeciale mandatum:nam in tali mandato non claudūtur grauiora,& maiora, quàm ſint in commiſſione expreſſa, vt habetur ex Clem.non poteſt,de procurat. Abſoluere autem ab excommunicatione eſt maius, quam abſoluere ſimpliciter,quia eſt cum iniuria ſuperiorum, vt etiam habet Silu.abſolutio.2.§.2.

Similiter etiam, quando quis excommunicatus eſt, quia participauit in crimine criminoſo: pertinet abſolutio ad excōmunicatorem prioris,vt habetur cap.nuper. de ſentent.excom.vel ad eius ſucceſſorem,vel ſuperiorem,aut vicarium, vt dictum eſt de abſolutione ab excommunicatione ipſa hominis:& idem eſt,quando excommunicatio fuit canonis; eiuſdē enim eſt abſolutio talis participantis, cuius eſt abſolutio excommunicati,cum quo taliter participat,vt notat Couar.cap alma mater.§.3.num.5.

Extra

Extra territorium autem proprium, sicut Episcopus, vel alius iudex non potest excommunicare suos subditos, vt superius diximus, ita nec absoluere, nisi de licentia proprij diœcesani, vel, vt illic adnotauimus, quando est expulsus à propria diœcesi; vtrumque tamen intellige, cùm necessaria est cognitio causæ ad excommunicandum, vel absoluendum; si enim non est necessaria, quia est in manifestis, potest vtrumque facere, vt habet Ange. absolutio. 2. §. 5. Hostien. in c. nouiter. & ibi Henric. Boic. de offi. leg. Aduerte autem causæ cognitionem tunc impedire absolutionem, quando fit cum strepitu iudicij, & non quando ex officio priuatim adhibetur; vt notat Card. Alex. in c. qui in aliquo, col. 2. in fin. dist. 51. & Calderi. consi. 2. de elect.

Aduerte postremò, quamuis verum sit, qui excommunicauit, quando sententia est ab homine, in particulari, posse absoluere à sua sententia; tamen in aliquibus casibus non potest.

Primus est in delegato Papæ, qui inobedientem suę sententiæ excommunicare potest; tamen post annum à sua definitiua sententia, non potest absoluere permanentem in excommunicatione tali. ita habetur cap. quærenti. de offic. delega. vbi Panorm. affirmat, eandem rationem esse de quouis alio delegato alterius; pertinet enim tunc absolutio ad eum, cuius est delegatus.

Secundus casus est, si, postquàm excommunicauit, ipse incidit in excommunicationem, quia tunc, sicut non potest excommunicare, 24. q. 1. can. audiuimus, ita nec absoluere: quod de publico intelligendum est in foro exteriori, & de maiori excommunicatione: nam si incidit in minorem, potest absoluere, iuxta cap. si celebrat. de cleri. excom. ministr.

Tertius casus est, in incendiario, quem Ordinarius excommunicare potest; sed post denunciationem absoluere non potest, sed solus Papa, vt habetur cap. tua, de sent. excom. Aduerte autem; incendiarium Ecclesiæ, vel loci religiosi, esse ipso iure excommunicatum, c. in literis, & ibi Glos. de raptor. & incendiar. & Glos. in c. cum deuotissima. ver. si vero. 12. q. 2. Alij verò incendiarij non sunt ipso iure excommunicati, sed excōmunicandi per sententiam; & tàm primi, quàm secundi, post publicationem non possunt absolui, nisi per Papam. Antea verò Ordinarius posset, vt habet Abb. in d. c. tua. num. 2.

Quartus est, in sententia lata ab inferiori, sed per Papam ex

certa scientia confirmata.quod intelligitur de sententia ab homine,secundum Ioan.Andr.cap.ex frequentibus, de institut. Secus,si confirmat sine certa scientia, aut causæ cognitione, vel sententia esset per statutum quantumcumque confirmatum ; quia tunc absoluere posset inferior, nisi Papa sibi, vel alteri reseruasset,sicut de his,quæ sunt à iure, vt supra diximus.

Quintus,in eo.cui Papa mandat, vt aliquem excommunicet sine aliqua cognitione causæ,quia,cùm talis sit merus executor,absoluere non poterit,deducitur hoc ex cap.fin.§.fin.de offi.delega Secus,si cognitionem causæ mandasset, quia tunc posset absoluere,vt notant Ioan.Andr.& Hostien.cap.cum inferior.de maior & obed.

Sextus, quando Episcopus denunciat excommunicatum spoliatorem Ecclesiæ cum effractione, tunc à Papa est absoluendus,vt habetur cap.conquesti. de sen.excom.Hi sunt casus in quibus in sententia ab homine nõ potest is.qui excommunicat,absoluere:ex quibus omnibus patet,quis possit absolure ab excommunicatione.

De minori excommunicatione.

CAPVT XVII.

MInor excommunicatio hominem separat à passiua sacramentorum communione;ita vt,qui aliquod sacramentum suscipit,mortaliter peccet ; non tamen ob talem susceptionem irregularis fit,etiamsi celebret, vt habetur cap.si celebrat.de cler.excom.ministr.A collatione vero actiua sacramentorum,non removetur ; obid, nec mortaliter peccat conferendo,nec irregularis fit:vnde,qui celebrat,mortaliter peccat,cui in celebrando,sacramentum suscipit ; conferendo tamen,grauiter peccat,vt habetur prædicto cap si celebrat.Hoc tamen Doct.multi exponunt de veniali peccato,inter quos sunt Maior.4.d 18 q.2. Adrian.4. in materia de clam. bus.q.3.& Palud.4.d.18 q.6.quibus consentio,quia per excommunicationem hãc,non separatur ab actiua sacramentorum collatione;vnde non peccat mortaliter, conferendo, sed venialiter,ob irreuerentiam quandam,etiamsi aliqui aliter sentiant.Sacramenta tamen collata à tali excommunicato tenẽt, & suum sortiuntur effectum, vt omnes Doct.dicunt. In hac

igitur

igitur separatione à passiua sacramentorum communione huius excommunicationis natura consistit; sicut etiam natura maioris excommunicationis in illa plena separatione, de qua diximus in superioribus.

Minoris excommunicationis effectus vnus est, nempe priuare huiusmodi excommunicatione passiua beneficij Ecclesiastici, vt eligi non possit ad beneficium, seu dignitatem Ecclesiasticam. ita habetur in prædicto cap. si celebrat: vnde, qui minori excommunicatione ligatus beneficium recipit, mortaliter peccat, sicut & sacramentum suscipiens, quia, tàm sacramentorum susceptione, quàm electione passiua priuatur. An tamen talis electio teneat, an potius ipso iure sit nulla. Doct. discordant. Panormit. eodem cap. si celebrat. & ibi Glos. cum alijs tenent, ipso iure nullam esse, immo etiam, si ignorata excommunicatione eligitur. Mihi tamen magis placet, cum Fely. cap. dilectæ de except. Ange ver. electio. §. 24. Siluest. ver. electio §. 16. non esse ipso iure nullam, sed esse annullandam per sententiam, & quod me mouet est, quia in illo cap. si celebrat. dicitur, irritandam esse talem electionem, quod verbum non significat ipso iure irritam, & nullam, immo dicitur, si scienter excommunicato est facta; quando enim ignorantia erat, adhuc non videtur irritanda, nec est aliud caput, in quo talis electio ipso iure irriretur: nam reliqua, in quibus electio excommunicati ad beneficium annullatur, procedunt de maiori excommunicatione, vt ex ipsis colligitur, & ex Doctorum communi sententia. Quæ autem sunt iurisdictionis actiuæ, vt eligere, excommunicare, & cætera, non sunt prohibita excommunicato minori excommunicatione, vt Doct. communiter tenent, in prædicto illo. c. si celebrat. & in eodem cap. expresse id habetur.

Minor hæc excommunicatio, licet ab homine ferri possit, tamen non est in vsu, immo in iure non inuenitur casus alius in quo propriè contrahatur, nisi communicando cum excommunicatis, iuxta cap. nuper-de sent. excom. Quod limitandum adhuc est per extrauagantem Martini, superius positam ad nominatim excommunicatos, & denunciatos, & ad publicos percussores clericorum, qui enim cum his communicat, minorem contrahit excommunicationem, sed hæc minor non afficit alios; non enim qui communicat cum excommunicato minori; contrahit minorem. ita habet Glos. 11. qu. 3. can. ex-

cellentissimus.etiamsi cõmunicet cum eo in sacramentorum susceptione,ea ei conferendo: vnde fit,vt minor etiam propter veniale peccatum contrahatur aliquando: nam,vt supra diximus, non semper est mortale peccatum communicare cum excommunicato: nam in humanis communicare,est veniale,nisi adsit contemptus,vel sit excommunicatus de participantibus:& tamen minor etiam in eo casu contrahitur, in quo est veniale.

Eius absolutio potest fieri, etiam à quocumque sacerdote, habente facultatem absoluendi prędictum excommunicatum à mortali,vt habetur cap.nuper.de sent.excomm.Immo.si excommunicatus non haberet nisi veniale,posset absolui à quocumque simplici sacerdote,vt habet D.Nauarr.cap.27.in sum. num.39. talis enim sacerdos respectu venialis est proprius Confessarius.

De excommunicationibus in Bulla Cœnæ reseruatis.

CAPVT XVIII.

POstquàm ea pertractauimus, quæ de excommunicatione in generali scitu necessaria duximus, ad casus particulares,quibus excommunicationes à iure contrahuntur, descendere oportet;est enim necessarium, Confessarium hos non ignorare. At quia excommunicationes in duplici differentia reperiuntur,quædam sunt, quarum absolutio summo Pontifici reseruatur;quædam, quarum absolutio aut nemini, aut Episcopo reseruatur: priori loco duximus exponendas eas quæ Papæ reseruatam absolutionem habent: quamuis autem inter has,quædam sint antiquiores, quædam minus antiquę; & inter has sint quæ communiter vocantur in Cœna Domini,tamen quia harum absolutio difficilius à Sede Apostolica cõceditur,& quia hæ singulis annis,solemnitate magna à Romano Pontifice,coram toto populo fulminantur, initium faciemus ab ipsis,exponentes Bullam Cœnæ,editam à Sanctissimo Domino Sixto Quinto, Anno millesimo quingentesimo octuagesimo sexto:antequam autem ad eius expositionẽ accedamus,oportet prænotare tria.

Primò,Bullam hãc appellari processus generales,quasi sententias quasdam contra personas quascumque delinquentes,

&contrauenientes mandatis Romani Pontificis contenti, in eis; Romanus enim Pōtifex animaduertens vnionem fideliū cum capite Christo,& secum eius Vicario maximè esse necessariam, ad Religionis puritatem retinendam, specialia quędam, quæ huic vnioni obstare posse videbantur, sententia particulari prohibuit.& licèt quędam ex eis antiquo iure prohibita essent,etiam sub excommunicatione reseruata Romano Pontifici;quædam verò excommunicatione non reseruata;quædam autem nullam censuram haberent annexam;voluit tamē hæc omnia hominis sentētia multo magis,quā antè erāt,inhibere,& à fidelibus prorsus auertere,vt acerbior pęna à peccatis huiusmodi perpetrandis amplius deterreret. Atque hæc est materia & finis horum processuum. Olim autem ter in anno publicabantur solemniter à Romanis Pontificibus, vt habetur in Cæremoniali vetusto manu scripto in Bibliotheca Vaticana,& refert Gloss. in Clem.1.tit.solemnes. de iud.puta in die Iouis Sancti,in die Ascensionis, & in die dedicationis basilicæ Petri,& Pauli. Modò tamen à multis annis semel in anno publicantur, nempè in die Iouis Sancti;ob id communiter processus hi vocantur Bulla in Cœna Domini.

Secundò adnotandum est, processus hos antiquos esse,& Romanos Pontifices à multis annis solitos fuisse eos publicare:nam in Vaticana Bibliotheca reperiuntur processus Gregorij vndecimi,qui vixit anno Domni millesimo trecentesimo septuagesimo, nec creditur primus,q hos publicauit:licet aūt,quando inceperint, ignoretur,hoc tamen certum est,Romanos Pontifices mutasse,aut minuendo,aut augendo;in illis enim processibus Gregorij, hæ tantum excommunicationis fulminatæ reperiuntur; contra Hæreticos,piratas,imponentes noua pedagia,deferentes prohibita ad infideles, falsarios litterarum Apostolicarum; mutilantes personas ad Sedem Apostolicam venientes,& recurrentes ad eādem curiam super eorum causas; capientes Romipetas; & occupantes terras Ecclesiæ. At nunc multo plura personarū genera comprehensa sunt sub posterioribus processibus, & sub præsentibus maximè,de quibus nunc tractamus.

Tertiò adnotandum est, excommunicationes contentas in huiusmodi processibus, esse ab homine,vt benè notarunt Doct.Sotus.4.d.22.q.2.art.3.& Nauar.cap.27 summæ, num.54. Habent tamen vim iuris non solum in eo, quod generaliter fulminantur,sed etiam in eo,quod durat efficacia eorum,etiā

mortuo Pontifice,& Sede vacante: nam quamuis olim affirmari posset mortuo Pontifice, processus hos non habere robur contra peccantes,seu contrauenientes mandatis eo tempore,quo Sedes vacabat licet ij, qui ante erant ligati viuente Pontifice,non ob id censerentur absoluti,sicut in sententia ab homine ista solent accidere:tamen in his processibus præsentibus,& quia tempore Pij Quinti pronunciati sunt, id cautum est,processus hi habeant robur,etiam Sede vacante, vsque ad tempus quo à futuro Pōtifice noui edantur. His igitur suppositis,accedamus ad singularum partium explicationem.

De prima excommunicatione in Bulla Cœnæ contenta.

CAPVT XIX.

PRima excommunicatio fulminatur cōtra hæc vndecim genera personarū. Hæreticos quocumq; nomine cēseatur,& cuiuscumque sectæ existant;eorum credentes; receptatores;fautores;quoslibet eorum defensores. Libros Hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine Sedis Apostolicæ auctoritate,scienter legentes. Eosdem libros retinentes; imprimentes; quomodolibet defendentes, quauis causa, publice,vel occulte,quouis ingenio,vel colore. Schismaticos,eosque, qui à Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt,aut recedunt. Horum quinque,scilicet Hæretici; eorum credentes; fautores;receptatores;defensores,erant excommunicati olim iure communi,licet excommunicatio non fuerit reseruata. ca. excommunicamus.extra de Hæretic.ab Innoc.3.& c.quicumque de Hære.in 6.ab Alex.4.Schismatici etiam excommunicati erant c.nulli. d.19.vt benè notauit Silu. ver.Schismaticus. §. 5. Oportet singula explicare.

Hæretici dicuntur,qui errorem habent aliquem contra fidem cum pertinacia;est enim pertinacia necessaria ad constituendum hominem hæreticum, vt habetur.24.qu.3.can. dixit Apostolus.& can.qui in Ecclesia. Est autem pertinacia,quādo homo scit,aut scire debuit, & potuit aliquid esse contrarium Scripturæ Sacræ,aut ab Ecclesia damnatū,& ei adhærer assensu: vnde ignorantia crassa à pertinacia non excusat,vt dicit Sotus 4.d.22.q.2.art.3. Dubius etiam cum eadem pertinacia

in fide

in fide est hæreticus, cap.1.de hæret.vbi dicitur:Dubius in fide est infidelis, & c.1.de sum.trinit. vbi censetur hæreticus dubitans animam rationalem esse corporis formam. Ille autem dubitat cũ pertinacia,qui animo deliberato dubitat in ijs,quæ sunt contra scripturam, aut Ecclesiam,sciens, aut ignorantia crassa ignorans.

In hoc autem sunt tria notanda. Primum est,ad incurrendam excommunicationem, non satis esse interiorem hæresim,aut dubium;qui enim hęreticus est tantum in mente sua, nec vllo signo,vel verbo, vel facto expressit errorem,non est excommunicatus, potestque absolui à quolibet Confessario. ita tenet Alexan.de Ales 2.p.qu.182.nu.2.& S.Thom.1.2. q.91. art.4. qui docent, vniuersaliter non posse Ecclesiam circa actus purè interiores præcipere aliquid,aut punire.Hoc in particulari de hæretico tenet etiam Anto.3.part.tit.25.c.4. Caietan.ver. hæresis.Palud.4.d.13 qu.3.cum alijs multis, licet contrarium teneat Gloss.Clement. multorum. de hæret. & Adri. quodlib.8.q.1. Sed prima sententia est communissima, & tenenda.

Secundum est,hæreticum purè exteriorem, qui facto,vel verbo hæretico vsus est,aut timore,aut alia passione, sed interius non est hęreticus,non incurrere etiam in excommunicationem in foro interiori.dico interiori,quia exterius,sicut reputabitur hæreticus,sic etiam excommunicatus.Istud est contra Caiet.2.2.q.94.art.1.& q.12.art.1.tamen eius sententia non est tenenda;cum enim huiusmodi homo verè non sit hæreticus,non comprehenditur sub censura lata contra hæreticos: & ita tenet Anto.3.p.tit.12.c.5.Tabi.ver.hæreticus, num.1. Silu. ver.hæresis,1.§.9.

Tertium est,hæreticum, qui interius habet errorem,& exterius exprimit aliquo signo,vel verbo,vel omissione alicuius exteriorum,quod debebat facere, & ex errore omittit,quantumcumq; sit occultissimus,incidit in excommunicationem istam.Ita tenet Caie.ver.hæresis.Silu. ver.excommunicatio.7. §.3.& Glos.24.q.1.can.Achatius 1.& Palu. 4.d.13.q.3.nam ille talis est hæreticus,super quem Ecclesia facultatem habet.

Secundum genus personarum est,credentium hæreticorũ: qui autem sint credentes hæreticorum explicant bene Archidia.cap.quicumque,de hære.in 6.& Palu.4. sent. d.13.q.3.& Sil. verb hæresis 1.§. 10. nempe illi, qui errorem expresè,& explicite non habent, sed implicitè. exemplum ponit Palu.de

quibus-

quibusdam. Vnus habebat multos errores, & dicebatur Gulielmus; alter erat Rusticus, nihil in particulari sciebat, sed dicebat se velle mori in fide Gulielmi. prior erat hæreticus, posterior dicebatur credens, & absque dubio, etiam credens hæreticus est, sed credens dicitur, quia hæresim implicitè, & in alio profitetur. Sicut etiam inter Catholicos sunt Rustici, qui fidē implicitè tenent credentes quidquid credit Ecclesia. Credentes igitur hæreticorum, excommunicati sunt, quando talem implicitum errorem exprimunt exterius dicentes Caluinum fuisse virum bonum, se velle mori in fide illius, & alia his similia errorem suum exprimentia.

Tertium genus personarū sunt, receptatores hæreticorū aut credentium eorum: notant autem Archi. Palu. Silu. locis citatis, non sumi receptatores secundum vim grammaticam, vt illi dicantur receptare, qui frequenter recipiunt; sat enim ad contrahendam hanc excōmunicationem, si vel semel receperint. Dicūtur autem, secundū prædictos, doctores receptare omnes illi, qui in domibus, vel in alijs locis hæreticos recipiūt, occultando eos, ne in manus Iudicum veniant, & pœnas in hæreticos latas euitent, Idem etiam tenet Tabie. ver. excom. 5 casu. 2 num. 7. & deducitur hoc ex lege. 1. ff. de recepta. & inl. congruit, ff. de offi. præsid Vbi dicuntur receptatores, fine quibus latro diu latere non potest, quasi is sit receptator, qui recipit ad occultādum. Qui ergo alios ob fines recipit, non est censendus receptator; vt, qui recipit, ne occidatur à latrone, vel à Iudice procedente ratione homicidij, vel alterius criminis; debet enim esse in causa hæresis.

Quartum genus personarum sunt, eorundem fautores. prædicti autem Doct. Archi. Palu. Silu. locis citatis, explicant, fautores esse in duplici differētia; quidam sunt fautores omissione, quidam commissione. Ij dicuntur omissione fautores, qui, cum ex officio teneantur hæreticos punire, & incarcerare, nō faciunt, nec contra eos procedunt, iuxta c. ad abolendam. de hæret. Addit etiam Silu. sub hac censura comprehendi etiam personas priuatas, quæ ex iuramento aliquo tenentur eos deferre, aut denunciare, & non denunciant, quales sunt ij, qui familiares inquisitionis dicuntur; non tamen illos, qui non ex iuramento tenentur, sed ex præcepto charitatis: nam quilibet hæreticum denunciare tenetur, & omittendo denunciare, peccat; tamen non censetur fautor, nisi iuratus sit; quamuis Palu. 4. d 18. quæst. 3 art. 1. teneat, esse fautores, personas priua-

tas,

tas, quæ nolunt indicare; melius tamen dicit Silueſt. Illi autē dicuntur commiſſione fauere, qui verbis, literis, aut factis fauent; vt, qui laudat hæreticos, dicendo, iniq; Inquiſitores procedere contra ipſos, eſſe bonos viros; aut, qui mittunt munera, iuxta cap. accuſatus de hæret in 6. aut præſtant alimoniam, arma, quibus fugiant, & liberent ſe à manibus Iudicum, aut alia huiuſmodi faciunt; fauor enim ſemper debet eſſe in ordine ad hæreſim; vt etiam dicit S. Anton. in tract. de excomm. cap. 4.

Quintum genus eſt, defenſorum hæreticorum, vel credentium eorum: qui autem ſint defenſores, explicant Archi. cap. quicunque, de hæret. in 6. & Sil. hæreſis. 1. §. 10. nempè, qui viribus, aut potentia defendunt hæreticos, ne veniant in manus Iudicum puniendi, aut excommunicandi, aut capiendi. Dicit etiam Card. Clemen. 1. de pœnit. defenſores eſſe eos, qui patrocinium præſtant, & aduocant pro hæreticis, ſcientes, non habere illos iuſtitiam, & hoc in caſu hæreſis. Addit etiam Palu, 4. d. 13. q. 3. Notarios etiam qui ſuum miniſterium adhibent in ſimili caſu, eſſe defenſores. Ex his ſequitur, defenſionem eſſe intelligendam in ordine ad hæreſim; vnde Silu. loco citato dicit, non eſſe defenſorē, qui hæreticū defendit à priuata perſona, vt à latrone, vel alio iniuſtè volente ei nocere. Adde etiā, non eſſe defenſorem, qui in cauſa ciuili, vel criminali alia ab hæreſi ipſum quoquomodo defendit. Tales enim non ſunt defenſores, de quibus in hac Bulla fit mentio.

Oportet autem in his tribus, receptatione, fauore, & defenſione adnotare, ad contrahendam excommunicationem, debere fieri ſcienter, nempè, vt qui receptant, fauent, defendunt hæreticum, ea faciant ſcientes eum eſſe talem. Adnotanda etiam eſt in his tribus doctrina Caiet. ver. excommu. c. 1. non eſſe fautorem, defenſorem, receptatorem hæretici, niſi qui defendit, fauet, receptat hæreticum, vt hæreticus eſt. idem Nauar. c. 27. ſummæ. num. 56. Quod intelligi dupliciter poteſt; vno modo, vt fauor, receptatio, aut defenſio hæretici fiāt propter hęreſim, ſeu in fauorem hæreſis. Altero modo, vt fiant in cauſa hæreſis, licet non fiat propter hæreſim. Primo modò nō eſt intelligendus Caieta. eſt enim opinio falſa; non enim tantum, qui ſic receptant, fauent, aut defendunt, excommunicati ſunt: nam l. 2. ff. de recepta. puniendus eſt, vt receptator conſanguineus, & affinis, qui receptat latronem occultando: & clarum eſt, quod illi non recipiunt, quia fur eſt, vel in furti fa-

uorem,

uorem, sed quia consanguineus ; tamen, quia illa receptatio est in furti occultationem, censetur receptator. Sic etiam est de receptatore hæretici, defensore, vel fautore. Modo tamen secundo verissima est opinio, vt defensio, fauor, receptatio sint in causa hæresis, licet non propter hæresim fiant, sed quia amici, aut consanguinei sunt , aut similibus alijs finibus, vel motiuis. Quod tamen sine licentia Inquisitoris fieri non potest.

Sextum genus personarum sunt, scienter libros hæreticorum legentes, non quidem quoscumque, sed eos dumtaxat, in quibus vel eorum errores continentur , vel de Religione tractant, etiamsi in eis error non contineatur. Qui verò cæteros legunt libros ab hæreticis compositos, non contrahunt huius Bullæ excommunicationem; sed eam, quæ est in Indice librorum prohibitorum. Præterea, siue paucæ lineæ, siue multæ legantur, incidunt legentes in canonem hunc dummodò tamen scienter legant, id est, sciendo esse librum hæretici. Præterea, paucæ lineæ, siue multæ legantur, incidunt legentes in canonem hunc; dummodò tamen scienter legant, id est sciendo esse librum hæreticum. Præterea, siue legant ad errores cognoscendos, vel impugnandos , vel ad aliquam eruditionem depromendam; omnes hi excommunicationem incurrunt, dummodò sine licentia Sedis Apostolicæ fiat. Hic tamen aduerte, aliud esse legere libros prohibitos tantum , aliud libros hæreticorum; sunt enim multi libri prohibiti, qui non sunt hæreticorum , vt Biblia in lingua vulgari , opera quorundam, quæ in Indice habentur. Qui ergo hos libros legunt, non comprehenduntur in hac excommunicatione : sed Regulæ Indicis sunt considerandæ : at verò , quando libri sunt hæreticorum , tunc legentes sunt excommunicati in Cœna.

Reliqua tria personarum genera non indigent explicatione; sunt enim scienter tales libros hæreticorum retinentes; aut eos imprimentes; eosdem defendentes, quolibet colore, publicè, vel occultè. Et ij dicuntur defendentes , qui modo aliquo prohibent, ne ab Inquisitoribus tales libri habeantur, aut comburantur, sicut supra diximus de defensoribus hæreticorum; aut, qui etiam verbis eos laudant, affirmãdo, tales libros non esse comburendos, aut prohibendos.

Decimum genus personarum in excommunicatione hac contentarum, Schismatici sunt, qui quidem in Bullis antiquis

ante Pium Quintum non continebantur. Dicuntur autē Schismatici à Schismate, quod est peccatum contra charitatem. Est autem Schisma rebellis separatio ab Ecclesiæ capite, & Vicario Christi: sunt enim duo necessaria ad peccatum hoc contrahendum, vt habet S. Thom. 2. 2. q 39. art. 1. ad. 2. Alterum, vt homo se separet ab Ecclesiæ capite, scilicet Summo Pastore, & Vicario Christi, per inobedientiam, non obediendo ipsi. Alterum, vt sit hoc cum rebellione quadam, nimirum pertinaciter ipsius iudicium subire nolendo eiusque præceptum contemnendo. talis est Schismaticus. Est autem aliquando Schisma coniunctum cum hæresi, aliquando sine hæresi. Cùm hæresi quidem, quando homo opinatur, Pontificem Romanum non esse Christi Vicarium, nec caput totius Ecclesiæ; hæc enim hæresis est. Sine hæresi autem est, quando interius quidem non negat esse caput, tamen malitia, vel passione tractus, non vult ipsum cognoscere, nec talem opere confiteri, tunc est Schisma purum sine hæresi: vnde omnis hæreticus est etiam Schismaticus, non tamen omnis Schismaticus est hæreticus; quamuis frequentissimè sit etiam hæreticus. vt habetur 24. q. 3. can. inter hæresim. Hi igitur Schismatici incidunt in hanc excommunicationem, etiamsi nullam hæresim habeant admistam.

Vndecimum genus est personarum ab obedientia Romani Pontificis pertinaciter se subtrahentium, aut ab ea credentium. Nec est putandum, Schismaticos significari his verbis: nam iam tales superius proprio nomine excommunicati sunt; sed significantur illi, qui mandato Romani Pontificis pertinaciter, id est, scientes esse tale mandatum, nolunt obedire, nec hoc ad Schisma satis est: nam Schisma est, quando homo in totum à iudicio, & obedientia Romani Pontificis se subtrahit, opere ipso non recognoscendo eum superiorem. Hac ergo censura ligantur pertinaciter inobedientes, licet Schismatici non sint; non enim omnis inobediens est Schismaticus.

De secunda, & tertia excommunicatione in Bulla Cœnæ contentis.

CAPVT XX.

SEcunda excommunicatio fulminatur contra tria genera personarum, nempè appellantium ad futurum Concilium ab ordinationibus, sententijs, seu mandatis Summi Pontificis; dantium ad hoc consilium, & dantium etiam auxilium vel fauorem. In qua excommunicatione nonnulla sunt notanda.

Primò, duo esse verba, nempè, Excommunicamus, & Interdicimus. Prius refertur ad personas; posterius ad Vniuersitates, Collegia, & Capitula appellantia, vel dantia auxilium, vel consilium; hæc enim non possunt excommunicari, vt habetur c. Romana. de sen. excom. in 6. ob id interdicuntur. At personæ cuiuscunq; conditionis gradus, vel status excommunicantur.

Secundò, hæc excommunicatio contra eadem tria genera personarum est antiqua, lata, & reseruata à Pio Secundo, & confirmata à Iulio Secundo, cuius extrauagantis meminit Caiet. verb. excommunicatio. cap. 25. & Silu. ver. excomm. num. 93.

Tertia excommunicatio lata est contra omnes Pyratas, Cursarios, & Latrunculos maritimos discurrentes mare Ecclesiæ, præcipuè à Monte Argentario, vsque ad Tarracinam, & contra eorundem fautores, receptatores, & defensores. In declarationem huius nonnulla dubia occurrunt.

Primum est; Quis sit dicendus Pyrata. Ad quod Ang. verb. Pyrata. respondet, Pyratam esse, quicunque in mari, vel flumine deprædatur: si in mari, dicitur marinus, & excommunicationem hanc incurrit: si in flumine, est fluuialis, & non incurrit eam, quia contra maritimos fulminata est. Silu. autem ver. excom. 7. §. 56. non recipit hoc: putat enim, tria esse necessaria ad Pyratam.

Primum est, indifferentia spoliandorum, id est, vt non tantum vnius nationis homines deprædetur, sed indifferenter homines, siue vnius, siue alterius nationis, vnde Genuenses spoliantes olim solos Venetos, non censebantur Pyratæ.

Secun-

Secundùm est, intentio principalis; si enim aliqui Mercatores, suæ negotiationi incumbentes, in itinere spolient aliquos, non sunt propterea à Pyratæ dicendi.

Tertium est, vt non sit bellum inter spoliantes, & spoliatos indictum; indicto enim bello, siue iusto, siue iniusto, non dicuntur Pyratæ, quia iure, & titulo belli, tunc spolium fit. Cùm Silu. consentit Tabien. verb. excommunicatio. 5. casu. 25. nu. 4. Ego secundam, & tertiam conditiones puto esse necessarias; sed non primam: nam spoliantes hos, vel illos, etiamsi vnius nationis essent Pyratæ dicentur. Denique qui principaliter versantur in deprædando in mari, dicũtur Pyratę, aut Latrunculi, aut Cursarij maritimi, siue hæc idem, siue diuersa significent: sub his enim vocibus omne genus, talium latrunculorũ, & deprædatorum comprehenditur.

Aduertendum autem est, hanc excommunicationem restrictiorem esse, quàm in alijs Bullis; prius enim excommunicabantur omnes Pyratæ, Cursarii, Latrunculi maritimi, & illi præcipuè, qui in mari, à Monte Argentario, vsque ad Tarracinam discurrebant. At nũc ablata est illa particula (&) sequensque verbum non copulat, sed restringit præcedens, nempè illos maritimos excommunicari, qui discurrunt mare Ecclesię, præcipuè à monte Argentario, vsque ad Tarracinam. Cæteri tamen non comprehenduntur in hac Bulla; sicut nec qui in fluminibus deprædantur, vt dicemus inferius. Verba Bullæ sunt hæc. (*Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Pyratas, & Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes mare nostrum, præcipuè à monte Argentario, vsq; ad Tarracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.*) In alijs vero Bullis sic habebatur. (*Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Pyratas, Cursarios, Latrunculos maritimos, & illos præcipue, qui mare nostrum à Monte Argentario, vsque ad Tarracinam discurrere, & nauigantes in illo deprædari, mutilare, interficere, ac rebus, & bonis suis spoliare præsumpserunt, hactenus, & præsumunt, ac omnes receptatores eorundem & eis auxilium scienter dantes, vel fauorem.*

Aliud dubium est, an incidant in excommunicationem hãc Pyratæ, statim ac mare discurrere incipiunt. Caiet. verb. excommu. c. 18. respondet, quod non; sed est necessaria vna harum actionum, deprædari, mutilare, aut interficere, aut spoliare bonis suis aliquem. Si autem, vel semel horum aliquid fecerint, excommunicati sunt. Hæc tamen doctrina non habet locum in Bulla hac, in qua actio discurrendi sola exprimitur,

quæ sufficit, etiamsi nulla alia sequatur. Aduerte procedere ista de Pyratis, qui Christianos expoliant, non de his, qui infideles.

Aliud dubium est, an isti iure antiquo fuerint olim excõmunicati: dico cum Silu. loco citato, & cum alijs communiter Doct. quod non, sed erant excomunicandi, vt habetur cap. excommunicationi. de rap. vbi dicitur, excommunicationi subdentur, qui Romanos, aut Christianos nauigio vectos pro negotiatione, vel alijs honestis causis, capere, aut bonis suis spoliare præsumunt; Quæ excommuncatio ex vna parte minus lata est, quam quæ nunc habetur in hac Bulla, quia non complectitur discurrentes tantum; sed eos, qui aliquid ex narratis actionibus faciunt. Ex altera tamen parte latior est, quia complectitur quoscumque Pyratas maritimos, vel fluuiales, vbicumque deprædentur: non autem solos mare tantum Ecclesiæ discurrentes: complectitur eos, qui deprædantur, spoliant &c. nauigantes quocumque modo, & quacumque de causa, etiam non honesta.

Aliud dubium est, an qui in mari versantur, & flumina ingrediuntur, vt alios deprædentur, sint in hac Bulla excommunicati. Respondeo affirmatiuè: nam maritimi Pyratæ dicuntur; non vero, qui solum in fluminibus deprædantur, vt dicit Ang. ver. Pyrata.

Receptatores horum Pyratarum, auxilium dantes eis, aut fauorem, sunt etiam excommunicati. Quæ sunt intelligenda, iuxta dicta in prima excommunicatione. Olim apponebantur dantes consilium, sed modo ablatum est verbum; comprehenduntur enim sub auxilio. l. qui seruo. §. plus. Pompo. ff. de furt. Barto. in l. non solum, §. si mandato. numer. 17. ff. de iniur.

De quarta, & quinta excommunicatione in Bulla Cœnæ contenta.

CAPVT XXI.

QVarta excommunicatio fertur contra eos, qui surripiunt Christianorum naufragantium bona, siue in nauibus existentia, siue ex eisdem iecta, siue in littore inuenta, cuiuscumq; generis bona sint, & in quocumque mari. Nec contra hanc excommunicationem priuilegium, aut consuetu-

suetudo,aliquáue,etiam longissimi, & immemorabilis temporis possessio, aliusue prætextus aliquid operatur, quo minus talia bona surripientes,eam contrahant. Aduerte,iure antiquo latam esse excommunicationem contra huiusmodi raptores bonorum naufragantium, cap. excommunicationi. de raptor. non tamen erat reseruata:nunc vero, inter eas,quæ sunt in Bulla Cœnæ,posita est primo à Gregorio XIII. Differt autem hæc ab ea, quæ iure antiquo lata est; hanc enim non statim rapientes talia bona contrahebant, nisi mora non restituendi intercedente: nam in co textu fulminatur contra capientes,nisi ea restituerint:per solam igitur capturam non erant excommunicati, nisi post moram non restituendi,vt ibi notat Panor.immò Ioan. Andr.affirmauit,necessariam esse admonitionem, cuius sententiam meritò Panormit. ibi reijcit.

At verò in hanc excommunicationem Cœnæ incidunt surripientes bona sine vlla mora;quicquid dicat Nauar. nam simpliciter lata est contra surripientes,sine vlla conditione(nisi restituerint).Qui ergo surripiunt,excommunicati sunt; &, si postea restituant,animo mutato,non propterea desinunt esse excommunicati,donec absoluantur.Cùm autem audis surripientes,intellige eos,qui animo non restituendi accipiunt talia bona; qui enim animo reddendi dominis, cum primum nouerit, ea capit, non dicitur surripere, nec excommunicatus est.

Quinta excommunicatio comprehendit eos, qui noua pedagia, seu gabellas in terris suis, præterquàm in casibus sibi à iure,seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis imponunt, aut augent; aut imponi, vel augeri prohibita exigunt. In cuius declarationem nonnulla etiam dubia sunt resoluenda.

Primum est,quid per Pedagia intelligendum sit, Doct.in cap.super quibusdam.de verbor.significat. & Summistæ verb. pedagium,aut verb.gabella.aut verb.vectigal. dicunt esse tributum,quod soluitur pro inuectis mercibus; & etiam quod soluitur, pro viæ transitu, quando pontes eriguntur, aut viæ aptantur, ad differentiam guidagij, quod pro ducatu, & viæ securitate soluitur: tamen in hac Bulla vniuersaliter sumitur pro gabella quacumque, quæ imponitur, siue pro inuectione mercium, siue pro venditione, & emptione rerum; siue pro transitu, siue pro ducatu, siue alia de causa;

ob id in nulla à Pio Quinto additum est verbum (gabellas) quod ante non apponebatur : & certè videtur aucta excommunicatio: nam ante in sua pura, & particulari significatione verbum pedagij accipiendum videbatur.

Aliud dubium est, qui sint imponentes noua pedagia, qui sub hac excommunicatione comprehenduntur. Pro intelligentia aduerte, esse posse gabellas iniustas multis ex partibus.

Primò, ex parte personarum, quibus imponuntur : nam personis Ecclesiasticis à Laicis imponi non possunt, vt habetur cap. Clericis. de immu. Eccle. in 6. sine auctoritate Sedis Apostolicæ : qui tamen eas imponunt, absque tali auctoritate, non comprehenduntur præsenti excommunicatione, sed quadam alia, quæ in Bulla inferius continetur; vbi hoc explicabitur.

Secundò, est iniusta ex parte causæ, quia sine vlla, aut sine rationabili causa imponitur.

Tertiò, ex parte modi, quia modus, & mensura non seruatur: quæ autem sit iusta causa, & quis modus sit obseruandus, dicemus inferiùs, dum de ista materia tractauerimus.

Dubium igitur est, an imponentes gabellas quouis modo iniustas, sint excommunicati per Bullam. Angel. enim verb. pedagium §. 5. & Tabien. verb. pedagium, §. 6. tenent, esse excommunicatos per hanc Bullam. At Silu. verb. gabella, §. 7. tenet, non omnes esse excommunicatos; sed eos tantum, qui sine auctoritate imponunt, vt statim explicabimus. Et quamuis Silu. non expresè id dicat, tamen ita dicendum est; non enim iniusta pedagia, sed noua imponentes excommunicantur. Vnde ad aliud caput est hoc referendum, nimirum, quando absque auctoritate imponuntur, siue iusta sit causa, & modus, siue non.

Dices, qui sunt illi, qui habent auctoritatem imponendi pedagia, seu gabellas? Dico, ex cap. super quibusdam, de verbor. signifi. esse tria genera personarum, Imperatores, & Reges, non tantum Romanorum Reges, vt quidam dixerunt, sed Reges cuicumque, vt ibi explicat Innoc. & Panor. cap. innouamus, de censibus. Similiter Concilium Generale, sub quo Papa etiam complectitur, vt ibi Doct. dicunt, in terris suis. Ciuitates autem, sine Principis sui auctoritate, non possunt, vt habetur Codice, noua vectigalia l. 2. nisi habeant missum Imperium, vt sunt in Italia aliquæ, vt notant Panor. & Ioan.

Andr.in d.cap.super quibusdam. Iure etiam Ciuili hoc etiam de Imperatore statutum est ff.de publica. & vectig.l. vectigalia Præter hos,reliqui Duces,Domini,Principes, qui sub alterius sunt iurisdictione, non possunt imponere hæc pedagia, sine auctoritate prædictorum,& sine ea imponentes, sunt excommunicati in hac Bulla, & iste est sensus huius excommunicationis. Et Pius V. interrogatus de hoc ex parte Regis cuiusdam,ita declarauit.

Aliud dubium est, an absque prædicta auctoritate, vetera augentes,sint excommunicati, quando vetera licita erant. Armil.verb.gabella, § 8.& Rossell. excommunicatione 44.§. 5.tenent,quod non, quia non imponunt noua. Tamen contrarium tenent, Silu.verb.excommunicatio. 7.§.54.Tabien. ver.pedagium,§.6.Angel.verb.pedagium,§.5. Hoc tamen dubium locum habebat in Bullis ante Pium V.iam verò non est dubitandi ratio:nam à tempore Pij additum est illud. *Imposita augent*,quod adiectum fuit ad tollendas dubitationes, & opiniones:at quãuis adiectũ non esset; verè erat etiam prohibitũ nam ex alteratione,& augmento resultat nouum tributum,& est noua impositio.

Aliud dubium, qui sint isti exactores, qui excommunicantur. Dico esse ministros; & officiales; qui talia pedagia prohibita, id est, absque auctoritate imposita exigunt, qui sunt etiam excommunicati: vnde illud verbum, *prohibita*. refertur ad pedagia absque auctoritate imposita, vel aucta.

Aliud dubium est, an, qui à sponte soluentibus accipiunt huiusmodi pedagia, vel gabellas, sint excommunicati.Silu. verb.excommun.7.§.54 & Nauar.cap.27.sum.num.61. dicunt, quòd non,quia illi non exigunt,& ita est.Sed aduertendum,quod in his,qui Clericis sine auctoritate imponunt, sunt excommunicati exigentes,& accipientes à sponte soluentibus, vt inferius dicemus, cum de his agemus; modo enim tantum loquimur de impositis pedagiis ex defectu auctoritatis tantum imponendi super Laicas personas.

(. .)

De sexta excommunicatione in Bulla Cœnæ contenta.

CAPVT XXII.

SExta excommunicatio est, contra falsarios literatum Apostolicarum; comprehendit autem quatuor genera personarum.

Primum, falsariorum literarum Apostolicarum in forma breuis.

Secundum, falsariorum supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, aut per Vicecancellarium, aut per eorum locum gerentes, aut de mandato Romani Pontificis signatarum.

Tertium, falsò fabricantium literas Apostolicas etiam in forma breuis.

Quartum, falsò signantium supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarij, aut gerentium vices eorum. Pro intelligentia nonnulla occurrunt dubia.

Primum est, quid per literas Apostolicas intelligere debeamus. Dico, intelligi literas, quæ nomine Romani Pontificis, seu Sedis Apostolicæ expediuntur, quales sunt Bullæ, in quibus est plumbum, & breuia Apostolica. Vnde per literas Apostolicas, non intelliguntur literæ Legatorum, nec Summorum pœnitentiariorum Papæ, nec nunciorum, nec inferiorũ Prælatorum, vt adnotauit Palu. 4. d. 18. q. 3. ar. 2. hæ enim non expediuntur Romani Pontificis, sed prædictorum illorum nomine; propterea harum literas falsificantes non incurrunt in hãc censuram.

Aliud est dubium, quid per supplicationem intelligere debeamus. Dico, quod licet supplicatio propriè illa dicatur, quæ fit ad instantiam partis, vt notat Innoc. in cap. ex literis, nu. 3. & ibi Abb. nu. 6. de restit. in integr. tamen, per supplicationes intelligere debemus hic, tàm quæ ad instantiam partium, quam quæ motu proprio Papæ conceduntur; quoniam secundum communem vsum loquendi, tàm illæ, quàm istæ supplicationes appellantur, vt dicit Gomez. in regul. de non iud. iuxta fin. suppl. quæst. 11. ver. non obstat. Qui quidem vsus loquendi debet attendi, & præfertur proprio significato, secundùm Gomez.

met.vbi supra , & est textus in l. Labeo. §. idem Tubero.ff.de supellect.leg.

Aduertendum est,hanc excommunicationem iure communi latam esse,vt habetur in cap.ad falsariorum. de crimin. falsi. Tamen amplior est excommunicatio iuris,quàm hæc, eaque de causa in Bullis solebant adiungi ista verba(extendentes cap.ad falsariorum cum omnibus pœnis in eo contentis) quæ verba à Sixto Quinto ablata sunt : tamen eam declarabimus,vt hoc in loco integra tradatur notitia falsariorum. Iure igitur illo antiquo excommunicantur multa genera personarum.

Primò , falsificantes per se , vel per alios literas Apostolicas.

Secundò,vtentes literis falsis, etiamsi ipsi non falsificauerint:sed hanc de vtentibus non incurrunt,nisi Laici, vt ibi notat Panorm. contra Hostie. & debet intelligi de scienter vtentibus,vt ibi affirmant Doct.

Tertiò,impetrantes literas falsas: non autem dicuntur impetrare literas falsas,qui impetrant literas suggerendo falsitatem,vel supprimendo veritatem,quia literæ in se veræ sunt, vt à Pontifice conceduntur,vt notat Silu ver. excommunicatio.7.§.9.& Caiet.ver.excom.c.26.& Tabie.ver.excom.5. casu. 5.immò , nec quando sub nomine alieno pro se literas impetrant,vt ibidem dicunt Silu.& Tabie.sed illi impetrant falsas, qui ab alijs obtinent literas falsificatas. Hæc tria genera personarum ipso facto excommunicantur. Similiter etiam defensores,& fautores prædictorum falsariorum.Ista tamen excommunicatio à iure , non est reseruata , sed ab Ordinario potest absolui.Vltra excommunicationem apponitur pœna;si clerici enim sunt,& literis falsis vtuntur,officijs omnibus,& beneficijs priuantur: si vero per se ipsos , vel per alios falsificant, officijs,& beneficijs priuati degradantur , & brachio sæculari pœnis legitimis afficiendi traduntur. Hoc omnia in eo capite continentur. Si igitur hæc excommunicatio Bullæ conferatur illi capiti , in parte est latior , in parte est strictior. Strictior quidem est, quia non comprehendit vtentes , nec impetrantes, nec fautores , & defensores falsariorum,nec falsificantes per alios, sed solos falsarios per se. Latior tamen est , quia illud caput comprehendit tantum falsarios literarum Apostolicarum : at verò hæc, nõ solos hos,sed etiam falsarios signantes supplicationes,gratiam , vel iustitiã

concernentes, nomine Vicecancellarij, aut locum gerentis, vt superiùs dictum est.

Aliud dubium est; an, qui, non variato sensu, vnum punctum, vel literam addit, vel minuit, vel corrigit, in prædictis breuibus, aut literis, incidat in hanc excõmunicationem. Quidam affirmant, in literis Apostolicis expeditis, vel vnũ punctum mutantes, aut literam corrigentes, etiam sensu non mutato, præter eos, quibus ex officio incumbit, esse ligatos hac excommunicatione. Ita habent Hostien. in sum. tit. de crim. falsi. §. porrò vers. si hodie & Panorm. c. ex literis, num. 5. de fide instr. Silu. excommunicatio. 7. §. 10. Caiet. verb. excommunicatio. cap. 26. Argumentum in fauorem huius sententiæ est, quod in priuilegijs olim concessis Summo pœnitentiario, illud erat, vt posset absoluere ab excommunicatione, quæ incurritur propter mutationem literæ, vel puncti in literis Apostolicis, sensu non mutato. At verò, contrarium tenent alij, non incidere in hanc excommunicationem, nisi, qui mutant literam, vel punctum, quando sensus variatur, vt literæ fiant validæ ex inualidis, aut ex validis, validiores. ita habet Richard. 4. d. 18. art. 12. q 4. Anton. 3. p. tit. 24. c. 16. Ange. excommunicatio. 5. casu. 3. num. 3. Tab. excommun. 5. casu. 5. cum alijs multis, & ita tenendum est, sed nõ propter rationem istorum Doct. sed alia de causa: Scias enim, olim in Bulla Cœnæ apponi solere illa verba, *Mutantes punctum, vel literam in literis Apostolicis*, vt apertè constat ex Hostien. loco citato, & tunc data fuit illa facultas Summo Pœnitentiario. & absque dubio prior sententia vera erat, si talia verba modo perseuerarent, tamẽ ablata sunt à multis iam annis, nec inter facultates absoluendi Summo Pœnitentiario concessas illa nunc habentur: ob id, non inciduntin hanc excommunicationem corrigentes, nisi sensus mutetur; tunc enim sunt falsarij. Quod quidem probatur ex cap. ex conscientia. de crim. fal. vbi habetur, quod per rasuram Bullæ in loco non suspecto, non censetur falsa. Non ergo est falsarius, qui literam radit, sensu non mutato.

Aliud dubium est, de habentibus literas falsas Apostolicas. Dico illi, qui habent, & non vtuntur, non incidunt in hanc excommunicationem Cœnæ, nec in excommunicationem iure contentam; nisi tamen intra viginti dies, postquam sciuerint esse falsas, eas lacerauerint, aut resignauerint, sunt excommunicandi per Ordinarium, & semel excommunicati,

non

non possunt nisi à Papa absoluj;non autem sunt ab ipso facto excommunicati,ita habetur cap.dura. de crim. fal. in quo capite excommunicati sunt ipso iure, qui literas Apostolicas accipiunt ab alio, quàm à manibus Papæ,vel officialium,& bullatorum,nisi sint magnates, qui per Internuncium possunt accipere,quod de existentibus in Curia intelligunt Ioan. Andr.& Doct.sed iam non est ista excommunicatio in vsu,& consuetudine,vt ibi Glos & Panormit. aduertunt, nisi vbi periculum falsitatis timeretur. Ex his omnibus manifestum est; qui,& qualiter sub hac censura comprehendantur, & in quo differat ab ijs,quæ habentur in iure.

De septima excommunicatione in Bulla Cœnæ contenta.

CAPVT XXIV.

SEptima excommunicatio est,contra deferentes arma infidelibus,aut Hæreticis,in duas partes est diuisa: in priori excommunicantur tria genera personarum.

Primò deferentes Saracenis,Turcis, aut alijs Christiani nominis inimicis,aut Hæreticis,per Apostolicam Sedem expressè,& nominatim declaratis,vnum aliquid ex his octo, equos,arma,armorum materiam, scilicet ferrum filum ferri, stannum,chalibem,& alia metallorum genera, quæ armorũ materia sunt.Instrumẽta bellica,lignamina,funes, materiam funium,aliaque huiusmodi, quibus infideles prædicti Christianos impugnant.

Secundò excommunicantur,de rebus ad statum Reipublicæ Christianæ pertinentibus certiores facientes prædictos Hæreticos, aut infideles,in perniciem, & damnum Christianorum.

Tertiò excommunicantur, consilium præstantes eisdem in eandem perniciem,& damnum Christianorum. In posteriori parte reuocantur omnia priuilegia, & concessiones, si qua in hac parte Principibus,aut priuatis personis sunt à Sede Apostolica concessa,vt in hac parte nulla sint. Aduerte,in hac Bulla esse adiunctos Hæreticos,non quoscumque,sed eos,qui per Sedem Apostolicam expressè, & nominatim declarati sunt,qualis nostris temporibus est Regina Angliæ. Pro decla-

ratione huius excommunicationis, sunt aliquot dubia declaranda.

Primum dubium est, an nomine deferentium intelligantur hi, qui vendunt absque vlla delatione, quales sunt Christiani, qui in suis terris vendunt Turcis ad se venientibus huiusmodi prohibita. Dico cum Caietan. ver. excommunicatio. cap. 20. & Nauar. super cap. ita quorundam. de Iudæ. notab. 30. nu. 41. quod non, quia cum ista materia sit pœnalis, verba sunt intelligenda in sua propria significatione. Vendere autē non est deferre. Non igitur vendentes excommunicantur in hac Bulla. At Silu. ver. excommunicatio. 7. §. 64. videtur dicere oppositum, sed primum verius est.

Aliud dubium est, an, qui in vna terra Hereticorum, vel infidelium existentes deferunt huiusmodi prohibita ad aliam terram eorundem, sint censendi deferentes. Tabie. ver. excommunicatio. 6. num. 7. & Silu. verb. excommunicatio. 7 §. 64. respondent, quod non, & allegant declarationem Gregorij Noni in extrauag. postulastis. qui id declarauit; quam quidem Tabiē. dicit esse reuocatam, quantum ad excommunicationem, sed non quantum ad declarationem: vnde consequitur, hac noua excommunicatione Cœnæ illos esse comprehensos; si enim aliqui Christiani existentes in terris infidelium, aut Hæreticorum, hæc deferrent ad alios, qui impugnant Catholicos, vtique essent excommunicati.

Aliud dubium est, an dicatur deferens, qui mandat deferri, ita vt sub hac excommunicatione comprehendatur. Ad hoc respōdimus superius in cap.... vbi generaliter negauimus, cōprehendi mandantes sub excommunicationibus latis contra aliquid facientes, nisi exprimantur ipsi mandantes, aut alijs iuribus fiat interpretatio. Idcirco sub hac excommunicatione contra deferentes, non comprehenduntur mandantes, maximè cùm in hac Bulla aliquando mandantes exprimantur, aliquando non, quod est argumento non comprehendi, nisi vbi fit eorum expressa mentio.

Aliud dubium est, an, qui deferunt hæc arma ad Hæreticos, qui non sunt expresè, & nominatim per Sedem Apostolicā declarati, contrahant hanc Bullæ excommunicationem. Respondeo negariuè: nam ante huius particulæ adiunctionem, nomine infidelium, Christianæ religionis inimicorum, non comprehendebantur Hæretici; ideirco enim adiuncti sunt.

Igitur

Igitur post adiunctionem, ij debent tantum intelligi, qui per verba adiunctionis significantur.

Aliud dubium est, quid per arma intelligere debeamus. Dico cum Siluest. excommunicatio. 7. §. 59. & Tabie. excommunicatio. 6. §. 1. & cum communi opinione, intelligi arma tàm offensiua, quàm defensiua, & hoc probatur ex l. armorum. ff. de verbor. signifi. & ex l. 3. ff. de vi. & vi armata, vbi arma vocat, scuta, galeas, gladios, fustes, & lapides. Dicunt autem præfati Doct. ea dici arma, quæ principaliter, & immediatè instituta sunt, ad præliandum, seu se defendendo, seu alios offendendo: vnde culiri ad scindendum pennas vel panem, non sunt arma, vt etiam dicit Panorm. cap. Cleric. 1. de vit. & honestat. Clerico. nec alia instrumenta in vsum agriculturæ, & similia: vnde hæc deferentes, non dicuntur deferre arma. Aduerte autem ex prędictis Doct. posse ista esse arma ex intentione vtendi: nam si qui vellent his vti ad præliandum, tunc arma dicerentur etiam cultelli, & qui deferret, esset sub hac censura conclusus: Est tamen differentia inter ista arma, & priora: nam ista deferre, quando talis intentio vtendi deest, non est arma deferre: at illa priora, etiamsi intentio desit, est deferre arma, & contrahitur propter hoc excommunicatio, vt notat Ioann, Andr. Panormitan. Glos. super cap. ita quorundam. de Iudæ.

Aliud dubium est, quid per lignamina intelligendum sit. Dico cum Siluestr. excommunicatio. 7. §. 59. & Tabien. excommunicatio. 6. num. 3. per lignamina intelligi ligna, ex quibus possint Galeæ, Naues, aut aliæ machinæ ad impugnandum fieri, non autem ligna alia ad comburendum, aut in alios vsus extra bellum: nam illud verbum in Bulla appositum. *quibus Christianos impugnant.* cadit super singula verba antecedentia. Nauarr. cap. ita quorundam. de Iudæi notab. 7. nu. 14. dicit, sub hoc nomine etiam comprehendi ipsas Galeas, & Naues, quæ lignamina sunt, & mihi placet, quamuis Caiet. ver. excommunicatio. cap. 20. solam materiam intelligat; verius tamen est, quod Nauarr. dicit, nam latius sumitur hoc verbum, quàm in cap. ita quorundam. vbi dicitur. lignamina Galearum: hic autem sine addito ponitur, vt omnia complectatur, tàm materiam, quàm quæ ex ipsa materia conflata sunt, & cum lignamina prohibeantur, ne naues fiant, multo magis videntur prohibitæ Naues, Authentico multo magis. C. de sacrosanct. Eccles.

Aliud dubium est, quid sit intelligendum per illud verbum *aliaque huiusmodi*. In cuius gratiam aduerte, in Bullis prioribus, loco huius positum esse (aliaque prohibita) quæ particula occasionem dedit dubitationis multis; nam inuenimus iure antiquo tria genera prohibitorum. Quædam, quæ prohibentur absolute deferri omni tempore, & omni loco, qualia arma, & reliqua hic posita; hæc enim deferre ad infideles olim, & nunc etiam ad Hæreticos prohibitum est deferre, omni tempore, belli, & pacis. Quædam, quæ omni loco prohibentur; sed non omni tempore, sed tempore belli, vt mercimonia, victualia, &c. cap. quod olim. de Iudæ. Quædam omni tempore, sed non omni loco: nam in Alexandriam, & Aegyptum, & terras Soldani, nullo tempore licebat victualia, aut mercimonia deferre, vt habetur extrauag. multa de Iudæ. Et attende, tempus treugæ reputari pro tempore belli, vt habetur cap. significauit. de Iudæ. Tempora tamen extra actuale bellum, & treugæ non reduratur tempus belli, vt bene aduertit Tabien. excommunicatio. 6. num. 5. Erat igitur dubium, an sub verbo in Bulla, scilicet (*alia prohibita*) essent comprehensa omnia hæc, ita vt tempore belli deferri mercimonia in Cœna prohiberetur, & similiter deferre in Alexandriam tempore pacis, an tantum prohibita censerentur in Bulla illa prima; reliqua verò non, sed manerent sub excommunicatione tantum in iure posita. Tabie. verb. excommunicatio. 6. §. 4. putat omnia tria comprehendi. at Siluest. excommunicatio. 7. §. 60. & Caietan. verb. excommunicatio. cap. 20. tenent, quod non; sed tantum prima. & ita ego credo: nam illud relatiuum. *alia*. referebatur ad antecedentia, in quibus sola prohibita continentur, quæ ad præliandum spectant, verbum etiam quod sequitur. *Quibus Christianos impugnant*. ad idem determinatur: alijs enim mercimonijs, & victualijs non dicuntur impugnare, etiamsi tempore belli ministrentur. Quamuis ergo sit peccatum, & sub censura iuris comprehensum, (nam excommunicatio prohibitorum secundorum non reseruatur; tertij verò generis est Papalis) tamen neutra sub Cœna continetur, quamus Nauar. notab. 10. super cap. ita quorundam. limitet, quando est tempus belli in damnum Christianorum, sed non placet: nam non dicuntur infideles illis mercimonijs, & victualijs impugnare. At modo ablata est difficultatis occasio: nam posita est particula (aliaque huiusmodi) quæ respicit tantum ea, quæ sunt eiusdem rationis cum præcedentibus.

Aliud

Aliud dubium est,an qui defert huiusmodi ad Infideles,aut Hæreticos,non vt contra Christianos vtantur,sed vt ipsi Infideles, aut Hæretici contra alios pugnent, incurrant in hanc censuram.Dico eos incurrere,quia postea hęc manent,quibus impugnare possunt postea Christianos, nisi talia essent, quæ certum esset, non permansura post bellum contra tales Infideles.His dubijs notum fit primum genus personarũ sub hac excommunicatione contentum.

De secundo verò aduerte,non semper qui certiores faciunt Infideles,aut Hæreticos de rebus Christianorum esse excommunicatos,nisi ea,de quibus faciunt certiores,sint talia, quæ statum Christianæ Reipublicæ concernunt,idque cedat in damnum,& perniciem ipsius; vtrumque enim necessarium est ad incurrendam hanc censuram.

Similiter etiam intelligendum est tertium genus personarum;non enim omnes consilium dantes sunt sub hac censura,sed dantes consilium in damnum, & perniciem Christianorum.Et hæc sunt de priori parte excommunicationis.

In posteriori verò aduerte, omnia priuilegia quibuscumque concessa,contra aliquid hac excommunicatione prohibitum,annullantur, & derogantur. pro cuius intelligentia aduerte ex Tabie.verb.excomm.6.num.5.duo priuilegia concessa Genuensibus; Alterum à Xisto IV. viuæ vocis oraculo,vt negotiari possent cum Infidelibus,& maximè Turcis, etiam tempore belli, non tamen de rebus prohibitis, excepta fune, quam dare oportet nauibus ipsorum,euntibus ad portus suos. Alterum est Iulij II. qui anno 1504. concessit ad centum annos,vt possint deferre species,stanni,plumbi,æris,seu rami,electri,seu ottonis.Silu.autem excommuni.7.§.58.refert,Venetos habere priuilegium pro mercibus deferendis, extra arma, ferrum,&c. & quamuis dubitetur de hoc priuilegio, tamen Conra.q.51.affirmat. Possunt etiam alij habere similia priuilegia,de quibus certus non sum. Aduerte tamen, illa priuilegia deferendi merces,extra arma,ferrum,&c. & exercendi cõmercia,non derogari in hac Bulla, quia hæc non facit mentionem de talia deferentibus,vt diximus. Illa verò,quæ sunt de deferendis armis,aut alijs in hac excommunicatione prohibitis,sunt derogata, nec amplius valorem habent.

De collatione eorum, quæ dicta sunt in cap. præcedenti; cum his, quæ sunt in iure communi.

CAPVT XXIV.

ALterum nunc supereſt. vt hæc cõferamus cum his, quæ iure communi continentur, extra Bullam iſtam. In cuius gratiam aduerte, quatuor præcipuè inter alia Pontificum decreta in iure haberi.

Primùm eſt Alex. III. cap: ita quorundam. de Iudæ. vbi excommunicauit tria genera perſonarum.

Primò, deferentes Sarracenis arma, ferrum, lignamina Galearum. Et per Sarracenos intelligere oportet omnes, qui ſectã impiam Machometi ſequuntur.

Secundò, regimen, vel curam gubernationis gerentes in galeis, & nauibus pyraticis.

Tertiò, ſubminiſtrantes neceſſaria Sarracenis eiſdem, ad impugnandos Chriſtianos. Iſta excommunicatio non eſt reſeruata. Si autem Canon hic conferatur cum hac Bulla, inueniemus in parte latiorem, in parte ſtrictiorem. Latior eſt, quia ſub illo verbo. *ſubminiſtrant neceſſaria.* comprehenduntur tempore belli victualia deferentes, qui ſub Bulla non continentur, vt ſuperius diximus. Vnde hi excommunicati ſunt, ſed excommunicatione ſola iuris, quæ non eſt in Cœna. Simile eſt de dantibus, vel mutuantibus illis pecunias, quibus indigent ad impugnandos Chriſtianos.

Primum verò genus in Bulla continetur: ſimiliter & ſecundum ſub illo verbo. *conſilium præſtantes.* qui enim talem curam gerunt, conſilium adhibent in damnum Chriſtianorum. Ex alia parte ſtrictior eſt.

Primò, quia Bulla extenditur, non ſolùm ad deferentes ad Sarracenos, ſed etiam ad quoſcumq; inimicos nominis Chriſtiani, & ad Hæreticos.

Secundò, quia complectitur gubernationis curam gerentes, non tantum in galeis, & nauibus pyraticis; ſed omnium Infidelium, & Hæreticorum contra Chriſtianos, licet Pyratæ non ſint.

Tertiò, complectitur deferentes, non arma ſolum, & ferrũ, ſed ſtannum, plumbum, & alia metalla, quæ ſunt armorum materia, & equos etiam tempore pacis, quæ non includuntur

in illo canone, nisi quatenus necessaria sunt illis Sarracenis ad bellum contra Christianos.

Quartò, complectitur certiores facientes Infideles de rebus Christianorum, vt diximus. Latior ergo est in his Bulla.

Alterum decretum est, Clem. III. cap. quod olim. de Iudæ. vbi excommunicat illos, qui tẽpore belli cum Sarracenis mercimonium habuerint. Similiter eos, qui per se, vel per alios, nauibus, seu quouis alio ingenio aliqua rerum subsidia, vel consilia duxerint impendenda, etiam tempore belli durante: & per tempus belli, vt diximus supra, intelligitur etiam tempus treugæ, vt habetur cap. significauit, de Iudæ. quo capite excommunicantur, non solum qui merces lucrandi causa ad Sarracenos deferunt post treugam, sed etiam qui per alios eas merces destinant. Hæc autem excommunicatio non est etiam reseruata, in qua habentes mercimonium tempore belli sunt excommunicati, tamen non in Cœna, nisi merces hæ sint arma, & alia omni tempore, & loco prohibita, vt diximus. Rursus, impendentes subsidia, nisi sint aliquid eorum, quæ in Bulla sunt prohibita, non incurrunt in Bulla; vt, si victualia, pecunias, & alia huiusmodi impenderent, hæc enim in Cœna non sunt prohibita.

Tertium decretum est Innocen. III cap. ad liberandam. de Iudæ. qui excommunicat eos, quos supra Alexander excommunicauit, & addit vendentes galeas, aut naues, & qui machinis, vel quibuslibet alijs, auxilium, vel consilium præstant Sarracenis, in dispendium terræ sanctæ, quæ excommunicatio non est etiam reseruata, & apponitur inter alias pœnas, vt isti non absoluantur, nisi totum quod habuerunt ex damnato cõmercio, & tantundem de suo reddant in fauorem terræ sanctæ. In hac excommunicantur vendentes galeas, & naues; in Bulla autem non continentur, nisi simul deferant ad ipsos, vt superius diximus. Reliqui continẽtur. Adde, quòd hic Canon procedit, quando ista fiunt in dispendium terræ sanctæ, quamuis vendentes galeas absolutè sint excommunicati, etiamsi non in dispendium terræ sanctæ fit, propter cap. ita quorundam, quia necessaria subministrant Sarracenis ad impugnandos Christianos.

Aduerte autem, non dici necessaria, quia illis Sarraceni indigeant; sed quia ipsa sunt ex se necessaria ad impugnandum.

quamuis Saraceni propter abundantiam non indigeant; hoc enim est per accidens, nec sic est consideratio facienda; sed cõsiderari debet res ex se, & non ex accidenti.

Quartum decretum est, Clem. V. in extrauag. multa. de Iudæ. vbi excommunicat illos, qui arma, equos, ferrum, lignamina, victualia, & alia quæcumque mercimonia in Alexandriam, vel alia loca Saracenorum terræ Aegypti deferunt, mittunt, vel portant, seu de portubus eorum, vt eisdem deferrantur, extrahunt, vel extrahi permittunt, aut qui talia de gentibus fauorem aut auxilium quoquomodo præstant. Est autem ista excommunicatio Papæ reseruata; in qua multi excommunicantur, qui non continẽtur in Cœna; illi enim tantum, qui equos, arma, ferrum, lignamina deferunt, in Bulla continentur. Ex his habes multos in iure excommunicari ex hac parte, qui tamen in Cœnæ Bulla non continentur. Bulla etiam ex alia parte latior est; nam non solum ad Sarracenos, sed etiam ad alios Infideles, aut Hæreticos deferre arma prohibet. Similiter etiam certiores facientes, etiam tempore pacis: similiter etiam eos, qui pro redemptione captiuorum arma deferunt, quod quidem olim licebat, iuxta cap. significauit. de Iudæ. vt quidam putant, vt refert Silu. ver. excom. 7. §. 6. quamuis ego credo cum Glo. illius capitis, quod nec olim licebat. & cap. illud est intelligendum de alijs mercibus extra arma, ferrum, &c.

Dubium est Christianis remigantibus in Infidelium triremibus contra Christianos an peccent, & sint excommunicati. Nauarr. super cap. ira quorundam. de Iudæ. dicit tria.

Primò illos peccare mortaliter.

Secundò, illos non contineri in Bulla hac, cum nullo verbo comprehendantur.

Tertiò, illos incurrere excõmunicationem iuris, quia necessaria subministrant, & auxiliũ dant ad impugnandos Christianos. Ego certè sæpius dubius de hoc extiti, tamen semper inclino in eandem sententiam, nec audeo, nec video modum quo possim eos a peccato excusare, etiam metu mortis; non enim licet auxilium dare alicui volenti occidere alterum, etiam metu mortis, ergo nec his licet: nam Infideles intendunt occidere, & capere, & furari, & ad hoc veniunt; in casu enim hoc loquimur, quando nempe inuadunt ad occidendum, & expugnandum Christianos Præterea si banditi aliqui vellent occidere inimicos aliquos, & ad auxiliũ conuocarent tres vel quatuor

tuor alios, minantes mortem, nisi venirent, non excusarentur venientes à peccato mortali, auxilium prestando, ergo nec illi. In alijs duobus placet etiam sententia Nauarr. quamuis Silu. ver. excom. 7. §. 64. videatur hos sub nomine executorum ab excommunicatione iuris liberare, quia non videntur vllo verbo comprehensi; sed tamen absque ratione, quia sub illo verbo comprehenduntur: *subministrant necessaria.* & sub illo: *subsidia impendunt.*

De Octaua, Nona, Decima, & Vndecima excommunicatione in Bulla Cœnæ contentis.

CAPVT XXV.

OCtaua excommunicatio continet tria genera personarum.

Primò, impedientium, seu inuadentium eos, qui victualia, siue alia necessaria ad vsum Romanæ Curiæ adducunt.

Secundò, impedientium, aut prohibentium aut perturbantium, ne ea adducantur, aut deferantur.

Tertiò, eorum, qui per se, vel per alios defendunt eos, qui talia faciunt. Ista autem excommunicatio extenditur ad omnes, etiamsi Pontificali, Regali, vel Reginali dignitate, vel alia quacumque Ecclesiastica, vel sæculari præfulgeant.

Nona excommunicatio fertur contra eos, qui venientes ad Sedem Apostolicam, aut ab ea recedentes, vel sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, aut detinent. Contra eos etiam, qui non habentes iurisdictionem ordinariam, aut delegatam à Papa, siue ab eius iudicibus, eam temerè vsurpantes contra morantes in curia, aliquid prædictorum audent perpetrare.

Primum dubium est, quid per venientes ad Sedem Apostolicam sit intelligendum. Dico, non intelligi omnes, quotquot Romam veniunt, sed eos dumtaxat, qui ratione Pontificis veniunt: vnde qui ratione tantum stationum, vel Indulgentiarum accedunt, non dicuntur venientes ad Sedem Apostolicam. Nec, qui veniunt alio intuitu, quam ratione Pontificis, quia nimirum negotium aliquod, vel prætensionem, vel gra-

tiam, vel quid aliud cum Pontifice mediatè, vel immedi
habent: vnde, si Pontifex esset extra Romam, ibi esset Sedes
postolica, non Romæ.

Aliud dubium est, quid intelligatur per morantes in Cu
Respondet Caiet. ver. excommunicatio. cap. 14. Curiales ip
vulgo dictos, qui ratione Curiæ Pontificiæ Romæ sunt,
mediatè, siue immediatè Pontifici inseruiant, siue sint c
Cardinalibus, vel Episcopis, qui adsunt Curiæ. Vnde Roma
Ciues, & alij, qui alijs de causis Romæ sunt, propter quas
sterent, etiamsi Curia Pontificis alibi moraretur, non dic
tur morantes in Curia.

Aliud dubium est, an illa tria verba, *Interficiunt, mutilant*
liant, capiunt, aut detinent, eodem modo se habent respectu
nientium, & recedentium à Sede Apostolica, sicut se h
bent respectu morantium in Curia. Respondeo, quod no
nam respectu veniẽtium, aut recedentium satis est aliquid
lorum simpliciter facere, vt hæc excommunicatio contrah
tur. At verò respectu morantium non satis est; sed requiri
vt ea fiant ex auctoritate vsurpata, nempe qui ea facit, qui
iudex, & potestatem habens, faciat.

Excommunicatio decima fulminatur contra multa gen
ra personarum, nempe contra interficientes, mutilantes, vu
nerantes, detinentes, capientes, deprædantes Romipetas, id
eos, qui accedunt causa deuotionis, vel peregrinationis ad V
bem: & non solum accedentes, sed in ea morantes, vel ab e
dem recedentes.

Excommunicantur etiam, qui illis auxilium, consilium
vel fauorem dant. Caiet. verb. excommuni. cap. 13. bene nota
hic excommunicari, qui aliquid prædictorum faciunt cont
eos, qui veniunt in Vrbem Romam gratia deuotionis, etiam
si Sedes Apostolica Romæ non esset: nam hæc excommu
nicatio est in fauorem visitantium limina Apostolorum,
olim etiam erat in eos, qui talia faciunt contra Peregrinos
terram sanctam, vt refert Tabien. verb. excommunicatio
in fine.

Vndecima excommunicatio comprehendit multa genera
personarum, nempe interficientes, mutilantes, vulnerantes
percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter
insequentes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriar
chas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Lega
tos, vel Nuncios. Extenditur etiam excommunicatio ad cle

cientes eosdem à suis Diœcesibus,territoriis,terris, seu dominijs;& ad mandantes,vel rata habentes, seu præstantes auxilium,consilium, aut fauorem in aliqua prædictarum actionum. Contra eijcientes legatos,aut nuncios lata est excommunicatio in Extrauag.super gentes. Ioann.XXII.inter communes.Quæ quidem excommunicatio amplior est; nam fertur contra impedientes nuncios,vel legatos, quominus exequantur suum officium: plus autem est impedire,quam eijcere:nam omnis eijciens impedit, non tamen omnis qui impedit eijcit. In hac verò Bulla soli eijcientes excommunicantur; reliqui impedientes, absque eiectione,sunt excommunicati per prædictam Extrauag. quæ quidem excommunicatio non est reseruata. Apponitur etiam in hac Extrauag.pœna: nam Regna, Terræ, loca talia sunt interdicta, quamdiu in eadem pertinacia durauerint, quæ pœna in hac Bulla non continetur, sed sola excommunicatio; comprehendit tamen non solum prædicta facientes, sed etiam fieri mandantes, consilium, vel auxilium,vel fauorem dantes.

Aduertendum est autem, debere esse conseeratos Episcopos;si enim tantum est electus, aut confirmatus, non incurritur hæc censura,ab eum vulnerantibus,capientibus, &c. sed alia Papalis.17.qu.4.can. si quis suadente.Ita habet Glos.Clem. si quis suadente.de pœnis.& Caietan.verb.excommunicatio. cap.12.

Aduertendum est etiam;iure esse latam excommunicationem Papalem contra fere omnes hos,vt habetur Clem.si quis suadente.de pœnis. quæ quidem complectitur fere hos omnes,& alios,qui in Bulla non continentur. Excommunicantur enim Episcoporum percussores.sub quo verbo intelligntur mutilatores,& verberatores:nam hi percutiunt. Excommunicantur etiam interfectores. Similiter excommunicantur captores,sub quo verbo intelliguntur incarcerantes,& detinentes.Excõmunicantur etiam bannientes Episcopos,quod comprehendit eijcientes. Similiter excommunicantur qui hęc mandant,vel sunt socij,vel dant consilium,vel ratificant, vel dant fauorem, vel scienter receptant illos. Similiter excommunicantur Potestates, Rectores, Consiliarij, Consules, Balliui Scabini, Aduocati, Officiales quocumque nomine nominentur, qui in aliquo horum culpabiles exiterint.Non omnes hi in Cœna continetur, vt ex dictis apparet.

Vnde Clementina est multo amplior, quàm sit Bulla in h[illegible] parte. Aliæ etiam pœnæ ibi apponuntur, de quibus dicendu[illegible] est postea in sequentibus.

De Duodecima, & Decimatertia excommunicatione in Bulla Cœnæ contenta.

CAPVT XXVI.

DVodecima excommunicatio complectitur multa [illegible]nera personarum sub se. Qui occidũt, seu quoquo m[illegible]do percutiunt, aut bonis spoliant, siue per se, siue p[illegible] alios, directe, vel indirecte hæc committant, aut exequi pr[illegible]curant, aut in eisdem, consilium, auxilium, vel fauorem pr[illegible]stant, cuiuscumque dignitatis, aut præeminentiæ existant, [illegible] inquam aliquid ex prædictis faciunt cõtra aliquem ex his [illegible] nempe recurrentibus ad Romanam Curiam ob sua negot[illegible] vel causas; aut eadem in curia prosequentibus eadem negot[illegible] vel causas; aut eorum solicitatoribus; aut aduocatis; aut Proc[illegible]ratoribus; aut Auditoribus, vel Iudicibus super causas, vel [illegible]gotia prædicta deputatis; siue istæ personæ lesæ sint Eccles[illegible]sticæ, siue seculares. Limitantur tamen istæ actiones omn[illegible] propter quas excommunicatio fertur, quando occasione, [illegible] intuitu causarum, vel negotiorum fiunt.

Dubium esse potest hic: nam isti prosequentes negotia, [illegible] causas, possunt esse simul morantes in Curia, & cùm super[illegible] sit etiam lata excommunicatio contra verberantes, & m[illegible]lantes eos, qui in Curia morantur, videntur isti tales bis exc[illegible]municati. Dico ita esse: nam vnus potest multis simul lig[illegible] excommunicationibus, propter varia delicta, vt habetur. 3.[illegible] 4. can. Engeltrudam. Vnde, qui hęc committit, duabus indig[illegible] absolutionibus, aut vna complectente duas, vt absoluatur [illegible] excommunicatione, qua parte incursa est propter vnam ca[illegible]sam, & qua etiam parte incursa est propter alteram.

Decimatertia excommunicatio multa genera person[illegible] complectitur, quæ ipsius tenore facilè lectori erunt mani[illegible]stæ: tenor autem talis est: *Item excommunicamus, & anathema[illegible]zamus omnes, tàm Ecclesiasticos, quàm seculares, cuiuscumque dig[illegible]tatis, qui prætexentes friuolam quandam appellationem à grauam[illegible] vel futura executione literarum Apostolicarum, etiam in forma [illegible]*

uis, tàm gratiam, quàm iustitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum à nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nuncijs, Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, Auditoribus, Commissarijs, alijsque Iudicibus, & delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut aliàs ad Curias seculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea instante etiam Fisci procuratore, vel aduocato appellationes huiusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quiue illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari, aut ne tabelliones, & notarij super huiusmodi litterarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, notarios, executores, & subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Ciuitatibus, locis, & regnis eijciunt, bonis spoliant, perterrefaciant, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios publicè, vel occultè, quiue aliàs, quibuscumque personis, in genere, vel in specie, ne pro quibusuis eorum negotijs prosequendis, seu gratijs, vel literis impetrandis ad Rom. Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras à dicta Sede impetrent, seu impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut notarios, seu tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumunt.

De Decimaquarta, & Decimaquinta excommunicatione in Bulla Cœnæ contentis.

CAPVT XXVII.

DEcimæquartæ excommunicationis tenor sic se habet. *Excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui per se, vel alios auctoritate propria, ac de facto quarumcumque exemptionem, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus & Commissarijs nostris, alijsque Iudicibus Ecclesiasticis auocant, illarumue cursum, & audientiam, ac personas, capitula, conuentus, collegia, causas ipsas prosequi*

volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam iudices i
terponunt. Quique partes actrices, quæ illas committi fecerunt, &
ciunt ad reuocandum & reuocari faciendum, citationes, vel inhi
tiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel cons
tiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, e
pœnis in illis contentis absolui per statutum, vel alias compellum, v
executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium pro
suum, ac decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel fa
ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu v
lentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ip
nos informandos, vt dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, v
supplicationes huiusmodi coram nobis, & Sede Apostolica legi
prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint præsidentes Cance
riorum, Consiliorum, parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Co
siliarij, ordinarij, vel extraordinarij, quorumcumque Principum s
larium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præ
geant dignitat, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Cõmendatarij
Vicarij fuerint.

Decimæ quintæ excommunicationis tenor talis e
Quiuè ex eorum, prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliu
quorumcumque personas Ecclesiasticas, capitula, conuentus, & co
gia Ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum tribunal, audien
tiam, cancellariam, consilium, vel parlamentum, præter iuris cautu
dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, directè vel
directè, quouis quæsito colore, nec non qui statuta, ordinationes, co
stitutiones, pragmaticas seu quæuis alia decreta in genere, vel in s
cie, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu
i suis consuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecer
ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vti fuerint, p
d- libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprim
aut aliàs quouis modo restringitur, seu nostris & dictæ Sedis, ac qu
rumcumque Ecclesiarum iuribus quomodolibet, directè, vel indirec
tè, vel expresse præiudicantur.

Aduerte, non excommunicari illos, qui secundum i
ris dispositionem, ad suum forum trahunt personas Eccl
siasticas, ob id enim illa particula est apposita (*præter iuris com
munis dispositionem.*) Sunt autem tres præcipui casus,
quibus iudex secularis iudicari potest personas Ecclesiastic

Primus, quando talis persona tradita est per personas, & iu
dices Ecclesiasticos brachio seculari, iuxta cap. cum non ab
mine. de iudi.

Secun

Secundus, quando est licentia Episcopi proprij, vt habetur cap.2.de foro compe.quod intelligitur de causa ciuili, vt notat Silu.v.iudex.1.§.4.

Tertius est, per viam reconuentionis, vt habetur. 3.q.8. can. 1.iuncta Gloss.quod etiam in causa ciuili intelligitur, vt idem Silu.notat.Gloss.in d.c.2.ver,aut.de for.comp. Et hæc sententia, quod per viam reconuentionis laicus possit iudicare, in causa ciuili est communis,& à consuetudine approbata,secundum Ioan.Andr.licet non desint Doctores grauissimi contrarium affirmantes,vt notat Abb.in c.at si clerici.nu.21.de iudic. Quæ autem sit libertas Ecclesiastica,& quando lædi dicatur,inferius explicabitur,cum de quadam iuris excommunicatione, quæ super hoc idem lata est,agemus.

De Decimasexta,& Decimaseptima excommunicatione in Bulla Cœnæ contentis.

CAPVT XXVIII.

DEcimæsextæ excommunicationis tenor talis est. Nec non,qui Archiepiscopos,Episcopos, alios que superiores,vel inferiores,Prælatos, & omnes alios quoscumq; Iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet impediunt, quominus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque vtantur, secundum quod Canones,& Sacræ constitutiones Ecclesiasticæ,& decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt,ac etiam eos, qui post ipsorum ordinariorum,vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias,& decreta,aut alias fori eccl. Iudiciũ eludentes ad Cancellarias,& alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones,& mandata,etiam pœnalia,Ordinarijs, aut delegatis prædictis decerni,& contra illos exequi procurant; eos quoq; qui hæc decernunt, & exequuntur,seu dant auxilium, consilium,patrocinium,& fauorem in eisdem.In hac nihil occurrit adnotandum.

Decimæseptimæ excommunicationis tenor hic est. Quiue iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus ad nos,& Sedem Apostolicam,& quascumq, Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum,monasteriorum, & aliorum beneficiorum

Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant; vel etiam quauis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia, sequestrant.

Aduerte ex Caietan. verb. excommunicatio. cap. 27. aliquot esse necessarias conditiones, vt aliquis contrahat hanc excommunicationem.

Prima est, vt sint bona pertinentia ratione beneficiorum, Monasteriorum, vel Ecclesiarum, si qua enim bona habens personæ Ecclesiasticæ aliunde prouenientia, hæc vsurpare, licet peccatum sit obligans ad restitutionem, censuram tamen hanc non inducit.

Secunda, vt sint bona pertinentia ad ipsas personas Ecclesiasticas, ratione beneficiorum, monasteriorum, vel Ecclesiarum obtentorum; vnde, quando beneficia vacant, nec ad personam vllam adhuc pertinent, bona talia vsurpare, licet sit peccatum obligans ad restitutionem, tamen hanc censuram non inducit.

Tertia, vt sit ista vsurpatio cum quadam appropriatione quasi ad ipsum vsurpantem pertineret, & hoc intelligit Caietan. quando dicit, vsurpare bona Ecclesiæ, vt sunt Ecclesiarum vnde milites, fures, & alij huiusmodi, qui bona Clericorum rapiunt, sicut aliorum secularium, non sunt hac censura ligati.

Quarta est, vt id sit sine expressa licentia Sedis Apostolicæ.

De Decimaoctaua, & Decimanona excommunicatione in Bulla Cœnæ contentis.

CAPVT XXIX.

DEcimæoctauæ excommunicationis tenor sic se habet: *Quiue collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita ea à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Nec non qui per se, vel alios*

alios, directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij potentatus quicumque etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & terris quoquomodo Præsidentes, & Consiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innouantes decreta super his per sacros canones, tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm alijs Concilijs Generalibus edita, etiã cum Censuris, & pœnis in eis contentis.

Aduerte, non solum excommunicari, qui imponunt, aut exigunt prædicta ex bonis beneficiorum. Ecclesiarum, Monasteriorum, sed etiam quando ista imponuntur ipsis personis Ecclesiasticis, etiamsi beneficia non habeant. Imponentes ergo collectas, &c. super bonis patrimonialibus Ecclesiasticorũ, excommunicati sunt. hoc indicat illud verbum (*eorum, & Ecclesiarum*) quod intellige, nisi personæ Ecclesiasticæ, negotiationibus sæcularibus se immiscerent, tunc liceret imponere illis gabellas, sicut etiam secularibus super tali negotiatione, vt notat Siluest. verb. gabella. 3. §. 1. & Clem. præsenti. & ibi Gloss. de censib. vnde non placet in hoc Nauar. c. 27. nu. 68. suæ summ. qui putauit, excommunicationem comprehendere solos eos, qui imponunt, exigunt, accipiunt onera super bonis beneficiorum. Hoc autem ita non est: nam in Bulla vtrumque ponitur.

Aduerte præterea, ex iure antiquo. c. non minus. extra de immunit. Eccles. ex Concil. Lateran. sub Alexandr. III. fuisse excommunicatos imponentes hæc onera personis ecclesiasticis, sine licentia Sedis Apostolicæ, excepto vno casu, nempè propter vtilitatem, vel necessitatem communem, quando bona secularium ad id non sufficerent. Ista tamen excommunicatio non fuit reseruata. postea in eodem Concil. Lateran. vt habetur c. aduersus. extra eodem tit. fuit sublata ista exceptio, & determinatum, vt nec in hoc casu id liceret absque licentia Sedis Apostolicæ. hoc fuit sub Innocentio III. Posteà successit Bonifac. VIII. & in c. Clericis. de immunit. Eccles. in 6. reseruauit sibi excommunicationem, & rursus extendit ad quocunque modo accipientes, etiam a donantibus. & rursus vniuersitatem talia facientem supposuit interdicto, & extendit excommunicationem ad ipsas personas, quocumque modo, sponte etiam soluentes onera prædicta. Postea successit Bene-

dictus XI. in extrauag. quod olim de immunitat. Eccles. & re-
uocauit decretum Bonifacij, quantum ad hoc, quod non ha-
beat locum in accipientibus à sponte dantibus, & in ipsis spon-
te dantibus.

Huic postea successit Clemens V. in Clement. quoniam de
immunit. Eccles. & reuocauit vtrumque decretum, & Bonifa-
cij, & Benedicti, & voluit obseruari illa cap. ex Concil. allega-
ta. non minus, & aduersus. His omnibus successit Bulla, & ex-
communicat etiam accipientes à sponte dantibus, & quod
magis est, innouat omnia decreta, & Concilia generalia, &
Canones super his; vnde decretum Bonifacij locum habere vi-
detur, ac si esset in Cœna.

Aduerte etiam, excommunicationem Bullæ extendi ad
per se, vel per alios, directè, vel indirectè aliquid prædictorum
facientes, exequentes, procurantes, consilium, auxilium, aut
fauorem dantes. Vbi nota, hanc extensionem comprehen-
dere omnia à principio decimæquartæ inclusiuè excommu-
nicationis dicta, vt notat Silues. excommuni. 7. §. 70. 71. 72. &
Tabien. excom. 6. nu. 12. & propterea sub vno contextu copu-
latiuè legitur.

Extenduntur etiam omnes hæ excommunicationes, vt
diximus, à decimaquarta inclusiuè, ad omnia personarum ge-
nera, cuiuscumque conditionis, status, dignitatis. præeminen-
tiæ, vt patet in litera.

Postremò innouantur Canones antiqui, super hæc dicta,
cum interdicto, de quo diximus suprà, & cum alijs pœnis in
eis contentis. Aduerte tamen, non innouari decretum Bo-
nifacij quantum ad hoc, quod ipsi clerici soluentes sint ex-
communicati, sed quantum ad ipsos imponentes, aut acci-
pientes, vel exigentes: nam non innouantur Canones, nisi
quantum ad prædicta in hac excommunicatione. In hoc au-
tem non comprehenduntur soluentes, siue sponte, siue quo-
cumque modo.

Decimæ nonæ excommunicationis tenor hic est. Excõmu-
nicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Ma-
gistratus, & Iudices, Notorios, scribas, executores, subexecuto-
res quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu
criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processan-
do, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferen-
do, vel exequẽdo, sine speciali, specifica, & expressa huius san-
ctæ Sedis Apostolicæ licentia; etiamsi talia committentes

fuerint

fuerint Conciliarij, Senatores, Præsidentes. Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

De vigesima, & nonnullis alijs præter excommunicationes in Bulla contentis.

CAPVT XXX.

CAEtera, quæ in Bulla continentur, non indigent explicatione, satis erit tenorem recitare ; & si quid occurret, breuiter adnotare.

Vigesima sic se habet. *Excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu per alios, directè, vel indirectè, seu quocumque titulo, vel colore inuadere, destruere, occupare, detinere præsumpserint in totum, vel in partem Almam vrbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venayssinũ, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Prouincias, illarumque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulphorum, Ciuitatesque nostras, Bononiam, Cæsennam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, & alias Ciuitates, terras, & loca vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecta. Quiuè supremam iurisdictionem in illis nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præsumunt, necnon adhærentes fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.*

Post has excommunicationum sententias latas, multa Pontifex facit.

Primò quidem reseruat absolutiones Sedi Apostolicæ, excepto mortis articulo, quas nec tunc dari præcepit, nisi prius facta satisfactione, aut præstita cautione de standoo mandatis Romani Pontificis.

Secundò, reuocat omnia priuilegia, per quæ absolutio extra mortis articulum poterat ab alio, quam à Romano Pontifice exhiberi. Reuocat etiam tales facultates, etiam datas ante Concilijs generalibus, ex quo habes reuocari facultatem, quæ dabatur Episcopis, sess. 24. cap. 6. vt per se, vel per suos Vicarios absoluerent à casibus omnibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, etiam ab hæresi : sed ab hac per se

tantum,

tantum, non per Vicarios. hoc autem reuocatum est per Bullam hanc, etiam quantum ad forum interius.

Tertiò protestatur Pontifex absolutionem solemnem in die Iouis Cœnæ faciendam non comprehendere, nec suffragari vlli ex prædictis, nisi prius à commissis cum vero proposito similia non committendi desiterint: vbi, ne decipiatur putans Papam eo die absoluere generaliter excommunicatos omnes; nulla enim tunc absolutio ab excommunicatione fit, sed per hanc protestationem id significat, quod generalis benedictio illa, quæ tunc fit, non suffragatur vlli excommunicato ad effectum auferendi excommunicationem absque alia absolutione.

Quartò declarat, eos, qui statuta, pragmaticas, vel similia fecerunt contra libertatem Ecclesiæ, nullam absolutionem eis profuturam, nisi prius reuocauerint, & de suis Archiuis, locis capitulis, vel libris deleuerint, & de reuocatione hac Romano Pontificem certiorem fecerint.

Quintò reuocat quæcumque priuilegia concessa principibus, Regibus, & quibuscumque, vt nequeant excommunicari, aut quæ impediunt, quominus hæc Bulla locum in eis habeat.

Sextò fulminat excommunicationem latæ sententiæ contra eos, qui præsumpserint absoluere aliquem ex prædictis, aliter quam decretum est per Bullam. In qua excommunicatione dubium oritur, An ista excommuuicatio sit reseruata sicut prædictæ. Aduerte, Paulum Secundum in sua Bulla, etiam huic excommunicationi addidisse expressam reseruationem, nempe, vt nemo prædictum absoluentem absoluat, præter Romanum Pontificem, vt refert Fely. c. pastoralis, de offi. iudi. ordin. §. præterea, num. 9. sed iam talis expressa reseruatio à multis annis est ablata: ob id modo dubium est, an censenda sit reseruata. Et dubium facit; nam, vt diximus, ista Bulla est ab homine, & vt habetur in prædicto cap. pastoralis, excommunicatio ab homine ab eodem, qui fulminauit, vel à superiore tolli potest; ergo, cum sit ista à Papa, à nullo alio auferetur. Hoc non obstante, tenet Nauar. c. 27. num. 74. non esse reseruatam, & ratio est, quia etiamsi sit ab homine, est generalis, & non lata contra personam determinatam, & talis excommunicatio assimilatur excommunicationi à iure, vt si non est reseruata expresse, censeatur non reseruata. Hoc probabilius puto, licet Fely. loco citato teneat contrarium; ob id enim olim ap-

pone

ponebatur reseruatio, quia ex se non erat reseruata, etiamsi ab homine esset: nam, vt superiùs diximus, quando generalis est, conditionem iuris habet.

Septimo præcepit in virtute sanctæ obedientiæ, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs, & Prælatis vbilibet constitutis, vt per se, vel per alium, seu alios, præsentes literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam semel in anno, aut, si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesijs suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Octauò præcipit Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aalijsque locorum Ordinarijs, & Ecclesiarum Prælatis, necnon rectoribus, cæterisq; curam animarum exercentibus, ac præsbyteris secularibus, & quorumuis ordinum regularibus ad audiendas peccatorum confessiones, quãuis auctoritate deputatis, vt transumptum literarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant.

Qui contrahant excommunicationem, ab iniectionem manuum in Clericos.

CAPVT XXXI.

IN explicandis alijs excommnicationibus Papalibus hunc ordinem obseruabimus, vt primo loco eas, quæ in Decretis continentur, exponamus, quia huius est antiquissimum. Deinde, quæ in decretalibus. Deinde, quæ in Sexto. Et posteà, quæ in Clementinis. Et postremò, quæ in Extrauantibus. Prima ergo habetur 17. q. 4. Can. si quis suadente diabolo, & est Innocentij Secundi. Si quis, inquit, suadente diabolo, huius sacrilegij vitium, vel crimen incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico coospectui præsentetur; & eius suscipiat mandatum. Hic canon generalis est ad vtrumque sexum, quamuis dicatur, si quis, vt notat ibi Gloss. & probatur ex c. mulieres, extra. de sen. excomm.

Quatuor autem in isto canone ponuntur necessaria, vt talis excommunicatio contrahatur.

Primò,

Primò, vt sit manuum iniectio, & per iniectionem manuum intelligitur quicumque effectus violentus, in personâ vel in adhærentia personæ, vt notat Silu. verb. excomm. 6. §. 1. etiam, vnde Gloss. citata notat, manuum iniectionem dici, si quis aquam proijciat, vel puluerem, vel saliuam, per modum iniuriæ, immò tentio violenta sine vlla læsione est iniectio manuum, vt habetur cap. nuper. de sent. excom. & idem dicendum de his, qui eripiunt è manibus, aut corpore aliquid vi, aut ad frenos equi manus admonent, aut abscindunt cingulum, aphipij, aut eum ita furiosè persequuntur, vt cogat se præcipitare in flumen, aut aliud discrimen ad se liberandum pati, secundum communem text. Nauar. in sum. c. 27. num. 77. per text. in d. cap. nuper, §. nos igitur de sen. excom. vbi habetur, etiam citra corporalem læsionem violentiam sæpius circa clericos nequiter perpetrari. Secus tamen, si clericum insequatur, vt cædat, & ille sine percussione cadat, & lædatur, vt dicit Silu. verb. excomm. 6. num. 5. ver. 7. Denique iniurioſus effectus realis, licet non sit violentus, d. cap. nuper. puta, si percusserit quis clericum subijcientem se sponte verberibus, si non facit iocosè, vt dicit Abb. in cap. contingit, 1. num. 5. de sent. excomm. vel ipsemet clericus se ipsum percusserit secundum communem text. Abb. vbi supra. quia priuilegium clericale datum est non fauore proprio, sed ordinis clericalis, cap. 1. & cap. de monialibus, de sent. excomm. Abb. in d. c. contingit in fin. Dico autem effectum realem: nam aliàs non est manuum iniectio, vnde Siluest. excommu. 6. §. 2. dicit verba iniurioſa, comminationem, immò eleuationem manus, vel ensis ad percutiendum, si effectus non sequitur, non esse iniectionem manuum, iuxta Gloss. communiter receptam in c. si quis pulsauerit de pœnit. dist. 1.

Secundò debet esse violenta, ad excludendum casum: nam quando casualis, etiamsi sit homicidium, immo fiat cum peccato mortali, quia forsan non est adhibita diligentia, non inducit hanc excommunicationem, quia non est violenta, aut iniurioſa iniectio.

Tertiò debet esse suadente diabolo, ideſt notabilis ita, vt sit peccatum mortale; pro solo enim mortali peccato excommunicatio maior fulminatur, vt habetur. 11. quæst. 3. can. nemo.

Quartò debet esse facta in clericum, vel in monachum, & per clericum intelligimus etiam, qui solam habet primam tonſuram,

ſuram, cap. cum contingat. de ætat. & qualit. Immò etiam, ſi coniugatus ſit, gaudet priuilegio huius canonis, dummodò tonſuram, & habitū ferat, & cū virgine cōtraxerit, vt habetur c. 1. de cleric. coniuga. in 6. Hodie verò per Concilium Triden. cap. 6. ſeſſ. 23. requiritur vlterius, quod alicuius eccleſiæ ſeruitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputatus eccleſiæ ſeruiat, vel miniſtret, & eodem gaudent priuilegio etiam Clerici coniugati cum virgine, qui dimiſerūt habitum, illo reaſſumpto, dūmodò non reaſſumant in fraudem, vt dicit Ancar. qui alios citat in cap vnico. de Cleric. coniug. per illum text. in fin. vbi non portantes habitum, priuilegio non gaudeant: non autem dicitur, quod perdant. Illo ergo, quandocunque portent, gaudebunt, & quatenus diceretur, quod perdunt, intelligeretur vſque ad reaſſumptionem. Immò etiam Clericus excommunicatus, interdictus, ſuſpenſus, irregularis, degrādatus ſolum verbaliter, ſed non realiter, gaudet hoc priuilegio, vt habent Doct. cap. ex parte. extra de Cleric. coniug. immo degradati verbaliter, etiamſi ſint incorrigibiles ex iteratione delicti gaudent eodem priuilegio, quouſque fuerint ter moniti ſecundùm Abb. in cap. cum non ab homine, numer. 28. de iud. & in cap. contingit. 1. num. 12. de ſen. excommun. Per monachum autem intelligimus monachos, & regulares profeſſos, & conuerſos eorum, cap. non dubium. de ſent. excomm. & monachas, & earum conuerſas, cap. de monialibus, de ſent. excomm. immò nouitios, & nouitias, vt habetur cap. religioſa. de ſent. excomm. in 6. Similiter & fratres tertij ordinis S. Dominici, vel S. Franciſci, qui gregatim viuunt, & habitum portant religioſum ſecundùm Rot. in antiq. deciſ. 332. in fin. & Felyn. in cap. 2. numer. 10. de foro. comp. & idem dic de Hæremitis ſubiectis alicui regulæ, vel ſuperiori, ſecundùm Siluest. ver. Hæremita. numer. 2. qui ita reſtringit Gloſſ. in cap. qui verè. 16. q. 1. indiſtinctè loquentem. Idem etiam dicendum de illis, qui ſe, & ſua obtulerunt cum alteratione habitus. Silu. ver. Eccleſia, 1. num. 6. ver. adde idem. Atque etiam de militibus S. Joannis Hieroſolymitani, qui profitentur regulam S. Auguſtini. Silue. vbi ſupra: ipſi enim emittunt tria vota, iuxta. cap. cum ad monaſterium de ſtat. regular. & dicuntur perſonæ religioſæ, ac promittunt obedientiam ſuperiori, vt dicit Pute. deciſ. 363. libr. 1. Et aduerte, ſecundùm Felyn. in capit. à nobis. 2. nu. 4. de ſen. excom. priuilegium conceſſum clericis, aut monachis, quod illorum percuſſores ſint excommunicati, habere

locum

locum tùm si percutiantur viui, tùm etiam si mortui. Iniicientes ergo manus violentas in prædictas personas, excommunicationem Papæ reseruatam incurrunt.

Quamuis autem per hunc tantum canonem, soli iniicientes manus violentas in prædictas personas, excommunicationem hanc contrahant, tamen ad alia quatuor personarum genera, per alios canones à Pontificibus declaratur, & extenditur.

Primò, qui mandant prædictam manuum iniectionem etiamsi per se eam non committant, ita habetur c. mulieres tent. excom.

Secundò ij, quorum nomine facta est, etiam ipsis ignorantibus, tamen posteaquam sciuerunt, ratificarunt; talis enim ratihabitio retrotrahitur, vt habetur in c. cum quis de sen. excom. in 6. vbi habetur, quod quando ratihabitio est iniectionis, sed non est iniectio facta nomine illius, qui ratificat, tunc non contrahitur excommunicatio, sed tantum peccatū; quando vero nomine illius facta erat, tunc contrahitur excommunicatio canonis, si quis suadente. Et aduerte, illud dici factum nomine alicuius, quod eius fit contemplatione, Glos. in c. cum quis verb. tuo nomine. de sent. excom. lib. 6. Aduerte militer, quatuor requiri ad hoc, retrotrahatur delictum alterius nomine factum, secundum Io. de Anan. in c. laudabilem de conuer. coniug.

Primò, quod nomine illius fit factum.

Secundò, quod habeatur ratum: nam si diceret, doleo, quod sit factum nomine meo, sed gaudeo, quod sit factum, non dicitur ratum habere.

Tertiò, quod sit tale delictum, quod per alterum possit committi; secus si non potest, vt est adulterium.

Quartò, quod ratihabitio eodem tempore possit fieri, quo fit actus; qui enim rata haberet, quæ gesta sunt nomine eius quando erat infans, non dicitur ratum habere, quia non poterat illum actum tunc facere. Aduerte vlterius, quod habere ratum incidit in pœnam ex nunc, quo ratum habuit, & non tunc, quo delictum fuit perpetratum, Glo. in d. c. cum quis vel incurris Abb. in c. sicut tuis nu 7. de simon.

Tertiò consentientes tali iniectioni, vt habetur in c. quatæ, vbi Glos. bene aduertit, non omnes consentientes excommunicari, sed eos, qui ad prædictam iniectionem cooperantur, vel consilium, vel auxilium, vel fauorem dando.

* Quarto

Quartò, qui possunt obuiare iniectioni prædictæ, & non obuiant.ita habetur eodem c.quantæ;& licet ibi Gloss. limitet ad eos,qui non obuiant,cum possint,& ex officio, vel auctoritate obuiare tenentur:generaliter tamen,siue habeant iurisdictionem,siue non,si dolose non obuient,quod incidant in canonem tenent Host.in d.c.quantæ,in fin.& ibi Abb.nu.7.& Boic.nu.6.Secus,si ex negligentia, vel quia nolunt se immiscere rumoribus aliorum,tunc non incidunt in canonem, qui requirunt dolum, vt per Host.& Abb.& Boic. vbi supra Silu. verb.excom.6.nu.5.ver.quinto.

Qui excommunicati ob manuum violentam iniectionem,ab alio; quam à Romano Pontifice absolui possint.

CAPVT XXXII.

ADuertendum est ex Panorm.& Ioan. Andr.c.peruenit de sent.excomm.triplicem esse læsionem, enormem, leuem,mediocrem. Enormis est,vt habetur c.cum illorum,§.qui si clausirales.in fin. de sent.excommun quando processum est ad membri mutilationem,vel effusionem sanguinis;aut ratione personæ,quando in Episcopum,aut Abbatem violenta manus est iniecta. Per mutilationem intellige cum Silu.absolutio 4.§.2.quando est truncatio membri, aut vulnus,ex quo est inhabilitatio membri. Per effusionem sanguinis intellige,quando est copia, & abundantia,vt Gloss.in eodem c cum illorum.notat: nam verbum effusionis, abundantiam significat,vt habetur 16 q.1.can. reuertimini. & notat Silu.loco citato,non debere esse copiam è loco, vnde facile egreditur,vt è naribus,sed aliunde. Aduerte etiam ex eodem cap. quando læsio esset in aliquam aliam similem personam,vnde scandalum ortum esset in populo, esset enormis læsio,vt in codē c.declarat Inno.Leuis autē est illa,quæ fit pugno, palma, manu, pede, ligno,lapide non faciebus vulnus,vt declaratur in extrauag.perlectis, cuius meminit Hostien.in cap peruenit.de sen. excomm. Non vocamus autem leuem,quæ fit sine mortali peccato: nam propter talem non incurritur excommunicatio, sed quæ fit cum mortali, sed respectu enormis,leuis censetur. Est autem,vt habetur in ex-

trauag.perlectis. ad iudicandum læsionem leuem iudicium faciendum, non solum facti, sed qualitatis, & modi, & circumstantiarum aliarum, loci, & personarum, propter, quæ, quod leue est, potest esse graue. Mediocris læsio est, quæ media inter enormem, & leuem, nec de hac potest esse regula certa: iudicium tamen pertinet ad Episcopum, vt dicit Hostien. cum peruenit. citato. Addit Silu. absolutio. 4. §. 3. etiam ad simplicem sacerdotem, qui ab Episcopo habet absoluendi potestatem. Hoc supposito nonnulla notanda sunt.

Ab excommunicatione contracta ob iniectionem manus violentam in Clericum ex leui læsione, potest Episcopus absoluere, tam sæculares, quàm Clericos. ita habetur expresse peruenit. de sen. excom. & ibi Gloss. & Panorm.

Rursus à contracta ob læsionem mediocrem, potest Episcopus absoluere Clericos collegialiter viuentes, si forte vnus alterum percussit, sed non ob enormem, ita habetur, c. quoniam de vit. & honest. Cleric.

Rursus, quando sunt monachi, seu religiosi in claustro degentes, & vnus alterum lædit, à proprio superiori potest absolui, quod si percussus est alterius claustri, ab vtroque superiori debet absolui, si læsio est leuis, vel mediocris; tamen si enormis, à Papa. Hæc dicuntur c. cum illorum de sen. excom. & in eodem c. habetur, quòd si percussus est Clericus sæcularis, tunc religiosus percutiens à Papa est absoluendus, intelligitur ob mediocrem: nam ob leuem potest Episcopus solus: non autem Prælatus Religiosi percutiẽtis, iuxta c. religioso. de sen. excom. in 6.

Rursus, si ostiarius Principis, Prælati, vel alterius potestatis, sui officij causa lædit Clericum, non animo iniuriandi, sed ob detinendam turbam, aut officij sui causa, absoluitur ab Episcopo, si leuis, aut mediocris læsio fuerit; sed non nisi à Papa, si enormis, vt habetur c. si vero. 1. de sen. excom.

Rursus, quando impedimentum legitimum temporale occurrit, quominus iniector manus violentæ possit ad Sedem Apostolicam venire, vt quia habet inimicitias, vel ob alias iustas causas, tunc potest ab Episcopo absolui cum iuramento, vt cessante impedimento veniat ad Sedem Apostolicam, ita habetur c. de cætero. de sen. excom.

Rursus serui absoluuntur ab Episcopo, etiam ob enormem læsionem, sed in duobus casibus.

Vnus.

Vnus, quando seruus fecit in fraudem, vt se à domino liberaret.

Alter, quando, etiamsi non in fraudem fecerit, tamen eius absentia est in magnum detrimentum Domini, nec Dominus in culpa læsionis fuit.

Adhuc etiam in his duobus casibus ab Episcopo non potest absolui, quando est tam enormis læsio, vt ad vitandum scandalum, vel tollendum exemplum, sit mittēdus ad Sedem Apostolicam. Ista habētur c. relatum de sen. excom. quod non intelligitur de alijs famulis liberis.

Si tamen seruus ad libertatem peruenerit, debet ad Sedem Apostolicam venire, quando ob enormem, vel mediocrem est absolutus ab Episcopo, & cum tali iuramento est absoluendus, c. quamuis de sen. excomm. sicut fit in alijs impedimentis temporalibus.

Aduerte autem, quod in omnibus casibus, in quibus data oportunitate tenentur Papam adire, si non adeant, sunt periuri, quia non seruant iuramentum; & reincidunt in eandē sen. excom non quod prima reuiuiscat, sed est noua excommunicatio à iure lata propter contemptam, vt dicit Abb. in c. ex ten. in fin. de sen. excom. per tex. in c. eos eo. tit. lib. 6. Sunt autem alij casus, in quibus potest Episcopus absoluere ab hac excommunicatione, ob quamcumque læsionem contractam.

Primo, quando sunt pueri ante annos pubertatis, seu annos quatuordecim, vt habetur cap. super eo. de sen. excom. nec tenentur venire ad Sedem Apostolicam facti grandiores, vt habetur c. quamuis eod. tit. immò si contraxerunt excommunicationem ante annos pubertatis, & quando absoluendi sunt vltra annos pubertatis; absolui possunt ab Episcopo, vt habetur c. vlt. eod. tit.

Secundò, mulieres cuiuscumque ætatis, & conditionis absoluuntur ab Episcopo c. mulieres eod. tit.

Tertiò Moniales ab Episcopo Diœcesano etiam absoluuntur, c. de monialibus eod. tit.

Quartò, impotentes ad iter, vt cæci, claudi, & similes, ita habetur cap. ea noscitur eod. tit.

Quintò, quando sunt pauperes, vt nequeant sustentari, nisi suo labore, nec tenentur venire ad Sedem Apostolicam mendicantes, c. quod de his: eod. tit. quod est verum, nisi ipse esset solitus mendicare, & mēdicando sibi prospicere, vt notat Abb. in c. ea noscitur in fin. de sen. excom. Et hoc limita, si sit solitus

mendicando sibi,& familiæ prospicere: itinerando aũt familiæ non posset prospicere,quia tunc non teneretur ire, secundùm Abb.vbi supra. Sed hi,si post venirent ad pinguem fortunam,tenentur venire,iuxta c.quamuis.eod.tit.vbi interhabentes impedimentum temporale soli pueri excipiuntur.

Eodem priuilegio fruuntur Monachi,qui non habẽt viaticum,& monasterium pauperrimum eis prouidere nõ potest quoniam,& tales absoluit Episcopus.Gloss.in c.religioso.ve exhiberi in fin.de sen.excom.lib.6.

Sextò, quando sunt personæ magnæ potentiæ,& ita delicati,quod laborem veniendi non possunt sustinere; tũc enim status personæ,& veritas negotij est intimanda Romano Pontifici,vt de commisso scelere secundùm consilium eius congantur,priusquam absoluantur,vt habetur c.mulieres,eodem titul.

Septimò,qui sunt in senili ætate ab Episcopo absoluuntur vt habetur c.quamuis,eod.tit.

Hic autem aduertenda sunt tria. Vnum est,quod in casibus his omnibus,in quibus Episcopus potest absoluere, absolutionem potest committere presbytero,vt habet Gloss.in cæ cætero eod.tit.& superiùs hoc diximus.

Alterum est, legatos de latere Romani Pontificis, habentes facultatem de iure communi absoluendi quoscumque excommunicatos,ob manuum violentam iniectionem, ita habetur c.ad eminentiam.de sent.excom.

Tertium est,occultos etiam excommunicatos,ob iniectionem manuum præter enarratos, non posse ab Episcopo absolui,sed sunt mittendi ad Sedem Apostolicam, vt habetur c. porrò,eod.tit.vel ad legatum de latere,iuxta c.ad eminentiam allegatum.Hodie tamen per Concilium Trident.c. 6. sess.24 habent Episcopi potestatem absoluendi à quibuscumque casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis.

In quibus casibus non contrahatur prædicta excommunicatio.

CAPVT XXXIII.

MVlti sunt etiam casus, in quibus ex Clerici, vel Monachi læsione,vel manuum iniectione non contrahitur excommunicatio vlla.

Primus

Primus, quando facta est ioco, etiamsi iocus non sit cum modo. ita habetur cap. 1. de sent. excommun. quia id non facit suadente diabolo, quod requiritur iuxta cap. si quis suadente, 17. qu. 4.

Secundò, ob eandem causam, quando fortuito fit, vt si aliquis, dum irruentem turbam cohibet, fortuitò percutit Clericum, vel monachum, non est excommunicatus, ita habetur c. si verò, 1. de sen. excom. In quo c. est etiam.

Tertius casus, quando, qui percutit vim vi repellit; cum moderamine inculpatæ tutelæ; tunc enim in decitionem etiamsi occidat, non est excommunicatus, immò nec irregularis, vt habetur Clem. vni. de homi. In eodem etiam c. si vero. habetur.

Quartus casus, quando percutit incontinenti Clericum, vel Monachum turpiter inuentum cum vxore, vel matre, sorore, vel filia; tunc enim licet peccatum sit manum injicere, & occidere secundum communem, per c. ad hæc. Glo. 33. q. 2. tamen non contrahitur excommunicatio. Si verò sit inuentus cum alijs personis remotioribus ipsi percutienti, tunc est excommunicatus.

Aduerte autem, quod si Clericus taliter repertus occideretur animo deliberato, & non calore iracundiæ, occidens in canonem incideret, secundum Silu. in ver. excom 6. cas. 10. quem refert: & sequitur Couar. in 4. lib. decret. 2. part. c. 7. nu. 12. Aduerte rursus, nomine vxoris etiam intelligi sponsam de præsenti secundum omnes, teste Silu. vbi supra. Nomine autem matris, & filiæ, non intelliguntur omnes ascendentes, & descendentes, sed ipsa tantum mater, & filia, vt habet Gl. in d. c. si vero. ver. matre vbi Abb. num. 9. & Hostien. in fin. dicunt id esse tutius; licet in d. c. in fi. contrarium tenuit Inno. sub nomine scilicet matris, & filiæ, contineri omnes ascendentes, & descendentes.

Quintus casus habetur in c. si ver. 2. eod. tit. qui enim percutit Clericum cum ignorantia probabili facti, nempe ignorans esse Clericum, quia Clericus non habebat signa, vnde Clericus appareret, tunc non contrahit excommunicationem. Et idem dicendum est, si noctu percussit, quamuis signa Clericatus haberet, ignorando esse Clericum, quamuis, qui percussit daret operam rei illicitæ, vt bene dicit Nauar. c. 27. num. 30. licet id neger. Silu. excom. 6. § 6.

Sextus casus est, quando Clericus est realiter degradatus;

tunc enim perdit priuilegium Clericale, c.degradatio.de pœnis in 6.

Septimus,quando negotiationibus prohibitis se immiscet & ter admonitus à Prælato non desistit , c.ex literis. extra de vit.& honest. Cleri.

Octauus quando relicto habitu arma defert militaria,& ter admonitus non desistit,c.in audientia.extra.de sen. excom. Nota non sat esse arma deferre cum habitu , quamuis Nauar. cap.27.num.80.id affirmet , sed re vera textus contrarium ostendit.

Nonus est,quando relinquit habitum Clericalem , qui in veste,& tonsura consistit,& ter admonitus non se emendat, contingit.2.de sen.excom.vbi Panor. nu.4. docet, debere esse has admonitiones tres distinctas , & non sufficere vnam pro tribus,& debere esse ab Episc.seu Prælato ipsius Cler.

Decimus est cap. 1. de vit. & honest. Cler. in 6. vbi Clerici qui faciunt se ioculatores,goliardos, buffones, perdunt priuilegium Clericale, si per annum perseuerant , aut si ante anni ter admonentur à Prælatis,& non desistunt.

Vndecimus est in Clem.de vit.& honest.Cler.qui enim publicè , & personaliter exercent officium Tabernariorum,vel Macellariorum,si ter admoniti non desistunt, vel post admonitionem iterum reuertũtur,etiamsi destiterint , perdunt priuilegium Clericale.Et in his casibus non contrahitur excommunicatio ex manuũ iniectione seu percussione in Clericum, vel Monachum.

Duodecimus est casus , si mulier percutit Clericum de stupro illam tentantem , modo tentatio fiat facto , & non solo verbo.Ang.ver.excommuni. §. 21.Nauar.in summ cap.27.nu-mer.85.

Decimus tertius.si Clericus,qui prius admonitus fuerat,vt à colloquio cum vxore abstineret domi , etiam honesto,postea inuentus esset cum ea,etiam honestè loquendo, & detineretur per viginti horas ad tradendum eum suo iudici, nõ contraheret excommunicationem,vt dicit rectè Nauar. in summ. 27.num.85.

Alius est casus numero Decimus quartus,quando talis est excommunicatio non contrahitur,nempè , quando in correctionem,vel disciplinam fit leuis percussio. In cuius gratiam aduerte,ex cap.cum voluntate. de sen.excomm.sex generibus

personarum licere leuem percussionem Clerici, vel Monachi.

Primò ijs, qui curam Ecclesiæ habent ejiciendi turbantia officium; hi enim Clericos in minoribus cõstitutos, diuinum officium turbantes possunt percutere & castigare.

Secundò, seniores alij clerici possunt idem præstare zelo deuotionis.

Tertiò, Prælati respectu subditorum.

Quartò, Magistri respectu discipulorum.

Quintò, domini respectu eorum, qui de familia sunt.

Sextò propinqui, vt parentes, & alij etiam propinqui secundùm carnem. Circa hunc canonem nonnulla dubia occurrunt.

Primum est, quos clericos liceat his personis percutere gratia disciplinæ, vel correctionis.

Dico primo secundum omnes, duobus primis generibus licere percutere in minoribus tantum constitutos; ita enim canon expresè concedit,

Dico secundò, prælatis, & magistris licet percutere etiam sacerdotes. ita habent Panormit. cap. vniuersitatis de sent. excommuni. & Angel. excommun. 5. §. 10. & canon his non limitat sicut prioribus. De alijs duobus est difficultas, & præcipuè de patre respectu filiorũ; sunt enim duæ opiniones. Prior est Ioan de lig. c. cum voluntate. allegato, Siluest. excommu. 6. §. 6 & Tabien. excommuni. 5. cap. 1. num. 8. qui licere dicunt patribus, filios etiam Sacerdotes percutere correctionis causa. Posterior est Panor. cap cum voluntate. allegato, & Gloss. ibidem, & alterius Gloss. cap. 1. extra de sent. excommuni. qui id negant, & dicunt patres non posse percutere, nisi in minoribus tantum constitutos, & ego ita credo, & ratio hæc est, quia illud caput. Cum voluntate, cum dat propinquis talem facultatem, similiter & dominis respectu familiæ, limitat expresè de constitutis in minoribus, sicut etiam circa illa prima duo genera. Vt ergo primis non licet castigare constitutos in sacris, vt bene Gloss. notat in prædicto cap. cum voluntate, ita nec propinquis, & consequenter nec patribus, & hoc tutius est.

Aliud est dubium, an quando modus excedituir in correctione seu castigatione, contrahatur excommunicatio. In hoc sunt duæ Gloss. contrariæ, Gloss. enim cap. vniuersitatis de sen. excomm. tenet partem affirmatiuam; & Gloss. cap. cum

voluntate.citato tenet negatiuam.Potest vtraque concordare cum sententia Silu.excom. 6.§.6. & Tabien.excomm.5.casu nu.6.nempè contrahi,quando excessus est paruus, vel subitus in quo nec dolus,nec mortale peccatum notatur,alias contrahitur.

Aliud est dubium,an quando prædictæ personæ percutiunt etiam prætextu correctionis;sed non ob correctionem,sed odio,vel vindicta,vel alia mala intentione, contrahant excommunicationem. Respondetur ex sententia communi,quam tenet Silu.& Tabie.locis proximè citatis, contrahere tunc excommunicationem ; non enim aliter est concessa eis talis facultas,nisi ob prædictum finem.

Aliud dubium est,an prædictæ personæ possint per alium castigare.

Ad hoc dico primò , Episcopis non licet per se cædere subditos,sed debent per alium,scilicet clericum cædere clericum, ita habetur canon. non liceat d. 86. ibi tamen Gloss. limitat, nisi sit defectus clerici,per quem id faciat. Eandem limitationem dant Gloss.can.in summa.d. 45.& Gl.cap.vniuersitatis de sen. excom. Non credo tamen , si per se id facerent,quod excommunicationem incurrerent:nam iuxta c;cum voluntate licet Prælatis absque excommunicatione percutere leuiter subditos,nec illic can.non liceat.id prohibet sub excommunicatione.

Dico secundò , Abbati non licet per alium cædere monachum,vel conuersum,sed per se ipsum, nisi necessitas vrgeat, ita habetur c.vniuersitatis.de sen. excom.aliter vterque excommunicatus est,Silues. ver. excommunicat.6.§.6.

Dico tertiò, qui per laicum clericum cædit,etiam ob correctionem,& iusta causa existente,contrahit excommunicationem Papalem,tam ipse, quam qui mandatum exequitur. ita habetur in prædicto c.vniuersitatis.; quod etiamsi de Abbate loquatur,Doct.vniuersaliter intelligunt de quocumq; mandante per laicum,etiam gratia correctionis.

Hinc mouet dubium Panorm. c. cum voluntate. citato de his,qui per laicos dant torturam clericis , & non excusat eos Panorm licet consuetudo.Nauar.autem c.27.nu. 86 excusat a censura,sed non à peccato.Tabien.autem excom.5.cap.1.nu.7 omnino excusat ob consuetudinem , & quia clericus non inuenitur,qui id possit facere,aut velit. Idem Silu. loco citato. & hoc videtur.probabilius.

Dico quarto, alijs ab Episcopis non licet percutere per alios sed per se, nisi Abbatibus vrgente causa: non autem magistris, & patribus: & si per laicos percutiant, ab excommunicatione non liberantur: nam canon ipsis tantum, non vt per alios id faciant, talem dat facultatem; immo etiam si per clericos percutiant, vt dicit Silvest. ver. excommunicatio. 6. §. 6. ab excommunicatione non sunt immunes.

De nonnullorum dubiorum resolutione.

CAPVT XXXIV.

NOnnulla dubia occurrunt, ex quorum resolutione perfectius ista materia declaratur.

Primum est, an qui mandat percuti clericum, & ante percussionem reuocat mandatum, incidat in sententiam excommunicationis, si mandatarius percutiat?

Ad hoc dico. Primò, si reuocauit mandatum, ita vt reuocatio pertineat ad mandatarium, non incidit in excommunicationem, etiamsi mandatarius postea percutiat. Ista est doctrina Glos. cap. mulieres, de sent. excomm. quam Doct. communiter sequuntur. Immo in tali casu. si mandatarius occidat, vel mulier, mandans non incurrit in irregularitatem, vt tenent Innocen Ioan. de Ana. Panorm. cap. ad audientiam. de homici. vbi dicunt, sufficere ad hoc, etiam virtualem reuocationem, vt si mandans fecit pacem, vel amicitiam, vel contraxit parentelam cum aduersario, sciente mandatario; tunc enim virtualiter reuocat, & si postea mandatarius exequatur mandatum, non propterea fit irregularis mandans, & multo minus contrahit excommunicationem, si percussus sit clericus, vel monachus. De irregularitate autem dicemus inferius.

Dico secundò, quando mandans reuocauit mandatum, sed reuocatio ad mandatarium peruenire non potuit, tunc mandans contrahit excommunicationem, si mandatarius percutiat. Hoc dictum est Angel excommuni. 5. §. 31. quamuis contrarium teneat Glos. cap. cum quis, de excommuni. in 6. vbi dicit non contrahi excommunicationem in tali casu; sed contrarium est verius, & ratio est: nam quando reuocat mandatum, non est res integra, cùm cesserit aliquid iam in detrimentum illius, contra quem est mandatum: nam est status talis, in

quo nocumentum remoueri non potest, & est simile de e
qui emisit bombardam,& antequam globus perueniat ad h
minem,eum pœnitet,& animum mutat, sed globum ret
here nequit, tamen non ob id ab excommunicatione lib
ratur.

Dico tertiò,quando mandans moritur ante mandati ex
cutionem,etiamsi postea mandatarius percutiat, non contr
hit mandans excommunicationem. Istud est Gloss.cap.m
lieres.de sent.excomm.& Angel.excomm.5.§.33. Ratio tame
Gloss.non est bona; dicit enim,mandatum cessare morte m
dantis; hoc tamen non ita est,nisi quando mortis notitia
mandatariũ peruenit.Ratio verò Angeli est melior.quia m
tuus de nouo excommunicari non potest. Verum est, quod
ille sine pœnitentia est mortuus, & mandatum est publicum
non debet in loco sacro sepeliri, non propter excommunic
tionem,sed quia in publico peccato mortuus est.Vide Silu.e
comm.6.§.5.

Dico quartò.Idem dicendum est de consiliante, quòd dict
est de mandante.Istud dictum est Innocen.Ioan.de Anani.Pe
nor.locis citatis,& Silu.homicidium.1.§.11. quamuis Innoce
quem alij Doct.prædicti sequuntur, dicat plus exigi in cons
liatione:nam qui dedit consilium non excusatur à censura,s
tantum dissuadeat, sed si non est certus illum mutasse propo
situm,debet admonere illum, contra quem dedit consilium,
saltem in generali,vt sibi caueat.Rationem huius differentiæ
inter consiliarium,& mandantem dedit Bartol. ff. de iniurii
non solum,§.si mandato.inquit: In mandato res agitur man
dantis,ob id sufficit, si mandans reuocet, quia ipse totam
causa, propter quam effectus erat exequendus. At in con
siliario res agitur ipsius, cui est consilium datum, ob id non
sufficit suasio contrarij, sed est remouendus ab effectu ill
le,cui est consilium datum, etiam alia via, qua remoueri
potest.

Aliud dubium est,an liceat seculari iudici capere,seu in vi
cula detrudere clericum,aut in custodia detinere. Dico non li
cere,immo incidit in sententiam canonis, vt habetur in cap
nuper de sen.excomm.licet tamen absq; excommunicationis
vlla,aut culpa in quatuor casibus.

Primò,quando est traditus curię seculari,vt habetur cap.de
gradatio.de pœnis.in.6.

Secundò,etiamsi non esset traditus, si est incorrigibilis ita

vt prius

vt prius sit depositus, & propter incorrigibilitatem excommunicatus, & anathematizatus, si post hæc perseuerat incorrigibilis, secularis iudex potest eum capere, & digna pœna punire absque alia traditione, vt habetur cap. cum non ab homine. de iudi.

Tertiò, quando id fit de mandato Prælati proprij: tũc enim de tali mandato potest capi, etiam si non sit incorrigibilis, sed propter excessum aliquem commissum, vt habetur cap. si clericos. de excom. in 6. & si sit incorrigibilis, & se defendat, aut sit rebellis, quantum defensio, vel rebellio exegerit, potest cum violentia etiam capi, vt habetur cap. vt famæ. extra de sent. excom. vbi Panor. notat talem Prælatum, de cuius mandato clericus est capiendus à seculari, debere esse proprium illius clerici, ita vt habeat iurisdictionem in ipsum, & non quamcumque, sed ita vt criminaliter possit procedere contra eum, & nõ sat est iurisdictio ciuilis.

Quartò propter bonum finem aliquem, nempe ad impediendum crimen, vel ob crimen commissum, quando periculum est de fuga, potest iudex sæcularis, vel socius clerici ipsum clericum capere, vt suo Prælato præsentetur, ita dicit Panorm. cap. cum non ab homine. de iudi. & sic dicit etiam familiam potestatis posse clericum noctu inuentum capere, vt crimen aliquod impediatur, & suo Prælato præsentetur. immo dicit licere creditori clericum capere fugientem: consentit Siluest. verb. excommuni. 6. §. vltimo. Ratio huius dicti, quam dat Panorm. est, quia in his casibus non dicitur manus violenta, & idem dicendum, si detruderetur in carcere ad tutelam ipsius clerici, puta ne ab inimicis eum persequentibus occidatur, quod est verum, etiamsi fieret per violentiam secundum Host. vt notat Ancaran. in cap. si clericos. num. 6. de sent. excomm. lib. 6.

Aliud dubium est, an incidat in canonis sententiam clericus, qui ex odio, vel ira seipsum percutit, quando nimirũ percussio est mortale peccatum. Communis opinio tenet affirmatiuam partem, esse talem excommunicatum, ita habent Archidia. can. si non liceat. 23. q. 5. Panor. Fely. Ioan. Andr. cap. cotingit. 1. extra de sen. excom. Silu. verb. excom. 6. §. 8. Tabien. excom. 5. cap. 1. num. 32. Et cùm sit tam communis sententia, non videtur ab ea recedendum. Rationes mouentes hos Doct. sunt duæ.

Prima ex cap. contingit. 1. de senten. excommun. vbi dicitur,

illum

illum canonem. si quis suadente. non tam in fauorem perso-
næ, quàm in fauorem ordinis clericalis esse promulgatum
& ibidem dicitur, sat esse iniuriosam manum, etiamsi non fe-
violenta. Cùm ergo ille clericus se percutiens modo prædicto
sit iniuriosus ordini, quo sacratus est, incurrit in censuram.

Secunda ex can. si non licet. 23. q. 5. vbi habetur, plus esse ho-
micidam, qui se occidit, quàm qui alium. Ergo à fortiori eu
contrahit censuram.

Aliud dubium est, an incidat in sententiam canonis, q
percutit clericum volentem se exponere percussioni.

Ad hoc respondeo, incidere, vt habetur in cap. contingit
de sent. excomm. Ita caput hoc interpretante communi se-
tentia Doct. Fely. Panorm. Ioan. Andr. & Glos. cum alijs com-
muniter; textus enim id non dicit expresse. Casus tamen e
consuetudinem fuisse in quodam loco, vt si quis iniuriam af-
cisset aliquem, in satisfactionem exponeret se nonnullis ic-
ctium percussionibus factis ab eo, cui intulit iniuriam; rog-
tus Pontifex, an esset excommunicatus, qui Clericum spont
se exponentem sic percussit, respondit esse excommunica-
tum, quia iniurius est in ordinem Clericalem, in cuius fau-
rem can. si quis suadente. promulgatus potius est, quam in fa-
uorem personæ. Sed an Clericus se exponens sit excommu-
catus, respondent Panorm. Ioan. Andr. Glos. quod non, sed de
se excommunicandum, quia ibi dicitur tantum, quod excom-
municetur Clericus, qui deinceps id fecerit. Contra quod pos-
set aliquis obijcere: nam videtur excommunicatus, quia parti-
cipat in crimine criminoso cũ excõmunicato, & qui sic parti-
cipat, eandem contrahit censuram, iuxta cap. nuper. de sent.
excom. Adhoc respondet Panorm. cap. contingit. citato, quem
sequuntur Tabie. excom. 5. casu 1. num. 33. & Silu. excommu-
6. §. 8. vt aliquis sit excommunicatus, quia participat cum ex-
communicato in crimine criminoso duo esse necessaria. V-
num, vt participet in crimine, propter quod ille est excom-
municatus, dando auxilium, consilium, vel fauorem. Alte-
rum. vt ista participatio sit, postquam iam ille contraxit ex-
communicationem; vnde, qui prius participat in peccato, se
crimine, non contrahit, quia nondum est excommunicatus,
nisi participet post commissum: verbi gratia. Si excommu-
carentur fœminæ, quæ cum coniugatis copulam illicitam
exercent, & aliquis vir primo accederet alicui fœminæ, quæ
nondum alias commiserat hoc, non dicitur participare cu

excom-

excommunicato in crimine, ac ob id non est excommunicatus, nisi accederet ei, quæ iam sententiam talem aliàs contraxit, ac per hoc soluitur argumentum de Clerico, qui non dicitur participare in crimine, nisi percutiens iam aliàs ob idem esset excommunicatus.

Aliud dubium est de Heremitis, an sint nomine Religiosi comprehensi, ita vt hoc gaudeant priuilegio, etiamsi nullos ordines, nec primam tonsurã habeant. Ioan. de Lign. in Clem. per litteras de præben. tenet quod non. Gloss. verò can. qui vere. 16. q. 1. tenet quod sic. Solutio autem est cum distinctione, qua Archi. illo can. qui vere. citato, & Siluest. verb. Heremita. §. 2. vtuntur, nempe esse quosdam profugos, qui nec ordini, nec Prælato, seu Episcopo, seu Religioso subditi sunt, & hi nõ gaudent hoc priuilegio. Quosdam verò, qui ordini, vel Religioso, aut Episcopo subduntur, & hi gaudent, & censentur personæ Ecclesiasticæ.

Aliud dubium est de fratribus, & sororibus Tertij Ordinis Sancti Francisci, & Sancti Dominici, an gaudeant isto priuilegio. Siluest. excommuni. 6. §. respondet gaudere, quia habent priuilegium Xysti super hoc, quamuis de iure fuerit controuersia.

De excommunicationibus in Decretalibus, & in sexto reseruatis.

CAPVT XXXV.

PRima excommunicatio habetur in cap. quærenti. de offi iudi deleg. nempe quando aliquis est excommunicatus à delegato Papæ, & per annum manet in tali excommunicatione, tunc non potest absolui, nisi à Papa, qui est superior ipsius delegati, iuxta cap. studuisti. de offi. legat.

Secunda est in cap. ad falsariorum. de crim. fal. & alia in cap. dura. ibidem contra falsarios, & contra habentes apud se litteras falsas: sed iam hęc capita exposita sunt in Bulla Cenæ, dum de falsarijs diximus.

Quarta habetur in cap. significauit. de sent. excom. vbi excommunicatur clericus, qui communicat cum excommunicato à Papa, recipiendo eum in d uersis officijs. Vbi nota vt contrahatur ista excommunicatio debent nonnulla concurrere.

Primo,

Primò, vt, qui communicat, sit clericus.

Secundò, quod communicet cum excommunicato à Papa per sententiam, quod intellige iuxta Martini Bullam postquā fuerit denunciatus.

Et tertiò, quod sit ista communicatio, admittendo eum ad diuina officia.

Quartò, quod id fiat scienter.

Et quintò, quod non metu, sed sponte id faciat: metus autē debet esse iustus, nempe quando minus malum maioris mali euitandi causa eligitur, vt dicunt D. Thom. in 4 sent. d. 24. Silu. ver. metus. in prin. late Couar. in 4 decretal. 2. part. §. 4. num. Minor autem causa requiritur in muliere & minore, quam in adulto, & viro, vt notat Gloss. in cap. cum locum. de sponsal. & ibi Abb. nu. 6.

Aduerte tamen, quod si constaret aliquid metu factum, licet non esset metus talis, qui caderet in constantem virum, sufficeret, vt habet Dec. in c. si iustus metus. col. 6. v. & in iuribus de appell.

Quinta est in c. tua nos. de sent. excommu. vbi incendiarij, postquam excommunicati, & denunciati fuerint, à solo Papa absolui possunt. Vbi nota ex Gloss. & ibi Doct. communiter hunc Canonem esse generalem tam de incendiarijs Ecclesiarum, quàm aliorum locorum.

Rursus eos non esse per hunc Canonem ipso iure excommunicatos, sed excommunicandos, iuxta can. pessimam. 23. q. 5. cum mandantibus, consulentibus, fauentibus. At postquam excommunicati & denunciati fuerint, Papæ absolutio reseruatur secundum sententiam veriorem, vt notant Henric. Boic. in c. conquesti. nu. 4. de sent. excom. licet Doct. graues teneant, Ordinarios posse absoluere incendiarios ab ipsis excommunicatos, & denunciatos.

Aduerte autem, disposita contra Ecclesiæ incendiarios habere locum, siue sit Ecclesia cōsecrata, siue non, vt notat Boic. vbi supra, quia eadem immunitate vtraque gaudet, vt notatur in c. pen. de immun. Eccles. & idem dicendum de incendiarijs locorum religiosorum, vel Cæmeteriorum, vt per Boic. ibidem.

Aduerte rursus, in locis, vbi est consuetudo, quod incendiarij locorum non religiosorum sint ipso iure excommunicati, eam esse seruandam, quia consuetudo est optima iuris interpres. cap. cum dilectus. de consuetud. ita Boic. vbi supra. Et in-

telliges

tellige de consuetudine legitimè præscripta, vel approbata à suo Prælato, quantum ad suos subditos, vt in simili notat Angel. verb. excomm. 1. §. 6.

Aduerte præterea, quantum ad incendiarios Ecclesiarum Caiet. ver. excommuni. c. 22. & Nauarr. cap. 27. sum. nu. 94. tenere, non esse ipso iure excommunicatos, sed excommunicatos, sicut & incendiarios cæteros, qui non sunt Ecclesiarum: contrarium tamen affirmant Gloss. in cap. tua nos. de sent. excomm. & ibi Abb. num. 4. Gloss. in c. conquesti. & ibi Henric. Boic. alios citans nu. 2. eod. tit. Gloss. in c. deuotissima. 12. qu. 2. Præpos. & alij in cap. canonica. 11. q. 3. Siluest. ver. incendiarius. §. 2. pro qua opinione est Canon in c. in litteris, de raptorib. & incendiar. vbi Papa mandat absolui incendiarium Ecclesiarum à sententia excommunicationis supponendo illum excommunicatum. Et in c. canonica. 11. q. 3. quem canonem ad hunc effectum citat Abb. vbi supra. & ita intelligendum dicit Præpos. in allegato cap. canonica. in fin. At quia ad istos canones respondi potest, eos procedere, quando incendiarij prædicti fuerunt excommunicati propter tale incendium; sic enim Gloss. in cap. in litteris. allegato interpretatur, in propositione casus. Idcirco teneo cum Caiet. & Nauarr. non enim multiplicandæ sunt excommunicationes iuris, vbi non reperitur ius expressum, aut ex iure consequentia necessaria deductum.

Sexta habetur cap. conquesti. de sent. excomm. Rapientes res Ecclesiæ cum ipsarum Ecclesiarum effractione, ipso iure sunt excommunicati, & si denunciati postea fuerint, ad Papam sunt pro absolutione mittendi: ante denunciationem verò non est necessarium; possunt enim ab Episcopo absolui.

Et nota duo esse necessaria ad contrahendam hanc excommunicationem; rapere res Ecclesiæ, & cum effractione, scilicet portarum, vel serarum, vel murorum, vt habet ibi Panorm. Per Ecclesiam verò intellige hospitalia, & alia loca pia, vt dixi supra, & notat Abb. in c. tua. de sent. excomm.

Septima est in c. fundamenta. de elect. in 6. vbi duo statuuntur à Nicolao IV.

Primum est, ne eligatur in Senatorem Romæ, vel Rectorē, vel in officium alicuius gubernationis prædictæ Vrbis vllus Imperator, Rex, Princeps, Dux, Marchio, Comes, Baro, aut vllus alius notabilis excellentiæ, præeminentiæ, potestatis, dignitatis, aut vllus frater, filius, nepos prædictorum.

Alterum est, ne vllus eligatur in prædictum Regimen vltr annum, nisi de licentia Pontificis per literas expressa.

Conceditur tamen, vt si quis originem naturalem trah ex Vrbe, aut in ea continuam habet habitationem, possit assu mi in tale regimen, etiamsi frater, filius, nepos prædictorum sit, & etiam si titulum Baroniæ, vel Comitatus aliquem extr territorium Vrbis habeat, dummodo non sit tantæ potentiæ vt cum prædictis comparari possit.

Contra hanc autem constitutionem nominantes, assumen tes, eligentes, & nominati, assumpti, electi, si consenserint, & obedientes alicui prædictorum septem, aut dantes consilium auxilium, vel fauorem, sunt ipso iure excommunicati, & communicatio Pontifici reseruatur.

Octaua excommunicatio habetur in c. clericis. de immu ni. Eccles. vbi imponentes taleas clericis, & clerici soluen excommunicãtur, sed quantum ad soluentes, est reuocata constitutio per Clem. quoniam. de immuni. Eccles. a Clem. Super hoc diximus plura in Bulla Cœnæ.

Nona excommunicatio habetur in c. fœlicis. de pœnis Bonifacio Octauo, vbi vndecim genera personarum excom municantur, hostiliter insequentes Cardinales, capientes, vu nerantes, occidentes, socij eorundem, fieri mandantes; ratum habentes, quod intellige cum Gloss. si nomine eorum id gestum est, vt alias diximus; dantes etiam consilium, vel fauore prædictorum aliquem receptantes, vel defensantes. Multæ a liæ pœnæ vltra excommunicationem ibi ponuntur, quæ ad rem præsentem non faciunt. Excommunicantur tandem Po testates, Rectores, &c. qui prædictam constitutionem intra mensem non obseruant contra prædictos; tales enim, mense elapso nisi obseruent eam, ipso iure sunt excommunicati: sed ista vltima non videtur reseruata; nõ enim ibi dicitur, in eam dem excommunicationem, quæ posita prius erat, incidit, sed absolute quod sint excommunicati.

Decima habetur in cap. quicumque de sent. excomm. lib. 6. vbi quinque personarum genera excommunicantur. Omnes illi, qui, occasione alicuius excommunicationis latæ in alio quem, dant licentiam occidendi eos, qui promulgarunt talem sententiam, vel eum, cuius occasione est promulgata, vel eos qui obseruant prædictam excommunicationem, vel eos, qui nolunt conuersari cum tali excommunicato.

Secundo, excommunicantur etiam ij, qui non solum oc-

cidenã

cidendi dant licentiam, sed etiam capiendi aliquem prædictorum.

Tertiò, qui etiam dant licentiam grauandi aliquem prædictorum, vel in personis, vel in bonis suis, vel suorum.

Quartò, excommunicantur etiam, qui tali licentia vtuntur.

Et tandem quintò, qui etiam sine licentia, sed ex se aliquid prædictorum faciunt.

Aduerte tamen vnam limitationem: qui enim in bonis nocuerunt illa occasione, & intuitu, non statim sunt excommunicati, nisi intra octo dies restituant, & satisfaciant omnia; si enim id præstant, non contrahunt censuram. Similiter qui dederunt licentiam, si in re integra reuocarunt, non contrahūt: alias ipso iure excommunicati sunt.

De excommunicationibus reseruatis in Clementinis, & in Extrauagantibus.

CAPVT XXXVI.

PRima excommunicatio habetur in Clem. 1. de hære. §. verum. 2. Inquisitores, & in officium inquisitionis ab Inquisitoribus, vel Episcopis substituti, qui odij, gratiæ, seu amoris, lucri, commodiuè alicuius temporalis obtentu contra iustitiam, & conscientiam suam omittunt contra quemquam procedere, vbi procedendum est, aut alicui imponunt hæresis prauitatem, aut propterea eum ab eius officio impediunt, & super hoc quoquomodo eum vexant, sunt ipso iure excommunicati, nec ab alio, quam a Papa absoluendi, nisi in mortis articulo; nec tunc, nisi præmissa satisfactione, si fieri poterit: & si Episcopi fuerint aliquid prædictorum facientes, vel Episcopi superiores, non contrahunt excommunicationem, sed suspensionem ab officio per triennium.

Aduerte tria necessaria simul ad contrahendam hanc excommunicationem; Vt contra iustitiam faciant; Et, vt etiam scienter, seu contra propriam conscientiam, intelligendo contra conscientiam; Et vt aliquo fine ex præscriptis in textu. Vno horum deficiente, non contrahitur censura, vt notat ibi Glos. ver. obtentu.

Secūda excōmunicatio habetur in Clem. religiosi. in prin. de priuileg. vbi Religiosi contra Papalem excommunicatio-

nem,qui clericis,aut laicis sacramentum vnctionis extrem vel Eucharistiæ ministrant,vel matrimonia eorum solemn zant,non habita prius parochialis presbyteri licentia speci li;& hoc procedit etiã,si administratio fieret in articulo mor tis secundum Card.in d.Clem.qu.. etiam in defectu paroch vt notat Silvest.verb.excommunicatio.7.cas.14.Excommun cantur etiam,qui excommunicatos à canone,præterquam casibus in iure expressis, vel per priuilegia Sedis Apostolic concessis:vel à sententijs per statuta prouincialia, aut synod lia promulgatis ; vel à culpa,& pœna quemquam absolue præsumunt.Ista intellige remotis priuilegijs. Et nota ex Gl ver.à canone.non extendi hoc ad eos,qui absoluere presum excommunicatos ab homine:sed à iure, seu canone tantu nec ad eos, qui ministrant dicta sacramenta parochiano centi se habere licentiam à presbytero parochiali. Glos.in Clem.verb.habita.

Tertia excommunicatio habetur in Clem. si quis suade te.de pœnis.vbi percussores Episcoporum cum alijs generib personarum excommunicantur, tamen in Bulla Cœnæ hanc Clementinam explicauimus.

Quarta habetur in Clem.cupientes.de pœnis, vbi eande excommunicationem contrahunt Religiosi, vel clerici, q inducunt aliquem ad iurandum,vel vouendum, vel promi tendum,vt sepulturam apud eorum Ecclesias eligant,vel im electam non immutent. Vbi nota, ad hanc contrahendam debere esse Religiosos, vel clericos seculares. Rursus,debet inducere ad vouendum,iurandum, vel promittendum; sim pliciter enim inducere,vt eligat,non satis est.Rursus,vt indu cant ad sepulturam eligendam, vel non immutandam a pud eorum Ecclesias: nam si vnius Ecclesiæ inducat aliquem ad vouendum eligere sepulturam alterius Ecclesiæ, non pro pterea contrahit excommunicationem hanc,sicut nec is, qu nec Religiosus,nec clericus est,quamuis inducat ad vouendu iurandum,vel promittendum.

Quinta excommunicatio habetur Clemen. grauis. de sent excomm. vbi eandem excommunicationem contrahunt do mini temporales,& quicumque, qui quomodolibet cogun aliquem in loco interdicto celebrare diuina. Similiter qu per præcones faciunt populum ad illa audienda conuocari Et qui similiter nunc hos nunc illos ad audientiam eandem conducunt.Et qui prohibent,ne publicè excommunicati, ve

interdicti super hoc per illos, qui Missas celebrant, moniti ab Ecclesijs exeant. Similiter etiam ipsi nominatim moniti, cùm sint excommunicati non exeuntes, contrahunt hanc excommunicationem Papalem.

Sexta habetur in extrauag. & si Dominici gregis. de pœnitẽ. & remissio. & est Xysti IV. Excommunicantur omnes illi, qui prætextu Confessionalium, vel gratiarum concessarum ab ipsomet Xysto præsumunt absoluere Simoniacos, mutilatores, vel occisores existentium in sacris, violatores Ecclesiasticæ libertatis, & demum a casibus reseruatis in Cœna. Similiter excommunicantur, qui prætextu eodem dispensant in votis castitatis, Religionis, Hierusalem, Sancti Iacobi, & Sancti Petri Romæ, nisi in prædictis gratijs fiat horum expressa mentio, & derogatio huius extrauagantis. Aduerte non excommunicari hic eos, qui prædicta faciunt, etiam si male faciant, nisi id faciant prætextu dictorum Confessionalium, &c.

Septima habetur in extrauag. detestandæ, de sepulturis. Excommunicantur illi, qui cadauera hominum exenterant, incidunt in frustra, elixant, carnes ab ossibus separant, & excutiunt, vt prædicta ossa in sepulturam distantem transferant.

Aduerte primò, non habere locum hoc, quando fit in terris Infidelium, vt ossa in terras fidelium transportentur, ita habetur in eadem extrauag.

Secundò, aduerte ex Siluest. excommuni. 7. §. 79. non habere locum in his, qui ista faciunt in corporibus viuis, nisi in cadaueribus, nec etiam quando id fit in odium, seu vindictam, vel in superstitionem, vel ratione anathomiæ; debet enim fieri ad transportandum cadauer in sepulturam remotam.

Aduerte tertiò, ex Caie. v. excommun. c. 70. non habere locum, quando exenterantur corpora Nobilium, & Principum, quia id fit, vt conseruentur corpora, non vt transportentur, quamuis possumus dicere, in hac extrauaganti. excommunicari non eos, qui solum exenterant, sed qui scinduñt etiam, & elixant, vt carnes cito ab ossibus separentur.

Octaua habetur in extrauag. sane. de simonia, vbi excommunicantur, tàm dantes, quàm accipientes ex pacto pecunias, epulas, vocalia, &c. pro ingressu Monasterij, nisi id sponte detur; & hoc tàm in Monasterijs virorum, quam fœminarum.

Aduerte ex Caiet. verb. excommuni. cap. 73. id non habet locum, quando Monasterium est pauper, & accipitur in sustentationem ipsius Monialis. ita etiam habet Gloss. cap. non sanè de simonia. quamuis Gloss. cap. quoniam. de simonia. id non probet, & videtur conforme ipsi capiti: tamen Anton. 3. p. tit. 24. cap. 67. & Silu. excommun. 7. §. 81. referunt, Martinū Quintum declarasse vniuersaliter, non habere locum hanc extrauagantem in pacisc entibus super dotibus Monialium.

Nona habetur in extrauag. cum detestabile. de simonia. Et est Pauli II. Excommunicantur tria genera personarum. Simoniaci in ordine, vel beneficio, intermedij, & procuratores simoniæ, scientes prædictorum aliquem, & non quanto citius manifestantes Papæ, vel Camerario. vel Locum tenenti.

Aduerte quantum ad non reuelantes, non esse in vsu hanc extrauagantem, vt habet Tabien. v. simonia. num. 75. & Armil. ver. simonia. §. 57. & Silu. v. simonia. §. 19. Qui autem simoniaci contrahunt hanc excommunicationem, an mentales, reales, & conuentionales, dicemus, cum de simonia tractatus occurrerit.

Decima habetur in extrauag. viam ambitiosæ. de regul. Vbi omnes fratres cuiuscumq; ordinis mēdicantium transeuntes ad aliam Religionem, excepta Carthusianorum, sine licentia Sedis Apostolicæ, excommunicantur ipso iure; similiter et ipsi recipientes tales.

Vndecima habetur in extrauag. graue nimis. de relig. & venera. Sanct. Xysti. IV. & approbatur in Concilio Triden. sess. 5. in fin. Excommunicantur illi, qui affirmant peccare mortaliter, vel esse Hæreticos eos, qui defendunt Beatissimam Dei Matrem esse conceptam sine originali; & qui affirmant peccare eos, qui obseruant festum Conceptionis, & qui adsunt concionibus. Similiter etiam in contrariam partem excommunicantur illi, qui affirmant peccare mortaliter, vel esse Hæreticos eos, qui tenent contrarium, puta esse conceptam cum originali; neutra enim pars hactenus definita est; de fide vtique potest teneri absque mortali peccato, quamuis certius multò sit, & verius, esse sine vlla macula conceptam, & ita nos credimus.

De excommunicationibus non reseruatis in decreto, & decretalibus.

CAPVT XXXVII.

SEquentes excommunicationes nulli reseruantur, quarum prima habetur.23.q.5 can.administratores. Iudices,& Gubernatores seculares conuenti ab Episcopis,& viris Ecclesiasticis,quod iustitiam non seruent,si,quãtum necessitas exegerit absque negligentia, id non correxerint post trinam admonitionem factam, ipso facto sunt excommunicati,'non absoluendi vsque ad cõdignam satisfactionem. Hæc excommunicatio ferè non est in exercitio.

Secunda habetur cap.licet deuitanda.de elect. Electus à minori numero,quàm duarum partium Cardinalium in Pontificatum,si suæ electioni consentiat,est excommunicatus. Electus verò à sola tertia parte,si consentiat suæ electioni, ipse excommunicatus est cum recipientibus eum in Pontificem.

Tertia habetur in cap.non minns. adiuncto etiam cap, aduersus.de immunit.Eccles.vbi excommunicantur primò omnes Rectores,Consules,& alij officiales laici quorumcumque locorum,qui talias,collectas,aliasve exactiones indebitas, id est,onera personarum,aut rerum Ecclesijs, aut personis Ecclesiasticis imponunt,& eorum fautores.

Secundò excommunicantur prædictæ personæ, qui iurisdictionem Prælatorum fere euacuant. Quod intellige cum Ioan. Andr.d cap.non minus. de iurisdictio. temporal. Tam autem illi,quam isti,& eorum fautores, si admoniti non desistant,sunt ipso iure excommunicati, & sufficit vna admonitio,vt Hostien.notat in prædicto cap.non minus. nec absolui debent,donec satisfecerint competenter.

Tertiò, excommunicantur successores prædictorum officialium, nisi intra mentem excessum suorum prædecessorum purgauerint,& satisfecerint.

Quartò prædicti officiales, etiam officio deposito manent excommunicati,donec fiat comporens satisfactio,quoad collectam quidem per eum,in cuius commodum versa est: & per officiales verò de delicto arbitrio iudicis:sin autem, tenentur ipsi in totum satisfacere, vt notat Abb.in d.c. aduersus.nu.20.

de immuni.Eccle.Per hęc non est excommunicatus officialis aut Rector,qui non consensit,sed restitit quantum potuit, licet exactio fuerit imposita,vt habet Panor.cap. aduersus, citato nu,20.& Siluest.excom,9. nu.17.arg.cap.ephesi.d.43.nec tenetur dimittere officium,nisi quando id exercere non potest, nisi se talibus intromittat imponendis, vel exequendis secundum Siluest. quia tunc non debent exercere officium in loco Ecclesijs aduerso, vt dicit Abb vbi supra. Eadem est ratio de successore,vt dicit Siluest. non enim tenetur officium non acceptare,quando non potest satisfactionem obtinere, remitente vniuersitate,nec est excommunicatus, licet Abb,in d.cap. aduersus,nu.22.dicat tutius esse officium dimittere.

Aduertendum est autem,quod hæc excommunicatio non incurritur propter tributa, quæ Clerici debent ob bona eorum temporalia, quia illa soluere de iure tenentur, vt dicit Abb.in c.fin.num 12. de vit. & honest. Cleric. Nec etiam incurritur ob realia extraordinaria, quæ immediatè spectant ad eorum bona,vt ad reficiendum iter, quod est ante domum suam,vel ad expurgandum puteum viciniæ, in qua est Ecclesia secundùm Abb.in c. non minus,num.16.ver. fateor de immuni.eccl.

Aduertendum est rursus secundùm Castren. cons. 423. incip.ex puncto,lib.2.excommunicationem prædictam habere locum,quando directè contra Clericos, vel eorum bona collectæ imponuntur;secus si indirectè,& causatiuè, puta quando pro reparatione pontium viarum,& similium imponitur gabella super rebus emendis,hoc idem tenet Silu. ver. immunitas,in fin. Abb.in cap.non minus in fin.de immunit.Eccles. Grammat.decis 99.nu.26.

Quarta habetur in cap.non magnopere, ne Cleri. vel monach.Religiosi professi exeuntes a suis Monasterijs ad audiendas leges,vel medicinam, nisi intra duos menses à die exitus ad claustrum redeant,sunt excommunicati.Extenditur autem excommunicatio ista in cap.super specula.eod.tit. ad habentes dignitatem,vel personatus,etiamsi presbyteri non sint,& ad presbyteros etiam,etiamsi personatam,dignitatem,vel beneficium non habeant. Hæc non comprehendit religiosos intra clausta audientes,vel foris,manentes tamen in clausura aut reuertentes ante duos menses,vt ibi notat Panorm. nu.3. de mente Inno.contra Hostie. tenentem esse excommunicatos,nec comprehendit docentes dictas scientias, vt dicit Abb.

in d.c

in d c.fin.nu.16.de mente Inn.Nec etiam Religioſos, vel alios presbyteros,ſeu perſonatus habentes priuatim in Camera lectores legum,ſecundum Cald.in conſ fin.nu.7. de magiſtr. & Ancar.in d.cap.ſpecula.nu.4.qui reſpendet ad Abb.contrariũ ſentrientem.Nec etiam eos, qui ſtudent legibus, inquantum conducunt,& poſſunt conducere ad notitiam canonum,vt habet Boic.in d.c.num.6.poſt Ioann.Andr.& Hoſtien.arg. tex. in c.fin.37,&38.diſt.tamen in foro fori preſumptio eſſet contra eos.

Rurſus non comprehendit Diaconos,aut Subdiaconos,etiamſi beneficium habeant,niſi perſonatus,vt notat Silueſt.excommuni.9.§.22.

Rurſus non comprehendit poſſidentes parochias, niſi ſint plebaniæ habentes ſub ſe cappellas, in quibus Clerici perpetuò inſtituantur,vt habetur cap.1. ne Cleri.vel monach.in 6. Abb.per illum tex.in cap.ſuper ſpecula.num.10. ne Cleri. vel mona.& licet Inno.contrarium ſenſerit, tempore tamen illius non erat determinatum per d.c 1.quod eſt Bonifacij Octaui,qui fuit poſt Inn.& idem, quod dicitur de plebania habente tales cappellas,eſt dicendum de plebania collegiata, vt habet Gem.in d.cap. 1. Comprehendit tamen presbyteros, vel Clericos habentes perſonatus, ſi audiant per duos menſes leges,vel medicinam; etiamſi à proprijs domicilijs non exeant, vt habet Caiet.ver.excom.cap.50.& Henric.Boic.in d.cap.ſuper ſpecula.num.7.

Requiritur etiam,vt Religioſi hac intẽtione exeant à clauſtris,vt dicit Caietan. Tamen ſi quis hac intentione exiret,& poſtea mutaret propoſitum,& audiret non prohibita,non incideret in hunc canonem,vt dicit Panorm. cap.ſuper ſpecula. numer.9.etiamſi non rediret intra duos menſes. Cuius tamen contrarium, nempe,quod teneatur redire, niſi de mandato ſuperioris maneat foris,tenet Innoc.& Vincen. quos ſequitur Henric.Boic.in d.cap.inter ſpecula.num.7.& Ancar.num. 11.pro quorum opinione faciat tex.in d.cap. non magnopere,§.ſi verò.ibi, niſi infra duorum menſium ſpatium non redierint.

Requiritur vlterius, quod audiant cauſa diſcendi principaliter,vt notat Abb.in d.cap.fin.nu..14.& 16. Ne cleri.vel Monach.& ibi Boic.num.4. nam ſi cauſa honorandi doctorem, vel amicum,& non addiſcendi, non includeretur ſub huiuſmodi prohibitione;licitum eſt enim,vt ipſi dicunt, Religioſis

assumere aduocationem, vel procuram, etiam in foro secula pro amico monasterij. Ergo etiã hoc, dummodo non frequen ter id faciant ad tollendas fraudes, secundum Abb. & Boic. vb supra. & Ancar. ibidem. nu. 7.

Quinta habetur. c: Clericis. ne Cleri. vel mona. Sacerdos o ficium habens Vicecomitis, aut Præpositi secularis, & comm nitus non vult se emendare, est excommunicatus. Hæc lice solos sacerdotes comprehendere videatur, vt patet ex text Nihilominus Host. ibi nu. 3. in fin. expressit, sacerdotem faci vel faciendum, seu Clericum: cum quo est communis sente tia, vt testatur Abb. ibi num. 8. sed magis placet sententia A batis, qui intelligit de constitutis in sacris: non autem de o nibus Clericis: & ad id probandum, vltra rationes adducit t in c. 2. de cohab. Cleri. & mulier. vbi Papa declarat, sub nom ne sacerdotis contineri presbyteros, Diaconos, & Subdiac nos; & de Diacono est etiam tex. in cap. 1. in fin. 15. qu. 5. & Glos.

Hæc autem excommunicatio non comprehendit eos, q suæ dignitati iurisdictioni temporalem habentes annexa possunt eam per se exercere, dummodo non inferant pœnam mortis, vel membrorum detruncationem. Et idem dicendu est, si ipsam iurisdictionem habent nomine proprio, putan tione patrimonij: sed eos; qui vt ministri Principum id faciu etiamsi iudicium sanguinis non exerceant, vt notat Abb. i d. c. num. 5.

Aduerte tamen, quod licet prædicti Clerici in sacris existe tes esse non possint Vicecomites, & Præpositi seculares (sub quorum nomine comprehenduntur Gubernatores, Vicege rentes, alijque Præsidentes, iurisdictionem à secularibus obti nentes, vt notat Caiet. in sum. ver. excom. c. 76.) possunt tamen esse Consiliarij Principis secularis, vt notat Abb. in d. c. cleri cis. nu. 10. ne cleri. vel mona. post Host. ibi num. 4. dummodo a pœna sanguinis se abstineant secundum Hostien. & Abb. vb supra: quam quidem pœnam sanguinis esse debere grauem dicit Boic. ibidem. in fin. Nec est etiam dictis clericis prohibit in genere suadere, quod fiat iustitia; & si nesciunt casum de fa cto pendere, possunt respondere pro tali casu talem pœnam a lege esse impositam. Host. vbi supra. nu. 4. etiamsi sit mort pœna: de hac tamen re in materia irregularitatis latius age mus.

Sexta habetur in cap. excommunicationi. de rapto. Q

Christia-

Christianos naufragium patientes damnata cupiditate rebus suis spoliant, nisi ablata reddiderint, sunt excommunicati. Ad hanc excommunicationem contrahendam non sat est spolasse, sed etiam esse in mora restituendi, vt ibi dicit Panorm. Sed hodie ista excommunicatio est in Cœna, & adhuc ampliata, vt illic scripsimus.

Septima habetur cap. nouerit. de sent. excom. Vbi multa genera personarum excommunicantur.

Primò, qui statuta edita, vel consuetudines introductas contra libertatem Ecclesiæ fecerint obseruari, nisi de suis libris capitularibus intra duos menses à publicatione huius sententiæ fecerint deleri. Iam hi menses completi sunt, quia antiqua est Decretalis, vt per Abb. in d. c. numer. 3. Ligat ergo nunc non delentes, aut seruari facientes, vt notat Hostien. in prædicto c. nouerit.

Secundò excommunicantur statutarij, & scriptores ipsorum statutorum.

Tertiò Potestates, Consules, & Rectores, Consiliarij locorum, in quibus statuta, vel consuetudines editæ, vel seruatæ fuerint.

Quartò illi, qui secundum ea præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata.

Hæc excommunicatio solum comprehendit illos, qui violant libertatem ecclesiasticam per modum statuti, vel consuetudinis, vt notat Caiet. ver. excom. c. 31.

Rursus primum genus intelligendum est disiunctiuè, vt excommunicentur, qui faciunt seruare, vel qui non delent ita, vt vnum satis sit ad excommunicationem contrahendam vt notat Sil. excomm. 9. §. 31. quamuis alij contrarium putent: quod autem excommunicentur illi, qui faciũt seruare, etiamsi deleant, colligitur ex textu: nam Consules, Consiliarij, Rectores, vbi talia statuta seruatur, excommunicati sunt, & non repetitur nisi deleant, quia sufficit seruare facere, vel vbi seruantur, habere officium Rectoris, Consiliariorum, vel Potestatum.

Non autem comprehendit illos, qui obseruare faciunt, vel non delent, si ignorant esse contra libertatem Ecclesiasticam. Inno. in d. c. nouit. in fin. de sent. excom. Hostien. nu. 5. in prin. nam, vt ipsi dicunt, excommunicatio non est infligenda, nisi in contumaces, pro magnis criminibus. Et multo minus illos, qui de consilio viri alicuius eruditi, ac conscientia prædi-

ti prædicta faciunt, quoniam agunt ex ignorantia probab Caiet.in sum.ver.excommunicatio cas.31.

Nec eos,qui inceperunt statuere contra libertatem eccles sticam, & non perfecerunt, licet factum non reuocauer quia verbum (statuo) significat rem perfectam cap.in his verbor.signific.& notat Apostel.ad Abb. in c.nouerit.de se excomm.

Non etiam comprehendit Potestates, Rectores, Consul Consiliarios, quando ipsis non est liberum impedire,ne o seruentur,aut edantur:comprehendit tamen,si ipsis est liber & non faciunt;quamuis ipsi non sint conditores statutorum vel auctores consuetudinum.

Aduerte autem,quod statutorum debet fieri realis cassatio & abrasio,& non sufficit verbo, idque in odium criminis, n detur occasio,quod talia statuta de facto seruentur, vel poss ris relinquatur eorum memoria, vt habet Fely.alios citans cap.Ecclesiæ sanctæ Mariæ, num.109.de constit.Vnde seq tur,non sufficere protestationem in fine statutorum appos tam,quod statuentes non intendunt aliquid statuisse cont libertatem Ecclesiæ,vt dicunt Fely. & alij in c.nouerit de se excomm.

Aduerte similiter, quod vbi statutum est generale, & po test vtiliter dubitari, ne inferat præiudicium Ecclesijs, v Clericis, Episcopus potest cogere illos, ad quos spectat, quod declarent statutum illud non extendi ad Clericos, v Ecclesias, Ioan.Andr.in capit.fin. de immun.Eccles. libr.6. latè Fely n.in dicto cap.Ecclesiæ sanctæ Mariæ, numer.109.de constit.

Aduerte etiam si est notorium statutum, esse contra liber tatem Ecclesiæ,Episcopum posse illud tollere, vel mandare,v tollatur,& non obseruetur,ac decernere, vt non teneat, etiam nullo citato. Ancar.in c.quæ Lotharius cit.fin.2.qu.1. Gem in c.fin.de de immun.Eccles.lib.6.& ratio est, quia constat de fensionem non competere,vt dicit Fely.in d.c.Ecclesiæ sanctæ Mariæ num.110.

Libertas autem Ecclesiastica consistit in priuilegijs conces sis Ecclesiæ vniuersali super spiritualibus, vel temporalibus Deo, vel à Papa, Imperatore, aliisque Principibus, vt dicunt Hostien.cap.nouerit in prin, & ibi Innoc.de sent.excomm.& & Abb num.2.attestatur de communi. Quæ autem, & quot sint ista priuilegia pertractat ad longum Lapus alleg.92. per

toram

totam. Statuta igitur, quæ cedunt in derogationem dictorum Priuilegiorum contra libertatem Ecclesiasticam esse dicuntur idque locum habet etiamsi indirectè sint contra dicta priuilegia. vt dicunt Abb. in cap. Ecclesiæ S. Mariæ, nu. 27. de constit. &c. quanto. & ibi Doctor. de priuileg. & cap. fin. de immunit. Eccles. lib. 6. in quo cap. decernitur, vt si quis statuat, ne laici coquant panem, blandum molant, quicquam vendant Prælatis, aut Clericis; seu personis Ecclesiasticis, aut emant aliquid ab eisdem, seu alia obsequia illis exhibere præsumant, sit excommunicatus, quia talia in derogationem Ecclesiasticæ libertatis esse præsumuntur. Vbi aduerte, quia Papa non dixit simpliciter huiusmodi statutum esse contra libertatem Ecclesiæ, sed præsumi. Propterea tenuit Caiet. in sum. ver. excomm. cas. 31. quem sequitur Nauarr. cap. 27. num. 120. & ante illos, alios tenuisse refert Lapus allega. 92. numer. 3. prædicta per se non tangere Ecclesiam, vt est teste Ecclesia; sed quatenus est congregatio hominum. Et ideo aliqua rationabili causa existente posset dari casus, in quo liceret Principi prohibere laicis talia communia dare clericis, nihilominus contrarium videtur notare Gloss. in d. capit. fin. ver. libertatis vbi dicitur, quod licet quoad verba tale statutum non videretur infringere libertatem Ecclesiasticam, tamen infringebat quoad mentem, faciendo fraudem de persona ad personam. Idem notat Lapus d. Gloss. citans in prædicta alleg. 92. num. 3. ea ratione motus, quia faciunt contra immunitatem Ecclesiæ, & Clericorum, quæ est, vt nō lædantur, vel de eis, seu contra eos per Laicos directè, vel indirectè non disponatur. Nec obstat, quod Papa in d. c. fi. de immu. Eccles. lib. 6. simpliciter non disponat esse contra libertatem Ecclesiæ; sed præsumi: nam ex quo super huiusmodi præsumptione decreuit talia statuentes sententiæ excommunicationis subiacere, idem est, ac si simpliciter statuisset esse contra libertatem Ecclesiæ, quoniam huiusmodi præsumptio dicitur iuris, & de iure contra, aut super quam non admittitur probatio in contrarium, vt notat Abb. in capit. inter alia, numer. 7. de immunita. Eccles. & tradunt Doctor. in capit. 15. qui fidem. de sponsal. Statuta ipitur, siue directè, siue indirectè derogent priuilegijs concessis Ecclesiæ vniuersali, dicuntur contra libertatem Ecclesiasticam.

Aduertè etiam, quod licet statutū, ad hoc, vt sit contra libertatem Ecclesiæ, esse debeat cōtra vniuersalem Ecclesiam, non

tamen

tamen oportet ſtatui contra omnes Eccleſias mundi, ſed ſuf-
cit, quod tendat in præiudicium particularis Eccleſiæ ci-
id, quod competit omnibus, quemadmodum lædere Epiſco-
pum, eſt facere contra libertatem Eccleſiæ, licet non lædat
omnes, c. olim. de iniur. nam, vt dicit Ioan. Andr. in cap. cos
immunit. Eccleſi. quem refert, & ſequitur Lapus in prædict
alleg. 92. num. 6. Eccleſia vniuerſalis eſt vnum corpus, cu-
membra ſunt Eccleſiæ ſingulares, cap. ſignificaſti. de elect. li
excommunicatio hodie magna ex parte eſt in Bulla Cœnæ
vt ibi diximus.

Octaua habetur c. 1. de Schiſmati. vbi tria genera perſo-
rum excommunicantur, vt ibi exponit Panorm.

Primò, qui emit, vel quouis alio modo acquiſiuit rem
cleſiaſticam à Schiſmatico.

Secundò, qui recipit beneficium à Schiſmatico.

Tertio, qui conſentit ordinationi ipſius Schiſmatici; &
ordinationem non ſolum intellige ordinationem in ſpi-
tualibus, & ſacramentorum collationem, ſed etiam in tem-
ralibus, vt ibi notat Panor. qui limitat, quando ſcienter co-
ſenſit. De ipſis autem Schiſmaticis in Bulla Cœnæ diximus.

Duæ aliæ ſunt excommunicationes in Decretalibus, va
in c. quoniam. de offi. ordin.

Altera c. 1. de locati. Sed quia illius caſus non eſt hodie pra-
cticabilis; huius autem caſus eſt particularis ad Bononien-
ſes, prætermittimus.

De excommunicationibus non reſeruatis in ſexto.

CAPVT XXXVIII.

PRima habetur in cap. vbi periculum. de elect. in 6. Qu
mittit ſcripturam, vel nuncium alicui Cardinali in Con-
claui, ad Romani Pōtificis electionem exiſtenti, vel cu
eo ſecrete loquitur, excommunicatus eſt ipſo facto. Vbi tri
genera perſonarum comprehenduntur. Nota, quod non li
gantur hac excommunicatione, qui Conclaue ingrediuntu
pro his tantum, quæ pertinent ad electionem, de voluntat
omnium Cardinalium ibidem præſentium, quales ſunt Ad-
uocati, Tabelliones, & Religioſi, vt dicit Sil. excommun
9. §. 34. Nota etiam, quod Archi. & Gemini. in eodem c. inter-

pretan-

pretantur, vt illud verbum (*secretè*) restringat omnia tria genera actionum, puta, vt missio scripturæ, vel nuncij sit etiam secreta, alias non contraheretur excommunicatio. Tamen magis quadrat textui, vt restringat tertiam actionem tantum, nempe locutionem: & ita sentit Caiet. ver. excommuni. cap. 55. Nota etiam ex eodem Caiet. quod non ligat ipsos Cardinales hæc excommunicatio, etiamsi has actiones inter se, vel cum alijs faciant: nec etiam Cardinales, qui colloquuntur, vel recipiunt scripturam, vel Nuncium: sed eos, qui mittunt, vel secreto colloquuntur.

Secunda habetur in eodem cap. vbi periculum, de elect. in 6. vbi excommunicantur omnes Domini, Rectores, alijq; officiales cuiuscumque dignitatis, aut conditionis existant, qui diligenter non obseruant, aut fraudem committunt in eis, quæ ibi præcipiuntur obseruanda in morte Summi Pontificis morientis in terra eorum. Intellige, quando per ipsos stat; si enim impediuntur, non ligantur, vt ibi dicit Gemini. Quę autem sint seruanda in illo c. legi possunt, ad rem nostram non videntur multum attinere.

Tertia habetur in cap. sciant cuncti. de elect in 6. vbi excõmunicantur, qui siue per se, siue per alios iniustè persequuntur, aut spoliant beneficijs, vel bonis suis clericos, aut Ecclesiasticas personas, aut eorum consanguineos, aut Ecclesias, Monasteria, seu cætera loca pia, hoc motiuo, & ea de causa, quia noluerunt, aut nolunt eligere eum, pro quo ipsi rogarunt, aut induxerunt. Nota ex Archid. ibi, quod per spoliationem intelligitur etiam ablatio latens, & vastatio quocumque modo inuadendo immobilia, aut per vim publicè rapiendo mobilia, siue fraudulenter per dolum. Nota etiam ex Geminia. ibi, per Consanguineos intelligi vsque ad septimum gradum, pro quo facit Gloss. cap. postremo de appel. secundùm quem etiam non est locus huic pœnæ, si affines grauentur. Nota etiam, quòd in præsentatione hæc pœna locum habet secundùm Gloss. eiusdem c. sciant cuncti. dummodò persona, quæ grauatur in se, vel in suis, sit Ecclesiastica; non autem quando patronus est Laicus: nam constitutio dicit Clericos, vel Ecclesiasticas personas. & Gloss. in ver. Ecclesiasticas dicit, vt sunt Conuersi, Templarij, Hospitalarij, qui licet non sint Clerici, sunt tamen Ecclesiasticæ personæ 16. quęst. 4. can. quisquis, & idem dicit ibi Gemin. de conferente, & postulante; vnde infertur, quando constitutio pœnalis concernit fauorem Ecclesiæ,

exten-

extenditur ad alium casum, quam expressum, dummodo & fauorem Ecclesiæ concernat, vt notat Siluest. excommuni. 39. Nota etiam, quod ad contrahendam hanc excommunicationem, debet esse grauamen contra iustitiam; aliquādo enim potest esse contra solam charitatem, vt quando non faceret vel quod prætermitteret contra charitatem, tunc censura non procedit: nam in constitutione ponitur (*iniustè.*) Nota etiam ex Petro Anchar. & Gemini. ibi, quod mandatarius, qui exequitur grauamen, quando, qui grauat, per alium grauat, non incurrit censuram hanc, nisi quando constat ei de intentione mandātis, quod tali motiuo grauat, alias non. Archi. ibi puta semper ligari: tamen ex textu contrarium deducitur, quia communicatur, qui per se, vel per alium grauat tali motiuo sicut ergo non excommunicatur per hanc constitutionem, qui grauaret alio motiuo, ita se mandatarius, qui per se grauat, non excommunicatur, quando ignorat, quia cum ignoret motiuum, non dicitur grauare tali motiuo.

Quarta habetur in c. generali de elect. in 6. vbi excommunicantur ipso facto.

Primò, qui de nouo vsurpantes Regalia, Custodiam, siue Guardiam, titulum aduocationis, seu defensionis in Ecclesiis, Monasterijs, siue quibuslibet alijs pijs locis occupant bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant.

Secundò excommunicantur Clerici Ecclesiarum, Monachi monasteriorum, cæteræ personæ locorum ipsorum, qui hæc fieri procurant. Nota, per Regalia intelligi, vt dicit Archi. ea, quæ percipit Rex ex quibusdam Ecclesijs vacantibus, vt fit in Regno Franciæ, & Angliæ, seu, vt dicit Ang. exconim. 7. col. 15. vectigalia concessa à Rege Ecclesijs, & idem Gloss. prædicti cap. generali. Nota rursus, per custodiam, & guardiam idem intelligi, & per eam Ioan. Andr. intelligit iuspatronatus, & Gloss. ibi: Tamen Archidia. id negat, dicens tantum intelligi quod verbum sonat, quando nempe aliqui dicunt, ad ipsos pertinere Ecclesiam vacantem custodire, donec in ea sit prouisum de Prælato: cuius exemplum est in Ecclesia Parmen. vbi tales domini laici vocantur Vicedomini. consentit Ang. loco citato, & hoc magis placet. Nota rursus idem intelligi per titulum aduocationis, & defensionis, quia aduocatus dicitur defensor in Ecclesijs, vt dicit Siluest. excommuni. 9. §. 40. Nota rursus, quod dicitur, *de nouo vsurpant*, quod in-

telli-

telligitur cum Gloss. ibi communiter recepta à Quadraginta annis citra, per cap. final. de consuetudin. Nota rursus, duo requiri, vt vsurpantes isti contrahant excommunicationem.

Primò, vt vsurpent titulum aliquem prædictum.

Secundo, vt simul ratione vsurpationis talis bona occupēt, vnum sine altero non satis est, ita vt dicit Gemini. ibidem, & Panorm. c. conquestus de foro compet. & est opinio communis. Nota postremò, quod non comprehendit eos, qui ratione legitimæ consuetudinis, vel iusti tituli ista faciunt; tales enim nec vsurpant, nec occupare præsumunt.

Quinta habetur in cap. indemnitatibus de elect. in 6 §. postremo. Euocati, seu deputati ad dirigendas Moniales in electionibus, si non se abstinent ab his, ex quibus possunt discordiæ inter eas oriri, aut ortæ nutriri super faciendis electionibus, ipso iure sunt excommunicati. Nota ex gloss, posse euocari Religiosos, seculares, viros, & fœminas ad hanc directionem. Nota rursus ex Gemini. hanc pœnam non solum habere locum in Monialibus Religionum approbatarum; sed etiā in his, quæ non renunciant proprijs, nec faciunt professionem regularem in vna de religionibus approbatis: sed viuunt in communi, sicut Canonici seculares in secularibus Ecclesijs consentiunt in hoc Ang. excom. 7. cas. 16. Siluest. excomm. 9. §. 42. Nota rursus ex eodem Gemini. duo esse necessaria ad incurrendum in hanc pœnam; Et quod sit deputatus ad directionem in electionibus faciendis; & quod non abstineat à prædictis; si enim non abstinet, tamen non est deputatus ad directionem, non contrahit hanc pœnam; immò etiam si deputatus sit, sed nō sit ad talem directionem deputatus, non incurrit. Consentiunt Ang. Silue. locis citatis; quod si deputatus sit, & discordias seminet super electionibus iam factis, adhuc non incurrit secundum Caiet. ver. excommunic. cap. 80. quia constitutio dicit super electionibus faciendis.

Sexta habetur in capit. hac constitutione, de offic. iudic. delegat. in 6. Excommunicantur ipso iure procurantes, quod Iudices Conseruatores sibi dati intromittant se ad alia, quàm ad manifestas iniurias, & violentias, & extendant potestatem ad ea, quæ iudicialem exigunt discussionem.

Nota ex Gemi. illos, quorum non sunt Conseruatores, si id procurent, nō contrahere hanc pœnam, sed solas partes, quib.

dantur conseruatores, nisi illi post excommunicationem participent in crimine criminoso, vt suprà diximus. Nota etiam nec prædictas partes id procurantes contrahere hanc excommunicationem, quando Conseruatores dantur cum clausula quod cognoscant de his, in quibus Iudicialis discussio exigitur vt hodie communiter fit, nisi procurent, vt se intromittant ad alia, quæ excedunt potestatem eorum, etiam cum clausulis datis. Nota etiam, quod si procurent, tamen non sequitur effectus, vt cõseruator se intromittat, nõ incurritur pœna vt suprà adnotauimus. Nec ista excommunicatio comprehendit ipsos Conseruatores, etiamsi se intromittant.

Septima habetur c. vnico. de his, quæ vi. in 6. Extorquens per vim, vel metum absolutionem, aut reuocationem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, ipso iure sint excommunicati. Nota ex Glo. ibi quod si quis metum, vel vim inferat, tamen non est secuta absolutio, aut reuocatio, non contrahit hanc pœnam. Idem dicit ibi Archi. Nota rursus ex Glos. extorquentem pro excommunicato, etiamsi alius sit ab ipso excommunicato, contrahere hanc pœnam; & si ipse excommunicatus, contrahere aliam excommunicationem, præter eam quam habet: nam multis excommunicationibus potest vna ligari 3. q. can. Engeltrudam. etiam eam contrahit excommunicatus, si mandauit, vel ratam habuit talem extensionem, vt dicit Gloss. & Silu. ver. excommuni. 9. §. 43. Sed non credo, quia quando mandans non exprimitur, non comprehenditur, vt diximus suprà. Nota rursus ex eadem Glo. etiam istam pœnam procedere, quando excommunicatio fuit iniusta, & non tantum quando iusta, quia non sic est absolutio vlla extorquenda. Nota rursus, non habere locum in minori excommunicatione, vt dicit Ang. excom. 7. cas. 18. quia quando excommunicatio absolutè dicitur, de maiori intelligitur, iuxta c. si quem de sen. excom. Nota rursus ex Caiet. ver. excom. c. 41. procedit hanc pœnam in maiori, siue sit a iure, siue ab homine. Nota rursus secundùm communem opinionem non procedere quando metus fuit leuis, & non iustus, & cadens in virum constantem; talis enim metus non est simpliciter metus, ita habet Glos. ibi & Silu. & Ang. loco citato, quamuis Caiet. loco citato teneat procedere de quocumque metu extorquẽte, & hoc magis placet: nam etiamsi metus sit paruus, propter quem absolutio datur, vere est per metum extorta, & hic habetur ratio inferendi metum, si tali via absolutionem extorquear, quamuis

oppo-

oppoſita ſententia ſit probabilis, & poſſit teneri. Nota rurſus ex ipſo Caiet. debere eſſe metum illatum ab extrinſeco: non autem innatum, quem ſibi concipit abſoluens. Nota poſtremò, quod ſi abſoluens per metum, poſteà ratum habeat ſine metu quod fecit, adhuc inferens metum excommunicatus eſt, donec abſoluatur, quia ſtatim fuit ligatus per abſolutionem metu extortam, ita habet Gloſſ. in cod. cap.

Octaua habetur in cap. mulieres de iud. in 6. qui per fictionem, vel fraudem faciunt, vt iudex veniat perſonaliter ad domum alicuius mulieris, vt eius teſtimonium accipiat, cum perſonaliter ad iudicium inuitæ mulieres trahi non poſſint, ipſo iure ſunt excommunicati. Nota ex Ioan. Andr. quod ſi fingatur caſus, vt Iudex veniat, tamen Iudex non venit, non incurritur pœna: immò, vt dicit Caietan. capit. 59. ver. excomm. debet perſonaliter venire; ſi enim mittat, nō incurritur, quia hoc eſt conceſſum. Nota rurſus ex Anto. 3. p. tit. 24. c. 45. quod non ſolum Iudex fingens hoc, vel vtens fraude excommunicatur, ſed etiam quicumque alius fingat, vel per fraudem faciat, vt Iudex eat, quamuis Sylueſt excommuni. 9. §. 44. tenet de ſolo Iudice: ſed textus contrarium demonſtrat, nam vniuerſaliter procedit, & eadē ratione procedit tàm in Iudice laico, quàm in Eccleſiaſtico, cum non fiat diſtinctio in textu, licet Ioan. Andr. ibi reſtringat ad Laicum.

Nona habetur cap. hoc, conſultiſſimo de reb. Eccl. non alie. in 6. vbi primo excommunicantur ipſo iure, qui compellunt Prælatos, vel alias perſonas Eccleſiaſticas, vt ſubmittant Eccleſias laicis, vel ſubijciant eis bona immobilia Eccleſiarum, vel eis ſupponant ipſorum iura recognoſcendo, ſeu profitendo tenere ea ab illis tanquam à ſuperioribus, aut ſtatuendo eos tamquam aduocatos, vel patronos Eccleſiarum, ſeu bonorum ipſarum in perpetuum, aut ad tempus non modicum. Nota ex Gloſſ. quòd non procedit hæc pœna in bonis mobilibus, in quibus non conſueuerunt tales ſubmiſſiones fieri, debent enim eſſe immobilia, aut iura, quæ inter immobilia reputantur. Nota rurſus ex textu, quod procedit pœna hæc cum aliquibus limitationibus.

Prima, quando iſta ſubmiſſio ſit extra caſus iure permiſſos.

Secunda, quando ſit ſine conſenſu Capituli, & licentia Sedis Apoſtolicæ.

Tertia, quando ſit in perpetuum, vel ad tempus non modi-

cum, quod Gloss. ibi exponit spatium decem annorum: Vn
ad annos infrà decem, non incurritur pœna.

Quarta, quod supponantur laicis, tamquam sint sua, vel n
cognoscantur ab eis.

Secundò, excommunicantur omnes laici, qui ex licent
Papæ, & Capituli consensu contractus inierunt, vel inient
Ecclesiasticis immobilibus, si aliquid plus, quàm importat
tura contractuum ipsorum, vel pactum in eis factum vsup
uerint, & legitimè moniti prius non desinant vsurpare, &
lata restituant. Nota ex Archid. non satis esse desistere non
surpare pœnam vitandam, sed debent ablata restituere. N
ex Ioann. Andr. & Siluestr. excommuni. 9. §. 44. quod ista m
nitio legitima debet esse trina, nisi facti necessitas al
suaderet.

Decima habetur cap. vni. de religion. domi. in 6. Hanc
communicationem Silu. excommunic. 9. §. 45. & Ang. excom
municat. 7. cas. 22. putant contrahere inuenientes nouam r
ligionem, vel nouæ religionis habitum assumẽtes: sed in pr
dicto cap. hoc non prohibetur sub tali censura. Quidam p
tant id haberi ex extrauag. quadam Ioan. 22. relata per Pan
in eodem cap. tamen nec in ea id prohibetur, vt benè aduer
Caiet. verb. excommun. ca. 5. nam procedit contra fratricell
& beguinas, qui hodie non extant. In illo autem c. vni. de r
lig. domi. est lata excommunicatio contra quosdam membr
cantes extra quatuor ordines approbatos: sed iam hodie no
habet locum.

Vndecima habetur cap. quamquam de censi. in 6. Vbiq
iure sunt excommunicati quicumque per se, vel per ali
proprio nomine, vel alieno, ab Ecclesijs, aut à personis Eccle
siasticis exigunt pedagia, vel guidagia pro personis, aut pr
rebus, quas deferunt, vel deferri faciunt non causa negotiatio
nis. Intellige, si sunt personæ singulares, qui exigunt, excom
municantur, etiam si sint Episcopi, vt notat Archidia. Si em
est Vniuersitas, aut Collegium, non excommunicantur; sed
ipso facto est suppositа interdicto, vt habetur in textu. No
ex Ioan. Andr. & Archid. dici negotiari, quando res emitur
integra, & immutata cum lucro vendatur, & tunc clericus te
netur soluere gabellam secundum vsum patriæ: si tamen em
in vsum proprium, non tenetur, aut si non emat, sed recolle
cta de rebus suis, vt vinum, bladum, & similia vendat, non te
netur, vt notat Siluestr. excommunicatio. 9. §. 46. qui

no

non est hoc negotiari. Ista excommunicatio hodie est reseruata in Cœna, vt notant Angelus excommunicatio. 7. casu. 23. & Siluestr. loco citato, & nos superius diximus.

Duodecima habetur in cap. quoniam, de immunita. Eccles. in 6. Vbi excommunicantur ipso iure, qui eos, qui impetrant litteras Apostolicas, aut litigant, aut litigare volunt, siue ambæ partes in id consenserint, siue vno in foro Ecclesiastico, delegato, vel ordinario super causis Ecclesiasticis, siue ad forum Ecclesiasticum ratione personarum, vel negotiorum, vel rerum de iure, vel antiqua consuetudine pertinentium compellunt per se, vel per alios, aut compelli procurant ad desistendum, vel ad litigandum in foro seculari de huiusmodi quæstionibus cum dantibus ad hoc auxilium, consilium, vel fauorem, siue ista compulsio fiat per captionem Iudicum Ecclesiasticorum, aut litigantium, aut litigare volentium, aut rerum, aut Ecclesiarum, aut consanguineorum eorundem, aut quocunique alio modo. Nec sunt isti absoluendi, nisi prius integre satisfecerint, tam Iudici cui? iurisdictionem perturbarunt, quàm parte perturbatæ de iniuria, damnis, expensis, & interesse. Hæc omnia in prædicto cap. habentur.

Nota ex Archidia. & Ioan. Andr quod absolutio data ab Ordinario ante huiusmodi satisfactionem non valet; quamuis enim verum sit, quod supra diximus, quando habenti potestatem à lege fit prohibitio absoluendi, tenet absolutio, licet forma non seruetur, & Episcopus à lege habeat potestatem absoluendi ab hac, quia non est reseruata, tamen non habet locum hoc, quando est clausula irritans absolutionem, si forma non seruetur. In hac autem talis clausula est: nam verbum, quod in textu habetur, *nullatenus*, est irritans. Vnde non placet sententia Silu. excom. 9. §. 49. tenentis contra Archid Nota, quod ista excommunicatio quantum ad eos, qui impediunt impetrantes literas Apostolicas, & eos, qui capiunt Iudices, si sunt Pontificis Romani est in Cœna.

Decimatertia habetur cap. eos, de immunit. Eccle. in 6. Vbi excommunicantur tenentes Dominium temporale, qui interdicunt suis Subditis, nec Prælatis, aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis quicquam vendant, nec emant aliquid ab eisdem, nec ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibeant. Nota ex Gemini. duo requiri ad contra-

hendam hanc censuram. Et quod sint Domini, seu habeat Dominiũ temporale, seu seculare; & quod hęc interdicant subditis. Vnde si Domini non sunt, aut si sunt, sed interdicunt subditis alienis, non contrahunt. Consentiunt Silue. excom. 9 §. 59. & Ang. excom. 7. cas. 26.

Decimaquarta habetur in c. vt periculosa. ne cleri. vel mo nach. in 6. Vbi excommunicantur primo Professi tacite, vel expresse in aliqua Religione approbata temere habitũ dimittentes. siue in scholis, siue alibi.

Secundò, tales Religiosi accedentes ad quæcumque sine licentia Prælati, cum consilio conuentus, vel maioris partis.

Tertiò, Doctores, & Magistri, qui Religiosos habitu dimisso, Leges vel Physicam audientes. scienter docere, aut in Scholis retinere præsumunt.

Circa primùm nota, non contrahi hanc excommunicationem propter quamcumque dimissionem habitus, nisi sit temeraria, & sine causa rationabili; vnde quando est causa inde vt timor, vel medicina, aut simile aliquid, non est dimittens excommunicatus, vt notat Ioan. Andr. Immò quando est dimissio temeraria, sed temeritas non est mortale peccatum, vt quando dimittitur ad horam, vt currat, vel lapidem proijciat non est excommunicatus, vt notat Palu. 4. d. 18. p. 3. immo nec etiam quando est cum mortali peccato dimissio coniuncta, vt si dimittatur ad horam ad commodius committendum illud quod mortale, alio habitu non assumpto, vt notat Silue. excommunicati. 9. §. 53. Nec etiam est dimissio, quando dimittitur, nullo alio habitu assumpto. Illa ergo est dimissio quando est assumptio alterius habitus, & ad notabile tempus vt arbitrio boni viri dicatur dimisisse. Vnde qui dimittit per tempus paucum, alium sumens ad ludum, aut ad festum ad quod, iterum sumpturus proprium, nõ est excommunicatus. Eadem est ratio de dimittente, & de occultante, vt habet Glos. Clem. quoniam de vit, & honest. cleric. & Silue. loco allegato quod intellige, quando ita occultatur, vt nequeat cognosci quod sit religiosus.

Circa secundùm, nota cum communi Doctorum sententia id intelligi, quando accedit Religiosus ad studia extra claustrum, etiamsi studia non sint prohibita.

Rursus, etiam si licentiam habeat, si habitum dimittat, contrahit excommunicationem, vt colligitur ex textu, & etiam

habe-

habeat licentiam Prælati, sed non cum consilio maioris partis conuentus, nisi sit talis superior, qui potest dare facultatem habitandi extra claustra. Nota etiam, quod non procedit hæc pœna in Abbate ipso, & Superiori, etiamsi sine licentia maioris superioris, aut conuentus eat ad studia, vt habent Geminia. & Archid. hic, & Angel. excom. 7. casu. 27. licet Silu. excomm. 9. §. 55. teneat contrarium.

Circa tertium nota ex Gloss. quod si non dimittat talis Religiosus habitum, non sunt Doct. excommunicati hac constitutione, quæ cum limitatione procedit, nempè quando Religiosus dimisit habitum, & audit leges, vel Physicam, & scienter docent Doct. vel in Scholis retinent: tamen erunt excommunicati ab alio iure, quia communicat cum excommunicato in crimine, postquam Religiosus semel contraxerit excommunicationem, audiendo tales facultates per duos menses, vt supra diximus, vel etiamsi audiant Theologiam, tamen id est sine licentia Prælati de consilio conuentus; tunc enim, postquam semel fuerit Religiosus excommunicatus audiendo ipsum docere, est participare in crimine.

Decimaquinta habetur in capit. quicumque de hære. in 6. Vbi ipso iure excommunicantur quicumque scienter præsumunt tradere Ecclesiasticæ sepulturæ Hæreticos, eorum credentes, receptatores, defensores, vel fautores; nec absoluendi sunt, donec propriis manibus publicè extumulent, & proijciant huiusmodi cadauer: & locus ille perpetua caret sepultura.

Decimasexta habetur in c. vt inquisitionis de hæret. in 6. Vbi ipso iure excommunicantur.

Primò, Potestates, Domini temporales, Rectores, vel eorũ officiales, seu Baliui, si de crimine hæresis cognoscant, vel iudicent.

Secundò, si captos pro eodem crimine absque Diœcesanorum, vel Inquisitorum licentia à carcere liberent.

Tertiò, si executionem pro huiusmodi crimine à Diœcesano, vel Inquisitore iniunctam non impleant, prout ad eorum spectat officium.

Quartò, si directè, vel indirecte præsumant sententiam, aut processum Diœcesanorum, vel Inquisitorum impedire.

Quintò, si Diœcesano, vel Inquisitori præsumpserint se opponere in his, quę ad fidei negotium præfatum incumbũt, aut aliter impedire.

Sextò, omnes in his scienter dantes consilium, auxilium, fauorem Nota ex Ioan. Andr. quando Diœcesanus, & Inquisitor discordant in mandato; vnus enim mandat puniri, alter laxari, debent Domini illi, seu Rectores, & alij prædicti supersedere, donec Papa consulatur. Nota rursus ex Silu. excommunicatio 9. §. 58. quod incidunt in hanc pœnam præfati, si cognoscant directè, puta quia cognoscentes vt de causa principali faciunt capi hæreticum, siue indirectè, & incidenter quia alia de causa fecerunt capi: sed de Hæresi iudicialiter mul cognoscunt. Nota rursus Angel. excommunicatio 7. n. 29. putare non esse excommunicatos, quando illa faciunt animo offendendi inimicum, non animo impediendi offi inquisitionis: sed oppositum est verius, nempè quocumq modo faciant, eos esse excommunicatos, si illa faciāt, quæ prohibentur: nam factum damnatur simpliciter, non intentio. Nota rursus ex textu, quod si aliquis præfatorum animo pertinaci per annum sustinuerit prædictam excommunicationem, velut hæreticus ex nunc condemnari debet.

Decimaseptima habetur capit. pro humani. de homic. li. Vbi excommunicantur qui per assassinos occidere faciunt liquem Christianum, vel mandant, etiamsi mors non sequatur. Hæc excommunicatio hodie parum est in vsu, quia non sunt tales assassini; vt enim Archi. hic notat, illi assassini erant quidam infideles sub dominio cuiusdam Domini, qui pecunia conducti occidebant Christianos. Vide Siluest. vassallus.

Decimaoctaua habetur c. vsurarum, de vsuris in 6. Vbi excommunicantur singulæ personæ Ecclesiasticæ inferiores Episcopis.

Primò, si vsurarijs manifestis alienigenis, & non ortum à terris suis domos conducant, aut cōductas habitare permittant, aut alio titulo concedant ad fœnus exercendum.

Secundò, si eos intra tres menses à terris suis non expellant.

Tertiò, si eos de nouo admittant. Nota ex Silu. excom. 60. dici alienigenam, qui non est de illo dominio, in quo habitat, licet sit sub eodem Domino: nam vnius Domini multa dominia esse possunt: si tamen est de eodem dominio, tamen non de eadem ciuitate, non censetur alienigena in tali ciuitate, nec tunc procedit censura; nec etiam censebitur alienige-

si patre

si patrem habet ortum in ciuitate illa, licet ipse sit ortus & natus extra dominium. nam tunc oriundus est ex tali Ciuitate.

Decimanona habetur capit. vni. de iniur. in 6. Vbi ipso facto singulæ personæ excommunicantur, quæ contra personas Ecclesiasticas, vel earum bona concedunt repræsallias, & qui generaliter concessas ad præfatas personas extendunt, nisi concessionem, vel extensionem intra mensem reuocauerint. Si autem est vniuersitas, est interdicto suppositа: Nota ex Archi. quod concessio pertinet ad superiores; extensio ad inferiores, quibus conceduntur. Nota rursus ex Gemini. quod ista reuocatio debet esse re integra: nam si ante reuocationem, aut ante mensam procedatur ad actum, incurritur hæc pœna. Nota rursus, quod hæc procedit etiam in repræsallijs iustis, quæ conceduntur in locis, vbi est clericus; tunc enim non debet extendi ad personas Ecclesiasticas. Nota rursus ex Archid. eos, qui concedunt repræsallias contra bona alicuius clerici ob ipsius debita, seruatis seruandis, non incurrere hanc censuram. Nota rursus ex Gloss. quod propter debita clerici vnius diœcesis, non possunt concedi repræsalliæ contra bona clerici alterius diœcesis, in qua est debitor constitutus.

Vigesima habetur in c. fœlicis de pœn. in 6. Vbi excommunicantur Principes, & alij Domini, & Iudices, qui non obseruauerint ea, quæ ibi continentur contra persecutores Cardinalium. De hac suprà diximus.

De excommunicationibus non reseruatis in Clementinis.

CAPVT XXXIX.

PRima habetur Clem. vni. de sequestra. possessi. & fructu. Vbi excommunicantur omnes, qui in sequestratione facta per Ordinarium loci de beneficio Ecclesiastico per triennium integrum pacifice non possesso sententiã definitiuam cõtra possessorem apud Sedem Apostolicam dũtaxat in possessorio, vel petitorio promulgatam impedire, vel fructus sequestratos quomodo occupare præsumunt: aqua sententia non absoluentur, nisi vsurpata restituant, & remoueant

impedimentum. Nota ex Ioan.Andr.quod non habet locum hæc pœna,nisi in sententia definitiua , quæ nempè principalem causam definit,& non in quacunque,sed in ea,quæ est super beneficio Ecclesiastico.Nota rursus,quod nō habet locum nisi in sequestratione facta per Ordinarium, non in ea,quæ ex Summi Pontificis commissione.

Secunda habetur in Clem.I.de sepultu.Vbi excommunicatur omnes etiam exempti.

Primò , qui interdicti tempore in Cœmeterio sepelium scienter cadauera defunctorum , extra casus à iure concessos.

Secundo,publicè excommunicatos.

Terrtiò,nominatim interdictos.

Quartò,manifestos vsurarios.Nec debent absolui,nisi prius satisfecerint his,quibus est iniuria facta secundum arbitrium Diœcesani , aliter absolutio est nulla, propter illud verbum (*nullatenus*.) Nota idem censendum esse de cœmeterio,& de Ecclesia secundùm Cardin. ibi.q.7.Rursus ex Glos. quod procedit hoc de excommunicatione maiori à iure, vel ab homine. Rursus, quod nominatim interdicti debent esse à diuina & participatione sacramentorum, non ab officio,vel iurisdictione taatum,vt notat Ang.excomm.7.cas.36.Et sufficeret, si interdictus esset à sepultura secundùm Glos. Nota quod dicitur extra casus iure concessos: nam aliquando licet,vt dicetur in materia de interdicto.Nota quod per publicè excommunicatos oportet intelligere post extrauag. Martini nominatim denunciatos,vel publicos Clerici percussores.Nota etiam manifestum vsurarium dici , qui est conuictus, & condemnatus, vel notorius notorietate facti,vt qui publicè tenet altare paratum,& mutuat omnibus volentibus capere , vt habet Abb.c. quia in omnibus num.11.de vsur.Rursus ex Caiet.verb. excommunic c.46. Hæc pœna solos comprehendit eos,qui humo, seu tumulo mortuum imponunt : non autem portantes,nec comitantes,nec terram fodientes,nec mandantes, nec officium dicentes.Vide Glo.in eadem Clem.11. sepelire.

Tertia habetur in Clem.religiosi de decim. Excommunicantur Religiosi non habentes beneficium , nec administrationem propter quatuor.

Primò,si noualia,aut aliàs decimas Ecclesijs debitas, ad eos aliqua causa legitima nō spectantes , sibi appropriare,aut exquisitis fraudibus,siue coloribus vsurpare præsumpserint.

Secundò, si de animalibus familiarium, & pastorum suorum, vel aliorum animalia ipsa eorum gregibus immiscentium, decimas solui Ecclesijs non permiserint, seu prohibuerint.

Tertiò, si de animalibus, quæ in fraudem Ecclesiarum in pluribus locis emunt, emptaque tradunt venditoribus, vel alijs ab ipsis tenenda, decimas etiam solui Ecclesijs non permiserint, seu prohibuerint.

Quartò, si de terris, quas tradunt alijs excolendas, decimas etiam solui Ecclesijs non permiserint, seu prohibuerint. Hæc autem omnia non sufficiunt ad pœnam hanc contrahendam, nisi post requisitionem per eos, quorum interest, super hoc eis factam à præmissis non destiterint intra mensem; aut si de eis, quæ contra præmissa vsurpare, vel retinere præsumpserunt, intra duos menses Ecclesijs damnificatis emendam non fecerint competenter, & non sunt absoluendi ante condignã satisfactionem, alias est nulla absolutio: nam est particula, *nullatenus*, quæ irritat. Notat ex Gloss. sufficere vnam requisitionem. Rursus comprehendi etiam fœminas religiosas, Cistertienses, & hospitalarios: non autem clericos seculares, aut laicos, nec religiosos ipsos, quando decimæ non debentur Ecclesijs, sed priuatis personis. Rursus nota ex textu, quod religiosi habentes beneficium, vel administrationem non incurrunt excommunicationem hanc: sed loco eius suspensionem ab officijs, administrationibus, & beneficijs suis. Nota rursus, quod non contrahitur ista pœna ex sola non solutione, nisi ex appropriatione, vel vsurpatione, aut non permissione, seu prohibitione, ne solutio fiat. Nota rursus, ex Silu. excommun. 9. §. 72. quod non comprehendit hæc excommunicatio religiosum translatum ad Ecclesiam secularem, quando habet tẽporalem administrationem, vel beneficium: hic tamẽ suspensionem contrahet, quamuis non habeat beneficium regulare: nam Clement. de beneficio vniuersaliter loquitur, quando excipit ab excommunicatione, & supponit suspensione habẽtes beneficium.

Quarta habetur in Clem. ne in agro, de stat. monach. §. quia vero. Vbi ipso facto excommunicantur.

Primò, Monachi, aut Canonici regulares administrationẽ non habentes, qui ad Principum curias se conferre præsumunt, vt suis Monasterijs, aut Prælatis damnum aliquod inferant. Nota ex Gloss. duo requiri ad contrahendam hanc cen-

suram, quod intrent curiam, & quod hoc animo intrent, si nec habent licentiam sui Prælati, siue non: Immo addit, etiam *si non intulerit damnum*, si modo hoc animo intrauerit curiam; non tamen à Monasterio exisse sufficit, nisi intret in curiam.

Secundò, excommunicantur Monachi, qui intra sæpta Monasterij tenent arma sine licentia Abbatum suorum. Nota ex Gloss. ibidem quod hæc non comprehendit Canonicos regulares, nec Monachos habentes arma extra septem sui Monasterij, etiamsi habeant in alio Monasterio, nec Monachos venientes ad Monasterium cum armis non animo tenendi. Per arma autem, vt eadem Gloss. dicit, non solum intelliguntur defensiua, sed etiam offensiua: non tamen ligna, & lapides, quæ ex se non sunt arma, nisi ex intentione habentis. Nota rursus, ex Cardina. ibi, quod sæptum est clausura Monasterij, extra quam sine licentia exire non licet. Nota Rursus ex Silu. excommuni. 9. §. 73. quod si habeat arma aliqua in vsum alterius quem, non in pugnam, vt si haberet gladium magnum ad vsum coquinæ, non ligabitur ista censura. Nec valet argumentum, quod sicut lapides non prohibentur, quia ex se non sunt arma, licet adsit intentio pugnæ, ita illa, quæ ex se sunt arma prohibebuntur, etiamsi intentio non sit pugnæ: nam odia restringuntur, fauores ampliantur. Nota etiam ex Silu. loco citato, hanc constitutionem comprehendere Monachos in generali, siue albi, siue nigri sint, siue alio colore. Nota rursus, ex Cardin. & Angel. excommuni. 7. cas. 38. quòd si Abbas patri contumeliam Creatori, vel iniungit Monachis intollerabilia, vel eos prosequitur odio capitali, poterunt Monachi sine licentia arma sumere ad defensionem, si alijs remedijs omnino non possunt sibi prouidere.

Quinta habetur in Clem. attendentes. §. final. de statu Monach. Vbi excommunicantur ipso facto impedientes visitatores monialium quarumcumque, & etiam Canonicarum regularium in his, quæ pertinent ad officium visitationis eiusdem. Nota ex Cardi. tria requiri ad incurrendam prædictam pœnam.

Primò, vt impedimentum actualiter præstetur.

Secundò, vt fiat admonitio, vt desistant, iuxta textum, quæ admonitio non debet præcedere, sed subsequi impedimentum, & sufficit vna etiam, facta in generali.

Tertiò, vt admonitio ista fiat per ipsum visitantem.

Sexta

Sexta habetur in Clem.1.de relig.domi .Vbi excommunicantur omnes statum beghinarum assumentes,vel assumptũ sectantes,& religiosi,qui dictas beghinas fouent in earum statu,seu vt assumant earum habitum,dans cõsilium, auxilium, fauorem directè, vel indirectè. Hodie iam non extant tales beghinæ.

Septima habetur in Clem.1.de consangu. & affini. Vbi excommunicantur sex genera personarum ipso facto.

Primò, contrahentes scienter in gradu consanguinitatis prohibito.

Secundò, etiam contrahentes scienter in gradu affinitatis prohibito.Intellige hæc duo,sine dispensatione.

Tertiò,qui scienter contrahunt cum Monialibus, intellige professis.

Quartò Religiosi,scilicet professi contrahentes.

Quintò Moniales,scilicet professæ contrahentes.

Sextò,clerici in sacris constituti pariter contrahentes matrimonium.Nota ex Gloss.non ligari hos,si sponsalia tantum contraxerunt:nam textus dicit matrimonialiter: sed si contraxerint per verba de præsenti,etiam non secuta copula, ligantur. Addit Gloss.quod si copulam habuerunt non animo contrahendi, sed animo tantum carnali,non ligantur. Adde etiam, quod etiam si sponsalia contraxerint de futuro, & copula accedat animo maritali,modo non ligantur, immo etiamsi verba præcesserint de præsenti , sine testibus tamen, & parocho non ligantur,quia post Concil.Trident. talia non sunt matrimonia, & per hanc constitutionem excommunicantur,qui adhibẽt ea, quæ ad matrimonium sufficiunt cum affinibus, consanguineis, &c. licet verè non sit matrimonium ex defectu consanguinitatis,affinitatis, vel voti. Nota rursus,ex Gloss.cum alijs impedimentis contrahentes, etiam si sint talia,quæ dirimant contractum, quale est impedimentum honestatis, & alia præter hic expressa, non ligantur hac constitutione. Nota rursus,illud verbum, *scienter*, referri ad tres primos casus:& procedit, quando non est ignorantia facti probabilis,vt dicit Gloss. An autem procedat de ignorantia iuris,diximus superius, cùm de ignorantia tractauimus.

Octaua habetur in Clem.nolentes.de hæret. Vbi excommunicantur ipso facto Inquisitores,& eorundem, vel Episcoporum,aut capitulorum,Sede vacãte,Cõmissarij super hæresi

deputati, si prætextu officij Inquisitionis, quibusuis modis illicitis ab aliquibus pecunias extorqueant, aut si scienter attentent Ecclesiarum bona ob Clericorum delictum prædicti officij occasione Fisco etiam Ecclesiæ applicare. Nec possunt absolui, nisi in mortis articulo, donec planè satisfecerint de pecunia sic extorta illis, à quibus extorserunt. Nota ex Gloss. quod in Episcopis ipsis non habet hæc pœna locum, nec in aliis, si non prætextu officij Inquisitionis illud faciant. Nota rursus ex eadem Gloss. quod in bonis proprijs clericorum, quæ non sunt Ecclesiarum, non procedit hæc pœna: procedit autem de bonis Ecclesiarum, non solum quando applicantur Fisco Ecclesiæ; sed multo magis quando applicantur Fisco seculari, vel sibi ipsis. Nota rursus ex Ioann. Andr. & Cardin. quod nomine pecuniæ venit omne pecunia æstimabile.

Nona habetur in Clem. vni. de vsuris. Vbi excommunicantur ipso facto Potestates Capitanei, Rectores, Consules, Iudices, Consiliarij, & alij quiuis officiales.

Primò, si præsumant statuta facere, scribere, vel dictare, quòd vsuræ soluantur, vel quod solutæ, cùm repetuntur, non restituantur.

Secundò, si secundum illa scienter iudicare præsumant.

Tertiò, si hactenus edita de libris communitatum, si super hoc habent potestatem, non deleuerint intra tres menses.

Quartò, si ipsa statuta, vel consuetudines habentes illorum effectum præsumant obseruare. Nota duo esse necessaria ad hanc pœnam contrahendam secundum omnes: vt sit officialis aliquis ex prædictis; & quod faciat aliquem actum ex dictis, si enim non est officialis, non contrahit, etiamsi ea faciat. Nota rursus ex Gloss. qui statuit, ne pro vsuris aliquis accipiat vltra certam summam, non contrahit hanc pœnam, quia non statuit positiuè vsuram soluendam. Nota rursus ex Glo. & Cardin. quod quando dicitur, *si habeant delendi potestatem*, intelligitur de potestate iuris, vel facti.

Decima habetur in Clem. cupientes. de pœn. Vbi primò excommunicantur ipso facto omnes Religiosi mendicantes, qui sine licentia Papę loca de nouo accipiunt ad habitandum, vel recepta hucusque mutant, vel alio quouis alienationis titulo transferunt. Nota ex Cardi. quod non prohibentur loca destructa reficere, nisi vt dicit Ange. excommuni. 7. cas. 44. de-

fierint

sierint esse de eorum dominio, & postea nouo iure acquisita. Nota etiam ex Lapo.consil.188. quod non prohibentur capta loca augere,cui consentiunt Angel.loco citato,& Siluest. excomm.9.§.86.Nota rursus iam multa priuilegia esse concessa à Sede Apostolica contra huiusce modi constitutionem mendicantibus.

Secundò,in eadem Clem. excommunicantur omnes religiosi,qui in concionibus,vel alijs locis dicunt aliqua hac intentione, vt retrahant auditores à solutione decimarum Ecclesijs debitarum.Nota ex Ange.loco citato tria requiri ad hãc censuram contrahendam.

Primò,vt proferant aliquid hac intentione, nempe retrahendi.

Secundò,quòd decimæ,à quibus retrahunt,sint debitæ.

Tertiò,quòd dicant audientibus illis personis,quæ tenẽtur eas soluere.Adde etiam ex Glossi.quod solos Religiosos comprehendit,tàm mendicantes,quàm non mendicantes : non autem Clericos,vel seculares. Et secundum Bonifa.comprehendit etiam religiosas.

Tertiò,excommunicantur in eadem Clem. religiosi, qui scienter postponentes confitentibus conscientiam facere de soluendis huiusmodi decimis, & postea,cum commodè possint non purgantes negligentiam eos admonendo præsumpserunt prædicare.Hoc tamen non se extendit ad Religiosos Monasteriorum, vel Rectores Ecclesiarum decimas percipientium. Nota quatuor necessaria ad hanc pœnam incurrendam.

Primò, vt fuerint negligentes in admonendis pœnitentibus de solutione decimarum.

Secundò,vt id scienter fecerint.

Tertiò,quòd non purgauerint negligentiam, cùm tamen potuerint.

Quartò,quod postea prædicauerint.

Vndecima habetur in Clem.1.de sent.excommuni. Vbi excommunicantur ipso facto omnes Religiosi, cuiuscumq; ordinis,& conditionis existant,tàm exempti, quàm non exempti,qui interdictum impositum auctoritate Sedis Apostolicę, vel Ordinariorum,quod sciunt Matricem, vel Cathedralem, seu Parochialem loci Ecclesiam seruare, non seruant. Idem statuitur de interdictis, & cessationibus à diuinis indictis per Prouincialium Conciliorum statuta, vel ipsorum auctori-

tate.

tate. Idem etiam ſtatuitur in ceſſationibus à diuinis generalibus Ciuitatum, Terrarum, & aliorum locorum, quas aliquando ex conſuetudine, vel aliàs Capitula, vel Collegia, vel Conuentus ſecularium, vel regularium Eccleſiarum ſibi vendicant. Nota ex Gloſſ. quòd hæc conſtitutio ligat omnes Religioſos mendicantes, & non mendicantes: non tamen clericos ſeculares; & procedit etiam ſi interdictum ſit nullum, dummodo ſeruetur ab Eccleſia, Matrice, Cathedrali, vel Parochiali loci. Rurſus ex eadem Gloſſ. non procedit in particulari interdicto: hoc enim in loco particulari interdicto ſeruatur, & conſequenter nec in interdicto perſonali, ſed in generali loci, tàm iuris, quam hominis. Nota rurſus, ex Silu. excommuni. 9. §. 92. quod ſi in aliquo loco non eſt Matrix, vel Cathedralis Eccleſia, ſed Parochiales multæ æquales, tunc non ſatis eſt ad incurrendam hanc pœnam, quod vna ſeruet, ſed debent omnes ſeruare interdictum.

De excommunicationibus non reſeruatis in Extrauagantibus.

CAPVT XL.

PRima habetur in extrauag. ſuper gentes. de conſuet. Vbi ipſo facto excommunicantur omnes impedientes Nuncios, vel Legatos Romani Pontificis, ne ingrediantur Regna, Prouincias, & Terras, ad quæ ipſos deſtinari contigerit, aut ne libere legationis ſibi commiſſæ officium in ciſdem exerceant. Hodie hæc excommunicatio eſt reſeruata in Bulla Cœnæ.

Secunda habetur in Extrauag. Ambitioſæ. de empt. & vend. Ipſo facto excommunicantur, qui extra caſus à iure conceſſos alienant bona immobilia, vel mobilia pretioſa Eccleſiarũ, aut vltra tres annos locant, aut alio contractu concedunt. Et non ſolum alienantes, & concedentes, ſed etiam qui bona alienata, vel conceſſa vltra tres annos acceptant. Hæc eſt Pauli II. hæc ſecundum Caiet. verb. excommuni. cap. 75. non eſt vniuerſaliter recepta, ſed in aliquibus locis quantum ad aliquid. & Silu. v. alienatio. putat non eſſe receptam. Puto quantum ad excommunicationem non eſſe receptam; quantum autem ad inualiditatem contractuum contra hanc conſtitutionem inu-

torum non esse vniuersaliter receptam; sed considerandam esse locorum consuetudinem.

Tertia habetur in Extrauag. quia nonnulli. de sent. excommuni. Excommunicantur ipso facto, qui impugnant literas electi Papæ, etiam antequam coronetur, cùm per ipsam electionem canonice factam, sibi ius Papatus sit acquisitum, & canonica electione confirmatus sit, & exercere possit officium suum, etiam ante coronationem, vt habetur 23. d. can. in nomine Domini. Hæ sunt excommunicationes, quæ in corpore iuris reperiuntur, nonnullæ aliæ supererant, nempe quæ in Concilio Lateranensi habentur: sed quia huiusmodi excommunicationes non sunt certæ, & Caiet. v. excom. versus finem & alijs viris doctis non videntur receptæ, ob id ego prætermisi, cùm idem mihi visum sit. Aliæ quædam sunt, quarum meminit Antoni. & Silu. quæ non habentur in aliqua extrauaganti scripta, nisi ex eorum relatione, quas etiam omisi, quia nonnullæ non habent auctoritatem. Nonnullæ alijs scriptis constitutionibus habentur.

De excommunicationibus in Concilio Tridentino positis.

CAPVT XLI.

IN Concilio Tridētino nostris temporibus celebrato, nonnullæ apponuntur ipso facto excommunicationes, quas oportet explicare.

Prima habetur in sess. 4. Vbi excommunicantur omnes imprimentes, & imprimi mandantes, vendentes, apud se retinentes libros de rebus sacris, sine nomine auctoris, & sine approbatione, examine prius ab Ordinario factis, & si regulares fuerint, vltra examinationem, & approbationem Ordinarij necessaria est proprij etiam superioris recognitio, & licentia iuxta proprias ordinationes. Eadem censura ligantur, qui scripto eos euulgant, aut communicant, nisi antea examinati, probatique fuerint. Debet autem hæc probatio in scriptis dari, & in fronte libri, vel scripti, vel impressi authentice apparere.

Aduerte quod in hac parte renouatur decretum Concilij Latera. sess. 10. vbi tales excommunicatione ipso facto ligātur:

tamen

tamen in Concil.Later.constitutio hæc generalior est; non nim solum procedit de libris de rebus sacris tractantibus, sed de quibuscumque libris,vel scripturis. Et rursus in alijs loc extra Vrbem non solùm est necessaria prohibitio Ordinar seu alicuius,qui scientiam habeat libri ab Ordinario deputa di,sed etiam probatio Inquisitoris illius diœcesis, in qui impressio.In Vrbe autem sufficit Vicarij, & Magistri de Sacr Palatio probatio. Et hæc constitutio Concil. Lateran.hod Romæ seruatur. Concil.verò Triden.constitutio restrict est,& seruanda vbi non erat recepta constitutio Concil. La ran.Hæc excommunicatio non est reseruata.

Secunda habetur in sess.5. in decre. de peccato originali fin.Vbi renouatur constitutio Xysti IV. quæ edita fuit supe immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis Matris D cum omnibus pœnis in ea contentis,de qua constitutione ximus supra.Et hæc est Papæ reseruata per prædictam cons tionem.

Tertia habetur in sess.13.can.11. Vbi ipso facto excom nicantur prædicantes,vel docentes, vel pertinaciter asser tes,vel publicè disputando defendere præsumentes, non e necessariam sacramentalem confessionem, habita copia cerdotis,ante communionem his, quos conscientia pecca mortalis grauat,etiamsi contriti accedant. Hæc est adrem uendam quorundam opinionem,existimãtium eos,qui mor tale commiserunt peccatum posse accedere cum sola contr tione ad communionem, etiamsi copia Confessarij adsit, sufficere propositum confitendi: Non est reseruata hæc ex communicatio.

Quarta habetur sess.22. cap.11. Vbi excommunicantur om nes,tam laici,quàm clerici,quacumque dignitate, etiam Im periali,vel Reginali præfulgeant,qui alicuius Ecclesiæ,aut ce iusuis secularis:vel regularis beneficij,montium pietatis,alio rumque locorum iurisdictiones,bona.census,aut iura, etiam feudalia,& emphiteotica,fructus,emolumenta, seu quascum que obuentiones,quæ in ministrorum, & pauperum neces tates conuerti debent,per se,vel per alios,vi,vel timore inces so,seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut Laico rum,seu quacumque arte, vel quæsito colore in proprios u sus conuertere,illosque vsurpare præsumunt, seu impedium ne ab eis,ad quos de iure pertinent, percipiantur. Eidem ex communicationi supponitur Clericus ipse suppositus, & cui

hic

hic, quàm vsurpator ipse, ipso iure priuatus est omnibus beneficijs suis, & ad alia inhabilis factus. Si autem eiusdem Ecclesiæ fuerit patronus talis vsurpator, ipso iure priuatus est iure patronatus. Hæc autem excommunicatio est Papæ reseruata.

Quinta habetur sess. 24. cap. 6. Vbi excommunicantur raptores mulierum, & dantes eis consilium, auxilium, vel fauorem ad huiusmodi raptum. Alijs etiam pœnis ibi ipso facto subijciuntur; non tamen excommunicatio est reseruata. Nota ex Panor. cap. cum causa. nu. 1. de rapto. tum dicitur raptum, cùm rapitur mulier causa libidinis: similiter etiam cùm rapitur causa matrimonij, quando non præcessit tractatus matrimonij, & mulier non consentit: si enim mulier consentit in raptu, & præcessit tractatus matrimonij, licet reclament parentes, non est raptus, qui pœnæ subijciatur, vt habetur cap. cum causa allegato.

Est tamen aduertendum, vltra prædicta requiri, quod mulierem quis de loco ad locum conducat, idque ad effectum abducendi; non autem causa commodioris coitus: alioquin, vt notat Clar. in prax. crimin. §. raptus. in prin. de mente omniũ non esset raptus.

Sexta habetur sess. 24. cap. 9. vbi excommunicantur omnes cuiuscumque dignitatis existant, qui quouis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscumque alios cogunt, quominus liberè matrimonia contrahant: non est reseruata hæc excommunicatio. Hæc præcipuè fulminatur contra dominos temporales, & magistratus, qui sub sua iurisdictione degentes, pœnis, vel minis cogunt cum ijs matrimonia contrahere, quos ipsi præscribunt, quia illos diuites, vel spem magnæ hæreditatis habere cognoscunt, vel alijs de causis similibus.

Septima habetur sess. 25, cap. 5. vbi ipso facto excommunicantur omnes Magistratus seculares, qui non præbent auxiliũ inuocatum ab Episcopis ad restituendam, vel conseruandam clausuram Monialium, & ad compescendum pœnis inobedientes, & contradictores talis clausuræ.

Octaua habetur in eod. cap. vbi excommunicantur ingredientes septa monasterij Monialium cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, sine licentia Episcopi vel superioris in scriptis obtenta. Ista excommunicatio, sicut præcedens, non est reseruata.

Nona habetur sess.25.cap.18. vbi primo excommunicant omnes,& singulæ personæ, cuiuscumque qualitatis, & conditionis fuerint,tàm clerici, quàm laici,seculares, vel regulares,aut etiam qualibet dignitate fulgentes, qui quomodocumque coegerint aliquam virginem,vel viduam, aut aliquamcumque mulierem inuitam, præterquã in casibus iure expressis,ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem.

Secundò excommunicantur in aliquo ex prædictis consilium,auxilium, vel fauorem dantes.

Tertiò,qui scientes eam non sponte ingredi Monasterium aut habitum suscipere,aut professionẽ emittere, quoquomodo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interponunt,

Quartò, illi etiam excommunicantur, qui sanctam Virginum,vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquomodo sine iusta causa impediunt. Et est autem reseruata hæc excommunicatio.

Decima habetur sess.25.cap.19. vbi ipso facto excommunicantur.

Primò, Imperatores, Reges, Duces, Principes,Marchiones,Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, ad duellum inter Christianos locum in terris suis concedentes.

Secundò,duellum,vel pugnam committentes.

Tertiò,qui eorum patrini vocantur.

Quartò,consilium in causa duelli,tàm in iure, quàm in facto dantes.

Quintò,quacumq; ratione duellum cuiq; suadentes.

Sextò,spectatores duelli.Hæc excommunicatio non est reseruata.

Aliæ pœnæ feruntur contra istos in eod.cap.Hæ sunt excommunicationes in Concil.Trid.ipso facto latæ.

Hic autem aduertendum est,in eodem Concilio sess.24.c.6. dari facultatem Episcopis absoluendi in foro interiori conscientiæ in diœcesi sua quoscumque sibi subditos à quibuscunque casibus occultis,etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & vt possint per se exercere,aut per suum Vicarium, ad id specialiter deputandum,præter crimen hæresis,à quo ipsis per se, nisi per Vicarium absoluendi facultas datur. Ex qua concessione

possunt absoluere Episcopi modo prædicto ab omni excommunicatione Papæ reseruata, quando crimen est occultum: nam casus non reseruantur Sedi Apostolicæ, nisi per censuras, vt dicit Caiet. in summ. ver. casus. Tamen ista facultas sic concessa post Concil. Trid. limitata est per Bullam in Cœna, per quam reuocatur facultas, etiam per Concilium generale concessa absoluendi à casibus in Cœna, vt habetur in Bulla: vnde consequenter nec à crimine hæresis occulto absoluere iam possunt, nec ab alijs in Bulla contentis: poterunt tamen vigore Concilij ab alijs absoluere extra Bullam, tàm ab his, quæ ante Concilium reseruata erant, quàm ab ijs, quæ post Concilium reseruantur: nam licet verbo præteriti temporis vtatur, extenditur tamen etiam ad futura, propter naturam legis, cuius est proprium comprehendere futura, vt habetur c. fin. de constit. & ibi Doct. quod confirmatur ex l. Arriani. c. de hæret. vbi habetur legem semper esse in viridi obseruantia, & semper loqui. Concilium autem generale vim legis habet.

Debet tamen hoc limitari, quando excōmunicatio est tantū reseruata, & non est apposita clausula (*non obstantibus*) si enim ita reseruatur Papæ, vt nemo alius possit absoluere, non obstantibus, &c. Episcopus vigore Concilij non potest; nam, vt decidit Rota, per hanc clausulam tollitur facultas cōcessa per Concilium.

De facultate verò absoluendi à suspensione, & dispensandi super irregularitate eisdem Episcopis per idem Cōcilium concessa suo loco dicemus, dum de suspensione & irregularitate sermo occurrerit.

Quid sit suspensio, & quæ eius species.

CAPVT XLII.

SEcundo loco post excommunicationem de suspensione tractandum est, quæ quidem breuiter potest sic definiri.

Suspensio est Ecclesiastica censura priuans vsu Ecclesiastici officij, aut beneficij.

Dicitur primò, *Censura Ecclesiastica* loco generis; hoc enim est commune ipsi cum excommunicatione, & interdicto, vt habetur cap. quærenti. de verb. signif.

Dicitur secundò, *priuans vsu*, quia dupliciter priuatur ali-

quis officio, aut beneficio. Vno modo, quando ipsum offic
aut beneficium aufertur ab eo, quantum auferri per potes
tem humanam potest. Altero modo, cùm remanet, & ipsu
officium, aut beneficium, quia manet titulus, vel potestas; t
men aufertur exercitium beneficij, aut officij. Priori mo
non est suspensio, sed degradatio, aut depositio. Posterior
do, est suspensio. Et aduerte, suspensionem priuare vsu offi
aut beneficij, vt vsus est, cap. à nobis. de excep. Abb. in cap. a
postolicæ, num. 2. eod. tit. nisi specificè sit prohibita suspen
hominum communio, quo casu debet se abstinere etiam a
munione, vt notat Gemin. in cap. 1. §. & hæc. num. 3. ver. d
runt, de sent excom. lib. 6. Excommunicatio verò licet
auferat vsum, non tamen hac ratione quatenus vsus est,
quatenus communicatio quædam est cum alijs, à qua excom
municatus separatur; vnde excommunicatio non est di
suspensio, cùm sit species quædam distincta censuræ Eccle
sticæ.

Tertiò dicitur (*officij, aut beneficij Ecclesiastici*) quia in præs
ti non loquimur de suspensione generali, quæ complectit
etiam priuationem vsus officij secularis, sed in particulari,
ad Ecclesiam pertinet, propter quod diximus eam esse cen
suram.

Huius suspensionis multi sunt etiam varij modi, seu spec
quædam, quas in particulari enumerat Glos. Clement cupe
tes. de pœnis. Possumus tamen eos in generali sic reducer
vt primo diuidatur in tres species; quædam enim est suspe
sio ab officio, & per officium intelligitur, tàm officium ord
nis, quàm officium iurisdictionis Ecclesiasticæ. Quædam
à beneficio Ecclesiastico, & per beneficium complectitur
dignitates, Canonicatus, beneficia, siue curata, siue simp
cia, & alia huiusmodi. Quædam est ab officio, & beneficio
mul.

Secundò ea, quæ est ab officio tantum, aliquando est à to
officio, aliquando à parte. A toto officio, quando priuat
ordinis cuiusque, & simul vsu iurisdictionis. Ea, quæ est a pa
te, multiplex est. nam aliquando est a toto ordine, tam
lo, aliquando à parte, vt sacerdotio, aut diaconatu, aut alio
feriori.

Rursus in vno ordine, aliquando à toto, aliquando à pa
te; aliquando fit etiam a sola iurisdictione, sed tota, aliquan
à parte aliqua.

Ter

Tertiò, ea, quæ est à beneficio, aliquando etiam à toto, aliquando à parte sola, vt à fructibus percipiendis, vel aliquo alio ad ipsum pertinente.

Quartò diuiditur ratione temporum: nam aliquando est ab officio, vel beneficio, vel vtroque ad aliquod tempus maius, vel minus prout determinatum fuerit à iure, vel ab homine; aliquãdo est à parte aliqua prædictum, aut ad tempus aliquod, aut in perpetuum, à toto tamen ordine, aut à toto beneficio, aut à toto officio non fit in perpetuum; tunc enim potius depositio, vel degradatio esset.

Quintò rursus diuiditur; nam quædam est à iure, quædã ab homine, sicut in excommunicatione declaratum est. Hi sunt modi suspensionis in summa, & in communi.

De quibusdam regulis, quibus explicantur species suspensionis prædictæ.

CAPVT XLIII.

IN his suspensionum speciebus, seu modis nonnullæ regulæ aduertendæ sunt, quarum prima est. Quando aliquis est suspensus ab ordine, non ob id suspensus est à iurisdictione: nec contra quando suspensus est à iurisdictione, ob id, suspensus censendus est ab ordine; quia hæc duo sunt inuicem distincta, & vnum ab altero non pendet, vt colligitur ex cap. aqua. de consecra. Eccles. Ex qua sequitur, quod suspensus à pontificalibus tantum, solum suspenditur ab exercitio eorum quæ ad ordinem Episcopatus pertinent, vt confirmare, chrismare, Ecclesias, ac Virgines consecrare, ordines conferre, dedicare Ecclesias, reconciliare, & similia, vt dicit Gemin. in cap. 1. §. officiales. numer. 3. de offic. ordin. lib. 6. non tamen ab his, quæ iurisdictionis sunt, vt conferre beneficia, excommunicare, &c. Hoc probatur ex cap. transmissam. de elect. vbi habetur, iurisdictionalia ista non pendere ab ipsis pontificalibus. ita etiam notat Panormit. cap. cum dilectus, de consue.

Secunda regula est, suspensus ab ordine simpliciter est suspensus à quolibet ordine, & per consequens ab omnibus fundatis super ordine, & sic à iurisdictione spirituali, & similibus, secundum Abb. in cap. cum dilectus. numer. 20. ver. si ergo. de

consue, Sil.ver.suspensio.num.5.ver.si vero sit ab ordine.& militer etiam talis suspensus incapax est beneficij obtinen Fely.in cap.2.nu.4. ver.limitatur.de rescrip. Si verò est susp sus ab aliquo ordine,tunc,si suspensus est à maiori, non ob suspensus est à minori ; vnde suspensus à sacerdotio non suspensus à diaconatu, & inferioribus. Suspensus ab ordi Pontificali, non ob id suspensus est à sacerdotio, nec ab ordinibus,quia Pontificalia non spectant ad alicuius ord Ecclesiastici substantiam,vt omnes fatentur, teste Coua rubr.de homicid.1.par.relect.§.1.ver.2.colligitur, & per co quens suspensus à Pontificalibus celebrans in illo appa Pontificali non fit irregularis secundum communem opi nem,de qua per Couar.1.par.relect.§. 1.ver.2.colligitur: licet Episcopatus sit ordo,vt habetur in Concil.Trident. tamen est ordo,vt est sacramentum,vt ait Couar.variar. lib.1.cap.nu.15. Suspensus verò à minori suspenditur etia maiori; suspensus enim in diaconatu suspenditur in sacer tio,& sic consequenter fit in alijs ordinibus.Ita habet Hosti cap.dilectus filius.de tempo.ordi. & est communis senten Doctor. & similiter suspensus ab vno ordine non potest maiores ascendere secundum Abb.in cap.fin.num.2. de Ap stol.ea ratione,quia videretur per saltum promotus. Idē Ab in cap.de simoniace.num.5 de sim. Cardi.Alex. in cap. qu studet.col.2.ver.& dicit.1.q.1.Boic.in cap.post translationem de re iud.vnde sequitur,vt notat Ang.suspensio.3.§.3.quod pensus à collatione ordinum nullum potest conferre: suspe sus verò à collatione maioris potest conferre minores ; pensus tamen à collatione minorum, non potest confer maiores.

Tertia regula est Suspensus simpliciter ab officio suspen tur,& ab ordine,& à iurisdictione.ita habet Glos.cap.cum d lectus,de consuetu.& ibi Panormitan.num.19. Vbi dicit,o cium esse latum vocabulum,& claudere vtrumque. Idem Fe lyn.in cap.Apostolicæ num.16.de excep.& est communis se tentia contra Glos.can.audiuimus 24.qu.1. quæ dicit, qu suspensus ab officio intelligitur ab ordine, non autem a iurisdictione.

Quarta,suspensus à beneficio,non ob id suspensus est ab o ficio,puta ordine,vel iurisdictione. ita habet Glos.cap.cu Vintonien.de elect.& Panormit.cap.cum dilectus num.3 de consue. quod intellige,quando iurisdictio non compe

ratio

ratione illius beneficij, à quo est suspensus, vt notat Nauar. per cap. cum in cunctis. §. fin. de elect. in sum. cap. 27. num. 163. ver. sexto. suspenso enim principali, etiam accessorium suspensum esse videtur: Suspensus autem à beneficio, est suspensus à perceptione fructuum, & alijs; quæ sunt ratione beneficij, vt dicam infra.

Quinta, suspensus ab officio, non ob id suspenditur regulariter à beneficio. hæc est contra Gloss. cap. quia sæpe. de elect. Ratio autem huius est Gloss. Clem. cupientes. ver suspensi. de pœnis. quia cùm aliquando suspensio fiat ab officio, aliquando ab officio, & beneficio, superfluè adderetur secunda pars, si in prima includeretur, siue ista suspensio sit à iure, siue ab homine, siue propter delictum etiam graue, siue ob aliam causam. ita habet Bonifa. Clemen. cupientes allegata nu. 35. quamuis in hoc sint variæ opiniones. Intellige autem non esse suspensum à beneficio præter fructus illos beneficij, qui dantur ob vsum officij, à quo suspensus est, vt sunt distributiones quotidianæ, & similia, & præter actus beneficij, qui sunt ordinis, vel iurisdictionis, ab his enim suspensus est. Intellige etiam respectu suspensionis propter delictum in casibus illis, in quibus suspensio fit ad tempus: nam si suspensio esset perpetua, & pro delicto, vel culpa suspensi, censeretur suspensus à beneficio secundùm Vital. in d. Clem. nu. 43. talis enim suspensio est similis priuationi; vnde qua ratione priuatur officio, censetur priuatus beneficio, ita & taliter suspensus, propter similitudinem, quam habent.

Sexta, quando simpliciter fertur suspensio, non limitando ab officio, vel beneficio, intelligitur maior suspensio, & tunc suspendit ab omnibus. Ista est Siluest. ver. suspensio. §. 5. circa fin.

Septima, suspensus ab ingressu Ecclesiæ priuatur potestate exercendi ordinem in ipsa Ecclesia, & similiter est priuatus potestate audiendi diuina in ipsa Ecclesia secundùm Ioann. Andr. & Ancar. & Gemi. in cap. 15. cui nu. 1. circa fin. de sen. excomm. lib. 6. Ità habet etiam Siluest. ver. suspensio. §. 5. & si durante suspensione decedat, nisi pœnituerit, denegatur ei Ecclesiastica sepultura in Ecclesia, & Cæmeterio. cap. 15. cui. & ibi Doct. de sen. excom. lib. 6. non tamen secundùm eosdem priuatur potestate exercendi iurisdictionalia, & idem notat Abb. in cap. sacro. de sent. excom. nu. 10. aut eligendi, aut celebrandi extra Ecclesiam, aut orandi in ea tempore, quo ibi diuina

non dicuntur, aut tunc transeundi per eam, secundum Cald. & Gemin in cap. 15. cui. in prin. num. 3. de sentent. excomm. l. 6. aut percipiendi Ecclesiastica sacramenta secundum comm. nem, vt testatur Siluest, vbi supra. Suspensus ergo ab ingre. Ecclesiæ non potest officium exercere in Ecclesia, nec inter. se diuinis. & in hoc excedit suspensionem ab officio: nam. cundum Astens. 2. p. lib. 7. tit. 16. qu. 11. suspensus ab officio p. test interesse diuinis, dummodo non officiet, aut actum or. nis exerceat, nisi esset suspensus simpliciter à diuinis. quia nec interesse potest, sicut nec officiare, aut actum ordinis e. rcere intra Ecclesiam, vel extra, vt dicit Gem. in cap. 1. §. si. autem. nu. 3. de sen. excom.

Octaua, suspensus ab administratione Ecclesiæ, vel bene. cij, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, non est per. se suspensus ab ordine, ita habet Silu. loco citato. Abb. in cap. quorundam nu. 9. de solut. Hæ sunt præcipuæ regulę ad suspe. sionis modos distinguendos.

De causis suspensionis.

CAPVT XLIV.

QVatuor esse causas in suspensione, sicut in excomma. nicatione, certum est.

Prima est efficiens, scilicet, qui potest suspendere. & hæc est omnis ille, qui potest excommunicare, vt Doct. com. muniter dicunt, & notat Siluest. ver. suspensio. §. 2. & Ang. sus. pensio. 2. §. 3. de quo supra dictum est; vnde sequitur, quod suspensio, seu prohibitio à celebrando, quæ imponitur pœni. tenti à Confessario non est propriè suspensio, quia non est fa. cta ab habente iurisdictionem, & sic suspensus celebrando non fieret irregularis, vt habet Inn. in c. si celebret. num. 3. de sent. excomm.

Materialis autem causa remota est is, qui suspendi potest, & talis ex præcedenti definitione nota est; non enim est omnis qui excommunicari potest, sed solum persona Ecclesiastica. Est autem hoc priuilegium Episcopis concessum, vt nullus E. piscopus incurrat suspensionem à iure, nisi specialiter ipsius mentio fiat. ita habetur cap. quia periculosum. de sententi. excomm. & hoc intellige tam de suspensione officij, quàm be. neficij, vt notat Glos. in d. cap. ver. officij. Hoc autem non

proc.

procedit in excommunicatione;hãc enim incurrere possunt, vt ibi notat Gloss. ver. suspensi.

Materialis autem proxima est peccatum , propter, quod suspensio fertur: non enim absque peccato quis supendi potest, c. satis pertersum d. 56. hoc autem frequentius est mortale: potest autem pro veniali aliqua suspensio imponi , vt dicit Caiet. ver. suspensio. & Nauar. in summ. c. 27. nume. 159. dummodò tamen sit leuis suspensio, sicut & culpa , argum. text. in l. respiciendum, in prin. ff. de pœn. Non est autem suspensio vt excommunicatio; hæc enim, cum est ab homine, non imponi debet nisi propter mortale cum contumacia, & inobedientia, at suspensio non sic: nam aliquando ponitur suspensio ab homine ob contumaciam : aliquando vero ob peccatum solum in pœnam illius peccati: probata enim culpa , vel notoria existente , fertur etiam contra delinquentem non contumacem, secundùm Innocent. in capit. peruenit, num. 3. de excess. prælat. & Abb. in capit. reprehensibilis, numer. 4. de appel.

Aduerte tamen, quod licet in hoc casu monitio ad sententiam non sit necessaria, oportet tamen, quod de crimine citata parte, prius constet, iuxta Gloss. in Clem. præsenti. ver. constiterit. de censi. nisi excessus sit notorius, vt dicit Abb. in c. peruenit. 1. num. 5. de appellat. Vnde fit, vt non semper opus sit admonitione in suspensione, sed solum quando propter contumaciam est, secundùm Innoc. c. 1. de excessibus Prælat. Panor. cum communi in cap. reprehensibilis , numer. 4. de appellat. tunc enim est necessaria admonitio , sicut in excommunicatione, & non fertur, nisi contra incorrigibilem , & contumacem, secundùm Innoc. in d. cap. peruenit, & Franc. in c. reprehensibilis in princ. de appellat. tamen vtroque modo in scriptis est imponenda suspensio ab homine iuxta c. cum medicinalis, de sen. excom in 6. vt notat Silu. ver. suspensio. num. 4. Cæterùm si taliter non fieret, non propterea esset nulla, vt per Silu. ibi. Multa sunt peccata in particulari, propter quæ in iure suspensiones sunt impositæ , de quibus dicemus paulò inferius.

Forma autem suspensionis non est determinata in iure, vt notat Hostien. in c. ad hæc circa fin. de appel. sed multis modis potest exprimi ille actus suspensionis in particulari; vt, suspendo te à beneficio, vel ab ordine, vel ab hoc, aut illo. In iure dicitur: sit suspensus. vbi aduertendum est, aliquando esse suspē-

sionem ipso facto, cum dicitur, suspendimus, vel sit suspens vel quid simile. Aliquando est comminatio, vt cum dicit suspendatur, vel suspendendus est, vel verbum simile, vt dix mus in materia de excommunicatione; multa enim quæ i dicta sunt, communia sunt cum suspensione, & illud maxi de nullitate etiam suspensionis post legitimã appellation latæ, & idem de suspensione ante appellationem lata respe spiritualium per cap. is cui. de sent. excom. lib. 6. Secus autem respectu temporalium: nam in hoc casu appellatio etiam quens suspendit executionem sententiæ suspensionis, secundum Abb. in c. pastoralis §. verum quia, num. 11. de appel. Gl in d. c is cui ver. sequens, & idem etiam, quando appellatu sententia suspensionis à beneficio: talis enim appellatio sim liter suspendit, vt notat Abb in c. pastoralis, §. verum quia, n 11. de appel. gloss. in c. is cui. de sen. excom. lib. 6. ver. sequens sic interim retinet possessionem, d. benefic. vt dicit Boic. in Apostolicæ in fin. de excep.

Finis autem suspensionis est idem, qui & excommunicationis; Ecclesia enim animarum vtilitatem intendit, quando corrigit, & castigat.

De effectibus suspensionis.

CAPVT LXV.

QVidam sunt effectus suspensionis, quorum primus est Suspensus exercens id, in quo est suspensus, peccat grauiter, & peccatum est ex suo genere mortale, arg. text. in c. 2. de maior. & obedi. Suspensus tamen in aliquo non peccat, si faciat ea, in quibus non est suspensus. Peccat ergo, qui suspensus ab ordine aliquo actum illius exercet. Peccat, qui suspensus ab officio, seu iurisdictione excõmunicat, vel aliquem exercet talis officij actum, & qui suspensus ab ingressu Ecclesiæ ingrediuntur, vt adsit diuinis officijs, & qui suspensus à prædicatione prædicat. Similiter de alijs.

Secundus effectus est, suspensus ab ordine, vel ab aliquo includente suspensionem ordinis, non solum peccat, si actum talis ordinis exerceat, sed etiam fit irregularis. deducitur hoc ex cap. cum æterni. de sent. & re iud. in 6. & cap. 1. de sent. excomm. eod. lib. & omnes Doct. in hoc conueniunt; illi enim Canones licet secundum Archid. sint restringendi quoad ea

sus ab

sus ibi expressos,tamen contrarium est verum , & sic dictos Canones generaliter procedere de quacunque ordinis suspensione,& declarare,non autem de nouo statuere, tenuerunt ibi Gemin.Ioan.Andr.& alij. Quod locum habet, siue suspensio sit ab homine, siue à iure , siue in certum tempus, vel donec pœniteat,si tempore suspensionis diuinis se immiscuerint,secundum magis communem sententiam , licet quidam cõtrarium probare conentur, vt per Couar.in Clem. si furiosus 1.p. relect.5.1 num.5.in fin.Ex quo aliqua sequuntur.

Primò suspensus ab actiua collatione sacramentorum , si conferat,peccat,& efficitur irregularis,quia conferre actus ordinis est. At verò suspensus à passiua tantum susceptione sacramentorum,licet peccet suscipiens, non tamen fit irregularis,quia suscipere non est actus ordinis.ita habet Silu.verb.suspensio.§.5.

Secundò suspensus à collatione sacramentorum, si baptizet non solemniter,sed eo modo,quo laicus potest baptizare, non efficitur irregularis,vt habet Hosti.c.1.de sen.excom quia talis collatio nõ est ordinis,nisi baptizet solemniter tanquam sacerdos.

Tertiò suspensus ab ordine maiori non peccat,nec fit irregularis,si exerceat actum minoris,quia nõ est suspensus ab eo Secus,si suspensus in minori exerceat maiorem , quia suspensus est ab eo per ea,quæ diximus superiùs.

Quartò,suspensus ab ingressu Ecclesiæ,si celebret in ea,peccat,& fit irregularis,quia suspensus est ab ordine exercẽdo in ea.ita habetur in c.is cui.de sent.excom.in 6. quamuis autem peccet ibi audiendo diuina , non tamen est irregularis , quia audire non spectat ad ordinem. ita habet Gemin. in prædicto c.is cui,num.4.

Quintò,suspẽsus ab officio prædicatiõis,licet peccet prædicando,ac ipso facto sit excommunicatus. Clem. cupientes , §. quibus,circa fi.de pœn.& ibi Ancar.nu.10.non fit irregularis, vt habet Calder.Clem. cupientes,de pœn. & Ang.suspensio.3. §.8.quando non est actus ordinis;secus si solemniter, ac ex suo officio prædicaret,quo casu fieret irregularis , vt dicit Nauarr. in sum.c.27.nu.163.

Sextò suspensus ab administratione Ecclesiæ , tàm in temporalibus,quam in spiritualibus celebrans , non est irregularis,quia talis non est suspensus ab ordine. ita habent Ioann. Andr.& Panorm.in c.si quorundam,num.8.de solut.Denique

id ge-

id generaliter obseruandum est, numquam suspensum exercendo actum, à quo est suspensus, effici irregularem, nisi quando ab ordine est modo aliquo suspensus, & exercet actum ordinis, à quo suspensus est.

Hic tamen aduertendum est, quando aliquis est à Canone suspensus, propter defectum corporalem, propter quem prohibetur promoueri, talis, si promoueatur, & celebret, licet mortaliter peccet, non tamen efficitur irregularis. ita habet Panor. cap. si celebrat. num. 2. de Cler. excom. ministr. posth. Innoc. num. 3. & est communis sententia, quam seruat Romana Curia, quæ simpliciter dispensat cum talibus super defectu, & non super irregularitate contracta ob celebrationem, vel ordinationem ante dispensationem obtentam, nec de illa fit aliqua mentio, vt testatur Host. in d. c. si celebrat. verb. & hoc apparet colum. 2. de Cleri. excom. ministr. Huius doctrinæ ratio est ea, qui enim ex defectu corporis celebrare non potest, non est vere suspensus, sed irregularis, vt dicemus postea. Suscipiendo autem ordines non contrahit ipso facto aliquam iuris suspensionem: inde procedit, vt etiam celebrando non incidat in nouam irregularitatem præter eam, quæ erat ex corporis vitio seu defectu.

Tertius effectus est, suspensus priuatur communione illorum in eo, in quo est suspensus, ita vt peccet communicando cum alijs, & peccet etiam, qui in tali actu cum eo communicat; vt, qui recipit sacramenta à suspenso à collatione sacramentorum, & qui audit à suspenso ab ordine, & qui inducit etiam ipsum ad talem actum; quod si actus suspensionis non pertinet ad diuina, id est ad ordinem aliquē, non est mortale, sed veniale ex parte participantis cum eo communicantis, sicut diximus de excommunicatione. Hæc intelligenda sunt de suspenso denunciato nominatim per extrauag. ad euitanda. de qua superiùs diximus.

Quartus effectus est, suspensus à beneficio non censetur ab officio suspensus secundùm ferè omnes; non enim est officium accessorium beneficio hæc est communis doctrina, quam tenet Calder. Clem. cupientes de pœnis. An verò suspensus ab officio simpliciter sit suspensus à beneficio, extant opiniones: nam beneficium videtur accessorium officio iuxta Gloss. cap. latores de Cleri. excomm. ministr. sed probabilius est, quod tenet Panorm. Clem. cupientes allegata. nume. 7. vbi sic inquit. Aut aliquis est à iure suspensus ab officio, & is censetur etiam

suspensus à beneficio, argu. can. præter d 32. aut est ab homine suspensus ab officio, & tunc, aut in sententia fit mentio etiam beneficij, & tunc sententia est seruanda, aut non fit mentio, sed tantum simpliciter ab officio suspenditur, nec apparet de mente suspendentis, an voluerit etiam à beneficio suspendere, tunc aut suspensio fertur propter crimen, siue aliam causam grauem, & eo casu censetur esse suspensus à beneficio iuxta cap. inter. de purga. can. aut fuit suspensus propter infamiam, scandalum, aliamve leuem causam, & eo casu talis suspensio non extenditur ad beneficium, arg. 2. q. 5. can. presbyter. Si tamen hoc casu suspensus contemnat suspensionem, seu sit in mora absolutionem petendi, debet ei beneficium subtrahi, vt in cap. cum bonæ. de ætat. & qualita. facit etiam cap. fin. de elect. Hæc ex Panorm. & est doctrina à pluribus recepta. Mihi tamen probabilius dicendum videtur, quod suspensus ab officio simpliciter, siue à iure, siue ab homine, vbi non fit mentio beneficij, non inducit suspensionem à beneficio absolutè, nisi quātum ad ea, quæ sunt in beneficio pertinentia ad officium; vt, quando est beneficium iurisdictionem habens, vel aliqua alia quæ sunt officij. Tunc autem non potest suspensus ab officio percipere eos fructus, quos obtinet ratione officij, si tamen est beneficium simplex nihil habens admistum officij; suspensus ab officio non est suspensus à beneficio, potestque percipere fructus illius: cum enim in iure, & sententia ab homine aliqua suspensio feratur ab officio, aliqua ab officio, & beneficio, frustra adderetur (*à beneficio*) si in priori comprehendatur.

Quintus effectus est. Suspensus ab officio nec potest eligere nec eligi in beneficium aliquod, c. cum dilectus. de consue. adiuncta Glo. nec potest excommunicare, nec conferre beneficium, cap. quia diuersitatem. de concess. præb. Suspensus tamen à beneficio potest eligere per Gloss. c. cum Vintonienſis, de elect. quia hoc est officij, vt notat Henr. Boic. in c. Apostolicæ, num. 5. de excep. tamen non potest recipere redditus beneficij, nisi ad modicam sustentationem, si est pauper, & sit suspensus propter delictum: nam si propter contumaciam, etiam illa modica sustentatione priuatur, ea ratione, quia si vult potest resipiscere. Abb. in cap. Apostolicæ, num. 7. & ibi Fely. num. 9. de excep. Couar. variar. resolut. lib. 3. cap. 13. & dicti fructus conuertuntur in vtilitatem Ecclesiæ, secundùm Ioan. de Imol. in c. sicut, colum. 3. circa fi. de cohab. Cler. & mulier. Cuius tamen

dictum

dictum limita in iusta suspensione: nam si esset nulla, vel iniusta, secuta absolutione restituuntur suspenso, vt per Couar. vbi supra.

Non potest etiam talis suspensus bona beneficij administrare, nec pro illis nomine proprio agere, vt notat Abb. in c. Apostolicæ num. 5. 6. de except. implicant enim inter se, vt ipse dicit, quod sit à beneficio suspensis, & pro illo possit agere, & administraret, esset que simplex clericus, beneficio priuatus, secundùm Gemin. in cap. 1. § quia vero, num. 1. de elect. libr. 6. Prælatus vero censeretur ipso iure priuatus, vt notat idem Gemin. in c. cupientes §. cæterum, nu. 2. eod. tit. & libr. Et generaliter non potest se intromittere in pertinentibus ad beneficium, à quo est suspensus, vt per Abb. vbi suprà, nu. 8. & ibi Boic. num. 6. An autem eligi possit, vel illi possit conferri beneficium distinguendi sunt nonnulli casus; aut enim suspensio est à iure lata pro crimine, vel offensa non concernente certum beneficium, vel certam Ecclesiam, & tunc non potest, quia ius vbique ligat. Aut à iure fertur pro crimine concernente certum beneficium, vel Ecclesiam, & tunc in illa Ecclesia non potest acquirere beneficium; in alia autem sic, vt notat Henric. Boic. in c. cum dilectus, num. 13. de consuet. per iura deducta per ipsum. Si verò suspensio est ab homine, puta ab Ordinario, & sit generaliter lata ab omnibus beneficijs iurisdictionis eius, tunc durante suspensione, suspensus non potest in iurisdictione illius aliquod beneficium acquirere; quod si à certa Ecclesia est suspensus, in ea non potest acquirere beneficium, extra eam potest. Si tamen indistinctè sit lata suspensio ab omni beneficio, tunc nec in territorio, nec extra poterit suspensus obtinere beneficium, vt notat Henric. Boic. vbi suprà. Executio tamen debet fieri per Iudicem territorij secundùm Abb. in c. pastoralis, §. verùm, num. 21. de appel.

De absolutione à suspensione.

CAPVT LXVI.

SVspensio aliquando aufertur absque absolutione vlla, in quo ab excommunicatione differt, quæ nunquam absque absolutione tollitur; quando enim suspensio est ad tempus aliquod imposita, tempore transacto cessat suspensio absque absolutione, & suspensus potest exercere id, in quo suspensus

erat,

erat,etiam sine absolutione. ita habet Innoc. cap. cum bonæ, de ætat.& qualit. vbi vnum addit,quod quando est suspensio ad tempus cum limitatione, donec satisfaciat suspensus, vt habetur.2.q.5.can.presbyter.tunc etiam facta satisfactione indiget absolutione:tamen Gloss.Clemen. religiosi.de decimis.ve.donec, dicit quod in isto etiam casu non est necessaria absolutio facta satisfactione, sed declaratio per Iudicem de facta satisfactione,ad quam gloss.Panor.se refert in c. cum tu.num.6. de vsur.& hanc opinionem tenet etiam Ioan.Andr. vt refert Abb.in c.cum bene.num.6.de ætat.& qualit. & ita ego puto. Ista procedunt de suspensione temporali,tàm à iure, quàm ab homine, implero tempore suspensionis ; ante tempus enim impletum non potest auferri sine absolutione, sicut suspensio perpetua.

De his autem,scilicet, tàm temporali , quàm perpetuo.

Dico primò,si sunt ab homine,absolutio pertinet ad eum, qui tulit sententiam,vel ad eius successorem, vel ad superiorẽ, sicut diximus suprà de excommunicatione, & ita tenet Henri. Boic.in c.clerici.num.6.de cleri.excom.minist.Ang.suspensio. 4.§.1.& Silu.verb.suspensio.§.8.

Dico secundò,si est à iure, & tempus habet determinatum, non potest tolli ante temporis complementum , nisi à conditore iuris,vel æquali,vel superiori , non ab inferiori , etiamsi nullam habeat reseruationem.ita habent Gloss c.cupientes,de elect.in 6.ver.suspensus.& gl.Clem.cupientes de hære. ver.excommunicationis.Vbi dicunt,quod suspensio à iure communi ad certum tempus etiam non seruata non potest tolli per Episcopum,& idem dicit ibi Abb.num.25.

Dico tertiò,si est à iure perpetua,reseruata pertinet ad eum, cui reseruatur;si tamen non est reseruata vlli , & est imposita propter contumaciam,tunc potest Episcopus absoluere.Inno. communiter receptus in c.2.de solut.Fely.in c.at si clerici. §.de adulterijs,numer.12.de iudic.& hanc conclusionem generaliter intelligendam , reiectis nonnullis limitationibus Doctorum tenet Nauarr.in summ.cap.27. num. 162. Si tamen est imposita propter delictum,seu in pœnam delicti,& tale sit delictum , super quo non possit Episcopus dispensare , à dicta suspensione Episcopus absoluere non potest. ita habet Gloss. marhinalis,cap.cupientes,§ cæterum.de elect.in 6. v.suspẽsos. quamuis glo.interior teneat,indistinctè non posse absoluere Episcopum,etiã quando non est reseruata.Cùm priori tamen

sen-

sententia sentit Panorm.c.si quorundam,num.5.de reſolu
latiùs c.cum literis,de teſti.Boic.in c.at si clerici,num.23.de
dic.& de communi teſtatur Fely.in d.cap.§.de adulterijs in
pro qua sententia facit text.in d.§.de adulterijs, & in cap
ctus de temp.ordinat. Quæ autem,& quot sint delicta,
quibus poteſt Epiſcopus diſpenſare, notant Doct.in d.§.de
ulterijs. Vnde non est par ratio de ſuſpenſione , & de excom
municatione in hoc : nam excommunicatio quoties non
reſeruata,tolli poteſt ab Epiſcopo: ſuſpenſio autem non
per.

Idem tamen Panorm.in Clem.1.num.25.de hæret. tenet
piſcopos diſpenſare poſſe,quando non eſt reſeruata. idem
ibi litera in c.nuper.verb.non retinuit,de ſent.excom.In
c.2.de ſolut.etiam de communi teſtatur Silu.ver.ſuſpenſio
8.per allegatum,c.nuper,vbi quia conditor canonis abſolu
nem ſibi non reſeruauerat, eo ipſo alijs videtur conceſſiſſe
cultatem relaxandi.

Prima tamen ſententia melior videtur per allegatos
tus ,& c.nuper,habet locum in excommunicatione, vbi
ius vertitur periculum,& facilius remouetur,vt notat Cle
c.cupientes,§.cæterum,v.ſuſpenſos,de elect.lib.6.

Forma abſolutionis à ſuſpenſione non habet determina
verba;eſt tamen neceſſe quod fiat in foro contentioſo, vt
tat Silu.ver.ſuſpenſio. num.8.communiter tamen ſolet imp
di ſic. *Abſoluo te à ſuſpenſione, quam incurriſti propter hoc, & re
tuo te priſtinæ executioni ordinis, vel beneficiorum, &c. In nomine P
tris, &c.* Quibuſcumque tamen verbis vtatur, qui poteſt abſo
uere,exprimentibus hanc relaxationem,vel abſolutionem,
intendit abſoluere,tenet abſolutio.

Ex his omnibus colligitur multiplex differentia inter ſu
penſionem,& excommunicationem.

Primò enim,excommunicatio nunquam tollitur , n
per abſolutionem:ſuſpenſio vero aliquando tollitur,vt di
mus.

Secundò,excommunicatio nunquam fertur,niſi cum co
tumacia : at ſuſpenſio aliquando in pœnam delicti etiam
ne contumacia.

Tertiò,excommunicatio omnis vetat ſacramentorum ſu
ceptionem,& collationem:at ſuſpenſio non omnis prohib
ſuſceptionem,niſi quando eſt à ſuſceptione ſacramentorum

nec collationem, nisi quando est ab officio, vel ordine, aut collatione sacramentorum.

Quartò, excommunicationem à iure contrahunt Episcopi, etiam si non fiat expressa eorum mentio; suspẽsionem vero à iure, nonnisi facta expressa eorum mentione.

Quintò, ab excommunicatione à iure quacunque non reseruata potest absoluere Episcopus; à suspensione vero non, nisi à perpetua, & quando posita est in contumaciam, vel ob delictum, super quo potest dispensare.

In his, & alijs multis differunt maxime hæ duæ censuræ.

De suspensione Concubinarij notorij.

CAPVT XLVII.

NVnc de casibus particularibus, in quib. ipso iure suspẽsio contrahitur tractandum est: hi autem multi sunt. Quoniam primus habetur c. quæsitum de cohabit. cler. & mulier. Clericus notorius concubinarius est suspensus ipso iure. Quis autem sit notorius, in eod. cap. explicatur, nempè quando delictum est notum per confessionem factam in iudicio, aut per sententiam, aut per facti euidentiam, quæ tergiuersatione aliqua celari non possit. ponit exemplum Abb. in c. vestra. num. 7. de cohabit. cler. & muli. In clerico, qui retinet concubinam, vti vxorem, ita vt etiam ipse non audeat diffiteri, & in tali notorietate non requiritur citatio, nec declaratoria secundum communem, licet de consuetudine fiat, teste Couar. prime par. relect. §. 1. fol. 581. Quando autem non est notorius, non est suspensus quoad alios. Hic aduerte primò ex Silu. ver. concubinarius § 1. differre concubinarium, & fornicatorem; Concubinarius enim est qui abutitur certa aliqua fœmina, siue soluta, siue non soluta, tenendo illam ad Venerem modo vxorio. Fornicator verò est, qui vagatur abutens hac, vel illa; & quantum ad suspensionem secundum eundem est eadem ratio vtriusque. Idem tenet Diaz. in prax. crimin. c. 73. & Nauar. in sum. c. 25. num. 77.

Aduerte secundò, iure antiquo talem concubinarium esse suspensum, vt habetur cap. 32. can. nullus, cap. præter. & c. ad hoc iunctis. Gloss. & cap. fin. de cohabit. cleric. & mulier. Nec in hac parte recipiendus est Sotus 4. sent. d. 1. q. 5. art. 6. qui

putat suspensionem hanc non esse in vsu, sed tantum tale concubinarium esse suspendendum: quem sententiam ante ipsum tenuit Innoc.in cap.si celebrat,num.3 .de cleric. excom. ministr.Ioan.de Imol.in cap.sicut,colum.1.in fin. de cohabit. cleric.& mulier.& Arch.in c.primo de re iud.lib.6. hoc tamen est contra communem sententiam Doct. de qua testatur Co- uar.(licet illam dicat duram) in Clem. si furiosus primæ par relect.§.1.num.5.Est etiam contra c. quæsitum.citatum,in qu expresse cauetur , talem fornicarium esse suspensum quoad se,& alios.

Aduerte tertiò,quod non solum presbyteros , sed etiã di conos,& subdiaconos hæc suspensio comprehendit, vt habe tur d.32.can.præter.& hoc ibidem notat Turrecr. & idem ha betur can.si qui sunt d.81.Anto.autem part.3.tt.27.cap 3. idem tenet in alijs clericis,etiam in minoribus existentibus, & Sil ver.concubinarius §.4.Diaz.in prax.crim.c. 73. Ioan.de Imo in cap.sicut,col.3.in prin.ver.si autem quæritur de cohab.cle & muli.Nauar.in sum.c.25.num.77.

Aduerte quartò,quod hæc suspensio non solum est ab ex cio,sed etiam à beneficio,vt notat Panorm.c.vestra.de cohab cleri.& muli.& Archid.& Turrecr.prædicto,can. præter.& in eodem can. colligitur;non solum enim ibi prohibetur exer tium officij,sed etiam fructuum beneficij perceptio: idemque habetur can.si quis à modo d.81. Idem notat Bernar.Diaz.in prax.crim.c.73.& de hoc quantum ad fructus , & beneficium idem dicendum est ac de excommunicato , vt suprà diximus quando est in mora petendæ absolutionis, vt notat Archidia can. præter.dist.32.

Aduerte quintò,quod talis concubinarius , vel fornicator notorius celebrans , vel exercens actum ordinis ante absolu tionem à suspensione,quam potest Episcopus conferre, quæ non est reseruata:vt notat Silu.v.irregularitas, §.15. nota. 2. & Abb.in cap.quia circa,numer.5.de bigam. fit irregularis,sicut alij suspensi ab ordine actum ordinis in suspensione exercen tes iuxta cap.cum æterni.de re iud.ita asserunt Abb.in c.vestra de cohab.cleri.& muli.& de communi testatur. Couarr.in Clē.si furiosus.primæ part.relect.§.1.n.5. in qua solus Papa dis pensat,iuxta c.cum medicinalis in fi.de sent. excomm.in 6.vt de communi testatur Coua.vbi suprà,licet non desint contra rium sentientes. Nec satis est ad euitandum hanc irregulari tatem pœnituisse peccati ante celebrationem , vel exercitium

ordi

ordinis, nisi etiam absolutio procedat ab ipsa suspensione, vt tenet Silu. loco citato: nam licet in can. si qui sunt d. 81. isti suspendantur, vsque dum pœniteat, & emendent, non ob hoc excluditur absolutio a censura, & c. quæsitum. de cohabit. cleri. & mulier. simpliciter suspendit talem concubinarium, & fornicatorem.

Aduerte sextò, quod talis notorius fornicator, vel concubinarius non solum est suspensus, sed etiam irregularis, & indiget ad celebrandum, vel actum ordinis exercendum, non solũ absolutione à suspensione, sed etiam dispensatione ab irregularitate. Hoc probatur ex cap. at si clerici. de iudi. Vbi tales, etiã peracta pœnitentia, indigent dispensatione. Idem habetur in cap. quia circa. de bigam. Vbi datur facultas dispensandi cum fornicarijs: at dispensatio non est nisi super irregularitate, quã quidem dispensationem potest Episcopus concedere, vt in eisdem c. habetur. Rursus cap. quæsitum, de tempor. ordin. vbi tales, etiam peracta pœnitentia impediuntur ministrare, & tamen in pœnitentia habuerunt absolutionem. Igitur manent irregulares, donec dispensetur cum eis. Hoc etiam habetur can. peruenit d. 50. adiuncta Gloss. Hinc est, quod si tales criminosi an absolutionem à suspensione celebrent, vel actum ordinis exerceant, fiunt irregulares. sed ista irregularitas est alia ab ea, quæ est propter crimen; in hac enim solus Papa, in illa Episcopus dispensat: at si post pœnitentiam, & absolutionem celebret, non contrahit irregularitatem hanc, in qua Papa dispensat, quia non celebrauit suspensus: tamen peccauit mortaliter, quia irregularis existens celebrauit ante dispensationem, vt notat Nauar. in sum. c. 25. num. 77. si tamen prius absolutionem, & dispensationem obtinuerit, tunc licet illi celebrare, vel actum ordinis exercere.

Aduerte septimò, in Concil. Trident. sess. 25. capit. 14. contra concubinarius, vel fornicatores clericos, grauiores pœnas infligi vltra eas, quæ habentur in iure antiquo, quæ ibi confirmantur.

Primò enim prohibetur eis, ne concubinas, vel alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio in domo, vel extra detineant, cum illis vllam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à sacris canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur.

Secundò, si à superioribus moniti ab his se non abstinuerint, tertia parte fructuum obuentionum, ac prouentuũ suorũ

beneficiorum quorumcumque. & pensionum ipso facto sunt priuati, quæ fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco arbitrio Episcopi applicentur.

Tertiò, si in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perseuerantes secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac prouentus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, quæ prædictis locis applicentur, sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, vti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur: &, si ita suspensi nihilominùs eas non exposlant, aut cum ijs etiam versentur, tunc beneficijs, portionibus, officijs, ac pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuo priuentur, atque inhabiles, & indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficijs, ac officijs imposterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum superioribus cum eis ex causa visum fuerit dispensandum. Hæc puta suspensionem, priuationem, inhabilitatem, intellige non ipso facto imposita esse, sed imponenda per Iudicis sententiam.

Quartò, si postquam eas semel dimiserint, intermissum cõsortium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur. Hæc excommunicatio non est ipso iure lata, sed inferenda per Iudicem.

Quintò, clerici beneficia Ecclesiastica, vel pensiones non habentes iuxta delicti, & contumaciæ perseuerantiam, & qualitatem ab Episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsve modis iuxta sacros canones puniantur. Hæ etiam pœnæ non sunt latæ, sed inferendæ.

Sextò, Episcopi, si ab huiusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo prouinciali admoniti se non emendauerint, ipso facto sint suspensi, &, si perseuerent, etiam ad Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, etiam per priuationem, si opus erit, in eos animaduertat. Hæc omnia in prædicto Concilij cap. habentur. Vbi attende quod hæc non solum contra notorios procedunt, sed etiam contra non notorios, sed tales, qui admoneri possint, etiamsi non sint notorij notorietate aliqua ex illis tribus prædictis. Attende etiam, quod etiamsi notorij iure communi sint suspensi, Concilium tamen iterum eos suspendi ordinat: nam vt

notat Præpo.c.reperiuntur 1.q.1.num.4. sicut excommunicatus à iure potest simul excommunicari ab homine, ita etiam suspensus à iure potest ab homine suspendi. Attende etiam, ꝙ hæ pœnæ non solos concubinarios ligant, sed eos, qui extra, vel in domo mulieres detinent, de quibus suspicio esse possit, aut cum eis cõsuetudinem aliquam habere audent modo prędicto.

Aduerte octauò, quod licet aliqui voluerint hanc iuris suspensionem contrahi, propter quodcumque peccatum notorium, deducentes, à simili, tamen verius Panorm.in ca.vestra, num.7.de cohabit.cleric.& muli. tenet non contrahi. nisi ob hoc peccatum adulterij, vel fornicationis, cum in iure hoc sit expressum, & idem tenet Silu.ver.cler.2.§.5. & de cõmuni Couar.primæ part.relect.§.1.num.5. Nec est simile de alijs peccatis: nam hoc carnis peccatum habet maiorem à deuotione elongationem, & irreuerentiam respectu sacramentorum spiritualium. Loquor autem de peccatis illis notorijs, quæ, si occultè fiunt, non inducunt suspensionem: nam de homicidijs, hæresi, & alijs quæ censuras habent, aut irregularitates, & si occulta sint, non hæc tractamus. Hæc sunt in hoc suspensionis primo casu consideranda, licet in his Doctorum opiniones variæ sint.

De alijs nonnullis iuris suspensionibus.

CAPVT XLVIII.

SVnt multæ aliæ iuris suspensiones, ex quibus præcipuas, quæ in vsum magis veniunt, proponemus.

Prima habetur c.sæpe, de tempor.ordin.in 6. Vbi præcipitur, ne Episcopus Italus Vltramontanum clericum ordinet, nisi de licentia Papæ, vel per patentes literas Episcopi sui, de cuius diœcesi originem trahit, vel in cuius diœcesi beneficiatus existit, causam rationabilem continentes, quare nolit, vel non possit illum ordinare, si secus factum fuerit, ordinans, punietur pœna cõdigna, & ordinatus ipso iure est suspensus, sine speciali licentia Papæ indispensabilis.

Aduerte primò, ex eadem glo. quod hæc decretalis non habet locum in Italis ordinatis ab Vltramontanis, quia non est eadem ratio, vt ibi probat.

Aduerte secundò, vt ex eadem gl. quòd hæc decretalis pro-

cedit etiam in minoribus ordinibus. ipsam Gloss sequitur Io. ann. Andr. & Gemini. ibi. num. 9. licet aliqui contrarium sentiant.

Aduerte tertiò, cum dicitur Episcopus Italus, debet intelligi de Italo quoad titulum Episcopalem, non quoad originem Gem. in d. c. sæpè, num. 8.

Secunde habetur cap. eos, de tem. ordinan. in 6. vbi habetur quod ordinans, siue scienter, siue ignorantia affectata Clericū alienum sine licentia proprij Episcopi, vel proprij superioris à collatione ordinum per annum est suspensus; & interim possunt clerici sine ipsius licentia ordines recipere à vicinis Episcopis, alias Canonice, postquam ipsius suspensio fuerit manifesta, intellige cum Gloss. manifestata per euidentiam facti, vel iuris. Aduerte ex Glo. illud verbum, *alias canonice*, intelligi vt præcedente debita examinatione, & temporibus debitis, & alijs requisitis, vicini Episcopi prædictos ordinent. De legitimæ, & debitæ examinationis forma habetur in c. quādo d. 24. Aduerte etiam illud verbum, *clericam alienum*, nam si conferret alieno laico primam tonsuram, non haberet locum pœna, vt notat Gem. in d. c. num. 5. v. in fin. gloss.

Tertia habetur cap. fin. de tempor. ordin. in 6. vbi suspensus est ipso iure per annum à collatione primæ tonsuræ Episcopus, aut quiuis alius, qui primam tonsuram confert infami, n. si forte intrauit in Religionem, aut illiterato, aut alicui alienæ diœcesis sine licentia superioris sui, aut coniugato, nisi volenti intrare Religionem, aut ad maiores promoueri. Hæc suspensio procedit de conferente primam tonsuram, non vt superior, quæ procedebat de conferente ordines iam tonsuratos, vnde non est eadem pœna in vtraque, hæc enim minor est quam illa, & suspenditur solus conferens primam tonsuram, non autem qui eam sic suscepit, etiamsi sit laicus alterius diœcesis; vnde ipsa collatio tonsuræ est valida etiam quoad executionem, secundum Guidon. Papam decis. 449. & Lap. alleg. 138 num. 12. & 13. v. 1. vbi respondet ad tex. in c. primatus 7. d. Quod satis vrget aduersus hanc sententiam Guidonis, & Lap. Aduerte vlterius, clericis in hoc casu licere adire vicinos Episcopos, non autem laicis, vt notat Ioa. Andr. in d. c. eos, in prin. & Ancar. in fin. & ratio est, quia non consideratur tanta necessitas in laicis ad clericatum ascendere volentibus, quanta in clericis volentibus promoueri ad superiores.

Quarta habetur in extrauag. cum ex sacrorum. Pij 2. cuius

mem-

meminit Silu.ver. irregularitas 5.12.vbi præsumentes recipere sacros ordines extra tempora,aut extra legitimam ætatē, aut sine legitima licentia sunt ipso iure suspensi, &, si celebrant, fiunt irregulares,a solo Papa dispensabiles,&possunt ipso iure beneficijs priuari. Aduerte olim iure communi non constare esse ipso iure suspensos an suspendendos, cap.vel non est,c.cū quidam,cap.literas,& cap.consulta.de temp.ordin.sunt. enim variæ opiniones.quæ modo cessant per prædictam extrauag. Aduerte rursus ex illo verbo,*præsumpserint*,non comprehendi qui ignoranter fecerunt,putantes id sibi licuisse, vt notat Couar.primæ part.relect.de homic.§ 1.num.4.allegat in hoc Nauar. & sequitur, quamuis cum dubio,quod quidem sic intelligc,quando putabant sibi licuisse ex probabili ignorantia facti,quia credebant se habere legitimam ætatem,secus si crassa ignorantia facti,aut ignorantia iuris fuit, suspensionem incurrunt,etiamsi Extrauagantem ignorauerint, quia ius communi prohibens ante legitimam ætatem promoueri aut sciuerunt.aut ignorare nō debuerunt: ideo presumere dicūtur.& hoc sequitur tribunal supremi pœnitentiarij.Idem dicendum de ordinantis extra tempora,aut sine legitima licentia,si quis ergo probabiliter ignorauerit factum, non incurrit,quòd si post susceptionem sciuerit,& adhuc non est in ætate legitima aut sine licentia,non quidem est suspensus, sed est prohibitus celebrare, aut promoueri ad vlteriores sine dispensatione ea faciens mortaliter peccat.nisi habeat ætatem, aut licentiam. Aduerte etiam dictam constitutionem esse restrictam ad sacros ordines. Sumens ergo ordines non sacros, pœnis in ea contentis non subijceretur,vt habet Rebuf.in praxi.benef.fol. 334.gloss.3.

Quinta habetur cap si quis ordinauerit,de simonia. vbi ordinans,vel præsentans aliquem ad ordinem,& ab eo promissionem,vel iuramentum recipiens, quod super prouisione sua eundem ordinatus non inquietabit, suspensi sunt per triennium,ordinans quidem à collatione ordinum, præsentans ab executione,& sic ordinatus ab ordine susceptо in perpetuū. Nec possunt hi tres dispensationem, nisi à Sede Apostolica, huius dispensionis obtinere. Aduerte pro intelligentia,cap. cum secundum.de præben.decerni,vt ordinato sine titulo per ordinatorem, aut successorem eius tamdiu prouideatur, donec ei aliquod beneficium conferatur, quo viuere valeat, quodintelligendū est,quando nullus est præsentator; si enim

fuerit, tunc ipse primo loco tenebitur alere, vt gloss. ibi not & Canon ipse insinuat. Iuxta hoc intelliges, facilè hanc fus cionem, præsertim eius, qui paciscitur cum ordinatore, a præsentatore non petere alimentum ab eo. Aduerte etia quod talis promissio ante ordinationem factam non valet notant Doct. in d. cap. vbi Abb. num. 4. & procedit, etiam si iurata respectu ordinantis, vel præsentantis, qui non possu absque peccato virtute illius obligationis desistere, quomo illi ordinato prouideant, quamuis ordinatus contra iuram tum aliquid petere non possit, vt notat idem Abb. vbi su Aduerte rursus non subijci huic pœnæ eum, qui post ord tionem factam remittit, aut condonat obligationem sine p cto vllo ante ordinationem facto. ita habet Abb. in d.c. si qu nu. 4. Aduerte præterea Nau. in sum. c. 27. num. 185. idem qu tum ad suspicionem existimare de his, qui ordinantur cu patrimonio facto cum obligatione rescindendi contract quo ipsis patrimonium datur, sed mihi non placet, nam in decretali sola mentio fit de promissione, aut iuramento fact ab ordinato cum præsentante, aut ordinante de nõ inquie do, à quo dist at casus iste vltimus: nam ille, qui fecit pact cum ordinatore, aut præsentatore propterea suspẽsus est, qu est simoniacus; nam pro actu ordinandi, aut præsentandi ad ordinationes pactum fecit: sunt autem illi actus duo spiritua les, at dare alicui patrimonium non est spirituale, imò vendi & emi potest. Non ergo pactum de restituendo efficit si moniam. Idem dico ad capit. per tuas. 3. de simon. agitur enim de paciscente cum eo, qui præsentauit ad titu lum Ecclesiæ, vt ordinaretur, qui titulus spiritualis est, super quem potest esse simonia. Siue ergo paciscatur de restituendo patrimonio, siue non, non videtur suspensus. Nec is suspensus est, eo quod sine titulo ordinatus, quia obligatio illa nõ valet sicut nec ea, quæ fit cum ordinante, aut præsentante, quod ex Concil. Triden. sess. 21. ca. 2. comprobatur, vbi statuitur, ne pro motus tali patrimonio sine licentia Episcopi valeat renuncia re. ex quo fit, vt ille verum titulum habeat; & quamuis non haberet, non esset suspensus, sicut nec is, qui ementito patri monio ordinatus est, vt dicemus inferiùs in decima octau suspensione. Hunc aũt casum supra dictum de pacto facto non cum ordinante, aut præsentante non inducere suspensionem decreuit, seu declarauit signatura pœnitẽtiariæ, & sic seruatur.

Sexta habetur cap. cum in cunctis, §. fin. de elect. Clem.

eligen-

eligentes in Episcopatum, vel dignitatem, vel curam animarum indignum quoad ætatem, vel legitimitatem, vel scientiã, vel mores, per triennium à beneficio sunt suspensi. Intellige de eligẽtibus scienter indignum, iuxta cap. per inquisitionem de elect. ac respectu beneficiorum, quæ quisque habet in illa Ecclesia, ad quam fuit facta electio: ad alia verò beneficia non extenditur, vt notat Abb. in d. §. fin. in prin. per c. si compromissarius §. restringitur de elect. lib. 6. Intellige, etiam si ex illis votis sequatur electio, alias secus, quia requiritur actus consummatus, vt notat Ioan. de Anan. in d. §. fin. num. 1. Eadem suspensio infligitur compromissarijs scienter indignum eligentibus, cap. si compromissarius, de elect. in 6. & tunc compromittentes non contrahunt hanc pœnam, nisi scienter electionem indigni ratam habuerint.

Hæ decretales non procedũt de electione Papæ, nec de præsentantibus indignum in Episcopatum, sed de clericis eligentibus in Episcopatum, dignitatem, vel parochiam, & de compromissarijs ad Episcopi electionem. Nec etiam procedunt in eligentibus patientem alium defectum, vt notat Abb. in d. §. fin. nu. 6. Nota tamen, quod si durante ista suspensione triennij, Canonici aliam similem suspensionem incurrant, secundùm Io. Andr. quem sequitur Io. de Ana. secundum triennium incipit currere statim post commissum delictum, & non finito primo triennio, vt voluit Abb.

Septima habetur cap. cum medicinalis, de senten. excomm. in 6. Vbi Iudex, qui excommunicat, vel suspendit, vel interdicit, nisi in scriptis id faciat, & causam conscribat, & requisitus exemplum sententiæ tradat, per mensem est ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs suspensus. Nota ex Gloss. hanc pœnam procedere tam in generali, quàm in particulari sententia excommunicationis ab homine; in vtraque enim sententia, siue in certam, siue in incertam feratur personam, hæc obseruanda sunt, Nota rursus ex eodem cap. quod si talis suspensus intra mensem celebret fit irregularis à solo Papa dispensabilis.

Octaua habetur cap. sacro. de sen. excomm. Qui in aliquem sententiam excommunicationis promulgat, sine competenti admonitione præmissa, & personas præsentibus idoneis, per quas possit probari monitio, per mensem est ab ingressu Ecclesiæ suspensus. Hæ duæ suspensiones non comprehendunt Episcopos, quia non fit eorum expressa mentio per ea,

quæ diximus superius. Rursus non procedunt in casibus in quibus licet aliquando non seruare trinam admonitionem, nec in scriptis excommunicare, vt supra dictum est.

Nona habetur cap. quia sæpe de elect. in 6. Vbi suspenditur ab officio, & beneficio, Cathedraliu m, Regulariū, vel Collegiatarum Ecclesiarum capitula, conuentus, singulares personæ, quæ, mortuo prælato, bona ipsius, vel bona tempore vacationis obuenientia, quæ erant in vtilitatem Ecclesiarum conuertenda, vel futuro successori seruanda, occupant, surripiunt, inter se diuidunt, dilapidant, dissipant, & consumunt. Hæc suspensio autem tamdiu durat, quamdiu plene restituerint, dabet locum in omni emolumento, etiam proueniente ex resignatione, vel sigillo, Clem. statut. de elect.

Decima habetur cap. præsenti. de offic. iudi. ordin. in 6. Vbi suspenduntur Episcopi, vel eorum superiores, ac Abbates, quiuis alij Regulares, vel seculares prælati, & Ecclesiastici quicumque personæ, quæ vacantium dignitatum, personatuum, prioratuum, vel Ecclesiarum quarumcumque sibi subiectarum, seu ad collationem, ordinationem, præsentationem, seu custodiam pertinentium, morientibus eorum rectoribus, aut ministris bona inuenta in ipsis, siue tempore vacationis obuenientia, quæ in vtilitatem eorundem expendi, vel futuris successoribus debent fideliter reseruari, occupare, aut in suos vsus conuertere quoquomodo præsumunt, nisi de speciali privilegio, vel consuetudine legitimè præscripta, vel alia causa rationabili hoc eisdem competere dignoscatur. Suspensio autem talis est: Episcopi & superiores eorum ab ingressu Ecclesiæ, cæteri ab officio, & beneficio sunt suspensi, donec de prædictis restitutionem fecerint.

Vndecima habetur cap. 1. de sentēn. & re iud. in 6. Vbi Iudex Ecclesiasticus ordinarius, vel delegatus contra conscientiam, & contra iustitiam, in grauamē partis alterius in iudicio quicquam faciens per gratiam, vel per sordes, ab executione officij per annum est suspensus, ita vt, si intra annum ingerat se diuinis, sit irregularis, a solo Papa dispensabilis.

Aduerte ex Gloss. ad contrahendam hāc pœnam, hæc quatuor simul esse necessaria: Vt contra conscientiam, & contra iustitiam, & quod in grauamen alterius partis, & quod in iudicio; vnde in arbitro non habet locum, nec in mero executore, & quod per gratiam, vel sordes id faciat, sordide sit eadem Glo. quod prece, pretio, timore, vel odio Iudex corruptus

facit

facit. Aduerte rursus ex eadem Gloss. hanc pœnam non comprehendere Episcopos, postquam eorum non fit expressa mẽtio. Aduerte rursus ex eadem Gloss. quod non ligat adhuc hæc pœna Iudices laicos, quia restringitur ad Ecclesiasticos.

Duodecima habetur cap. exigit. & cap. fœlicis de censi. in. 6. Vbi iniungitur visitantibus, ne vltra procurationem, quæ ratione vnius diei vnica debetur, etiam si plures visitent Ecclesias pro sustentatione sua, quam in victualibus, vel in pecunia à volentibus dare in pecunia, recipere possunt aliquod aliud munus etiam sponte oblatum, neve à non visitatis vllam procurationem recipiant, alias duplum eius, quod receperint, Ecclesiæ, à qua receperunt, intra mensem restituere teneantur. Alioquin Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi duplũ ipsum vltra prædictũ tempus restituere differentes ab ingressu Ecclesiæ sunt interdicti. Inferiores verò ab officio & beneficio suspẽsi, quosq; plena facta fuerit satisfactio, nulla eis inhoc ex cõdonantiũ liberalitate seu gratia facta remissione valitura.

Decimatertia habetur cap. constitutione, & cap. non solum de regula in 6. Suspenduntur mendicantes ab admittendo aliquem ad professionem, si faciant vllum ante annum profiteri, aut ad id admittant, & ibi sub excommunicatione præcipitur eis, ne id faciant.

Decimaquarta habetur cap. fin. de offi. iud. deleg. lib. 4. Suspenditur per annum ab officio Iudex conseruator, qui se immiscet in ijs, quæ non sunt sui officij; is enim solum debet partem tueri ab iniurijs, & violentijs, & his manifestis: si autem defendere vult ab immanifestis, aut aliud præter hoc facere, pœnam prædictam incurrit.

Decimaquinta habetur Clem. multorum de hæret. Vbi Episcopi, & superiores, qui odij gratia, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu contra iustitiam, & conscientiam omittunt contra quemquam procedere in crimine hæresis, vbi fuerit procedendum; aut qui obtentu eodem ipsum crimen vel officij impedimentum alicui imponẽtes eum vexare præsumunt, ab officio per triennium sunt suspensi.

Decimasexta habetur Clem. 1. de reb Eccle. non alienan. vbi suspenditur ab officio quilibet Religiosus præsidens Monasterio, Prioratui, Ecclesiæ, seu administrationi cuilibet, si iura, reditus, vel possessiones eiusdem alicui ad vitam; seu ad certum tempus, quouis titulo concedit, quando, nec necessitas, nec vtilitas Ecclesiæ id poscit, & tunc cum consensu conuentus, si

conuentum habet, aut si non habet, Prælati sui id facere
bet. Aduerte ex eadē Clem. quod hæc pœna ad locationes
redditiones fructuum ad modicum tempus non extend
Aduerte rursus duo necessaria ad prædictam pœnam vita
vt necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ id exposcat, & quod sit
sensus conuentus, vel Prælati. Vno deficiente, locum ha
pœna.

Decimaseptima habetur Clem. quoniam. de vit. & hone
cleric. Vbi suspenduntur Clerici, qui partita, vel virgata v
vtuntur, nisi rationabilis causa subsit, si beneficiati fuerint
sacris tamen ordinibus citra sacerdotium constituti per
totidem menses sint inhabiles ad Ecclesiasticum benefic
obtinendum. Si verò clerici tantum fuerint in minoribus
habentes beneficium, tamen tonsuram deferentes, per
dem menses sunt inhabiles ad beneficium obtinendum. Si
rò fuerint sacerdotes, siue personarum, dignitatem, aut be
ficium cū cura animarum obtinentes, siue Religiosi, per
suspenduntur, habentes quidem dignitatem, personarum, v
beneficiū cū curatum à perceptione fructuū; Sacerdotes v
& Religiosi à beneficio Ecclesiastico obtinendæ. Aduert
Gloss. quod causa timoris, nempe cùm per terras inimicor
iter fit, potest clericus vti vestibus prædictis. Aduerte rursus
Cardina. ibi. q. 3. quod etiam licet vti virgata, id est, diuersi
loris veste ob solemnitatem, vt fit in vniuersitatibus aliq
bus, quando ad Doctoris gradum fit promotio.

Decimaoctaua habetur in cap. sanctorum. in prin. 70. dist
bi ordinatio facta sine titulo irrita habetur respectu execu
nis, iuxta Gloss. & Abb. & Ancar. in cap. cum secundum.
præb. Sed hæc pœna fuit deinde sublata per dictum cap. cu
secundum. & sic post cap. tenet ordinatio, & ordinator pro
uidere tenetur, secundum Hostien. in cap. non liceat in fin
præb. cuius sententia indistincte procedit, etiamsi ordina
sit in culpa, nempe sic mentitus est se habere patrimoniu
quod non habebat, vt notat Abb. in d. cap. non liceat, num
contra Antoni. de buts. in eodem cap. non liceat, & de co
muni testatur Imol. in d. cap. in fin. Hodie autem per Con
Triden. sess. 21. cap. 2. ex sententia congregationis renouat
est can. antiquus cum secundum. non autem ille antiquus
sanctorum, qui fuerat reuocatus. Qui ergo sine benefic
aut de Episcopi consensu sine pensione, vel patrimonio
cienti ordinatur, non est ipso iure suspensus. Dubium tam

est, quia Concilium decernit, ne quis beneficium, pensionem, vel patrimonium, quorum titulo est ordinatus, sine licentia Episcopi dimittat, an sit suspensus, qui dimitteret sine licentia post ordinationem? Respondeo quod non, nam Concilium iura antiqua tantum renouat: at iure antiquo non habetur talis suspensio, sed ea sola, qua aliquis sine titulo ordinatur, quæ reuocata est per cap. cum secundum. Hoc verum est, talem dimissionem, aut renunciationem sic factam irritam esse, & nullius valoris; nam verba concilij vim habent decreti irritantis, potentiamque tollentis faciendi contrarium.

Decimanona habetur in extrau. cum detestabile. Pauli II. vbi suspenduntur omnes, qui simoniace ordinati fuerūt, à suorum ordinum executione, siue sint occulti, siue manifesti. Et idem dicendum de conferentibus ordinem per simoniam: nam ipsi quoque sunt suspensi ab executione suorum ordinū perpetuo, vt notat Abb. in cap. per tuas. 2. num. 7. & ibi Felyn. num. 3. de simon. & Silu. ver. suspensio. num. 7. licet nonnulli teneant, collatores non esse ipso iure suspensos. Alij verò ad triennium tantum, vt referunt Abb. & Silu. vbi supra. Aduerte prædicta intelligi de simonia reali, ex vtraque parte perfecta. Aduerte etiam, pœnam hanc suspensionis non comprehendere ignorantes, pura quia parentes, vel amici illis ignorantibus soluerint: nam in hoc casu ordinati sunt tantum suspensi quoad illum ordinem simoniace susceptum. Abb. & Fely. in cap per tuas, de simo. Idem Abb. in d. cap. de simoniace, num. 6. de quibus omnibus plenè dicam, quando occurret sermo de simonia.

De suspensionibus Concilij Trident.

CAPVT XLIX.

PRima habetur in sess. 6. cap. 5. Episcopus etiam cuiusuis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercens, sine Ordinarij loco expressa licentia, aut cum prædicta licentia exercens in alias personas præter ipsi Ordinario subiectas, ab exercitio Pontificalium ipso iure est suspensus. Rursus, ordinati ab Episcopo in aliena diœcesi sine licentia Ordinarij expressa Pontificalia exercente, aut etiamsi habeat licentiam, si non sint ipsius Ordinarij subditi, ipso iure ab ordinum executione sunt suspensi. Aduerte, per Pontificalia, vt diximus supra, non intelliguntur ea, quæ ad iurisdictionem

pertinent, vt excommunicare, suspendere, interdicere, iudicare, &c. sed quæ ad ordinem Episcopalem, & ipsius consecrationem pertinent, vt ordinare, chrisma conficere, clericos deponere, virgines benedicere, Ecclesias, & altaria consecrare, & similia. Hæc sunt quæ sub hac suspensione Episcopus prohibetur exercere in aliena diœcesi, sine licentia expressa Ordinarij, quamuis etiam nec iurisdictionaila possit exercere, vt supra diximus; sed hoc non continetur in hac prohibitione. Aduerte rursus, iure antiquo hoc cautum esse 7. q. 1. can. Episcopus, vbi maior pœna infligitur. nempe vt sic ordinati deponantur, & Episcopus etiam à celebratione Missarum per annum cesset, & ibi Turrecre. intelligit etiam deponendum Episcopum. Aduerte rursus, quando dicitur, quod suspensus est Episcopus ordinans in aliena Diœcesi, etiam cum licentia Ordinarij, alios, præter subditos ipsi Ordinario, non intelligas non licere ipsi Episcopi in tali Diœcesi ordinare simul cum subditis Ordinarij suos etiam subditos, si quos habet; licet enim ordinare simul suos, si licentiam habet ordinandi in aliena Diœcesi, vt supra diximus.]

Secunda habetur sess. 7. cap. 10. Capitulum, Sede vacante, infra annum à die vacationis non debet alicui licentiam ordinandi, aut litteras dimissorias dare, nisi arctatus sit ratione beneficij recepti, vel recipiendi, non obstante quouis priuilegio, aut consuetudine, aut etiam iuris communis dispositione, quod si secus factum fuerit, Capitulum, Ecclesiastico subiacebit interdicto, & sit ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo priuilegio Clericali gaudent, præsertim in criminalibus: si verò in maioribus, ipso iure sunt suspensi, ab ordinum executione, ad beneplacitum futuri Prælati. Aduertite olim iure communi licuisse Capitulo, Sede vacante, licentiam ordinandi dare, vt habetur cap. cum nullus, de temp. ordin. in 6. tamen per Concil. Trident. limitatur, vt infra annum à die vacationis id non possit, nisi cum coarctatis ad ordines suscipiendos ratione beneficij suscepti, vel post vacationem suscipiendi; non tamen cum non coarctatis. Attamen verò transacto vacationis, si durat vacatio, procedit iura communis dispositio, vt possit etiam id facere cum non coarctatis.

Tertia habetur sess. 14. cap. 2. Episcopus titularis etiam in loco nullius Diœcesis, etiam in loco exempto, etiam in alieno quo Monasterio cuiusuis ordinis residens, aut moras trahens

etiam

etiam habens priuilegium de promouendo quoscumque ad se venientes, si alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis, & continuæ comensalitatis suæ, sine sui Prælati expresso consensu, aut literis dimissorijs ad aliquos sacros; aut minores ordines, aut primam tonsurā promouerit, ab officio Pontificalium per annum ipso iure est suspensus, & taliter promoti ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso iure sunt suspensi.

Quarta habetur sess. 23. cap. 8. Episcopus ordinans non proprium subditum, etiamsi is accedat prætextu cuiuslibet generalis, aut specialis rescripti, vel priuilegij, siue testimonio tamen sui Ordinarij, in quo eius probitas, & mores commendentur, à collatione ordinum per annum ipso iure est suspensus: & sic ordinatus à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. Aduerte in habente priuilegium, vel rescriptum, vt etiam à non suo ordinari possit, licet non requirantur literæ dimissoriæ licentiā Ordinarij continentes, tamen requiritur testimonium mores & vitam ordinandi probans, & hoc est, quod sub hac pœna statuitur. Aduerte etiam, hoc decretum non extendi ad primā tonsuram ex declaratione congregationis Concilij: nam prima tonsura nomine ordinis in hoc Concilio non comprehenditur.

Quinta habetur in eadem sess. 23. cap. 10. Vbi Abbates, & alij quicumque quantumuis exempti, ipso iure ab officio, & beneficio per annum sunt suspensi, si literas dimissorias aliquibus Clericis secularibus concedant, vt ab alijs ordinentur, etiamsi tales clerici ad suam pertineant iurisdictionem: sed horum ordinatio pertinet ad Episcopos, intra quorum diœcesis fines prædicti Abbates, aut exempti existunt. Aduerte hoc non procedere de regularibus, qui sunt subditi talibus Abbatibus, aut de exemptis; his enim possunt concedere dimissorias, vt ab alijs ordinentur. Aduerte etiam, per illos exemptos intelligi eos, qui inferiores Abbatibus, aut saltem non superiores sunt. Rursus eadem pœna imponitur contra Collegia, aut Capitula, etiam Cathedralium Ecclesiarum, similes dimissorias clericis secularibus concedentia, quod intellige excepto casu, quando vacat Sedes anno elapso, vt diximus supra in secunda suspensione. Rursus, qui literas dimissorias à quibuslibet in iurisdictione Episcopi, loco capituli, Sede vacante, succedentibus obtinentes, sunt ipso iure suspensi ab

execu-

executione ordinum, si maiores fuerint, ad beneplacitum futuri prælati. Aduerte, sicut capitulum non potest Sede vacante litteras dimissorias concedere, ita nec alius quicumque, qui loco Capituli in iurisdictione Episcopi vacante Sede succedet.

Sexta habetur sess.24.cap.1.in decreto de reformat. Si quis Parochus, vel alius Sacerdos, siue regularis, siue secularis sit, etiamsi id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochi sponsus sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu quo benedictio suscipienda erat, absoluatur.

Septima habetur sess.25.cap.17. præfecta Monasterio tenetur, per mensem ante professionem alicuius faciendam, Episcopum ipsum certiorem facere, alias ab officio est suspensa tam diu, quamdiu videbitur Episcopo.

Octaua habetur sess.25.cap.14.de reform. Episcopi à concubinatu postquam à synodo admoniti fuerint, non se emendantes, ipso facto sunt suspensi. Hæ sunt suspensiones contentæ in Concilio Tridentino.

De degradatione seu depositione.

CAPVT L.

DEgradatio ad suspensionem reducitur: est autem suscepti ordinis perpetua depositio, vt notat Felyn qui citat Hostien.& Innocen.cap. qualiter 2. num.50. de accusa. Ecclesia enim non potens auferre characterem ordinis semel impressum, vsum eius legitimum in perpetuum auferre, & hoc est clericum degradare, &, vt sic dicam, deordinare, seu ab ordine deponere. Dixi autem, legitimum, quia non potest omnem vsum auferre: nam sacerdos degradatus potest consecrare, & Episcopus degradatus ordinare, licet peccet grauissime id facientes, vt dicit Archi.in cap.quod sit.in fin. de consecrat.dist.2.& de communi testatur Gemi.in cap degradatio, §.poterit.in fin.de pœn. in 6. Qui verò suscipiunt ab his scienter ordinem, manent suspensi.arg.tex.in cap.1.in fin. de ordinat.ab Episcopo, qui renunc. Ex quo sequitur, cùm degradatio sit ordinis depositio, degradatum priuari omni officio, & be-

neficio

neficio Ecclesiastico, nam in ordine fundantur. Degradario igitur ab his omnibus priuat, sed consequenter, quia priuat ordine, cui omnia hæc innitutur; tenetur tamē horas canonicas recitare, vt affirmat communis sententia, quam sequitur Silu. ver. degradatio. & probatur ex cap. dolentes, de celebr. missa. vbi omnibus ordinatis iniungitur id onus : propter delictum autem, quamuis ordinatus degradetur, non tamen efficitur melioris conditionis, vt ab onere soluatur.

Duæ sunt species degradationis, verbalis, & actualis; illa fit verbo tantum cuius hæc est forma, vt habetur in cap. degradatio. de pœn. num. 6. *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & nostra auferimus tibi clericalem habitum, & deponimus, & degradamus, & expoliamus, exuimus te ordine beneficij, & priuilegio clericali.* Quæ verba ab Episcopo, cuius est degradare, proferuntur. Actualis est, cùm hæc ipsa verba exprimuntur, & re ipsa exercentur; nam degradandus vestitur vestibus, & ornamentis, quibus fuit ordinatus, & tunc paulatim incipit denudari ab vltimis vestibus cum appositis verbis : & cùm degradatur sacerdos, & aufertur planeta, dicit Episcopus: *Auferimus tibi vestem sacerdotalem & te honore sacerdotali priuamus*, similiter in alijs, & vltimo raditur caput, vt nullum coronæ maneat vestigium. hæc omnia habentur in prædicto cap. degradatio.

Est autem differentia multiplex inter has duas degradationes. Prima. Actualiter degradatus perdit priuilegium clericale vtrumque, canonis, & fori, nempe, vt sit sub iudice seculari, & qui eum percutit, non contrahat excommunicationem latam contra percussores clericorum: At verbaliter degradatus retinet priuilegium clericale respectu fori, & respectu canonis, ita Abb. cap. tuæ discretionis, de pœn. & in cap. Ioannes de cleri. coniugat. & in cap. ad abolendam, num. 10. de hæret. & ibi Io. de Anan. & Archidi. cap. degradatio. de pœn. in. 6. & Diaz. in prax. crim. can. c. 17. in fin. Et hoc, nisi post talem depositionem sequatur incorrigibilitas : nam tunc potest comprimi per Iudicem secularem, vt notat Ab. & Io. de Anan. vbi supra, & Boic. in cap. cum non ab homine, numer. 8. de iud. dicens, quod si clericus non depositus ter monitus perdit priuilegium clericale, & potest comprimi per Iudicem secularem, multo fortius depositus incorrigibilis, etiam non actualiter degradatus. Aduerte tamen, quod etiam data incorrigibilitate iudex laicus non potest exercere iurisdictione contra clericum,

antequam per Ecclesiasticum sit lata sententia declarato
super qualitate incorrigibilitatis. Fely. qui dicit hanc esse co
munem in cap. cum non ab homine, nu. 9. de iudi. Sicut etia
in actualiter degradato est necessaria declaratio, quod est ex
tus à clericali priuilegio, nec est necessaria alia traditio præ
istam declarationem, vt dicunt Gemi. & Franch. cap. degrad
tio. de pœn. in 6 Ista autem declaratoria debet fieri per ipsu
iudicem Ecclesiasticum absque citatione, ne fugiat, Abb. in
cap. cum non ab homine, num. 9. de iud. Diaz. alios citans
prax. crim. can. c. 131.

Secunda est, verbalis non fit, nisi ab Episcopo cum aliorum
interuentu, vt enim habet Goss. in d. cap. degradatio. & in
fœlix. 15. q. 7. ad degradationem Episcopi debent cum Metr
politano conuenire duodecim alij, quorum maior pars
sententia degradationis conueniat. Ad degradandum autem
Sacerdotem cum Ordinario debent sex Episcopi conuenir
Ad Diaconum verò & Subdiaconum alij tres. Ad Clericum
inferiorum ordinum sufficit proprius Episcopus cum capitu
conuentu, vel aliquorum tenentium locum capituli, potest
nim clericus in minoribus degradari, vt habetur can. si Epis
pus. 11. q. 3. & cap. degradatio. de pœn. in 6. Concil. autem To
sess. 15. cap. 4. mutauit ius antiquum, & decreuit, vt Episcopus
per se, vel per suum Vicarium in spiritualibus generalem po
sit deponere verbaliter clericum, etiam presbyterum. Actua
liter verò per se ipsum: in ijs autem casibus, in quibus de iur
Episcoporũ multorum conuentus est necessarius, disponit, v
fiat degradatio per Abbates, vsum Mitræ, & baculi ex priuile
gio habentes, quod si tot non potuerint inueniri, eorum loco
sint personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, ærate gra
ues, & iuris scientia commendabiles. Hæc habentur ex Con
cilio. Cùm autem propter hæresim Sacerdos est degradandus
sufficit Episcopus cum Abbatibus, & iuris doctis. Hæc sunt a
verbali degradatione. At in actuali non est opus isto conuen
tu, quia cùm præcesserit verbalis, sufficit Episcopus ordinarius
absque alijs.

Tertia est, tradendus curiæ seculari, actualiter, & non ver
baliter degradatur: traditur autem per declarationem præfa
te Iudice seculari, cùm declarat Episcopus, illum esse illius cu
riæ; debet tamen intercedere pro eo, quod non moriatur, ne
xta cap. nouimus de verbo. signif. in fin. vt etiam notat Abb.
in cap. cùm non ab homine, num. 2. 6. de iudic. Verbaliter de
mo

men degradatus non traditur curiæ, si sit corrigibilis, vt habet Boic. in cap. ad abolendum, nu. 21. de hæret. Solet autem tradi tribus de causis, aut propter hæresis pertinaciam, cap. ad abolendam, de hæret. Aut quia fuit falsarius litterarum Apostolicarum, cap. ad falsariorum. de crim. fals. Aut propter calumniam, quam quis parauit suo Episcopo. Vel qu a cõtumeliam intulit, aut inobediens fuit, vt habetur in cap. si quis sacerdotem. 11 q. 1. quod vltimum intelligunt Doct. cum incorrigibilis manet, nec parere vult, vt habet Boic. in ca. ad abolendam, num. 21. de hæret. Siluest. in ver. degradatio. num. 6. licet aliqui Doct. inter quos est Innocen. velint etiam data corrigibilitate, post depositionem esse tradendum curiæ seculari, vt per Boic. in d. loco: sed prior opinio est probabilior, & quamuis propter aliud grauissimum crimẽ seculari curiæ tradi posset degradatus, vt propter parricidium, assassinium, vel aliud simile. Silu. in 11. degradatio. nu. 4. Abb. in cap. cum non ab homine, num. 6. de iudi. & in cap. 1. in fin. de his, qui filios occid: non tamen propter simplex homicidium, vt habet Anton. tract. de suspens. cap. 4. Si tamen clericus simplex homicida esset incorrigibilis, quod pluribus modis dicitur, vt notat Diaz. in prax. crim. alios citans, posset tradi per Iudicem Ecclesiasticum seculari, vt imponeret illi debitam pœnitentiam, Abb. vbi supra nu. 30. in fin. & ibi Boic. nu. 4. quod intellige, seruata forma, tex. in cap. cum non ab homine. de iud. Clericus autem traditus, seu effectus de foro seculari debet puniri, non ad voluntatem Iudicis Ecclesiastici, sed prout videbitur Iudici seculari, vt notat Abb. in dicto cap. cum non ab homine, & ipse iudex puniet pœna per Ciuiles leges imposita laicis pro eodem crimine, cap. ad falsariorum. §. nos enim de crim. fal.

Quarta est, degradatio verbalis potest fieri contra absentem contumacem. Actualis verò requirit præsentiam cap. nouimus, de verbor. signif. & notat Gem. per illum tex. in d. cap. degradatio. num. 3.

Quinta est, vbicumque simpliciter fit mentio de degradatione, intelligitur de verbali, & non de actuali, Abb. in cap. at si clerici, col. 11. in prin. de iudic. Fely. in cap. qualibet 2. in fin. de accusat. Diaz. in prax. crim. can. cap. 132.

Sexta differentia est, degradatum verbaliter Episcopus restituere potest. Actualiter vero solus Papa. ita habet Gloss. 2. q 6. can. ideo 1. ver. at restitutionibus. cui Gloss. consentit Panorm.

cap.at si clerici.de iudic §.de adulterijs. numer.14. vbi alle
Speculat. affirmantem posse Episcopum etiam actualiter
gradatum restituere,quando restitutio est iure requisita; v
post degradationem appareat falsitas testium. Hæc doctr
est probabilior.quamuis Silvest.ver.degradatio.§.10. alios
quens absolute teneat, solum Papam degradatum restitu
posse.

Aduerte,sine accusatione neminem esse degradandum
cet alias sit puniendus,Host.in sum sit.de accusat.§.quis fre
fectus.sine accusatione.Diaz.vbi supra per tex.in cap. dilec
filius,2.de sim.vbi Abb.Aduerte etiã,pro nullo crimine cu
tumcumq; graui imponi clerico pœnam degradationis, n
reperiatur expressum in iure,Io.de Anan.in cap.1.nu.8.de
ric.pugn.in duel post Ant.de Butr.Diaz.vbi supra.Quod m
lige de pœna degradationis actualis,& non verbalis;ista cu
pro criminibus enormibus potest imponi,vt ipse Ioan.& A
nan.notat,& est euidens.

Quod ad suspensionem spectat, qui per saltum est promo
tus,nempe inferiori ordine prætermisso superiorem susce
characterem quidem recipit, tamen non potest ministrare
susceptо,nec omissum accipiat, neutrum autem potest effec
re sine dispensatione,quam Episcopus impendit, quando ig
noranter id factum est,etiamsi ignorantia fuerit crassa.ita ha
betur can.solicitudo,d.52.& cap.vni.de cler.per sal.promot.
ibi Gloss.& Panorm.& Gloss. etiam cap pastoralis de sacram
non iteran.vbi agitur de eo, qui prætermissa confirmatione
promotus fuit ad ordines; idem enim est iudicium de hoc,
de illo,qui prætermisso vno ordine inferiori accepit superi
rem;quod si scienter id fecit,opinio est varia, Hostien.cap.
ni.de cleri.per sal.promo. negat posse Episcopum in eo ca
dispensare,tamen Gemini.& Præpo.can.solicitudo.d.52. affi
mant etiam posse Episcopum dispensare in eo casu, & ide
asserit Hostien.non sibi constans in summ.tit.de cler. per sa
promo.& id est probabile;tamen securius & verius est,no po
se,per doctrinam Panorm.cap.ex literis de cler.non ordi.m
nist.nempe Episcopum non posse dispensare, nisi in casib
iure expressis,cap.dilectus.de temp.ordi. casus autem hic non
est expressus, immo tacite insinuatur,quod non, vt patet ex
can.solicitudo.d.52.& cap.vni.de cler.per sal.prom. hoc in
lige de iure antiquo; nam iure nouo Concil.Trident.sess.
cap.14.potest Episcopus dispensare cum promoto per sal.n
no

non ministrauerit, quod locum habet in foro exteriori, quando est publicum; nam in foro interiori quando est occultum, potest Episcopus, etiam si ministrauerunt, per Concil. Triden. sess. 24. cap. 6. Non solum autem qui per saltum est promotus, non potest suscipere omissum ante dispensationem, nec ministrare in suscepto, sed nec ad maiores progredi, donec dispē-setur. Ita habent Gemini. & Præpo. can. solicitudo. d. 52. & ratio id probat, nam ligatus in minori non potest accipere maiorem; vnde recte dicit Gemi. loco citato, postquam dispensatum fuerit cum eo, vt suscipiat omissum, & ministret in suscepto, adhuc indigere dispensatione, vt suscipiat maiores.

Duo sunt hoc in loco adnotanda, vnum est, multos, & graues Doct. tenere, promotum per saltum non esse ipso iure suspensum, sed esse suspendendum; vnde si ministret ante dispensationem, non fieri irregularem, sed peccare ratione prohibitionis, ita habent Innoc. cap. si celebrat. de cler. excomm. ministr. Archidi. Gemin. Præpo. & Turrecr. can. solicitudo, d. 52. quæ opinio placuit Tabien. irregularitas. 4. §. 2. tamen contrarium tenuit Hostien. in sum. de cleri. per sal. prom. idq; inter Summistas tenuit Silu. ver. irregularitas, §. 13. affirmans esse ipso iure suspensum; mihi tamen posterior sententia magis placet, tum propter Concil Trid. sess. 23. cap. 14. vbi conceditur Episcopo facultas in vtroque foro dispensandi cum promoto per saltum, nisi ministrauerit, si ergo ministrauerit, non potest Episcopus: quod argumento est per ministerium contrahi irregularitatem, & nouum accedere impedimentum, quod non fieret, nisi esset suspensus. præterea ipse Geminianus fatetur, ante ordinem susceptum, qui est prætermissus, collationem beneficij nullam esse, igitur suspensus erat. Hoc autem intelligo, quando scienter, aut ex ignorantia crassa ordo inferior est prætermissus, si enim ignorantia probabilis aliquo in casu interuenisset, non esset suspensus, sed tantum prohibitus, quando sciuisset post factum. sic affirmat Hugo citatus à Turrecr. can. solicitudo. d. 52. immo in hoc casu affirmat procedere eundem canonem, & fauet ratio; nam suspensio nō contrahitur sine peccato.

Alterum est, Doctores conuertere, an ordo maior teneat, minori non suscepto: certum autem est, loquendo de maioribus, si is, qui minores suscepit, accipiat sacerdotium sine præuio Diaconatu, vel Subdiaconatu, ordinem tenere: id quod probat cap. vni. de cler. per sal. promot. ibi enim Sacerdotium

quidam accepit, non præmisso Diaconatu, nec repetere pr
cipitur sacerdotium, sed accipere ordinem, qui omissus est. I
lud tamen est in controuersia, an si laico conferatur sacerd
tium, vel aliquis ex maioribus, non præmissis minoribus, p
neat: aliqui negarunt, tamen communis opinio Theologo
& Canonistarum tenet, imprimi characterem, & non esse n
cessarium necessitate sacramenti, sed præcepti, ordinem s
uare in ordinibus suscipiendis, ita tenent Archi. Gemi. Præp
can. solicitudo. d. 52. & ibi Glos. & Panor. cap. vni. de cler. per
prom. vbi dicit esse communem sententiam, & ibi Gloss. &
ter Theologos. S. Thom. 4. sen. d. 24. q. 1. ar. 2. q. 4. & Bona
sen. d. 24. q. 3. Nec est verum quod dicit Hostien. cap. vni. de cl
per sal. promo. nempe talem sacerdotem ordinatum sine m
rioribus non conficere corpus Christi, hoc enim falsum e
nam si characterem habet, potest conficere, quamuis male
ciat, quia irregularis est, vnde S. Tho. loco citato, qu. 4. ad 4
cit in superiori omnes inferiores ordines virtute contine
vnde potest facere quidquid inferior potest. De Episcopa
verò est difficultas, & quidem fatentur omnes, si quis habe
sacerdotium, etiam sine inferioribus ordinibus, si Episcop
ordinetur, tenere ordinem, tamen si non est sacerdos, non te
neri, nec esse Episcopum. ita tenet Archidi. can. solicitudo, &
Gloss. cap. vni. de cler. per sal. promo. cum aliis etiam Doctor
bus id ipsum sentientibus. hi nituntur eo maxime fundamen
to, quia character Episcopatus non est distinctus in substantia
à charactere sacerdotij, quæ opinio est cõmunior inter Theo
logos. Alij existimantes esse distinctum characterẽ affirman
Episcopatum etiam laico collatum tenere, id habet Glos. can
solicitudo. d. 52 & Panor. cap. vni. de cler. per sal. prom. vbi can
dicit communem sententiam, fateorq; vtrumq; probabile, &
propter vtriusq; partis opiniones, si casus eueniret, ordines o
mitti essent suscipiendi absolute, Episcopatus verò sub condi
tione, propter dubium: quando enim est dubium, debet etiam
ordo, sicut & baptismus sub conditione exhiberi, vt notant
Panor, cap. vni. de cler. per sal. promo. & Præpo. can. solicitudo
d. 52. in hoc autem omnes conueniunt, sine baptismo, quæ e
ianua sacramentorum, nullum ordinem tenere, ideoq; si co
lati essent non baptizato, essent absolute de nouo ordi-
nandi, vt habetur de presbyt.
non bapti.

Qui

Quid, & quotuplex sit irregularitas.

CAPVT LI.

IRregularitas, si vocabuli significationem attendamus, dupliciter accipitur, largè, & strictè; irregularis enim idem significat, ac sine regula, seu qui non est secundum regulam: cùm autem certa sit ordinandorum regula, qua conditiones eorum, & qualitates præscribuntur, omne id, quod contra talē regulam est, facit hominem irregularem, & hæc est irregularitas large sumpta, quæ complectitur excommunicationem, suspensionem, & interdictum, & quidquid deuiat ab eo, quod in ordinando requiritur. Strictè verò accipitur pro impedimentis, quæ ex certis defectib⁹, aut delictis iure adnotatis proueniunt, propter quæ homo ab ordinibus repellitur. Hanc distinctionem irregularitatis considerarunt Hostien. & Innocen. cap. nisi cum pridem de renunci. & Specula. tit. de dispens. In præsenti autem de irregularitate strictè accepta loquimur, quam, prætermissis aliorum definitionibus, sic possimus facilius & perfectius definire. *Est canonica inhabilitas ordines suscipiendi, aut susceptos exercendi à solo iure prouenies.* Cuius definitionis pars prima est, *inhabilitas*. homo enim irregularis inhabilis est ad aliquid agendum, aut suscipiendum, non quidem ad omnia, sed ad ea, quæ explicantur in secunda parte definitionis, nimirum *suscipiendi ordines, aut eos exercendi;* non enim omnis inhabilitas est irregularitas, sed ea tantum, quæ est respectu ordinum: sunt enim quædam iuris inhabilitates ad beneficia: nam simoniacus, etiam facta pœnitentia, inhabilis est ad illud beneficium, super quod commissa est simonia, cap. penul. de elect. Sunt etiā aliæ inhabilitates ad prælaturas, dignitates, & beneficia, vt habetur cap. 1. de fil. presb. & cap. in quibusdam, de pœnis, & alijs in locis, quæ non dicuntur irregularitates: nam irregularitas est inhabilitas proxima, ac directa ad ordines suscipiendos, aut exercendos, dico proximam, & directam, nam irregularis sæpe etiam est inhabilis ad beneficium, vt dicemus inferius; tamen consequenter, & indirectè, quatenus qui inhabilis est ad officium, inde est inhabilis ad beneficium: at primo, & immediate irregularitas facit hominem inhabilem ad ordines, sic quidem, si irregularitas est ante susceptionem ordinum, facit ineptum ad suscipiendum: si verò post susceptos superuenit,

facit inhabilem ad exercitium eorum: si verò superueniat, p
tim post aliquos susceptos, partim ante alios nondum susce
tos, tunc facit inhabilem ad vtrumque, nempe ad susciper
dum, & exercendum, quamuis non semper, vt postea decla
bitur, propterea dicitur inhabilitas suscipiendi, aut exercen
ordines.

Tertia pars est, *canonica*: dupliciter enim aliquis potest esse inhabilis ad ordines, vno modo iure diuino, quando nempe diuino iure aliquis ab ordine expellitur, & talis inhabilis & incapax est, vt si ei ordo conferatur, nec characterem recipiat, nec ordinatus vere dici possit: talis est fœmina, quæ diuino iure ordinis est incapax, vt inter Theologos tradunt Bonau. 4. sen. d. 25. art. 2. q. 1. & Duran. ead. d. q. 2. Inter Iurisperitos verò Archid. 17. qu. 4 can. si quis suadente et d. 32. c. presbyter. et. 27. q. 1. can. Diaconessam. vbi expresse dixit, fœminam characterem non posse suscipere, si ordinari attentatur. Talis etiam est non baptizatus, etiamsi sit fidelis, & credat. hic, si ordinetur, non recipit characterem, quia iure diuino repellitur; est enim baptismus ianua sacramentorum: hoc habetur cap. presbyter. & cap. veniens de presbyt. non baptiz. Isti sunt irregulares, largè tamen, non stricte, vt nunc loquimur: irregularitas enim stricte sumpta præsupponit subiectum capax ordinis; arcet autem, & prohibet eum ob aliquam causam, quæ ex defectu, aut delicto prouenit, & hæc est iure humano Ecclesiastico introducta, vt dixit Innocen. cap. nisi cum pridem. de renunc. & cap. ad audientiam, de homici. falluntur enim, vt inferius dicemus, qui bigamos incapaces putant, quasi fœminas, aut qui homicidas iure diuino repelli à promotione putant; est enim irregularitas iure humano inducta. hinc est, vt si irregularis ante dispensationem ordinetur, ordo teneat, & character imprimatur; per irregularitatem enim fit quidem inhabilis, sed non ad susceptionem, sed ad rectam, & legitimam susceptionem, multa enim, etiamsi male fiant, facta tamen tenent.

Quarta pars definitionis est, à solo iure proueniens, in quo differt ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, quæ tum ab homine, tum à iure contrahuntur, suntque censuræ Ecclesiasticæ semper propter peccatum inflictæ: at irregularitas non est censura, nec inter eas computatur, vt habetur cap. quærenti. de verbor. signifi. & sæpe sine peccato contrahitur.

sem-

semper autem à iure, nunquam ab homine est. Ecce quid sit irregularitas.

Quantum autem ad eius diuisionem, varie quidem Doct. diuidunt, tamen communior, & verior diuisio, quam antiqui secuti sunt, ea est, si diuidamus in duas; Vnam, quæ procedit ex defectu; Alteram quæ procedit ex delicto. sic diuisit Panorm. c. nisi cum pridem. de renunci. & ante eum Hosti. Innoc. in eodem c. & Specul. lib. 1. tit. de dispensat. hi enim tres præter irregularitatem generaliter sumptam, quæ omne impedimentū promotionis complectitur, quæ, vti diximus, non est ea, de qua nunc loquimur, duas alias diuidunt: Vnam ex defectu, alteram ex delicto. Est autem caute obseruandum, quæ ex defectu, quæ verò ex delicto dicatur; nam multiplex est inter eas differentias.

Primò quidem quæ nascitur ex defectu, ablato defectu sæpe tollitur: at quæ ex delicto, semper manet, etiam remisso peccato, donec dispensetur super irregularitate, vt dicit Præpos. can. miror d. 50. dixi, sæpe, quia aliqua irregularitas, quæ est ex defectu, etiam ablato defectu manet, vt inferius constabit.

Secundò, quæ est ex delicto, prohibet promotionem nondum acceptorum ordinum, & in susceptis ministerium: at quæ ex defectu, non semper in susceptis prohibet ministrare.

Tertiò, quia per Concil. Triden. sess. 24. c. 6. datur Episcopis facultas dispensandi in irregularitatibus omnibus ex occulto delicto prouenientibus, non autem ex defectu. Interest ergo multum scire, quæ sit ex delicto, quæ vero ex defectu. Illa ergo est ex delicto, quæ immediate oritur ex delicto, quādo nimirum aliquis irregularitatem contraxit propter delictum. Illa vero est ex defectu, quando contrahitur immediate propter defectum, nimirum quando homo irregularis est, quia defectum habet, quod explicatur, illegitimus irregularis est, vt paulò inferius dicemus, absque dubio irregularitas hæc procedit ex peccato parentum, nisi enim parentes fornicati essent, non oriretur proles illegitima; tamen irregularitas illegitimi non dicitur ex delicto, quia proxima, & immediata causa irregularitatis non est peccatum parentum, aliter enim essent etiam ipsi irregulares, sed est defectus prolis ipsius, quæ natiuitatem habet infectam. Ideo irregularitas hæc ex defectu est. At qui inique occidit hominem, irregularis est ex delicto, quia Eccle-

ſia eum voluit arcere ab ordine, non quia ei aliquid deſit, propter peccatum, & delictum homicidij. Quæ ergo irregularitas eſt ex delicto, naſcitur proximè, & immediatè ex delicto; quę vero ex defectu, immediatè oritur ex defectu. Sub his duobus diuiſionis membris multæ ſpecies irregularitatum comprehenduntur, ideo ſubdiuiſione opus eſt. Incipiamus ergo ab ijs, quæ ex defectu proueniunt: ſunt autem huiuſmodi multæ ad octo enim capita reducuntur, quædam ſunt ex defectu natalium, quædam ex defectu originis, quædam ex defectu liberationis, quædam ex defectu ætatis, quædam ex defectu honeſtæ famæ, quædam ex defectu corporis, quædam ex defectu animæ, quædam poſtremo ex defectu ſacramenti. Ad hunc ferè numerum eas reduxit Præpoſi. can. 1. d. 50. Singulas explicare accedamus.

Priuſquam autem earum explicationem aggrediamur, illud generaliter obſeruādum, pro omnibus irregularitatibus, non quodcumque crimen, nec quemcumque defectum inducere irregularitatem, niſi quando id in iure eſt expreſſum, nullamque namque irregularitas eſt ſtatuenda; niſi quæ in iure habetur expreſſa: quam doctrinam omnes Doctores recipiunt, propter cap. is qui. de ſen. excomm. in 6. vbi id habetur cautum. Aduertenda eſt etiam doctrina Innoc. c. ad audientiam, de homic. nempè Iudicem non debere aliquem in dubio cenſere irregularem. Panormitan. in eodem capit. dicit, hanc doctrinam communiter allegari pro notabili: ipſe tamen non reputat indiſtinctè veram, diſtinguit enim; aut agitur de irregularitate in foro contentioſo ad imponendam, aut infligendam pœnam pro irregularitate contracta; Aut agitur in foro pœnitentiæ ad iniungendam pœnitentiam in ſalutem animæ. In priori caſu cenſet veram eſſe doctrinam Innocentij in poſteriori vero non, in eo enim tutior pars ſemper eſt eligenda, etiamſi durior ſit, quia minus eſt periculum in tenendo, & iudicando eſſe irregularem. Nauar. capit. ſi quis autem de pœnitent. d. 7. numer. 35. quem ſequitur Couar. tractat. de homicidio, paulò poſt principium, diſtinctionem Panorm. reijciunt, aliamque ſupponunt dicentes, dubium poſſe eſſe duplex, aut de iure, aut de facto, de iure quidem, quando dubitatur, an talis irregularitas ſit contenta in iure, quia iura non expreſsè de ea loquuntur, in quo caſu iudex non debet cenſere aliquem irregularem, & hæc eſt deciſio c. is qui. de ſen. excom. in 6. vbi habetur, non deberi aliquem irregularem reputari,

niſi

nisi sit irregularitas iure expressa.

Alterum dubium est de facto, quando nimirum irregularitas est in re expressa, tamen dubitatur de facto alicuius, an sit tale, quod irregularitatem inducat iure expressam, quo casu dicunt, tàm in vno foro, quàm in altero debere Iudicem reputare aliquem irregularem. Exempla habemus cap. ad audientiam. de homi. verbi gratia, vulnerauit presbyter quendam de familia sua, qui conualescens à vulnere, grauiori superueniente infirmitate mortuus est. Hic erat dubium de facto, an ex illo vulnere orta fuerit infirmitas, nec ne; si enim certum esset factum, nempè ortam esse, de iure irregularitas dubia non est; Pontifex autem iudicauit, debere abstinere, & in dubijs tutius esse putare se irregularem. Rursus cap. significasti. 2. de homic. quidam presbyter percussit latronem fossorio quodam, alij superuenientes occiderunt, ignorabatur factum an illius presbyteri vulnus lethale esset nec ne; si enim esset, contraheret irregularitatem; si vero non esset, nullatenus. In dubio igitur facto, Pontifex decernit esse reputandum irregularem; minus enim periculum est abstinere, etiam si non sit irregularis, quã celebrare, si irregularitatem contraxit; hinc est, vt in dubio facti debeat vnusquisque apud se, & in foro animæ potiùs se irregularem existimare. Hæc distinctio sic à nobis exposita, & exemplis illustrata adhuc limitanda videtur, ne antiquos Doctores in toto reijciamus. In primis Innoc. & Panormit. & alij eos sequentes agebant de dubio facti: nam de dubio iuris constans, & recepta erat doctrina, neminem iudicandum irregularem, nisi vbi irregularitas iure habetur expressa. In dubio ergo facti Innoc. protulit, non debere Iudicem reputare irregularem. Panormit. vero vsus est distinctione fori contentiosi, aut fori pœnitentialis, quam distinctionem existimo non esse omninò repellendam. nam pœna duplex est, vna quæ concernit periculum animæ, qualis est prohibitio, ne celebret presbyter irregularis, aut promoueatur, si nondũ est promotus: Altera est, quæ non concernit periculum animæ, qualis est priuatio beneficiorum obtentorum; hæc enim non concernit periculum animæ; nam irregularis potest retinere beneficia ante obtenta, donec priuetur; & si non priuatur, non est periculum animæ, quale est, si irregularis existens promoueatur, aut ordinetur sine dispensatione. Dico ergo, in foro contentioso, vbi agitur de pœna imponenda, vbi nullum est periculum animæ, esse verissimam doctrinam Innocent.

& Panorm. non enim vbi dubium est, an aliquis sit irregularis, debet priuari beneficijs; est enim contra naturalem æquitatem, vbi incertum est delictum, certam imponere pœnam: vbi agitur de pœna concernente salutem animæ, tunc debet in dubio reputari irregularis, quia si non reputetur, est periculum errandi contra salutem animæ, & de hoc casu sunt canones allegati, & est certa doctrina, putoque Panormitanum hãc pœnam concernentem salutem animæ, appellasse pœnitentiam; & forum, in quo imponitur, vocasse forum pœnitentiale, & tunc eius distinctio est legitima, & optima.

De irregularitate ex defectu natalium.

CAPVT LII.

IRregularitas ex defectu natalium comprehendit omnes illegitimè natos. hi enim promoueri nõ possunt, d. 56. can. 1. & cap 1. & vlt. de fili. presbyter. Quicumque ergo ex fornicatione, adulterio, stupro, sacrilegio, aliove illicito concubitu nati sunt, siue publici, siue occulti, irregulares sunt. dic. siue occulti, vt constat ex capit. nisi cum pridem, §. non tamen propter quamlibet. de renunci. contra Castro. libr. 2. de leg. pœn. qui contrarium tenuit, opponens se communi opinioni. Denique omnis illegitimus est irregularis. Esse autem hanc irregularitatem ex defectu, affirmant Hosti. Innoc. Panorm. c. nisi cum pridem, de renunc. & est communis sententia, & deducitur ex cap. accedens. de purg. canon. & cap. vlt. de fil. presb. in 6. vbi Gloss. inquit, non promouentur illegitimi, tum propter dignitatem ordinis, tum propter detestationem criminis paterni, tum etiam propter periculum incontinentiæ ex imitatione paterna, tum demum propter scandalum tamen non culpa, sed defectus est. Hæc gloss. & textus ibi. appellat defectum natalium, quamuis Gemin. can. presbyterorum d. 16. affirmet eam esse ex delicto; distinguit enim, vnam irregularitatem ex delicto proprio, alteram ex delicto alterius idem Hosti. c. 2. de apostata. Hæc tamen distinctio in hoc non est probanda: principium enim proximum est considerãdum ad irregularitatem iudicandam, an sit ex delicto, an ex defectu alias cui manus abscissa est per iniquitatem alterius, esset irregularis ex delicto, quod nemo concederet. præterea si illegi-

timi irregularitas est ex delicto, esset irregularis etiam, qui delictum commisit, quod verum non est.

Aduerte autem, posse esse aliquem illegitimum, etiamsi ex parentibus verè coniugatis natus sit. Casus est in cap. litteras. de fili. presbyt. si enim coniugatus fiat sacerdos viuente vxore, de eius consensu, etiam ipsa faciente votum continentiæ, si postea maritus accedat ei, proles nata censetur illegitima, & irregularis, quamuis verum fuerit matrimonium, quia ex sacrilego concubitu natus est. Potest econtra fieri, vt aliqui nascantur ex matrimonio non vero, & aliquando ex manifesta fornicatione, & tamen legitimi reputentur, nec sint irregulares. Sunt duo huius rei casus, vnus est, quando aliquis nascitur ex soluto, & soluta, qui fornicariè se cognouerunt, tamen postea verum contrahunt matrimonium, tum, qui nati sunt de fornicatione, per subsequens matrimonium habentur pro legitimis, cap. tanta. qui fil. sint legit. huiusmodi non sunt irregulares, sed habiles ad quoscumq; honores, & dignitates, etiã Episcopatum, vt habet ibi Panorm. num. 7. & ibidem Gloss. & gloss c. innotuit. de elect. Alter casus est in c. cum inter. qui fil. sint legit. quando aliqui in facie Ecclesiæ contraxerunt, & postea lis mota est super inualiditatem matrimonij, etiamsi per sententiam separati sint, & inualidum declaratum matrimonium; filij tamen, quia ante sententiam nati, aut concepti sunt censentur legitimi. vbi notat Panor. etiam eos censeri legitimos, qui lite contestata concepti sunt, dummodò ante sententiam diuortij concepti, aut nati fuerint; & rursus, dummodò sit bona fides vtriusq; aut alterius tantũ, vt constat ex cap. ex tenore. qui fil. sint, legit. si quis enim viuente vxore mala fide contrahit cum altera ignorante, filij censentur legitimi. Extra hos casus, qui nati sunt non ex matrimonio, sunt illegitimi, & irregulares, Dubitatio est de expositis, quorum natales ignorantur, Felyn. c. deputati. de iudi. & Anan. cap. 1. de infant. dicunt admitti ad ordines, & præsumi eos legitimos. Sed non video qua ratione id stabiliatur, cum in dubijs debeamus potius reputare eos irregulares. Est autem maximè dubium, immò & probabile, ex illegitimo natos esse concubitu; hi enim frequentius exponuntur. Tutius ergo puto eos affirmare irregulares, sicut & cæteros illegitimos,

Quantum ad dispensationem attinet in huiusmodi irregularitate, Episcopus dispensare potest ad minores ordines, & vnum simplex beneficium, c. 1. de fil presb. in 6. ad maiores verò

& ad beneficium curatum solus Papa, vt habetur in cod. c. etiam ad dignitates, & personatus dispensat Episcopus, sed solus Papa, cap. nimis, de fili. presbyt. Per Religionis autem ingressum, & professionem tollitur irregularitas, possunt promoueri ad omnes etiam sacros ordines, non tamen ad prælationes, vt habetur cap. 1. de fil. presbyt. Hæc est irregularitas ex defectu natalium.

De irregularitate ex defectu originis.

CAPVT LIII.

IRregularitas ex defectu originis prouenit ex seruitute, seruiui enim ordinari non debent d. 54. per totam, & extra de seruis non ordin. Hæc autem materia sequentibus dictis explicatur.

Primò, qui nascitur ex matre libera, etiamsi pater seruus sit, non est irregularis, nec repellitur à promotione, quia seruus non est, c. dilectus, de seru non ordin.

Secundò, seruus factus prius liber, & à seruitute omninò liberatus, promoueri potest, can. nulli. d. 54. & cap. 1. de seru. non ordin.

Tertiò, ante obtentam libertatem, & plenam manumissionem non debet ordinari, capit. nulli. d. 54. & capi. 1. de seru. non ordin. & Gloss. capit. 2. de seru. non ordin. & can. ex antiquis, d. 54.

Quartò, si seruus ante libertatem obtentam, sciente domino, & non contradicente, ordinatur, efficitur statim liber, can. si seruus, 2. d. 54. peccat tamen, tàm Episcopus, qui promouet, quàm seruus, qui promouetur, quia contra Canones agit, cum prius libertas esset obtinenda.

Quintò, si sciente domino, & contradicente, siue etiam ipso domino ignorante promouetur in sacerdotē, statim fit liber, cap. per venerabilem, qui fili. sint legit. Aliqui affirmarunt, si contradicente domino fit sacerdos, reuocari deberet seruitutem, & deponi, vt referunt gloss. capit. 2. de seru. non ordin. & Gloss. can. ex antiquis dist. 54. tamen verius est, sacerdotem ordinatum fieri semper liberum, vt ex dicto cap. per venerabilem, constat, & tenet Hugo citatus à Gloss. & Turrecr. can. frequens d, 54. est tamen distinctio facienda: domino contradicente, vel ignorante, aut Episcopus, siue præsentatore

sciebat esse seruum, aut non, si sciebat, tunc duplum restituet domino, nempè duos seruos, aut pretium; si solus Episcopus sciebat, solus ipse duplum restituet; si vero vterque nempè Episcopus. & Præsentator, tunc vterque simul restituet duplū, ita vt partem vnus, partem alter reddat, seruus verò manebit liber, can. si seruus, 1. d. 54. idem de testimonio dicitur, qui falsum testificatus est, peccat etiam mortaliter, qui sciens ordinauit secundum Hugo. relatum à Turrecr. can. si seruus, citato: non tamen committit furtum secundùm eosdem, quia non fecit commodo proprio, vt sibi seruum retineret, quod si etiam Episcopus, & cæteri ignorarunt, tunc autem non habēt vnde restituant domino duplum, tunc seruus ordinatus presbyter reddet domino peculium, & manebit liber, can. ex antiquis d. 54. quod si adhuc non habet peculium, manebit liber, & seruiet domino in diuinis, & spiritualibus officijs, aut honestis conuenientibus sacerdoti, can. frequens d. 54. quod si in hoc contumax fuerit, degradabitur, & seruiet domino, secundum Anton. 3 p. tit. 28. cap. 6. §. 6. qui allegat Innoc. Raym. & Gofred. Hæc de seruo promoto in sacerdotem.

Sextò, si domino ignorante, aut sciente, & contradicente seruus ordinatus fuerit in minoribus, tunc, si Episcopus, præsentator, aut testis sciunt, reddent domino duplum, & seruus manebit liber, & ministrabit sicut & sacerdos, can. si seruus 1. d. 54. quod si ipsis ignorantibus, tunc seruus ordinatus deponetur, & reuocatus in seruitutem reddetur domino, can. ex antiquis d. 54. & can. nulli. ead. d. & cap. 2. de seru. non ordin.

Septimò, si sciente domino, & contradicente, aut si ignorante ordinatus fuerit in diaconū, tunc si Episcopus, præsentator, aut testis sciebant, reddent duplum domino, vt dictum est in alijs, & manebit liber seruus; quod si ignorauerint omnes, qui ordinatus est in Diaconum, reddet domino vicarium, id est alterum seruum loco sui, can. ex antiquis d. 54. & manebit liber, Gloss. ibi, siue vicarium, siue pretium reddat; quod si non habet, reuocatur in seruitutem, & reddetur domino. Est ergo differentia; nam ordinatus in minoribus, statim in seruitutem reuocatur: Diacono verò conceditur, vt reddat vicarium, aliter reuocatur in seruitutem, & deponitur: at promotus in sacerdotium semper manet liber, & ministrat in ordine, debito tamen peculio, vel exiguo, aut si non habet seruiat in honestis, nempè fiat Capellanus domini, aut alia

faciat,

faciat, quæ decent sacerdotem. Quod de Diacono decre-
est, idem de Subdiacono faciendum declaratum est, cap.
ramur. de seru. non ordin.

Octauò, quando ignorante Domino seruus ordi-
Dominus intra annum potest repetere, quo transacta ci-
citur liber; loquor in casibus, in quibus seruus non libe-
per promotionem: nam presbyter factus; statim liber es-
tur; in cæteris omnibus, quando non fit liber, aut quan-
netur reddere Vicarium si presbyter est peculium, aut si
pus scit, tenetur reddere duplum. Denique; in omni casu,
Dominus potest aliquid repetere pro seruo, datur tempo-
ni vnius ad repetitionem, quo peracto seruus fit omni-
ber. Si verò fiat Monachus sine ordine, datur triennium
petendum, quo perfecto liber est. Hæc habentur cap. si serv
2. d. 54.

Nonò, seruus promotus maioribus ordinibus in casibus
quibus restituitur domino effectus seruus, non potest con-
here, sed manet obligatus voto, quod potuit domino
inuito facere. ita dicit Turrecre. secundum Hugo. can. nu
54. & ibi gl. & Anto. 3. par. tit. 28. c. 6. §. 6. Si autem in minori
est, potest contrahere.

Decimò, restitutus & reuocatus in seruitutem non re-
bit habitum, nec tonsuram, quia in statu serui est, nec digna-
ti Ecclesiasticæ id conuenit. quamuis Turrecr. can. nulli
dicat, quod arbitrio domini portabit habitum, tonsuram
si sine scandalo domini id fieri potuerit. Ego credo, quod
trum portare debet, etiam volente domino, nisi liberum
faciat propter causam dictam.

Postremò, in eo casu, quo seruus efficitur, secundum Gl.
can. nulli, d. 54. & Anton. loco citato, non perdit priuilegia
clericale, can. si quis suadente 17. q. 4. At Turrecr. cod. can. nu.
distinguit; respectu enim domini sui dicit carere priuilegio
lo; non enim factum est vllum præiudicium domino, sed
illi percutere vt ante: respectu vero aliorum gaudet priuilegi
& hoc tenet Hosti. in c. 2. de seru. non ordin. & hoc est ver
secundum etiam Turrecr. eodem can. perdit priuilegium fo
quod maximè confirmatur ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 6. qui
tonsuram & habitum non habet. In hac irregularitate seruitu
tis non dispensat Episcopus, sed Papa; imò punitur Episcopus
ordinans seruum, vt ex supra iam dictis satis constat.

De irregularitate ex defectu liberationis.

CAPVT LV.

PRæpositus can.1.d.50.num.12. huiusmodi irregularitatem hocappellat nomine,ideo nos eo vsi sumus. Ioa.Ana.c. magnus,de corp.vitia.qui, inquit,alteri est obligatus, etiamsi non sit seruus,non est liber ; est enim quædam species seruitutis ; ideo post irregularitatem originis merito hæc sequitur,quia proximè ei accedit.Duo autem hominum genera hanc irregularitatem contrahunt,nempè curiales, & obligati ad ratiocinia,de quibus fit mentio can.præterea, d.51.Curiales dicuntur,qui curiæ officio tenentur, vt iudices,aduocati forēses, notarij, milites,& similes ministri.Hi,vt notat Prępo.eod.can.allegato , si perpetuò sunt obligati, perpetuò repelluntur à promotione ; si verò non, tunc depositio officio, liberatique ab onere ordinari possunt , nisi in duobus casibus, quos notat Glos.can.ecce.d,51. nempè quando homicidio,aut mutilationi se im miscuerunt; tunc enim irregulares sunt, etiam depositio officio, qua de causa,nec miles ordinari potest, etiam deposita militia,nimirum si occidit, aut mutilauit. Secus verò potest,vt dicit eadem Gloss.can.si quis. eadem d. Alter casus est, quando officium infame exercuerunt, quales histriones,& alij vile ministerium exercentes apud curiā , nempè sarcellites,aut carnifices,vel similes. In his duobus casibus, etiam depositio officio manent irregulares,indigentq; dispensatione.Cæteros verò curiales Ecclesia repellit ante liberationem ab officijs,tùm ne patiatur molestias, dum à curia repetuntur,vt dicitur can.designata.d.51.tùm quia hi , non affectu Religionis,sed vt ratiocinia officiorum fugiant , videntur ad Ecclesiam se transferre,can.curiales d.53.

Sunt alij publicis ratiocinijs obligati, vt tutores, curatores, procuratores,aliasve administrationes publicas , aut priuatarum personarum habentes,ob quas tenentur reddere rationē, & hi dicuntur propriè obligati ad ratiocinia , de quibus est titulus in decr.de obligatis ad ratiocinia. vbi Gloss.communiter receptæ hæc,quæ sequuntur adnotat.

Primò,obligatus personæ miserabili, etiam non depositio onere ordinari potest , quia miserabilium personarum quilibet curam suscipere potest 21.q.3.can.peruenit.

Secundò, obligatus personæ Ecclesiasticę, etiam non de-
sito onere ordinatur; in hoc enim non molestatur Ecclesia,
infamatur, ꝙ ordinet personas cum detrimento aliorum,
ut infamatur si esset persona secularis, cui obligatus erat. H
dictum deducitur ex can. peruenit d. 86.

Tertiò, obligatus personæ seculari publicæ ante redditam
rationem, etiam onere deposito non ordinatur; sunt enim ra-
tiocinia publica ex administratione prius reddenda: ordinatur
tamen, si alias est debitor ratione personæ, & non ratione ad-
ministrationis; tunc enim ante redditam rationem non pro-
mouetur. C. de Episc. & Cle. l. officiales.

Quartò, si ratiocinia sunt ex administratione erga persona
priuatam, deposita administratione, & onere, etiam ante red-
ditam rationē ordinari potest, nisi lis ei ante promotionem
vel in ipsa promotione moueatur super administrationem,
nisi manifestum sit, ipsum de dolo teneri.

Quintò, si lis mota est, tunc, si de dolo est, non debet ordi-
nari ante finem litis, can. tantis d. 81. debet tamē taxari tempus
in quo causa decidatur.

Sextò, si lis mota est, non de dolo, sed de culpa, promoueri
potest non obstante reclamatione creditoris, quia lis agitari
potest, sicut prius, & coram eodem iudice, de for. compet. cap.
proposuisti.

Septimò, debitor, si prohibente creditore fuerit promotus
ad clericatum, non deponitur propter hoc, sed bona eius cre-
dent in solutum, & si non sufficiant, Episcopus tenetur, qui
abstulit debitori occasionem negotiandi, & lucrandi, vt solue-
ret; iam enim factus clericus non potest negotiari. d. 88. can. fa-
nicari. Hoc intelligo, nisi cedat bonis; cessione enim facta non
impeditur, sed potest promoueri, iuxta Gloss. can. præterea d.
51. & Præposit. ibidem. Hæc est irregularitas ex defectu libera-
tionis, super quam, sicut nec super seruitutem Episcopus dis-
pensat, vt ante liberationem promoueatur.

De irregularitate ex defectu ætatis.

CAPVT LV.

DEfectus legitimæ ætatis facit hominem irregularem,
donec ad eam perueniat, vt dicit Præpos. can. 1 d. 50. Est
autem ætas suscipiendis ordinibus legitima iure hu-

mano præscripta; primæ enim tonsuræ est septennium completum; hoc enim est tempus infantiæ, vt dicit Gloss. cap. nullus, de tempor. ordin. in 6. quo capite cauetur, ne vllus Episcopus ante hoc tẽpus vlli tonsuram primam conferat, nisi ei, qui Religionẽ fuerit ingressus, alias ipso iure à collatione primæ tonsuræ per annum erit suspensus. Post septennium, vsque ad duodecimum, reliquos minores ordines suscipiendi tempus est legitimum: acolithatus vero nonnisi completo duodecimo suscipi potest, can. in singulis d. 77. maiorum ordinum autem tempus legitimum iure antiquo d. 77. & 78. fuit stabilitũ; postea verò limitatum per Clemen. Generalem de ætate; & qualit. Subdiaconatus in decimo octauo anno suscipitur, diaconatus in vigesimo, presbyteratus verò in vigesimo quinto: hos vltimos annos intellige non quidem completos, sed incepros. Hæc ætas legitima sacrorum ordinum est iam correcta per Concil. Triden. sess. 23. cap. 12. vt nemo ad subdiaconatum promoueatur ante vigesimum secundum: ad Diaconatum verò ante vigesimum tertium; ad Presbyteratum ante vigesimum quintum, intellige etiam inceptos. Ad Episcopatum verò iure communi deber esse completus trigesimus cap. cum in cunctis. de elect. in 6. qui ante hanc legitimam ætatem ordines nõ dispensatus, suscipit, ordinem, & characterem recipit, sed non executionem, sed suspensus est. Si est ordo sacer vsque ad legitimam ætatem, qua superueniente cessat suspensio, cap. non est compos. de tempor ordin. estque talis suspensio ipso iure; nam can. vtitur verbo præsentis temporis, suspendimus, quamuis Turrecr. d. 77. placuit, sequens Turrecr. dicat esse suspendendum. huic antiquo iure successit extrauagans cum ex sacrorum. Pij II. qua omnes, qui sacrum aliquem ordinem ante legitimam ætatem præsumunt accipere, ipso iure suspendit, vt si illum exerceant, fiant irregulares, nec possunt etiam superueniente ætate exercere ante absolutionem à suspensione. Hæc tamen extrauagans comprehendit præsumentes accipere, non autem eos, qui ignoranter acceperunt. In defectu ætatis solus Papa dispensat, non Episcopus, vt colligitur ex cap. nullus, de tempor. ordin. in 4. & docet gloss. Clem. Generalem: de ætat. & qualit. immò, si sacrum ordinem confert ante legitimam ætatem, Episcopus à collatione ordinum est suspendẽdus, cap. vt non est compo. de temp. ordin. vbi Anton. Burr. notat non esse ipso iure Episcopum suspensum, sed suspendendum.

Est autem aduertendum, hanc ætatem non esse necessa
necessitati sacramenti, sed necessitate præcepti Eccleſiasti
est, si conferretur ordo extra ætatem legitimam etiam an
sum rationis, ordo teneret, & character imprimeretur; ra
qui ordinaret sine dispensatione, peccaret, ordinatusque e
cutionem non haberet ante legitimam ætatem Ordine
etiam maiores, etiam presbyterarum posse conferri infan
nondum vsum rationis habentibus, est communis doctri
Theologorum, & Canonistarum. inter Theologos sati
mant. S. Tho. 4. sen. d. 25. Bonau. ibidem, art. 2. q. 2. Ricar. ibi
art. 4. q. 2. inter Canonistas vero Glos. c. suæ litteræ, de cler
sal. prom. imò ex eodem c. colligitur; subdiaconatus enim
te vsum rationis receptus non repetitur; idem Gloss. can. pu
1. q. 1. & ibidem Archid. & Præpos. cum alijs, quamuis non
sint qui contrarium sentiant, illud tamen est verius. De
copatu est maior controuersia: Archi. enim can. subdiacon
d. 77. tenet etiam in cunis posse conferri Episcopatum, quem
ad ordinem S. Tho. verò, & Bonau. locis citatis tenent con
rium, quos sequitur Turrecr. eodem can. subdiaconus. Præ
situs verò ibidē citat S. Tho. & Bonau. & tamen tenet cū Arch
quia, inquit, eadē est ratio Episcopatus, & presbyteratus, cum
vterq; sit ordo, & imprimat characterem, quod puto esse pro
babilius: esset tamen magnum scandalum, & graue peccatum
ante vsum rationis hos ordines, non dico Episcopatum, s
etiam inferiores conferre infantibus absque aliqua grauis
ma. & vrgentissima causa.

Est autem controuersia inter Doctores, an qui ante annu
discretionis suscipit maiores ordines, adultus factus teneatur
continentiæ votum seruare, & quidem, si ante vsum ratio
suscepit ordines, non tenetur voto, vt dicunt Gloss. 1. q. 1. c.
pueri. & ibi Præpo, & inter Theologos Palu. 4. sent. d. 25. q.
Sotus eadem d. q. 1. art. 2. limitat Archid. can. pueri. allegato,
si factus adultus velit in ordine remanere, & ministrare
priuilegio vti clericali; tunc enim tenebitur continere, &
verum est, quod si ante annos quidem discretionis, nimirum
septennium suscepit ordines, & tunc erat doli capax, Gloss.
de Cleri per sal. prom. affirmat teneri voto, si tunc non co
tradixit; si autem cōtradixit, est iam coactus, & ordo nō tene
at Hostie. & Innocent. cap. vt non est compos. de temp. ord.
tenent tempus contradictionis, siue ante vsum rationis, s
post sit ordo susceptus, durare vsque ad annos pubertatis co

plen

pletos, nimirum quatuordecim, post quos, si statim contradicat, voto non tenetur. Anton. Butri. eodem c. exponit hoc (statim) esse triduum, quod intelligo in foro exteriori; nam in interiori puto obligari, si, cum primum nouit obligationem voti, eam habuit ratam: nam ante annos pubertatis vota emitti possunt, & obligant in conscientia, quamuis non votum solemne Religionis, quia statutum est tempus, quando hoc emitti debeat, & sic intelligo Archi. loco allegato, & Gloss. c. 1. de cler. per. sal. promo.

De irregularitate ex defectu famæ bonæ.

CAPVT LVI.

EX defectu bonæ, & honestæ apud alios opinionis, & famæ oritur etiam irregularitas; vnde infames à promotione, & ordinum exercitio repelluntur d. 33. can. laici, & d. 51. can. qui in aliquo, & 6. q. 1. can. infames. Est autem duplex infamia iuxta Glossas 3. q. 7. can. infames, §. porrò, & 2. q. 7. can. ipsi apostoli. & Doct. communiter, nempè infamia facti, & infamia iuris, atque hæc iterum duplex est, vt distinguit Archi. can. si Episcopus d. 50. legalis, & canonica. Erit ergo infamia triplex, facti, legalis, & canonica, & sic distinguit Panorm. c. dudum secundo, de elect. num. 5. Infamia facti oritur ex aliquo delicto graui, & notorio, propter quod delinquens apud graues & bonos viros malè audit, eiusq; mala opinio cōcepta est. Infamia iuris est, quę incurritur in casibus, in quib⁹ ius, siue ciuile, siue canonicum infamiæ pœnā irrogat: sunt autem multi huiusmodi casus, de quibus agitur in iure ciuili, ff. de his, qui infam. notant. iure autem canonico 6. q. 1. can. infames; aliquando enim propter crimen, aliquando propter factum, seu officium minus honestum iuris infamia contrahitur, sic sacrilegi, vsurarij publici, duas vxores de facto habentes, qui pugnant publicè cum feris, qui ludos periculosos exercent, histriones, & qui scenis ex officio intersunt, & alij multi censentur infames iuris infamia. Est etiam iuris infamia, quæ infertur per iudicis sententiam definitiuam, qua aliquis de graui aliquo crimine damnatur, vt qui de furto, vel calumnia per sententiam damnatus est. Similiter in alijs multis, de quibus vide Glossas allegatas. Est tamen aduertendum, omnes

infames legales esse, etiam infames canonicos, non tamen contrario: nam legalis infamia extra casus iure expressos contrahitur nisi per iudicis sententiam, per quam aliquis damnatur de crimine, quod irrogat infamiam, vt notant Archidi. & Præposi. can. si Episcopus d. 50. quam doctrinam, quia controuersa est, limitat Panorm. cap. at si clerici de iudi. num. vbi dicit, quando criminaliter agitur contra aliquem, non oriri infamiam legalem ex sola confessione rei in iudicio, sed esse necessariam sententiam. At quando agitur ciuiliter per solam confessionem criminis oritur, dummodò sit spontanea confessio, & dummodò etiam sit vera, & non ficta, quia est, quando in contumacia aliquis damnatur. At infamia canonica etiam ante sententiam oritur, & forsan hoc voluerunt dicere Innoc. cap. super his, de pœnis. & Gloss. cap. at si clerici. de iudic. affirmantes, per confessionem ante sententiam oriri infamiam. Quibus autem casibus legalis infamia contrahatur, non est nostrum tractare in præsenti, hoc nobis satis, quod secundum omnes vtraque infamia tàm iuris, quàm facti repellit à promotione, & facit hominem irregularem, vt notant prædictæ Gloss. Archidi. & Præposi. can. qui in aliquo. d. 51.

Quantum autem ad dispensationem super irregularitatem ortam ex infamia, aduerte, aliud esse tollere infamiam, aliud dispensare in irregularitate ex infamia; tollere enim est efficere, ne sit infamis; dispensare est auferre impedimentum ad promouendum, quod aliquando fit etiam nō ablata infamia, vt quando est infamia facti: pro cuius rei intelligentia sunt aliqua aduertenda.

Primò, infamia facti non potest tolli per Papam, nec per vllam potestatem terrenam. hæc est Præposi. & Gemin. 2. q. 1. can. Euphemium, vbi latè de hac materia vterque tractat: non enim potest efficere Papa, vt qui propter delictum proprium male audit, & infamatus est, apud alios bene audiat, bonamque opinionem de illo concipiant. hoc tamen potest efficere ipsemet infamis, aut per contraria facta, & bona opera, quibus conceptam malam opinionem aufert, aut per purgationem, qua se purgat de crimine obiecto. Notant autem Archidi. & Prep. c. laici d. 33. quando aliquis infamis est infamia facti, quia nimirū per modum exceptionis probatum est ei aliquod crimen, esse irregularem, & repelli à promotione, donec se purget: purgatione autem facta, quia apparet crimen non fuisse

verum

verùm, deletam esse infamiam. quod dictum probatur ex can. mennam. 2. q. 4. quando ergo infamia facti, vel per purgationem, vel per contraria facta deleta est, tunc non manet, nec impeditur a promotione, qui prius erat infamis; dum tamen manet adhuc in mentibus hominū, non tollitur, sed quātum ad effectum, nimirum irregularitatem, & impedimentum promotionis potest dispensari propter necessitatem aliquam, vt affirmant Archi. & Præposi. can. laici. allegato, etiamsi ablata non sit talis infamia: dispensat autem is, qui potest dispensare in infamia iuris.

De quo dico secundò, omnem infamiam iuris etiam ciuilis potest tollere Papa à quocumque clerico etiam à laico sibi subiecto. Hoc est Innocent. Panorm. Hostien. cap. cum te. de senten. & re iudic. Gemin. & Præposi. 2. q. 3. can. Euphemium. Vnde potest infamem iuris restituere in integrum, quando clericus est, vel laicus sibi subiectus. At de laicis non sibi subiectis.

Dico tertiò, cum prædictis Doctoribus posse Papam abolere, & tollere infamiam laici nō sibi subiecti, ordinando eum in clericum, si forte eo opus habet; non enim, vt dicit Panorm. simul stare possunt, vt sit iure infamis, & ordinetur in clericū, propterea, dum hoc facit, illud remouet.

Dico quartò, Episcopum posse tollere infamiam iuris, quę oritur ex criminibus illis, super quæ potest dispensare; vnde quia potest dispensare in adulterio, poterit etiam tollere infamiam iuris consequentem ex adulterio; similiter in furto, sacrilegio, periurio, falso testimonio, & alijs huiusmodi. Super quæ vero delicta non potest dispensare, nec poterit infamiam tollere, vt in hæresi, simonia, homicidio. Hoc dictum est Gloss. 2. q. 3. can. Euphemium §. hinc colligitur, & Glo. can. domino d. 50. & eas sequuntur Gemin. & Præposi. can. Euphemium allegato, & Panorm. cap. cum te. de sent. & re iud. vbi notat Præposi. hoc non esse tollere infamiam directè, sed indirectè, & ex sequela, dum tollit causam, nempè dispensando in delicto; solus enim Papa tollit directè infamiam iuris, & generaliter in quocumq; delicto. Idem puto dicēdum in infamia facti, quantum ad impedimentum promotionis, propter necessitatem, vti diximus. Notat autem Panorm. cap. cum te, de sent. & re iudic quod si Imperator tolleret infamiam iuris ciuilis ab aliquo, Episcopus posset dispensare cum illo, vt promoueretur, quod intellige, quando infamia orta est ex aliquo

crimine, super quod Episcopus dispensat. Dubitabit quis, an infamis sit irregularis ex delicto; infamia enim ex delicto oritur. Respondeo quod non: nam irregularitas nascitur ex delicto immediatè, sed infamia, quæ defectus dem est: ad iudicandum autem de irregularitate, an sit ex delicto, an ex defectu, considerandum est principium, vnde immediatè procedit, vt diximus in explicatione definitionis superiùs propositæ.

De irregularitate ex defectu corporis.

CAPVT LVII.

REpelluntur etiam nondum promoti à promotione, ab ordinum exercitio, qui promoti sunt defectum corporis patientes, vt constat d. 55. per multos canones, titulo de corp. vitia. & tit. de cleri. ægrotan. prouenit autem defectus multiplicitèr, aliquando ex parte membrorum, quia deficit aliquod membrum, aut quia abūdat, aut quia minus est solito, aut quia maius; aut prouenit ex indebita forma corporis, vt q. deformiter paru⁹, vel gibbosus, vel claudus, alijs modis deformis existit; aut ex inhabilitate membrorum, quia suum officium exercere non potest; aut ex complexione corporis, quia infirmitates quasdam patitur. Denique vitium corporis solet facere hominem irregularem, quando autem, & quomodo id fiat, declarandum est, suntque aliquot regulæ obseruandæ.

Prima est Anton Butri. cap. vlt. de corp. vitia. Omnis defectus corporis, siue in membro, siue in membri parte, qui infert inhabilitatem, nempè qui impedit ministerium ordinis, aut inducit notabilem deformitatem, aut generat scandalum, & abominationem, facit hominem irregularē ad promouendum, si promotus nondū est, & ad impediendū exercitiū suscepti ordinis, ad quem inhabilis est, vel quem sine deformitate, vel cum scandalo, & abominatione exercere nō potest. Sumpta est hæc regula ex capitib. nōnullis cler. ægrota. & ex titulo de corp. vitia. alijsq; canonibus d. 55. ex quibus omnium horū exempla habemus. In primis presbyter, cui à prædonibus media pars palmę manus cum duobus digitis abscissa est, propter inhabilitatem, quia cæteri digiti debiles manent ad sacrificium peragēdum, repellitur à ministerio altaris; similiter

etiam

etiam propter deformitatem; non tamen repellitur à cæteris officijs etiam sacerdotalibus, quæ potest, & ad quæ habilis est, & quæ sine deformitate, vel scandalo exercere valet, vt audire confessiones, & baptizare, cap. 2. de cler. ægro. Si tamen laicus esset, nullo modo esset promouendus; facilius enim toleratur aliquis in susceptis, quam admittatur ad susciendos, 15. qu. 1. can. vlt. Propter eãdem inhabilitatem carens manu altera repellitur, cap. exposuisti, de corp. vitia. idemque esset, si manum aridam, aut ita debilem haberet, vt officium exercere non valeret, similiter si careret pollice, aut indice: non tamen si deesset vngula pollicis, vel indicis; non enim propter hoc digitus debilis efficitur ad opus suum, cap. vlt. de corp. vitia. si tamen præter hos duos careret digito aliquo alio, cuius defectu non impediretur, quominus hostiam posset frangere, non esset irregularis, can lator. d. 55. Simili causa tremulis manibus, qui sine periculo subuersionis calicis non potest ministrare, irregularis est qui etiam ita vinum bibere abhorret, vt euomendi periculum sit. Hunc affirmat Nauar. posse promoueri ad minores, sed non est probanda eius sententia; nam longe aliud est cum ordinato, siue cum ante promotionem superuenit defectus, & cum post promotionem, vt supra diximus; si enim ante promotionē defect⁹ est, ad nullos debet promoueri, quia omnes ordines ordinantur ad sacramentum altaris, ad quos ille inhabilis est. iam verò ordinatus toleratur in susceptis, ad quos habilis est, & sine deformitate, aut scandalo potest exercere. Colligitur hoc ex cap. 2. de cler. ægro. & ibi Panorm, & est communis sententia. Eadem de causa balbus, seu blesus, qui loquelam habet impeditam, irregularis est, secus si non est impedita loquela, vt dicit Anto. Butr. cap. exposuisti. de corp. vitia. Idem dicit Ioan. de Ana. cap. eodem de eo, cui pars linguæ amputata est, sed loquelam habet, quæ duo intellige, dummodo non sit talis loquela, quæ excitet notabilem deformitatem aut abominationem; tunc enim esset irregularis. Eadem de causa cæcus vtroque oculo. aut ita debilis visus, vt literas non discernat etiam cum ocularibus, irregularis est, quia inhabilis ad officium altaris, vbi legenda sunt multa. Hi omnes repelluntur propter inhabilitatem, & impotentiam ad ministeriũ. Alij etiam propter deformitatem notabilem repelluntur, & irregulares sunt hac de causa, cap. cum de tua. de corp. vitia. repellitur habens maculam in oculo, quæ notabilẽ facit deformitatem; propter eandem deformitatem, si oculus est alicui

extractus, repellitur, can. si Euangelia, d. 55. & ex stilo curiæ oculus læuus, qui dicitur oculus canonis, est visiua potentia priuatus, quia deforme esset totum caput conuertere ad latus dum, Qui etiam careret naso toto, vel parte cum notabili deformitate, vel vulnus deforme haberet in facie. Qui etiam careret pede, nec posset sine ligneo pede ambulare, vt dicit Anton. Burr. cap. vlt. de corp. vitia. addens cum Religioso posse dispensari, quia propter vestes longas latet, & eadem de causa posset dispensare cum clerico laico, qui etiam habet vestes longas, tamen vterque est irregularis. Eadem de causa claudus qui sine baculo ambulare non potest, irregularis est, secus si cum baculo posset altari accedere, vt dicit Panorm. cap. 2. de cleric. grot. quod non credo verum, nisi quando non est deformitas notabilis, quæ esse potest etiam sine baculo. Idem dicendum de gibboso notabiliter, & de eo qui oculos haberet nimium retractos, aut inæquales cum notabili deformitate, vt dicit Anchar. cap. 2 de corp. vitia. Idem si haberet deformem nasum, aut propter magnitudinem, aut propter nimiam paruitatem. Aut si haberet digitos multum inæquales cum notabili deformitate, idem si sex digitos haberet in manu cum notabili deformitate; secus non esset irregularis, nisi impeditum esset officium digitorum, qui necessarij sunt in ministerio altaris, vt dicunt Anton. Butr. & Anchar. cap. 2. de corp. vitia. Similiter Archidi. & Præpo. can. qui in aliquo, d. 51. Denique vbi est vitio corporis notabilis deformitas apparens, inducitur irregularitas. Propter scandalum, & abominationem repellitur leprosus à ministerio altaris, & si est rector Ecclesiæ, detur ei coadiutor, cap. 3. & 4. de corp. viti. & si est laicus, non promouetur durante defectu; excitat enim scandalum & abominationem populi lepra. Repelluntur etiam alij propter scandalum, nempe energumeni, patientes morbum caducum: sed quia hi ad defectum animæ potius reducuntur, suo loco de eis tractabimus. Est ergo proposita regula ante oculos habenda, vbi vitium corporis inducit inhabilitatem, seu debilitatem, deformitatem, vel scandalum, inducere irregularitatem, siue à promotione, siue ab exercitio, dum durat.

Ex hac regula sequitur secunda, quanda vitia huiusmodi sunt occulta, quia non est deformitas, nec scandalum, nec debilitas, nulla inducitur irregularitas; vnde qui in pede careret pollice, aut digitos haberet, deformes, quia latet hoc vitium, nec adfert inhabilitatem, non est irregularis, nec etiam cui vi-

rilia desunt, siue quia in cunabulis sectus est, cap. 3. de corp. vitia. siue quia ob infirmitatem à medicis abscissa sunt, cap. 5. eodem tit. & can. si quis per ægritudinem, d. 55. etiamsi ipsemet sibi ea propter ægritudinem absciderit, vt dicit Innoc. cap. significauit, de corp. vitia, siue quia sic natus est, vel in persecutione cæsa ei sunt, can. Eunuchus d. 55. Omnes hi non sunt irregulares, quia nulla exterior deformitas. nulla inhabilitas ad altaris ministerium, nullum est scandalum; secus si ex culpa propria talia prouenirent, vt paulò post in vltima regula dicemus. Nec opus est eum, cui virilia abscissa sunt, secum in puluerem redacta, aut sicca portare, vt vulgares putant, quod notant Gloss. can. Eunuchus d. 55. & Anchar. cap. 3. de corp. vitia ex Ioan. Andr.

Tertia regula, iudicium inhabilitatis, deformitatis, scandali inducentis irregularitatem, pertinet ad Episcopum, quando dubium accidit, ita habet Innocen. cap. 1. de corp. vitia. Aut ad iudicem cui committitur, aut ad promotorem, vt dicunt Anton. & Anchar. cap. 2. de corp. vitia, non quod Episcopus, aut iudex dispensare possit, quando vitium tale iudicatur, quod aut inhabilitatem, aut deformitatem notabilem, aut scandalū inducat, sed quod illis committitur, vt iudicent, & declarent, an tale sit vitium, quod facit hominem irregularem. Hoc quidem iudicium ad Episcopum pertinere deducitur ex c. 2 de corp. vitia.

Quarta regula, super huiusmod irregularitatem prouenientem ex vitio, & defectu corporis solus Papa dispensat, ita habet Innocen. cap. 1. de corp. vitia, & cap. cum æterni. de re iudi. in 6. Anchar. cap. significauit, de corp. vitia, & Præposi. can. non confidat d. 50. & ibidem Archid. Est autem obseruandum, irregularitatem ex huiusmodi defectu & vitio, eo ablato absque alia dispensatione tolli, vt notat Præpo. can. ex præmissis d. 50. nu. 9. Præterea huiusmodi defectum & vitium non facit promotum irregularem in susceptis, nisi ad exercitium eorum ad quos est inhabilis propter defectum, vel in quibus exercendis scandalum, aut deformitas esset. Nec est incapax iam promotus beneficiorum, quæ non exigunt administrationem ordinis, ad cuius exercitium est irregularis, quibus de causis Innocen. & Panorm. cap. 2. de cler. ægro. dixerunt corpore vitiatum non dici irregularem: nam ministrat in ordine, etiamsi non celebret. Ana. ibi dicit esse irregularem impropriè; tamen re vera est irregularis, etsi non est promotus, ad nullos

ordi-

ordines promoueri potest, quamuis non sit tanta irregularitas, quanta ea, quæ est in alijs defectibus, aut in delictis.

Vnum supereſt dubium de Hermaphrodito, qui vtroque sexu pollet, an sit irregularis censendus: de quo sic est distinguendum. Aut enim viget magis fœmineus sexus, & tunc non potest ordinari, Gloss. can. si testes, §. Hermaphroditus 4. qu. 3. excluditurque à testimonio ferendo in casibus, in quibus excluditur fœmina, nec est susceptiuus characteris, sicut nec fœmina, secundum Anton. 3. p. tit. 28. cap. 6. § 5. Silvest. & Tabien. ver. Hermaphroditus. Aut est parilitas in vtroque sexu, & tunc quantum ad ordines pro fœmina reputatur; vt dicit Praepos. can. si testes 3. q. 4. §. eodem, vbi allegat Hugo. & Cardin. idemque sentit ibidem Turrecrem. & secundum Anton. Silu. & Tabien. locis citatis nō est susceptiuus characteris, quamuis Praepos. dicat, propter dubium, an sit fœmina vel mas, non debere ordinari. Aut viget magis sexus virilis, & tunc non repellitur à testimonio, & est susceptiuus characteris iuxta communem sententiam. Anton. verò & Silu. negant promoueri posse, sed esse irregularem affirmant propter monstrositatem. can. illiteratos, d. 36. & can. vlt. d. 49. At Turrecre. loco citato secundum Hugo. tenet promoueri posse, nec esse irregularem, quod mihi probabile videtur: est enim regula illa obseruanda. Vbi vitium est citra culpam, non inducere irregularitatem, nisi vbi inhabilitas est ad altaris ministerium, aut deformitas, aut scandalum, quorum nihil est in Hermaphrodito hoc, in quo viget sexus virilis; monstrositas enim non obest: nam qui naturaliter esset Eunuchus, & qui tres digitos haberet in pede, aut aliquod vitium latens, haberet monstrositatē, tamen non esset irregularis. Fateor, quando vitium esset notorium, non esset promouendus, propter scandalū populi, vt dicit Archid. 17. q. 1 can diaconissam. qui censet propter scandalum populi non esse Hermaphroditum promouendum, in quo virilis sexus magis viget, quāuis ad alia virilia officia admittatur. Hoc tamen in occulto non procedit.

Vltima regula, abscissio membri, quæ ex culpa propria est, inducit irregularitatem etiam in eo casu, quando defectus solus, si ex culpa non esset, non inferret irregularitatem; vnde qui sibi virilia amputauit, aut se castrauit, etiā zelo castitatis, etiam si occulte fecerit, irregularis est, can. si quis absciderit. d. 55. & cap. significauit de corp. vitia. nec dispensare cum eo po-

test

test Episcopus. sed si Presbyter est, dispensat tantum ad Sacerdotis officia, præter altaris ministerium, vt habetur in eodem cap. Similiter qui partem digiti sibi ex ira, aut indignatione amputauit, est irregularis. d. 55. can. qui partem, etiam si sit talis digitus, cuius defectus, nisi culpa esset, non faceret irregularē. Anan. cap. 1. de corp. vitia, dicit appellatione partis dimidiam intelligi, secundum Lapum; sed puto, etiamsi minor esset, adhuc induci irregularitatem, idemque sentiendum. etiam si sit membrum occultum, vt si abscindat digitum pedis aut partem, quæ alias non faceret irregularem, si non esset vitium ex culpa. Non autem esset irregularis, qui habens sex digitos, superfluum sibi abscindit, aut abscindi facit. non ex indignatione, sed deformitatis vitandæ causa, liceretque id facere, vt dicunt Gemini. & Præpo. can. qui partem, d. 55. quod etiam insinuauit Innocen. cap. significauit de corp. vitia. vt enim superflua corporis ex honesta causa licet amputare citra periculum, vt tumores, verrucas & alia huiusmodi, ita & digitum superfluum, nec esset irregularis, qui se etiam ex indignatione vulneraret, aut dētem extraheret, vt dicit Hostien. c. 1. de corp. vitia. quia hoc non est membrum, aut partem membri abscindere. Hæc irregularitas, quando vitium ex culpa prouenit, vti dictum est, non ad defectum pertinet, sed ad eam, quæ est ex delicto, nisi scilicet talis abscissa sit pars, quæ etiam sine culpa faceret irregularem, iuxta prædicta in priori parte; tunc enim huiusmodi homo esset dupliciter irregularis, & ex defectu, & ex delicto, vt si sibi nasum amputaret, vel oculum extraheret, vel partem pollicis cæderet, ita vt inhabilis esset digitus ad officium altaris.

Est autem hoc loco notandum. hanc irregularitatem, quæ est ex abscissione sui, non incurri, nisi quando notorium est se ipsum abscidisse secundum Anton. cap 3. de corp. vitia. qui sequitur Host. Idem tenet Anchara. cap. 5. de corp. vitia. & Gonsal. cap. 2. eodem tit. dicit esse communem opinionem: loquitur autem, quando talis abscissio non inducit inhabilitatem, deformitatem, aut scandalum. At ista opinio nunquam mihi placuit, sed existimo, qui se ipsum abscidit, siue partem membri, aut digiti secando, siue se ipsum ex ira castrando, quamuis occultum sit crimen, esse irregularem; non enim propter criminis notorietatem irregularitas illa est, sed sicut irregularitas homicidij, & mutilationis alterius propter qualitatem criminis, quia vita priuat partem sui corporis; ideo quamuis sit

occul-

occultum, inducit irregularitatem; vnde can. si quis abscidit 55. qui se abscidit homicida sui appellatur, æquipararunt eum canones, quantum ad irregularitatem, mutilatorem alterius qui membrum alterius abscidit; mutilatorem verò sui eum qui, licet non totum membrum, partem tamen abscidit, quæ grauissimum est, & contra naturam in se manus conuertere ideo quãuis, qui partẽ abscidit alteri, nõ sit irregularis, nisi totum abscindit membrum, qui tamen sibi partem abscindit, irregularis est. Percussor autem sui citra abscissionem irregularis non est, quia vita non priuat membrum, nec partem aliquam sui corporis. Sui ergo mutilator, etiam occultus est irregularis, sicut & mutilator alterius. Est autem irregularitas ex delicto, vti diximus, sicut illius, qui mutilat alterum. Irregularitas verò, quæ consurgit ex notorietate criminis, communis est multis criminibus, etiamsi non sit abscissio vllamanu consurgit ex adulterio, & ex sui graui percussione, & ex alijs multis. At hæc, quæ est ex sui abscissione, est ex criminis qualitate, & ideo etiam occulta inducit irregularitatem. Quod si quis alius defectus pateretur ex culpa, ni mirum lepram, aut claudicationem, aut alia, quæ per se faceret irregularitatem, non alter irregularis esset, quã si ex culpa non esset; si tamen crimen esset notorium, tunc notorietas criminis faceret irregularem: in abscissione autem est particulare, quod diximus propter causam assignatam.

Quidam extendunt irregularitatem ad causam, quando culpa eius abscissio facta est, etiamsi ipse non se abscideret: vnde Hostien. cap. 1. de æta. & quali. & cap. ex parte. 1. de corp. vitia. dicit, quando aliquis comprehensus est in adulterio, & ei à marito adulteræ abscinduntur virilia, esse irregularem, quod videtur probari ex cap. 1. de corp. vitia. vbi presbyter acceptans duellum sponte oblatum, & partem digiti amittens censetur irregularis; hoc tamen non puto verum, sed quando notorium est crimen; & tunc non propter abscissionem, vt isti putant, sed propter adulterium notorium, aut propter duellandi peccatum, & hoc illud cap. 1. allegatum significat.

De irregularitate ex defectu animæ.

CAPVT LVIII.

DEfectus animæ irregularem facit hominem, non quicumque, sed qui iure expressus est. Est autem hoc in loco considerandum, quosdam inconsiderate Hæreticos & infideles non baptizatos, inter irregulares ex defectu adnumerasse, quod verum non est: nam non baptizati, irregulares dicendi non sunt, cui non sint capaces ordinis: Hæretici verò sunt ex delicto irregulares. In primis igitur, irregulares ex defectu animæ sunt dæmoniaci, insani, lunatici, morbo caduco affecti. hos enim coniungo, quia eadem fere est ratio omniũ, & in canonibus coniungi solent, quos non pono inter irregulares ex defectu corporis, vt fecerunt Anton. 3. p. titulo 28. cap. 5. & Nau. in sum. cap. 27. num. 203. quamuis enim aliquo modo id dici posset, tamen Gelasius inter perculsos mente, amæque vitium passos adnumerauit, d. 33 can. vsquequo & ibi Gloss. Hæc igitur prima irregularitas ex defectu animæ sequẽtibus dictis explicatur.

Primò vexati a Dæmone, qui energumeni, & arreptitij dicuntur, si nondum sunt promoti, nunquam sunt promouendi, etiamsi vel semel vexati fuerint, & postea in totum liberati. hoc habetur can. maritum, & can. clerici, d. 33. Gloss. autem, can. communiter. eadem d. affirmat hoc dictum esse sine contradictione.

Secundò huiusmodi à Dæmone vexati, & nondum promoti, non solum nunquam sunt ad maiores ordines promouendi, sed nec ad minores, hoc est contra Gloss. can. clerici, d. 33. & contra Archidi. ibidem, contra quos sentiunt Gemin. Præpos. & Turrecre. eodem can. clerici. quorum opinio probabilior, & canoni conformior est.

Tertiò, si huiusmodi vexati à Dæmone erant promoti in minoribus, quando arrepti sunt, etiam sani & liberi ad maiores nunquam ascendunt, hoc est, quod statuitur can. clerici. d. 33. vt Doct. allegati rectè dicunt, & Gloss. etiam confirmat.

Quartò, si iam promoti erant in maioribus, quando arrepti sunt, si omnino sunt liberati, post tempus certum probationis ministrare possunt in altaris ministerio, secus si non omnino aut nec in toto liberati sunt, hoc habetur can. communiter, d. 33. iuxta intellectum Gloss. Hugo. Gemin. & Præpo. & Archidi.

quid

quidquid alij aliter sentiant. Probatio autem est per spa vnius anni, in quo si per discretionem Episcopi inue fuerit à vexatione Dæmonis liberatus, ministrare perm tur in altaris ministerio. hoc habetur in eodem can. com niter.

Quintò, idem sentiendum est de ijs, qui aliquando in riam conuersi insanierunt, aut sunt lunatici, id est lucida sunt interualla, aut morbo caduco laborant, dicti epilep hi enim si promoti non sunt, nunquam promouentur, maritum, d.33. hos omnes coniungit Gloss. can. com ter allegato, & est communis sententia quantum ad no promotos.

Sextò, si iam sunt promoti, non permittuntur minist dum non sunt liberati, cap. vsque quo. eadem d. Quod liberati à morbo, tunc dico.

Septimo cum Gloss. cap. communiter vel in toto libe sunt, vel non in toto, si omnino, & in toto, tunc minist possunt, sicut & vexati à Dæmone, longe enim differun promoti ab ijs, qui nondum promoti sunt, quando in fur inciderunt, hi nunquam promouentur, etiam in totum li rati; illi verò in susceptis ministrant, 15.qu.1.can. si quis ergo. Est autē idē tempus probationis, nēpe annus, nec contrarium quod habetur 7.q.2.can.nuper. vbi probatio in bo caduco datur per triginta dies, ibi tamen Gloss. respon bene, hanc triginta dierum probationem datam esse illi, quo non constabat illo laborasse morbo, immo negaba quam talem fuisse morbum passum: probatur autem per ginta dies, an id verum sit, ac si constat aliquando laborasse cognitionem liberationis à morbo certo, opus est anno, sic in à Dæmone vexato. & hæc est vera interpretatio, & conc dia canonis vtriusque, quam non rectè ponderant Turrec can. communiter, d.33. dixit in Dæmoniaco probationem vnius anni, in morbum caducum patiente, triginta dier quod tamen falsum est, cùm sit eadem omnium ratio. An etiam 3.p.tit.28.c.5. propter hos canones dixit esse tempus probationis arbitrarium: at verum est, quod diximus, & canon sic sunt conciliandi.

Octauo, quod si non est in totum liberatus à morbo ca co, tunc distinctione opus est: aut enim frequenter labora tunc non potest ministrare. 7.q.2.can. in tuis, aut raro: & si ro, vel quando corripitur, cadit cum vocis confusæ en

& spumæ iactatione;& tunc non est iam permittendus ministrare in altari;aut cadit,sed sine his prædictis accidentibus, & tunc permittitur ministrare cum coadiutore sacerdote, qui suppleat ministerium,si forte defecerit.7.q.1.can.illud.hoc dictum est Gloss.can.communiter.d.33.& est communis sententia.Delunatico, & amente, eadem est distinctio in promoto, nimirum si raro,aut frequenter laborat, & si frequenter, non debet ministrare;si raro, cum coadiutore, quando non furit, vel motus corporis difformes facit, sicut qui spumas iactat,& voces confusas edit. In dæmoniaco autem necessaria est omnimoda liberatio,vt permittatur mjnistrare, quia in eo maius est scandalum.In hac irregularitate Episcopus non dispensat, sed solus Papa.

Secundò sunt irregulares ex animæ defectu Neophiti, id est nouiter ad fidem conuersi.d.48.can.1.& 2.& can.qui in aliquo d.51.hi enim non promouentur ad maiores ordines, nisi post aliquam temporis moram,vt discant mores Ecclesiæ, & post probationem,an in suscepta fide stabiles sint arbitrio Episcopi;post verò irregulares non sunt,cap.eam te,de rescrip. Attende, Neophitos non repelli à minoribus ordinibus,sed à maioribus,vt dicunt Gemin.can prohibentur, & Archidi.Præposi & Turrecre.can.quoniam,d.48.& colligitur ex can. quicumque,d.77.quidquid dicat Silu.ver.Neophitus.Attende rursus,filios conuersorum,qui baptizati sunt in infantia,non reputari inter Neophitos,vt notat Turrecre.can.prohibentur,d, 48.sed eos,qui nouiter in ætate adulta fidem, & baptismum susceperunt.Attende rursus secundum eundem,nec esse Neophitos,qui iam à multo tempore sunt ad fidem conuersi,multum autem tempus spatium est decem annorum. In hac irregularitate solus Papa dispensat, vt existens Neophitus sacris initietur.

Tertiò,irregulares ex defectu animæ sunt illiterati. d.36. & d.51.can.qui in aliquo.& d.55.can.pœnitentes. Episcopus autem non potest dispensare cum pœnitus illiterato,qui nesciat legere, nec ad primam tonsuram, vt habetur cap.nullus,de temp.ordi.in 6.idque notant Gemin.Præposi. & Archidi. can. non confidat.d.50.Hugo autem citatus à Gemi.& Archidi. dicebat Episcopos posse dispensare cum penitus illiteratis, quia quotidie id faciunt Papa sciente & tolerante, tamen Archidi. & Gemini.id negant propter cap.nullus,allegatum : solum enim Papam id posse facere affirmant, idque maximè post

Concil. Triden. sess. 23. cap. cap. 4. vbi statuit neminem esse
ma tonsura initiandum, qui fidei rudimenta edoctus non
erit, quique legere, & scribere nesciat. Ad maiores autem
dines maior scientia necessaria est; opus est enim linguam
ttnam intelligere, qui ad Subdiaconatum, vel Diaconatum
promouendus, & adhuc maior necessaria est in Sacerdote
plici, vt saltem officij sui peritiam habeat: qui autem prima
tonsuram penitus illiterato confert, à collatione primæ
suræ per annum est ipso iure suspensus, vt habetur eod.
nullus, de temp. ordi, in 6. & in cap. cum sit ars, de ætat. &
lit. graui vltioni subiacere decernuntur Episcopi, qui ign
& rudes promouent in sacerdotes, quæ vltio grauis ad
ordinatos extenditur. defectus autem scientiæ, non solum
ordine suscipiendo remouet, sed etiam deijcit à suscepto,
cap. quamuis de æta. & quali. vbi Episcopus nesciens Gra
maticam, Episcopatu priuatur.

Quartò ad defectum animæ reduci potest irregularitas
nitentium; olim enim publicæ & solemnes iniungebantur
nitentiæ pro quibusdam criminibus enormibus, & vulgar
simis: vni autem semel in vita imponebatur, vt notat Gl
can. quamuis in d. 50. & hi dicebantur pœnitentes, & à pro
motione repellebantur, can. placuit, & can. quicumque d. 5
& can. pœnitentes, d. 55. & can. infames, 6. q. 1. Videtur autem
hoc ad defectum animæ spectare: nam vt dicit Anton. 3. p. tit.
28. cap. 6. §. 1. vna ex causis, propter quas hi repellebātur à pro
motione, erat timor, ne relaberentur, quod quidem ad anima
defectum pertinet. Cum his solus Papa dispensat vti affirmat
Archid. & Præpo. can. non confidat, d. 50. Non imponebatur
hæc solemnis pœnitentia clerico, nisi prius deposito, vt dicit
Gemi. can. si ille, d. 50. & Anton. loco citato, & sic per solem
nem pœnitentiam, etiam suscepti ordinis impediebātur ex
cutio.

De irregularitate ex defectu Sacramenti.

CAPVT LIX.

Quid bigamia, & quotuplex.

Bigamia est multiplicatio nuptiarum, qui enim pluries con
traxit, bigamus censetur, siue ter, siue quater, siue pluries

ad effectum enim irregularitatis parum refert multitudo, dummodo vnitas excedatur: ideo vno nomine omnes bigami censentur, quamuis vocabulum binas tantum nuptias significet. Est autem iuxta Glos. cap. 2. de bigam. duplex bigamia, vna vera, altera interpretatiua. Vera est, vbi re ipsa interueniūt multæ nuptiæ, nimirum quando aliquis successiue duas vxores legitimas duxit. Interpretatiua vero, vbi plures nuptiæ ex parte viri non interuenerunt, duxit viduam, siue corruptam ab alio, aut re ipsa nuptiæ non fuerunt, sed attentatæ: ius vero hos reputat tanquam bigamos. Speculat. tit. de dispensat. de irregulari. §. iuxta vnam speciem irregularitatis, quam Glos. interpretatiuam appellat, ipse vocat similitudinariam, nimirum, quando, qui votum habet solemne, de facto contrahit, etiam cum Virgine: quæ dicitur similitudinaria, quia qui votum solemne castitatis vouit, quoddam matrimonium spirituale cum Deo contraxit, vnde bigamus censetur, si cum homine iterum contrahere de facto tentet, vt dicit Archidi. 27. q. 1 can. quotquot. Vnde Speculator distinxit bigamias tres, veram, interpretatiuam, & similitudinariam. Gemin. & Franc. cap. altercationis, de bigam. in 6. hanc bigamiam interpretatiuam iterum in duas diuidunt; Vna est simpliciter interpretatiua, altera non simpliciter, sed ex quadam iuris fictione. Simpliciter interpretatiua est, quando aliquis contraxit cum Vidua; vere enim vir bis non contraxit: tamen ius interpretatur esse bigamum, quia eam, quæ bis contraxit, duxit, & carnem suam diuisit. Ex iuris fictione est, quando non est matrimonium, sed ius fingit esse, quia attentatum est matrimoniū, vt quando contraxit aliquis bis, semel quidem validè, semel nulliter, aliisq; modis, de quibus postea dicemus. Hæc omnia in sequentibus manifesta fient.

Bigami omnes prædicti à promotione repelluntur, sunt-que irregulares. Assignant autem Doct. quatuor causas ex canonibus collectas, propter quas bigami irregulares sunt, & ab ordinibus arcentur, quas colligit Panorm. in rubr 1. de bigamis.

Prima est, ex defectu sacramenti, ex cap. debitum, de bigam. Est autem defectus sacramenti sic; bigamia enim non habet totam perfectionem matrimonij quantum ad significationē: nam matrimonium signum est, non tantum vnionis animæ cum Deo per gratiam, & vnionis Verbi cum natura humana; sed etiam vnionis Christi cum Ecclesia, cap. debitū, de bigam.

hanc tertiam significationem non habet bigamia: nam Christi cum Ecclesia est vnius cum vna, bigamia autem e nius cum pluribus, nempe vnius vxoris cum pluribus tis successiue, aut vnius mariti cum pluribus vxoribus. Est defectus sacramenti significationis in bigamia. cùm ergo cerdotis sit ministrare sacramenta, merito repellitur ab nibus, qui ad sacerdotium ordinantur, is, qui imperfecte pit vnum sacramentum, hacque de causa irregularitas citur ex defectu.

Altera causa est propter prærogatiuam ordinis. d. 26 na. vt tanto officio nemo accederet, qui imperfectione esset notatus.

Tertia est, quia præsumitur incontinens qui pluries trahit, ex can. proposuisti, d, 28. bigamus enim quisque in tinentiæ argumentum habet.

Quarta est, quia bigamus non potest facile cæteros ad castitatem, & continentiam, quam de eo non præsum cap. vna. d. 26. Hæ sunt causæ, propter quas canones à pro tione, & ordinum exercitio repulerunt bigamos, quamuis sint omnes hæ causæ simul in singulis bigamis, vt in seque tibus manifestabitur.

De speciebus, & modis bigamiæ in particulari.

CAPVT LX.

MVltis modis bigamia irregularitatem inducens in nitur. Est ergo prima bigamia vera, & simpliciter pe quando aliquis plures successiue duxit vxores le timas, can. qui sine crimine, d. 26. siue vnam ante baptismum alteram post, can. acutius, d. 26. siue vtramque ante baptis can. vna. eadem d. siue vtramque post baptismũ, can. mari d. 31. Est autem obseruandum, quantum ad effectum irregu ritatis non censeri bigamiam, nec bigamum, nisi intercedat copula, fueritq; matrimonium consummatum, vt notant communiter Doct. ex cap. debitum, de bigam. Quando ergo vnam duxit, & non cognouit, eaque mortua alteram duxit, siue cognouerit, siue non, non est bigamus: vnde si hæc mortua fuerit, aut monasterium intrauerit, potest ordinari, similiter

pro

priorem cognouit, non autem posteriorem, hæc est prima bigamia, & irregularitas ex defectu sacramenti, secundum omnes Doctores.

Secunda est, quando aliquis contraxit cum vidua, can. curandum est, d.34. & cap.2. de bigam. siue eam duxerit ante baptismum, siue post, vt habetur can. si quis viduam, d.34. in quo præponitur sententia Augustini opinioni Hieronymi; bigamia enim hæc sine peccato contrahitur, vnde manere potest etiam remisso peccato. Sunt autem duæ conditiones necessariæ ad hanc bigamiam ratione irregularitatis contrahendæ. Vna est, vt sit vidua corrupta, si enim remansit virgo, qui cum ea contrahit non est irregularis, vt patet cap. debitum, de bigam. Altera vt etiam intercedat copula cum posteriori; si enim aliquis duxit viduam cognitam, tamen ipse non cognouit, non fit irregularis, hoc deducitur ex eodem cap. debitum, & expresse docent Panor. cap. super eo. de bigam. nu.7. & Turrecr. can. si quis viduam, d.34. & est communis sententia. Hæc bigamia est ex defectu sacramenti, vt constat ex cap. debitum, de bigamia. nam vnio Christi cum Ecclesia est vnius cum vna, at qui ducit viduam, ducit eam, quæ est duorum, nec est vna perfecte. Hanc etiam bigamiam Gloss. cap.2. de bigam. appellat interpretatiuam, idque communis sententia probat. id tamen limitatione, & declaratione indiget; longe enim differunt bigamia, & bigamus. Bigamia est multitudo nuptiarum; bigamus autem, qui plures celebrat nuptias, quando ergo aliquis contrahit cum vidua, ibi reperitur multitudo nuptiarum: nam matrimonium respectu viduæ est secundum. Erit igitur vere, & proprie bigamia, sicut quando vnus ducit secundam, bigamia est, quamuis secunda non alium habuerit maritum, & sit virgo. Igitur vera, & simpliciter bigamia est, quando aliquis ducit viduam, & deficit perfecta significatio sacramenti: at non est bigamus, qui ducit viduam vere & simpliciter, quia ipse non bis contrahit, sed semel; ius autem interpretatur eum bigamum, quantum ad effectum irregularitatis, quia celebrat nuptias, quæ vere & simpliciter sunt bigamia, & hac de causa dicitur bigamus interpretatiue.

Tertia est, quando aliquis ducit corruptam ab alio, etiam si semel celebret nuptias, censetur bigamus, & est irregularis, can. qui in aliquo d.51. & can. curandum est, d.34. hoc autem debet intelligi, quando cognouit eam; aliter enim non censebitur

bitur irregularis, vt notat Panorm. cap. super eo. de bigam. 7. & est communis sententia, vt notat Panorm. etiamsi ig-ranter eam cognouerit, censetur irregularis, vnde, qui du-liquam putans virginem, & corrupta est, eamq; cognou-noranter, irregularis est, quia lex promotionis factum co-derat. idem affirmat Gloss. can. nemo, d. 32. & est comm-sententia.

Sunt autem aliqua adnotanda. Vnum est, Glossam cap. 2. bigam. cum communi sententia, hanc bigamiam censet in-terpretatiuam: nam re vera non intercessit duplex matri-monium, sed duplex copula in vno matrimonio, rationem caro diuisa est, ac si mulier vidua fuisset. ideo ius bigam-interpretatur, & maritum bigamum declarat quantum irregularitatem contrahendam. Gemi. & Franch. cap. vn. bigam. in 6. hanc interpretatiuam bigamiam esse affirm-sed veram, quia vere caro est diuisa. Alterum est, irregula-tem ex hac bigamia esse ex defectu sacramenti, quia non præsentatur vnitas Ecclesiæ cum Christo. ita affirmat Gl. cap. 2. de bigam. & Turrecrem. can. si quis viduam. d. 34. cum a-lijs: & hæc minus accedit veræ & simpliciter bigamiæ, quæ illa, quando ducitur vidua, quia etiam si sit diuisio carnis, tamen est multitudo nuptiarum, vnde magis est bigamus, contrahit cum vidua, & minus repræsentat sacramentum: tamen quæ cum corrupta fit, est maius argumentum incon-nentiæ, & talis bigamus minus potest hortari castitatem, indignior est prærogatiua ordinum.

Tertium est, esse valde cōtrouersum inter Doct. an qui florauit prius virginem, & postea duxit eam vxorem, & co-summauit matrimonium, censeatur irregularis & bigam-sicut ille, qui duxit corruptam ab alio. Hugo 30. q. 5. can. qua-lis, & Hostien. in sum. tit. de bigam. §. circa. qu. 6. & cap. fa-de cler. coniug. & Gloss. can. nemo. d. 32. & Turrecr. 30. q. 5. qualis. cum alijs tenent, quod sic, & re vera est opinio magis ridica; tamen quia communis sententia tenet non esse irre-larem, cum caro non sit diuisa, & quia hæc est de iure pri-uo, & canones in contrarium facientes possunt interpreta-nem admittere, ideo tenēdum est non esse irregularem. Com-muniorem esse hanc sententiam, & celebriorem affirmant demmet Hostien. & Archid. d. 32. can. nemo. & Panormit. cap. debitum, num. 2. de bigam. vbi etiam eam tenet Henric. Bo. cap. vt bigami. de bigam. dicit esse opinionem communi-

approbatam, & eam tenet Gloss. etiam cap sane. de cleri. coniug. dicit esse veriorem. Gofred. de bigam. nu. 5. dicit celebriorē, & S. Tho. 4. d. 27. q. 3 ar. 1. q. 3. ad 2. dicit probabiliorem, & eam sequitur. Cum communi ergo sententia improbabilius, quorum certa ratio non est, sentiendum videtur. Hinc sequitur, cum in cap. vni. de cleri coniug. in 6. definitur, quando quispiā habitum portat, & duxit vnicam, & virginem, non amittere priuilegium clericale, si contraxit cum virgine, à se tamē prius corrupta, censeri contrahere cum virgine, & non amittere priuilegium. ita Gloss. ibi. rursus in quibusdam militijs datur facultas contrahendi semel, & cum virgine potest miles contrahere, etiam cum à se ante corrupta. ita habet Gloss. in decision. Tolosanis. q 219.

Quarta est, quando aliquis duxit vxorem etiam virginem, quæ postea adulterata est, ille autem cognouit eam post adulterium, irregularis est, can. si cuius, & can. si laici, d. 34. diuisit enim carnem, sicut si contraxisset cum corrupta. hanc esse interpretatiuam bigamiam tenet Gloss. cap. 2. de bigam. & Panorm. cap. super eo. Esse etiam ex defectu sacramenti tenent eadem Gloss. & Panor. cap. super eo. eod. tit. Archid can. si cuius d. 34. & Turrecrem. can. si quis viduam eadem. d. & est communis sententia, quamuis Ioann. de Ana. cap. si vir. de adult. dicat non esse bigamiam, nec carnem diuisam, sed esse simplicem prohibitionem, ne talis promoueatur. Sequenda tamen est communis sententia, circa quam sunt adnotanda aliqua.

Vnum est, si maritus accusat de adulterio vxorem, & lite pendente eam cognoscit, esse irregularem censendum, ita affirmant Gloss. can. si cuius d. 34. & ibi Turrecre. & Gofre. de bigam. num. 9.

Alterum est, esse controuersiam inter Doctores, an si ignoranter cognouit vxorem suam post adulterium sit bigamus, & irregularis; quando enim scienter cognouit, nemo dubitat esse irregularem: at si ignoranter, tunc est controuersia, Gemin. can. si cuius, d. 34. citat Hugo. & Archidia. affirmantes, qui ignoranter cognouit vxorem adulteram, in susceptis posse ministrare, tamen non posse amplius promoueri: ipse tamen Gemini. tenet contrarium, nempe neque in susceptis etiā posse ministrare, quia bigamia vtrumque impedit: nec consideratur error, sed factum ipsum, sicut quādo cum corrupta contraxit. Henric. Boic. cap. vt bigami. de bigam. citat Archidiac. &

non probat eius sententiam, nempe in susceptis posse ministrare. Panorm. cap. super eo. de bigam. generaliter tenet, cognouit vxorem, siue ignoranter, siue scienter, esse irregularem, nec censet distinguendum inter scientiam, & errorem, quia non agitur de vitio ordinandi, seu de defectu sacramenti, & hæc opinio communior est, & verior.

Tertium est, esse etiam controuersum, si aliquis cognouit adulteram vxorem iussus præcepto Ecclesiæ, an sit irregularis. Innoc. c. inquisitioni, de sen excom. negat contrahere irregularitatem, can. si cuius, d. 34. eum, qui iussu, & præcepto iudicis adulteram cognoscit, nisi quando esset adeo notorium crimen, quod ipse posset propria auctoritate sine iudice vxorem repellere. Henric. Boic. c. vt bigami. de bigam. citat alios contrarium, & dicit esse eorum opinionem tutiorem, quia lex promotionis factum requirit, in quo nec error, nec violentia locum habet, arg. 15. q. 1. can. vlt. vbi virgo vi corrupta inter corruptas numeratur, quia lex factum requirit, & irregularitas sine peccato: immo aliquando cùm merito contrahitur: nam & iudex reum morti tradens, meretur, & est irregularis. Hanc opinionem sequitur Turrecr. can. si cuius, d. 34. & communis est. Hæ sunt tres irregularitates interpretatiuæ secundum Gloss. cap. 2. de bigam. & Panormit. cap. super eo. coniungit, nimirum quando aliquis viduam, aut corruptam duxit, aut propriam post adulterium cognoscit. Hæ quatuor bigamiæ species, quarum prima est simpliciter, reliquæ tres interpretatiuæ sunt ex defectu sacramenti, vt diximus ex Gloss. allegata.

De alijs bigamiæ speciebus.

CAPVT LXI.

GEnus tertium bigamiæ, vti superius diximus, non est bigamia in veritate, sed ex quadam iuris fictione: hoc autem genus nonnullas habet sub se species. Prima est, quando aliquis mortua vxore legitima ad sacros ordines promouetur, & postea de facto consummat matrimonium cum alia, quod iure nullum est, hic bigamus non est verè, nec simpliciter, vt dicunt Præpos. & Gemin. cap. vni. de bigam. Nec est ex defectu sacramenti, quia secundæ nuptiæ de facto sunt, & nō de iure, sed propter defectū intentionis, quia quam-

rum

tum in se est, tentauit nuptias secundas opere subsecuto, irregularis est, & irregularitatem bigamiæ contrahit, c. nuper. de bigam. vbi totus casus hic notatur.

Secunda est, si subdiaconus, & consequenter in maiori ordine constitutus contrahat cum vidua, & consummet matrimonium, censetur irregularis, non quod sit vera bigamia, nec sit defectus sacramenti, cum nullum sit matrimonium, sed propter intentionis affectum opere subsecuto.

Tertia est, quando aliquis, etiam laicus viuente vxore legitima, secundas nuptias celebrat, etiam iure non validas, quia nimirum non poterat contrahere cum illa, censetur bigamus non verè & simpliciter, nec ex defectu sacramenti, sed propter intentionis affectum: casus est in c. nup. de bigam. vbi qui duas habet vxores, vnam de iure, alteram de facto, cēsetur irregularis, quamuis non bigamus vera seu simpliciter bigamia, quia veræ non sunt nuptiæ. idem si mortua erat prior, & postea cōstitutus in ordine contraxit nulliter. Nec est defectus sacramenti, vt in ipso capite definitur. Omnes hi non sunt bigami in veritate, sed habentur pro bigamis.

Occurrunt aliqua dubia, Vnum est, an qui contraxit cum secunda, mortua priori, & nullum est matrimonium, non ex illa causa, quia viuebat prior, cum sit mortua, sed alia quacumque de causa, vel quia consanguinea, vel quia aliud interceſſit impedimentum, censeatur bigamus, & irregularis. Ratio dubitandi est, quia in cap. nuper. de bigam. non fit mentio, nisi duorum casuum, nempè quando est nullum secundum matrimonium, quia viuebat prior, aut quando, etiam si mortua est prior, nullum est secundum, quia celebratum erat ab existente in ordine sacro. Quando ergo secundum matrimoniū nullum est alijs de causis, vt in laico, qui mortua legitima contraxit secundo cum consanguinea, non videtur cēsendus, nec reputandus bigamus: semper autem intelligimus copulam in vtroque interceſſisse: nam sine copula secundum communem opinionem nulla bigamia contrahitur, Archi. 34. d. can. cognoscamus. dicit, quod si quis mortua priori contrahat secundo, & nullum est secundum ignorante ipso, non inducī irregularitatem, quia cap. nuper. procedit, quando qui secundo contrahit est in culpa Hostien. in summ. de bigam. num. 3. tenet contrarium, & Panor. cap. nuper. de bigam. num. 4. qui allegat pro hoc opinionem communem, nempe quomodocumqne secundum sit nullum, siue scienter, siue ignoranter,

siue ex illis causis, siue ex alijs, induci irregularitatem, vnde-
cus mortua etiam priori legitima secundo contrahens,
cumque de causa nullum sit secundum, reputatur bigamus
effectum promotionis, quia non attenditur culpa, sed
ctum, seu intentionis affectus cum opere subsecuto. &
opinio communis est tenenda: nam etiam si caput *nuper*,
minerit illorum casuum, tamen ratio communis est &
& istis,

Alterum dubium est, si quis bis contraxit, & vtrumque ma-
trimonium nullum est, siue vtramque viuentem, siue
mortua alteram duxerit, & consummauit, an sit reputandus
bigamus. ratio dubitandi est, quia cap. nuper. non expri-
lium casum, nisi quando vnus contrahit cum secunda de-
cto, priori viuente, intercedente copula cum vtraque. Respon-
deo secundum Doct. generaliter, qui bis contrahit, siue vtra
sit validum, alterum inualidum, siue vtrumque inualidum
esse censendum bigamum: ita habent Innoc. cap. nuper. de bi-
gam. & Hostien. in sum. tit. de bigam. nu. 3. §. quot sunt spec.
& Gofred. de bigam. nu. 1. cum alijs multis, & Anton. 3. p. tit.
ca. 3 & verba c. nuper. id ipsum significant. Si quis inquit de-
cto contraxerit cum diuersis, quibus de iure non posset ma-
trimonialiter copulari. Ratio etiam capitis procedit cum om-
nibus his, quia intentionis affectus, opere subsecuto, arguit-
tur; forma enim matrimonij etiamsi veritas non sit, sufficit ad
hanc irregularitatem. dico formam matrimonij, quia vbi non
est, tunc est bigamia; ex quo sequitur, qui plures habet con-
binas, siue simul, siue vnam post alteram, non censetur biga-
mus, vt habetur cap. quia circa, de bigam.

Tertium dubium est, an qui contraxit, & consummauit
cum vidua, vel corrupta, nulliter censeatur bigamus, loquor
de laico, aut in moribus constituto: nam qui nulliter contra-
xit cum vidua, quia erat subdiaconus, bigamus reputatur, vt
cap. à nobis, de bigam. Ratio autem dubitandi est, quia illud
à nobis. non procedit, nisi quando qui contraxit cum vidua
subdiaconus erat. qui ergo non erat subdiaconus, nec votum
solenne habuit, sed laicus, aut in minoribus constitutus, & ma-
trimonium nullum est alijs de causis, non videtur censendus
bigamus. propter hanc rationem Nauar. in summ. cap. 27. n.
de bigam. tenet non esse irregularem eum, qui laicus, vel in
minoribus contrahit nulliter cum vidua. Hostie. vero in sum.
de bigam. num 3. §. quot sunt species, & capit. 1. de bigam. tenet

contra-

contrarium,affirmans irregularem,& bigamum, qui de facto contraxit cum corrupta.& Gofre.in ſum. de bigam.nu.10. vbi tenet non poſſe promoueri tanquam bigamum,& ea eſt communis ſententia; generaliter enim vbi matrimonium de iure celebratum induceret irregularitatem, etiam de facto eandem inferret,& ita Rot.deciſ.1.de bigam.alias 447.in nouis. definiuit de clerico in minoribus, qui nulliter contraxerat cum vidua.facit pro hoc,quia ratio deciſionis textus, nempè intentionis affectus opere ſubſecuto militat etiam in non clerico: natura autem rationis legis eſt reſtringere, & ampliare diſpoſitionem legis,etiam in odioſis,vt dicit Panorm.c.1.de iuram. calum.num.8. Nec valet ratio Nauar.nempè rationem textus non eſſe integram,ſed integrandam, quia ille ſubdiaconus ſimilitudinarie contraxerat cum alia. hoc tamen ſupplementū eſt ad libitum:nam tunc non erat cur diceret contraxiſſe cum vidua,cum etiamſi cum virgine, ſeu innupta contraxiſſet,eſſet irregularis,vt paulò inferius dicemus. Nec poteſt dici,non eſſe expreſſum in iure, quia cum ratio legis eſt expreſſa,dicitur etiam eſſe expreſſam; hoc enim argumento probamus, cum aliquis bis contraxit cū duabus nulliter ſucceſſiuè,irregularem eſſe;cū tamē c.nuper.de bigam.loquatur de eo, qui vna viuente alteram duxit;tamen quia ratio legis etiā in illo militat,dicimus etiam id iure expreſſum. Non ergo eſt à communi ſententia diſcedendum in hac parte. Hæc de bigamia interpretatiua,tam vera,quàm ex fictione iuris.

Tertij generis bigamia erat ſimilitudinaria, hæc autem eſt, quando habens votum ſolemne caſtitatis, nempè monachus profeſſus,vel clericus in maioribus conſtitutus de facto contraxit,etiam cum virgine,& conſummauit, irregularis eſt;27. q.1.can.quotquot.vbi Archid.rationem adfert, cur bigamus ſimilitudinarie dicatur, quia cum per votum ſolemne prius cum Deo contraxiſſet ſpirituale matrimonium, tentauit poſtea cum homine contrahere,Gloſſ. c.2 de bigam. vt ſuperiùs diximus, interpretatiuam bigamiam hanc etiam appellauit, ſed non eſt ex defectu ſacramenti, ſed ex affectu intentionis. Aduerte, ſæpè prohiberi quoſdam à promotione, etiam propter matrimonium, ſed non ob id bigamos cenſeri, vt qui duxit ancillam,etiam virginem,vt dicitur, can.ſi quis viduam d.34. aut aliquam ex ijs, quæ mancipantur ſpectaculis publicis,&cæt.hoc tamen magis ad quandam infamiam pertinet.

Circa bigamos hoc vltimo est adnotandum, clericos, qui in clericatu existentes bigamiam contrahunt, non solum regulares esse, sed etiam priuilegium, can. si quis suadente q. 4. perdere, est enim duplex priuilegium clericare, vnum fori, alterum canonis, nempè quia percussores eorum excommunicati sunt, illud clerici coniugati perdunt, hoc vero retinent; vtrumque autem amittunt bigami, per c. altercationis de bigam. in 6. quamuis quidam illos iure etiam antiquo perdidisse affirmant, can. quisquis d. 84. & ibi Gloss. An autem hæc pœna omnes bigamos comprehendat, in disputatione est: nam Gloss. illius cap. altercationis. tenet propter quamcumque bigamiam veram, seu interpretatiuam, aut similitudinariam priuilegium hoc amitti, tamen Archidi. Gemin. & Philip. Franc. dicunt non ligare hanc pœnam eos, qui in maioribus constitutis bigamiam contrahunt, sed eos solum, qui in minoribus; vnde presbyter coniugatus, si post susceptum ordinem de facto contrahit, non amittit priuilegium; peccat autem, si clericus est in minoribus, & ratio dissimilitudinis est, quia qui in minoribus est, potest conuerti ad statum secularem, & contrahere vere, & de iure. at in maioribus constitutus non potest retrocedere; ideò non debet priuari priuilegio, cum obligetur manere in eo statu. Addit aliam rationem, quia illa bigamia non est vera, sed ex iuris fictione; verba autem constitutionis, maximè pœnalis, debent interpretari in propria significatione, quando est vera bigamia, aut interpretatiua propria, iuxta quam rationem, nec clericus in minoribus erit nudatus priuilegio, quando ex nulliter, & de facto matrimonio fit bigamus, quia talis bigamia, nec est vera, nec interpretatiua propriè; vnde Gofred. in sum. de bigam. dicis. Clericum etiam in minoribus, qui contraxit cum vidua nulliter etiamsi bigamus sit, non amittere priuilegium,

De dispensatione irregularitatis ex bigamia.

CAPVT LXII.

DVbitare aliquis posset, an irregularitas omnis ex bigamia sit ex defectu, an sit aliqua ex delicto; multum enim hoc scire refert ad materiam dispensationis, vti superiùs adnotauimus; & quidem. vt ex narratis constat, dubium

non

non est de illis bigamijs, in quibus intercedunt veræ nuptiæ, vt quãdo aliquis duxit duas vxores legitimas succesſiuè, aut duxit duam, vel corruptam, aut copulam habuit cum propria legitima post adulterium; hæ enim, vt diximus ex cap. nuper. & cap. à nobis. sunt ex defectu : at dubium est de illis, vbi non intercedit matrimonium, quas canones expresè negant esse ex defectu, sed tantum censentur bigamiæ propter intentionis affectum. Panorm. cap. à nobis, de bigam. affirmat irregularitatem in presbytero, qui de facto contraxit, esse ex delicto, quo dicto videtur sentire, irregularitates, quæ ex bigamijs procedunt, quæ dicuntur esse, non ex defectu, sed propter intentionis affectum, esse ex delicto, tamen contrarium est sentiendum; omnis enim irregularitas, quæ procedit ex quacumque bigamia, siue quæ cum peccato, siue quæ sine peccato cõtrahitur, est censenda ex defectu, & non ex delicto, & ratio est, quia quamuis aliquis sit bigamus cum delicto, nõ propter delictum irregularis & bigamus declaratur, sed propter sacramẽtum, explico. Vnus duxit duas de facto, & cum peccato, hic irregularis, & bigamus est declaratus, non quia deliquit, sed quia quantum est ex parte sua bis contraxit, & canones attenderunt animum cum opere subsecuto, quamuis in veritate non fuerit sacramentum, nec defectus sacramenti; ideo etiamsi sine peccato id fiat, vt qui nulliter contraxit cum secunda, quia priorem mortuam reputabat, & non erat, censetur irregularis; vnde consulto non dictum est in c. nuper. quia deliquit, sed propter animum, siue intentionem opere subsecuto. Est ergo ex defectu reductiuè, non propriè, sicut quæ est vera bigamia, aut illa quæ prouenit ex vero matrimonio; hę enim sunt propriè ex defectu, ceteræ reductiuè. Hoc ergo supposito, dico, materiam de dispensatione in bigamo esse multum inter Doctores controuersam & ambiguam: ea quæ mihi probabiliora sunt visa, proponam per aliquot conclusiones.

Prima est, Papa dispensare potest cum quocumque bigamo ad omnes ordines, maiores, & minores, & ad quascumque dignitates. hanc inter Theologos tenet. S. Thom. 4. sent. dist. 27. qu. art. 7, Inter Iuristas autem Archi. can. lector d. 34. Præpos. & Gemin. in eodem can. lector. & ibidem Turrecr. qui omnes allegant, & probant sententiam. S. Tho. dicuntque esse communem. vtuntur etiam ratione, & fundamento. S. Tho. nimirum irregularitatem bigamiæ esse introductam de iure positiuo, in quo Papa dispensat, idque verum est, quidquid dicant

alij:

alij:nec.n. quia Apostolus prohibuit bigamum ordinari,id licet inferre,quod non rectè intulit Panor. c.vt bigami.de bigam.num.3.nimirum esse de iure diuino,cum certum sit non omnia,quæ Apostoli instituerunt, iure diuino fuisse instituta;multa enim fecerunt potestate accepta,sicut & faciunt successores eorum.

Secunda conclusio, Quamuis Papa dispenset in omni irregularitate bigamiæ,& ad omnes ordines,& dignitates,tamen difficillime dispensat cum bigamo vero,& minori cum difficultate cum interpretatiuo Hæc est Præpos.eodem loco,& est communis,ratioque ipsa persuadet : nam sicut bigamia vera minorem habet bigamiæ rationem, quàm interpretatiua,& hæc,quàm similitudinaria, ita etiam maior, vel minor debet difficultas.Rursus sicut ordines sunt inæquales, ita et difficultas dispensandi,& sic intelligitur c.super eo.de bigam. vbi cum bigamo ad maiores non licere dispensare dicitur,admirum quia difficilè dispensatur.

Tertia conclusio,Episcopus non potest dispensare cum bigamo vero,aut interpretatiuo ad maiores ordines.ista est Hostien.in summ.de bigam.in fine, Præposi. Gemin. can.lector. d.54.& Panorm. c.super eod.de bigam nu.5.in fine,& satis probatur per c.super eo.& c.nuper,de bigam. Quod dicitur de dispensatione ad maiores,intellige etiam non posse, vt insuscepti ministrent,Episcopos dispensare, vt constat ex cap.super eo.allegato.

Quarta conclusio , ad maiores ordines cum bigamo vero, aut interpretatiuo Episcopus non potest dispensare , & cum minoribus coniungo quantum ad hoc primam etiam tonsuram.istam conclusionem tenet Panor. c. super eo.de bigam. num.5.in fin.Præpos.& Gemin.can.lector.d.34. & hi duo affirmant esse communem opinionem , pro qua facit can.si quis viduam d.50.ex Concilio Marti.Si quis,inquit, viduam,aut ab alio dimissam duxerit,non admittatur ad clericatum. quod si irrepserit,deijciatur. Panor.& cæteri allegati hoc probant ex cap.vni.de bigam.in 6. vbi clerici bigami omni clericali priuilegio nudantur,& prohibentur sub anathemate deferre habitum & tonsuram.Si ergo bigami non possunt deferre habitum & tonsuram,ergo Episcopus non potest dispensare cum eis ad minores:nam debent deferre habitum & tonsurã, quod prohibitum est,nec Episcopus potest prohibitioni papali contradicere,nec eam tollere. Hac ratione isti Doctores vtuntur

nec valet resp̃sio Henr.Boic. c.vt bigami.de biga.nu.26.quod hoc capur loquitur de clericis,qui contraxerunt bigamiã post clericatum; ijenim in pœnam exuuntur habitu, & tonsura, non,inquam,valetnam hi clerici non peccarunt contrahendo,quia erant in minoribus,& potuerunt contrahere.non ergo exuuntur propter pœnam,sed propter irregularitatem,quæ est ex defectu sacramenti,vnde, cum sit irregularis etiam, qui ante clericatum cõtrahit, comprehenditur eodem decreto,si casu ordinem susceperint.hãc conclusionẽ teneo vt tutiorem cum cõmuni,quamuis contrarium teneant.S.Tho.4.d.27.q 3. art.3.Hosti.in sum. de bigam. in fine cum alijs;tamen cũ communis sententia sit in oppositum, & canones id significare videantur,saltem incertum est,& dubium,an Episcopus id facere possit: in incertis autem tutius est abstinere à dispensando Accedat auctorias congregationis Concilij sess.23.cap.17. quæ ex sententia Sixti V. Episcopum cum vero bigamo, qui duas successiuè duxerat, dispensantem ad primam tonsuram,& beneficium simplex. quod etiam eidem dispensato contulerat, iudicauit ipso iure suspensum ab ordinum collatione:dispensatum autem ab exercitio suspensum, & beneficij nullã fuisse collationem, nec fructus suos fecisse.

Quinta conclusio, non solum Episcopus non potest cum vero, aut interpretatiuo dispensare in minoribus suscipiendis, sed nec in susceptis.hæc est mentem eorundem Doctorũ, & probatur, nã aut post bigamiã accepit clericatum,aut ante; si post non potest Episcopus dispensare: nam ex eodem can. si quis viduam d.50.deijcitur,si quis post bigamiam irrepit in clericatum,in quo can. non potest Episcopus dispensare;quod si minores ante accepit,probabile est olim potuisse dispensare Episcopum,vt in susceptis maneret, per cap. lector. d.34.at hodie id non potest per c.altercationis,de bigam.in 6.quia tales priuantur omni priuilegio clericãli.Hęc dicta sunt de bigamia vera &interpretariua. Quantum autem ad fictam,seu similitudinariam spectat,ponitur.

Sexta conclusio, Episcopus potest in aliquibus casibus dispensare cum bigamo ficto.hæc certa est, & sine controuersia; sunt enim casus,in quibus potest Episcopus dispensare.

Primus est,cum presbytero, qui duxit vxorem post longam pœnitentiam,& vitam laudabilem,Episcopus dispensat, vt ministret in susceptis,cap.sanè 2.de cler.coniug.Gloss.communiter recepta ibi declarat, quando non ante contraxerat,

sed

sed semel duxit,& eam virginem;si enim ante contraxerat mel,& iterum contraxit post ordines , non potest Episcopus dispensare, per capit. nuper.de bigam. Similiter si semel hanc viduam , adhuc non potest Episcopus , cap.à nobis bigam.

Alter casus est,quando diaconus contraxit de facto, et eo contrito & conuerso,dimissa vxore, dispensat Episcopus vt ministret in susceptis,& si perfectæ vitæ, & conuersationis fuerit,dispensat in susciendis.idem est de subdiacono.ut habetur c.1.qui cler.vel vouen.Glossa communiter recepta intelligit,quando duxit etiam virginem ; nam si viduam duxit quamuis semel,non potest Episcopus,c.à nobis,de bigam. similiter etiamsi non semel,c. nuper.de bigam.

Tertius casus est,quando post votum solenne castitatis quis duxit vxorem, quod non solum commune est subdiaconis,sed etiam monachis,tunc Episcopus dispensat. ita habet Glossa communiter recepta, can.quotquot 27. qu.1. & allegat can.si qua virgo.cad.d.& causa,quod intellige,si semel,& virgo sit , & adhuc cum monacho sibi subiectis,aliter Episcopus non potest.In alijs similitudinarijs, aut fictis bigamis Episcopus non dispensat , nempe cum eo etiam laico, qui duas corruptam,aut bis nulliter contraxit;vt enim dicit. S.Thom.2.d. 27.qu.3.art.3.eadem est difficultas dispensandi cum ijs, qui de facto contraxerant,ac ea,quæ esset,si de iure contraxissent,& hoc est tutius.

Hoc autem est obseruandum,Episcopum posse dispensare cum bigamis in irregularitatibus procedentibus ex bigamia , quæ est ex delicto,quando crimen est occultum,iuxta can.6.sess 24.Concil.Trid.quod supra adnotauimus, vnde in omni similitudinaria,quæ ex peccato procedit, si occulta est iuxta formam Concil.dispensare potest in susceptis,& in suscipiendis.

De irregularitate ex delicto hæresis.

CAPVT LXIII.

SVpererat alia irregularitas ex defectu , nempè quæ oritur ex homicidio : at quia hæc coniuncta est cum ijs , quæ ex delicto sunt,& diffusè de ea agendum est,ideo in vltimum

locum

locum reseruamus. De ijs ergo, quæ ex delicto sunt, tractemus, & primo loco de ea, quæ est ex crimine hæresis, quo nomine comprehendimus non solos hæreticos, qui nominis Christi professione retenta, in parte à fide recedunt, sed etiam Apostatas, qui ad iudaismum, seu ad paganismum post susceptum baptismum se transferunt. In huius irregularitatis explanationem sunt sequentia dicta consideranda.

Primo, Hæretici, qui in hæresim etiam exteriorem lapsi sunt, sunt irregulares ex delicto, can. qui in aliquo d. 50. Dico, exteriorem, quia per solam interiorem, sicut nec excommunicatio, ita nec irregularitas contrahitur, vti diximus superiùs in excom. Cœnæ, quod dico de hæreticis, vti iam dixi, dicta puta de Apostatis à fide.

Secundo, non solum hi sunt irregulares, sed etiam ipsorum credentes, fautores, & defensores. hoc habetur ex cap. statutum 2. de hæret. qui autem hi sint, explicuimus in excom. in Cœna Domini: illi enim omnes, qui excommunicatione ligantur, sunt etiam irregulares.

Tertiò, non solum ipsi, sed etiam omnium prædictorum filij etiamsi crimina parentum non fuerint imitati, sunt irregulares, cap. statutum 2. de hæret. Aduerte, olim iure antiquo filios Iudæorum conuersorum, & postea ad iudaismum reuersorum, non affici ex crimine parentum, vt habetur can. Iudæi. q. 4. at postea hoc reuocatum est, contra Christianos. de hæret. in 6 vbi Gloss. notat, horum filios habere eandem pœnã cum filijs Hæreticorum, & Fely. cap. vergentis, extra de hæret. Aduerte etiam, hanc irregularitatem esse etiam ex delicto: nam propter crimen parentum filij puniuntur, factique sunt irregulares & inhabiles, nõ alia de causa, quam propter delictum illorum. Nec est similis ratio in illegitimis, hi enim non sunt irregulares ex delicto parentum immediatè, sed quia non sunt ex legitimo matrimonio, ideo censentur irregulares ex defectu: at filij Hæreticorum, & cæterorum nominatorum, propter crimen parentum immediatè facti sunt inhabiles, & irregulares, ideò, etiamsi nati sint ante crimen parentum, sunt irregulares, vt statim dicemus.

Quartò. non tantum eorundem prædictorum filij, sed etiã nepotes per lineam paternam sunt irregulares, cap. statutum, de hæret. vbi Gloss. & Rebuff. in praxi. de modis amitt. benef. num. 26. explicant lineam maternam, & paternam sic, quando pater est Hæreticus, vel fautor, vel aliquis nominatorum,

tunc filij, & filiorum filij sunt irregulares, non autem filij filiorum. quando autem mater est hæretica, vel fautrix, vel alio ex prædictis, filij tantum sunt irregulares, non autem filij filiorum.

Quintò, non tantum filij legitimi comprehensi sunt in pœna, sed etiam quocumque modo illegitimi, siue naturales, siue spurij, siue manzares, & qualescumque sint. ita Glos. in c. statutum, de hæret. & ibidem Ioan. Andr. quandò certum est esse verè illorū filios; filij enim nomine, etiam illegitimi comprehenduntur.

Sextò, non quorumcumque Hæreticorum, fautorum &c. filij sunt irregulares, sed eorū, quos tales esse de facto, aut de vita recessisse probatur; si enim emendati sunt, & per Ecclesiam incorporari, facta pœnitentia, aut eam subire parati, tunc ipsi quidem manent irregulares propter crimen commissum, donec cum eis dispensetur, tamen eorum filij, & nepotes non sunt irregulares. ita habetur c. statutum, citato. nec filij, aut nepotes indigent aliqua dispensatione. post parentum prædictam emendationem.

Septimò, filij relapsorum pœnitentium, & propter relapsum punitorum, & morte damnatorum non censentur irregulares. ita habet Glo. c. statutum. tit. relapsi. quāuis Ioan. And. teneat contrarium, tamen Glossę opinio est probabilior, & textui conformior; illi enim non recesserunt è vita impœnitentes, hæretici, aut credentes, &c. nec damnantur propter hæresim, sed propter relapsum.

Octauò, filij hæreticorum, & cæterorum nominatorum ante parentum crimen, ordines aliquos susceperunt, non suspenduntur in susceptis, sed possunt ministrare ad susceptienda vero sunt inhabiles post crimen illorum. ita habet Glos. communis satis peruersum d. 56. communiter recepta.

Nonò, pari ratione nō priuantur beneficijs habitis ante crimen parentum; sed ad susceipienda sunt inhabiles post crimen eorum. ita habet prædicta Glos. & Panorm. c. vergentis de hæret. & est communis opinio: sunt tamen ipso iure priuati habitis post illorum crimen etiam ignoranter. similiter etiam sunt suspensi in susceptis post crimen illorum ordinibus, quamuis ignorantia, dum durat, excuset eos à peccato; cum tamen sciuerint, nec administrare, nec beneficia retinere possunt.

Decimò

Decimo, non potest Episcopus dispensare super hanc irregularitatem, quia procedit ex delicto, à quo non potest absoluere, & cui prohibita est absolutio, censetur prohibita dispensatio; cui enim prohibetur minus, prohibetur maius, c. cum illorum, de sent. excomm. Hodie tamen in foro interiori quãdo delictum est occultum, potest, & absoluere, & dispensare per Concil. Trid. sess. 24. c. 6.

De irregularitatibus ex delicto circa baptismi sacramentum.

CAPVT LXIV.

CIrca baptismi sacramentum occurrunt quædam irregularitates ex delicto, pro quarum explicatione nonnulla sunt adnotanda.

Primò, qui scienter bis, aut pluries baptismum suscepit est irregularis ex delicto, can. eos, quos, de consecr. d. 4. nec ad clericatũ admittuntur, can. confirmandum d. 50. cum ijs solus Papa dispensat, Anton. 3. p. tit. 28. c. 6. §. 3. Episcopus aũt ex concessione Concil. Triden. sess. 24. cap. 6. dispensat, quando est crimen occultum, etiam ante Concil secundùm Scotum. 4. d. 6. q. 8.

Secundò, etiam rebaptizati ignoranter sunt irregulares, can. qui bis. de consecr. d. 4. Est tamen controuersia inter Doct. in hoc dicto, vt constat ex Gloss. & Arch ibi. quidam enim existimant, quomodocumq; ignoret etiam si sit ignorantia probabilis, & inuincibilis, esse irregularem. pro qua opinione faciunt verba canonis, quæ talia sunt. Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundùm canones ordinari non possunt. in hanc sententiam inclinant Archid. & Gloss. & Anton. loco citato. addunt Archid. & Antonin. in hoc casu posse Episcopum dispensare. Alij tenent, quando ignorantia est improbabilis, seu crassa, esse irregularem; secus tamen si est probabilis & inuincibilis, quia facta diligentia non inuenit se esse baptizatũ. in hac opinione est Sco. 4. sen. d. 6. q. 8. & Landul. cum sequens citatus a Turrecr. can. qui bis. & Nau. in summ. c. 27. num. 246. loquimur autem de ignorantia facti: nam iuris ignorantia in hoc casu non excusat, vt ibi notat Scotus: nam quilibet adultus baptizatus

tenetur scire, baptismum semel tantum suscipiendum
puto ergo probabiliter dici posse cum secunda opin
nempe qui ignorantia probabili ignorabat se esse bapti
non esse irregularem, sed quando est ignorantia crassa, q
cum peccato, & hoc etiam sequitur Silu. ver. irregularitas
facit pro hoc can. solennitates 1. de consecrat. d. 1. non in
monstratur reiteratum, quod nescitur esse factum, & ca
multa. de conse. dist. 4 quod etiam procedit in rebaptiz
bis ex ignorantia probabili, vt dicemus statim; nihil enim
contrahitur ex hoc. verba autem canonis, quæ omnibus ig
runt difficultatem, sic sunt intelligenda. non inquit indi
pœnitere publica pœnitētia, quæ nō dabatur pro quolibet
cto, sed pro certis grauibus & enormibus: iste autem, qui
rantia crassa bis baptizatus est, peccauit, & est irregularis,
non ita grauiter, vt publicè debeat pœnitere. & per hanc
clarationem non est opus venire in eam responsionem
nempe illum canonem non habere auctoritatem, quia est
iusdam Episcopi.

Tertiò, reconfirmatus, & reordinatus etiam scienter, q
uis peccet grauiter, irregularis nō efficitur. in hoc dicto
est controuersia: nam Archid can. qui bis, de consecr. d. 4. e
dem putat rationem de his tribus sacramentis, quia singu
imprimunt characterem. idem Anton. 3. p. tit. 28. c. 6. §. 3. & N
uar. loco citato. facit prò ea opinione can. sicut d. 68. vbi di
tur, quod nemo debet reordinari, sicut nec rebaptizari, & ca
dictum. de consecr. d, 4 vbi etiam habetur, neminem debe
reconfirmari, sicut nec rebaptizari: tamen his non obstan
bus contrarium tenent Scot. 4. d. 6. q. 8. & Turrecr. can. dicto
allegato, & Tabien. ver. irregularitas 4. §. 7. & hoc verius
nam non est inducenda irregularitas, quæ non sit iure exp
sa, vt sæpè dictum est, & omnes admittunt ex c. is qui. de
excom. in 6. talis autem irregularitas non habetur expressa
iure, nisi in solo baptismo. canones autem allegati solum p
hibent, ne quis reordinetur, nec reconfirmetur, tamen nō
ponunt eandem irregularitatis pœnam, quæ est in rebapti
to. Nec est eadem ratio: nam baptismus est ianua, per quam
intratur in Ecclesiam, & homo fit Christianus.

Quartò, qui bis confert baptismum est etiam irregularis
sicut & bis baptizatus. hoc communiter Doctores tenent ex c.
2, de aposta. nec est alius canon, quo ea irregularitas probetur
nam quos allegat Gloss. ad quam Doct. se remittunt, non co

tinet

tinent nisi solam prohibitionem, ne quis baptismum reiteret: cap. autem allegatum de apost. expresse non loquitur, nisi de acolitho, qui ministrauit scienter bis baptizanti presbytero: quo casu respondet Papa, si crimen est publicum, ne ad maiores promoueatur; si verò occultum, permittatur promoueri absque vlla dispensatione, vt notat Innocen. c. ex tenore. de temp. ordin. & id ipsum verbum verba capitis indicant, sicque interpretatur Anchar. cum alijs. de eo autem, qui bis baptizauit, nihil disponitur, nisi argumentum sit à fortiori, quod si is, qui inseruiuit illi tali, pœnitentia notatur, multò magis ille, qui baptizauit bis. quod admitto, sed inde non sequitur, nisi quando est publicum delictum, non posse ordinari, aut vti ordinibus; non autem quando est occultum. hoc autem non inducit specialem irregularitatem, sed communis est omni delicto publico, vt paulò post dicemus. Non ergo videtur bis baptizans irregularis esse, nisi quando crimen est notorium; tūc enim ex criminis notorietate est irregularis, quia est graue scelus: at in rebaptizato est vera irregularitas, quia etiam occultus est irregularis. fauet huic, quia nullus est canon expresè faciens irregularem bis baptizantem. sicut est de bis baptizato. fauet etiam, quia Specula. tit. de dispens. in materia irregul. nu. 13. diligenter irregularitates tractans, non loquitur, nisi de rebaptizato. similiter Anto. 3 p. tit. 28. c. 6. §. 3. Fauet etiam, quia non est similis ratio in baptizante, & in baptizato, quia baptizanti non repugnat pluries baptizare: nam pluries confert baptismum diuersis: at baptizato repugnat, quia pluries suscipere non potest. nec ab vno, nec à pluribus. probabilius ergo puto non esse irregularem bis baptizantem, nisi ex criminis notorietate. quod si cum multis velis sentire, nam communiter tenent Doct bis baptizantem etiam esse irregularem, tunc dic, eum esse irregularem, quando scienter bis baptizat, vel ignoranter ignorantia crassa; secus si ignorantia facti fuit inuincibilis; nō enim esset irregularis: iuris autē ignorantia non excusat; & sic Anto. Butr. & Anchar. ca. ex litterarum. de apost. dicunt; si tamen bis confirmaret, aut ordinaret, non esset irregularis, vti dictum est de bis ordinato, aut confirmato. dispensat in hoc Papa, nisi quando est occultum crimen.

Quintò, qui baptizaret secundo sub conditione, dicendo, si non est baptizatus, quamuis esset ignorantia crassa, quia potuit scire esse baptizatum, immò etiamsi sciret, non esset irregularis, quia verè non dicitur rebaptizare, qui sub conditio-

ne baptizat, nisi posita conditione, & ita tenet Natar. citato.

Sextò, qui baptizatus est ab Hæreticis in adulta ætate, etsi sit fidelis est irregularis, & nunquam ordinatur, can. qui qualibet. 1. q. 7. secus si in ætate infantili ante vsum rationis q. 4. can. placuit, & can. qui apud. nec in ijs dispensat Episcopus nisi quandò occulta sunt.

Postremò oritur quædam irregularitas ex dilatione baptismi, quæ habetur can. 1. d. 57. si quis adultus in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet; falsa enim illius præsumitur non voluntaria, sed ex necessitate, nisi postea fides illius probabilis fuerit, aut hominum ratitas contigerit. Glos. ibi, hanc irregularitatem ex delicto appellat; præsumitur enim qui potuit, & debuit sanus baptizari, & differre, postea vero infirmitate coactus baptismum suscepit, delinquisse. Nec tollitur hæc irregularitas per baptismum, quia committitur in ipso baptismo, & per eum efficitur. hodie parum est in vsu; si tamen casu accideret, esset irregularis qui se deliquisset.

De irregularitatibus ex delicto circa ordinum susceptionem.

CAPVT LXV.

SVnt aliæ irregularitates, quæ & in ordinum susceptione, & in susceptorum administratione contrahuntur.

Primo, excommunicatus maiori excommunicatione, ordinem aliquem, etiam minorem suscipiens efficitur irregularis. hoc est commune, & habetur c. 1. de eo. qui fur. ord. susce. & c. cum illorum, de sen. excom. vbi non distinguitur de maiori, vel minori ordine. Nota autem, si minori tantum excommunicatione ligatus est, quamuis peccet, non efficit irregularem. Nota etiam, ignorantiam iuris non excusare, nempè si sciebat excommunicatum ordinem suscipientem incurrere irregularitatem, nec etiam ignorantiam facti, quādo est crassa; bene tamen excusat, si est probabilis, arg. ex cap. apostolicæ, de cler. excommun. suspe. ver. interd. ministr. Non dispensat in hac irregularitate Episcopus, sed solus Papa, Glos. 1. de eo. qui fur. ord. susce. nisi quando ingreditur religionem

& al-

& aliquanto tempore laudabiliter fuerit conuersatus. hodie tamen per Concil.Trid.dispensat Episcopus, quando occultū est crimen.Eadem est ratio de suspenso ab ordinum susceptione, aut interdicto simpliciter, aut ab ordinum susceptione hic, si ordines suscipiat, fit irregularis.hoc est commune, & habet Silu.ver.irregularitas §.2. dico (suspenso ab ordinum susceptione, vel interdicto) quia si est suspensus tantum à beneficio, non fit irregularis, si ordines suscipiat, vt inferiùs dicemus de eo, qui ministrat in ordine.

Secundò, qui suscepit ordines ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui, irregularis est, nec ministrat in susceptis, nec ascendit ad vlteriores ante dispensationem, c.1. de ordi.ab Episc. qui renunc.Episcop.in cuius declarationem aduerte aliqua ex eodem c.desumpta.

Primò, si Episcopus loco tantum, & non dignitati renunciauit rogatus ab Episcopo aliquo, potest conferre ordines minores, & maiores, nec qui suscipit, irregularis est.

Secundò, si vero renunciauit loco, & dignitati, potest etiam non rogatus ab Episcopo minores conferre, nec qui suscipit, irregularis est, sed potest eos exercere, & ad vlteriores promoueri, ac si ab eo suscepisset, qui non renunciauit. Hoc intellige, quando habet licentiam Episcopi proprij, seu dimissorias, hoc enim supponimus: qui enim sine dimissorijs ordinatur, suspensus est, vt superius diximus, & si ordinem exercet, irregularis.

Tertiò, maiores nullo modo conferre potest, & si quis suscipit scienter ab eo manet irregularis, nec potest exercere, nec ad vlteriores progredi, nisi per dispensationem, etiamsi ordinatus habuerit dimissorias proprij Episcopi.

Quartò, in hoc casu non potest Episcopus dispensare, sed solus Papa.

Quintò, qui ignoranter suscepit ab eo ordines maiores, ignorantia crassa & supina, est etiam irregularis, cum quo solus Papa dispensat, & ignorantia crassa in hoc casu æquiparatur scientiæ.Post Concil.vero Trid. Episcopus dispensat. quando delictum est occultum, vt sæpè diximus.

Sextò, si verò ignorantia fuit probabilis, adhuc est irregularis, si maiores ab eo suscepit; potest tamen Episcopus dispensare.in hoc vltimo est controuersia: nam quidam dicunt, quādo est probabilis ignorantia, non contrahi irregularitatem,

sed quando est crassa. At Gloss. & Panor. ibi, dicunt etiam contrahi irregularitatem, quando est ignorantia probabilis, & dem Innoc. & Host. & textus id significat: nam dicitur, quando ignoranter suscepit, Episcopum posse dispensare, nisi sit crassa ignorantia. ergo necesse est, eam ignorantiam, in qua Episcopus dispensat, esse probabilem, alias nullo casu dispensare Episcopus, si per ignorantiam probabilem non contrahitur irregularitas hæc. Obijcies, quomodo, si nulla est culpa suscipientis, nam per ignorantiam probabilem excusatur à culpa, potest contrahere hanc irregularitatem vera responsio est Innoc. quod contrahitur propter culpam conferentis; in vituperium enim, & opprobrium ipsius, qui suscipit ab eo ordines, non potest susceptor exequi, nec vti eis, & hoc fieri solet, vt constat can. neminem d. 70. Vnde in hoc casu est irregularis ex alieno delicto. ratio autem Gloss. quam probat Panor. quia nemo dat quod non habet; Episcopus autem ille non habens executionem ordinum, non potuit conferre, nullius est momenti: nam ea ratio probaret, nec minores posse conferre. Rursus non est vera: nam excommunicatus Episcopus nó habet executionem, & tamen non omnis, qui suscipit ab excommunicato, non habet executionem, vt statim dicemus. Rursus non euacuat difficultatem, quia non videtur quomodo hæc irregularitas esset ex delicto. verius est quod diximus ex Innoc. quamuis etiam ipse Innoc. multa alia dicat.

Septimò, quidam antiqui Doct. hunc non irregularem, sed suspensum appellarunt, vt constat ex Hosti. Panor. in eodem c. de Specul. tit. de dispen. inter irregularitates numerat, & hoc summistæ sequuntur, tamen quia idem est effectus in hac parte suspensionis, & irregularitatis, placuit cum multis sentire, & loqui.

Tertiò, qui ab Episcopo excommunicato suscepit ordines, irregularis est, etiamsi ignoranter acceperit, puta nesciens excommunicatum, c. cum clericis, de ord. ab Episcop. qui renun. Episcop. intellige de ignorantia crassa; si enim est probabilis, excusat, nec est irregularis, vt constat ex can. ordinationes, 5. d. 1. dispensat autē Episcopus cum ignoranter ordinato, vt habetur eodem cap. cum clericis. tamen si scienter accepit ordines à tali, solus Papa dispensat, vt ibi Gloss. dicit, & ex ipso textu deducitur. Post Concil. Triden. etiam Episcopus dispensat, quando est occultum delictum. eadem est ratio de suspenso ab ordinum collatione, & interdicto, hæretico, schismatico,

simo-

simoniaco, depositio, & degradato, secundum omnes. Attende autem, post concessionem Concil. Constant. de vitandis excommunicatis, esse hoc iam restrictum, vti diximus in materia de excommunicatione, nempe non de quocumque excõmunicato, suspenso, aut interdicto procedere, nisi quando est publicus percussor clerici, aut nominatim excommunicatus, interdictus, vel suspensus post denunciationem; vnde qui ab alijs excommunicatis, suspensis, vel interdictis ordines suscipit, non per hoc fit irregularis. Attende rursus, quod dicimus de excommunicato, suspenso ab ordinum collatione, aut interdicto, cum eadem limitatione intellige de Hæretico, schismatico, & simoniaco cum Sil. ver. irregularitas. §. 9. quando sunt denunciati excommunicati. Qui ergo ab ijs ordines scienter, aut ignoranter crassa ignorantia suscipiunt, characterem quidem recipiunt. 1. q. 1. can. gratiam, sed non executionẽ, quod limitat Hostien. quem sequitur Tabie. ver. irregularitas, §. 5. quando metu cadente in virum constantem cogitur à talibus suscipere ordines. Adde tu, nisi in religionis contemptũ id fieret, tunc enim nullus metus excusaret.

Quartò, qui suscipit ordines minores cum Subdiaconatu vno die, est irregularis; dispensat autem Episcopus, vt in minoribus ministret, cap. 2. de eo. qui fur. ordi. suscep. dummodo nõ fuerit sub excommunicatione præmonitum, ne quis accederet, qui eo die minores acceperit, tunc enim Papa solus dispensat, vt ibi habet Gloss. iam vero post Concil. Triden. dispensat Episcopus, si est occultum delictum; nec excusat ab irregularitate consuetudo patriæ suscipiendi minores simul cum Subdiaconatu, vt vult Anton. 3. p. tit. 14. c. 16. §. 16. iam enim per Concil. Triden. ablata est talis consuetudo: si verò duos sacros suscepit, simul est irregularis, cum quo solus Papa dispensat, quando præmonitum est sub excommunicatione, ne quis sic accedat ad duos suscipiendos, cap. 3. de eo, qui fur. ordi. suscep. quod intellige, quando est publicum delictum; si verò occultum, etiam Episcopus, per Concil. Trident. & etiamsi non sit occultum, quando non præcessit inhibitio sub excommunicatione; posset enim etiam Episcopus dispensare: nam caput prohibet dispensationem sub ea conditione.

De irregularitatibus in ordinis ministerio.

CAPVT LX.

MVltipliciter contingit fieri irregularem ex indebito ordinum ministerio.

Primò quidem, qui exercet actum ordinis, quem non habet, est irregularis; vt, qui baptizat solemniter, qui audit confessiones, aut missam celebrat, cùm non sit sacerdos; hæc enim tria propria sunt sacerdoti, qui etiam Euangelium in Missa canere, cùm non sit diaconus, aut Epistolam, cùm non sit subdiaconus, aut ordines tentat conferre, cùm non sit Episcopus; denique actum ordini deputatum exercens, cùm non sit tali ordine insignitus, est irregularis, cap. 1. de cler. non ordi. ministr. Hæc Doctores limitant, quando actus exercet solemniter, tamquam si ordinem haberet: nam si cantat Epistolam in choro, aut in altari sine manipulo, non est irregularis, cap. vt quisque presbyter. de vit. & honest. cleri. quia non facit talem actum, quasi ex ordine; solent enim laici, aut in minoribus constituti id facere. ita habet Panor. cap. 1. de cler. non ordi. ministr. vbi autem cum manipulo cantaret, esset irregularis, nec est audiendus Nauar. cap. 27. num. 242. qui citat Anton. 3. p. titul. 28. cap. 1. § 1. quasi dicat, qui cum manipulo cantat non esse irregularem, vbi est consuetudo, cum potius dicat contrarium, nempe esse irregularem, si cum manipulo dicat, vel etiam si sine manipulo in altari, vbi non est consuetudo, & sic à Siluest. etiam refertur, & probatur, ver. irregularitas, § 14. quod verum puto, quantum ad illud, si cum manipulo cantet, quia tunc est actus ordinis; non tamen quantum ad illud, si cantet sine manipulo, vbi non est consuetudo; puto enim, nunquam esse irregularem, si sine manipulo dicat, etiam vbi non est consuetudo, quia non est hic actus ordinis, quamuis peccaret. Similiter qui baptizaret, vt laici solent in necessitate facere, quamuis non esset necessitas, non esset irregularis, quamuis peccaret extra necessitatis casum id faciendo: at celebrare confessiones audire, aut ordinare, nunquam fiunt, nisi solemniter; vnde qui aliquid horum faceret, esset irregularis, nisi ludo, aut ioco id faceret, & non serio, qui peccaret, tamen non esset irregularis. limitat etiam S. Tho. 4. sen. d. 34. in maioribus, quia in minoribus consuetudo obtinet, etiã à non ordinatis fieri. idem Silu. v. irregularitas. §. 14. quod in-

telligequando non faceret id,tanquam ordinatus tali ordine, quod maxime contingeret,vbi est consuetudo, vt illi actus exerceantur per promotos;alias enim etiam minorum actū exercens fit irregularis, vt rectè contra quosdam dixit Panorm. cap.2.de cler.excom.ministr.nu.10. non solum autem hic est irregularis, vt ad ordines nequeat promoueri,sed in ordine, quem vere habet, suspēsus manet ad tempus arbitrio Episcopi vt habetur cap.2.de cler. non ordi.ministr. nec dispensat Episcopus,vt notat Panorm.eod.cap.2.& Anton.3.p. tit.28. cap.1. nisi ad beneficium,quod habetur eod.cap. & hoc cum ordinato in sacris,ne cogatur mendicare, cùm nequeat ad seculum redire.at per Concil.Triden. iam dispensat Episcopus, quando crimen est occultum.Silvest.ver.irregularitas,§.14.limitat, quando aliquis in ordinatione suscepit quidē necessaria, quātum ad substantiam,tamen defuit aliquid, quod supplendum est,prius quam ministret,tūc,si exerceat ordinem,peccat, tamē irregularis non efficitur, quia iure ordinem habet.

Secundò,excommunicatus maiori excommunicatione,etiamsi ordinem habeat,celebrans, aut ordinis actum modo prædicto exercens,est irregularis, ita Doctores notant cap.2. de cler.excom.interd.ministran.Hostien.Ioan.And. &Panor. circa quod aliqua sunt notanda.

Primò, excommunicatus minori excommunicatione celebrans,non incurrit irregularitatem, vt habetur cap.si celebrat.eod.tit. quamuis peccet:idem est,si alium actum ordinis exerceat.

Secundò,si ignorans probabiliter se esse excommunicatū, ministrauit,non est irregularis ; secus verò,si ignorantia fuit crassa,vt habetur cap.Apostolicæ.eod.titu.hic enim non euaderet irregularitatem.

Tertio,non solum, si celebrat in excommunicatione, est irregularis,sed si faciat actum ordini deputatum,etiam actum minoris ordinis,vt dicit Panorm.cap.si quis presbyter.eodem tit.quod intellige,quando facit tanquam ordinatus, vt supra diximus.

Quartò,non efficitur irregularis, si dicat horas canonicas, immo tenetur eas dicere, vt dicit ibidem Panorm. debet autem dicere horas,tanquam priuata persona, & sine Dominus vobiscum,vt ibi notat Panor.§.& domi suæ, quod si in Ecclesia diceret:publicè in choro,Panor. cap.3.de cler.excomm.ministr.putat esse irregularem,sed non id probo: nam in choro

solent

solent laici etiam cantare horas; id tamen locum haberet, quando diceret eas, tanquam hebdomadarius, aut dicendo capitulum, & orationem, quod est proprium sacerdotum, vt notat Silu. ver. irregularitas, §. 15.

Quintò, non incurritur irregularitas per hoc, quod facit actus, qui non sunt ordinis, sed iurisdictionis, vt si visitet, puniat, excommunicet, beneficia conferat, & hoc est secundum omnes.

Sextò, non efficitur irregularis per hoc, quod audit missam, aut recipit sacramenta, quamuis peccet ingerendo se communioni fidelium, à qua excommunicatus priuatur. Hoc tamen in loco est adnotandum, aliquos Doctores affirmasse, Episcopum incidere in irregularitatem, qui excommunicatus existens, etiamsi non celebret, facit sibi, & coram se celebrare ex auctoritate, & non tantum audiendo sacrum, vt alij communiter audiunt, tunc enim irregularis non esset; tamen auctorando, vt dicunt, & faciendo coram se celebrare alios, fit irregularis. ita habet Gloss. Clem. 2. de priuileg. & excess. prælat. ver. etiam celebrare. & Panorm. cap. illud de cleri. excom. celebran. immo Hostien. eodem cap. affirmat esse irregularem, etiam audiendo sacrum; inter Summistas Silu. ver. irregularitas, §. 15. tenet esse irregularem, si audiat auctorizando, aut similiter coram se celebrari faciat diuina officia, dicitque omnes pene Doctores ita sentire. Nauar. autem cap. 27. num. 244. extendit ad laicos excommunicatos, qui coram se etiam celebrare faciunt, cum sint excommunicati; quod additamentum est præter communem, immo puto contra communem opinionem; omnes enim loquuntur in Prælato, qui auctorizando, vt dicunt, celebrari facit diuina; videtur enim actum ordinis exercere: sed quidquid sit, non existimo esse veram opinionem, nec sequendam; nititur enim debili fundamento, nempe cap. illud. de cler. excomm. ministr. vbi prælatus arguitur, quod celebrari sibi diuina fecerit, quod fateor esse dignum reprehensione, & pœna, quia ingessit se communioni fidelium, cum esset excommunicatus; tamen non habetur, quod sit irregularis. habemus autem non esse admittendam irregularitatem, nisi quæ sit iure expressa. hæc autem non est, si enim ex peccato colligamus irregularitatem, multiplicabuntur infinitæ, quas nemo admisit: ideo non probo hanc opinionem. Adde hunc actum non esse ordinis, sed iurisdictionis, propter quam non incurritur irregularitas. Quantum ad dispensatio-

nem

nem irregularitatis huius, quia excommunicatus celebrauit, aut actum ordinis exercuit, communis est opinio, ad solum Papam pertinere: nam vt paulò post dicemus, eadem est huius ratio, & illius, quę prouenit, quando suspensus, aut interdictus celebrauit, quæ solius est Papę, cap. 1. de sen. excom. in 6. & cap. 1. de sen. & re iudi. in 6. & ita expresse affirmant Gloss. can. presbyteros, d. 50. ver penes, & Panorm. cap. 3. de cler. excomm. celebr. & Archidi. can. si quis Episcopus 11. q. 5. quando vero occultum est crimen, potest per Concil. Trident. Episcopus dispensare.

Tertiò, non tantum excommunicatus maiori, vti diximus, sed etiam suspensus maiori suspensione ab officio, celebrans, aut actum ordinis exercens, fit irregularis à solo Papa dispensabilis, cap. 1. de sent. excom. in 6. & cap. 1. de sen. & re iudi. in 6. etiamsi ignoranter, dummodo sit ignorantia crassa, vti etiam dictum est de irregularitate, excommunicati celebrantis, quā etiam minori suspensione suspensus non contrahit, vt dicit Panorm, cap. si celebrat. de cler. excom. ministr. quod dicimus de suspenso, intellige de depositio, & degradato; sunt enim quædam suspensiones maiores. Sunt autem quædam adnotanda.

Primò, qui suspensus est à beneficio tantum, & non ab officio, non contrahit irregularitatem ministrando actum ordinis, quia ordo ad officium pertinet, in quo non est suspensus. ita habet Panormitan. cap. nisi cum pridem, de renun. num. 19. & Gloss. cap. latores, de cler. excomm. ministr. ver. ab officio.

Secundò, qui à Confessarijs aliquibus de causis iustis suspenduntur ad tempus, ne celebrent, non fiunt irregulares, si celebrent, quamuis peccent, ita habet Innocen. cap. si celebrat. de cleric. excommu. ministr. & Archidi. can. si quis Episcopus. 15. q. 3. & Silu ver. irregularitas. notab. 27. & ratio est, quia ista suspensio non est censura: hanc enim simplex Confessarius non habens iurisdictionem inferre non potest: non est autem expressum iure per suspensionem, quæ non est censura, induci irregularitatem: hac de causa suspensiones, quæ non in foro contentioso, sed pœnitentiali imponuntur, non sunt censuræ, sed quædam prohibitiones; ideo, etiamsi contra eas agatur, non inducitur irregularitas, vt dicit Anto. Butr. cap. si celebrat. num. 12. de cler. excom. ministr. sicut nec inducitur ex suspensione, quam vocant à Deo, quæ est ex quouis mortali;

tali; quamuis enim peccet qui in mortali celebrat, non tamen est irregularis; quia huiusmodi suspensiones non sunt censuræ, nec propriæ suspensiones, sed prohibitiones quædam: illæ autem sunt à canone, vel à iudice in foro contentioso.

Est præterea notanda doctrina multum agitata inter Doctores, in cap. si celebrat. de cler. excommu. ministr. quam Innocen. Panorm. Butri. & alij ibi, & Archid. can. Apostolica. d. 56. tradunt: suspensionem enim maiorem, quæ à canone, vel ab homine iniungitur, & ordinis executione priuat, triplicem distinguunt, quædam enim propter crimen infligitur, quædam propter defectum, qualis est in illegitimo, aut corporis vitium patiente, quædam propter infamiam, vel scandalum, quæ est ex notorietate delicti. Quo supposito respondent tria. Vnum est, suspensus propter crimen, siue ad tempus, siue perpetuo, celebrans, aut in ordine ministrans, fit irregularis: quod dictum quidam limitant, dicentes, quando est suspensus cum conditione, aut limitatione, nempe donec satisfaciat, aut donec pœniteat, si celebret ante impletam conditionem, non fieri irregularem, & hoc habuit Innocen. loco citato. quidam dixerunt esse irregularem, vt idemmet Innocen. qui fuit varius in hoc, vt notat Butri. Ioann. Calde. verò citatus à Butrio, distinguebat; si enim est suspensus, donec satisfaciat, fit irregularis; quia qui sic suspensus est, indiget absolutione, etiam facta satisfactione: qui verò suspensus est, donec pœniteat, non indiget absolutione, sed facta pœnitentia manet liber, ideò si hic celebret, vel ministret ante pœnitentiã, non fit irregularis quam distinctionem secutus est Silu. ver. irregularitas. notab. 27. sed merito reijcitur à Butrio, quia nihil ad rem facit, quod impleta conditione indigeat absolutione vel non, dummodo sit vere suspensus à canone, vel ab homine propter crimen, & ipse tunc celebret suspensus existens; hinc enim manat irregularitas, & hoc est verum & iuridicum: ideo Panor. eod. cap. si celebrat indistincte tenuit, si est suspensus à iure, vel ab homine maiori suspensione propter delictum, esse irregularem, si suspensus minister in ordine.

Alterum horum Doctorum dictum est, si quis est suspensus propter defectum, non fit irregularis, si celebret, aut ministret sed peccat: vnde illegitimus, aut vitiosus corpore celebrans, non fit irregularis. hoc dictum verum est, tamen improprius est, & confusus loquendi modus: nam huiusmodi defectum patientes sunt irregulares, & non suspensi, nisi large sumpta

suspensione: nam etiam excommunicati, & interdicti possunt sic dici suspensi, quia ab officij executione sunt impediti. sic etiam omnis irregularitas est suspensio: at verò si loquamur de propria suspensione, quæ est distincta censura à prædictis, & distinguitur ab irregularitate, quæ non est censura, tunc illegitimi, & vitiati corpore non sunt suspensi, sed irregulares; ideo celebrantes non contrahunt aliam irregularitatem, quia irregularis celebrans aut ministrans, peccat, sed non fit de nouo irregularis. Suspensio autem, quæ inducit irregularitatem, est vere censura distincta ab alijs prædictis, vnde si quis est irregularis, etiam propter crimen, si non aliam habet suspensionem, quàm eam, quæ generalis est, non incurrit nouam irregularitatem, sicut manifestè probatur: nam qui excommunicatus est, & celebrat, est irregularis propter crimen, tamen si iterum celebrat non contrahit nouam aliam irregularitatem. Simili modo puto dicendum de homicida simplici, est quidē irregularis, non autem suspensus censura suspensionis, ideo celebrans non contrahit aliam irregularitatem; secus si esset simul homicida & excommunicatus, quia occidit clericum, tunc esset de nouo irregularis celebrans, quia excommunicatus celebrauit. Doctores ergo confuse loquuntur, & obscurant materiam hanc, cum non sit opus hac distinctione, sed loqui oportet simpliciter de suspensione, quæ verè est censura ab alijs distincta, quæ semper propter crimen imponitur, siue à iure, siue ab homine. sic simoniacus in ordine est suspensus, &, si celebrat, irregularis: sic multi alij, de quibus supra diximus.

Tertium dictum illorum est, si quis est suspēsus propter infamiam, aut scandalum, quæ procedunt ex criminis notorietate, celebrantes non fiunt irregulares, quod dictum etiam cōfusum est, quamuis verū: nam tales non sunt suspensi, sed irregulares, vt paulò post dicemus, & ideo non contrahunt nouā irregularitatem, nisi esset aliquod crimen tale, quod inducit suspensionem vltra irregularitatem ex notorietate, qualis est publicus cōcubinarius, de quo diximus superius, aut simoniacus in ordine, aut alius huiusmodi, tamen si crimen non haberet aliud, quàm quod prouenit ex notorietate, ex qua infamia vel scandalum oritur, non inducit irregularitatem, si quis celebret, quia is irregularis est, & non proprie suspensus. Et hæc sunt notanda pro intelligentia Doctorum multorum, & pro resolutione veritatis.

Quartò,

Quartò, quod dictum est de excommunicato, & suspen-
ab officio, idem dicendum est de interdicto: interdictus enim
personaliter celebrans, aut actum ordinis exercens, fit irregu-
laris à solo Papa dispensabilis; eadem enim est ratio horum
trium secundum omnes Doctores. Sunt tamen duo peculia-
ria interdicto; Vnum est, si quis etiam non personaliter inter-
dictus, in loco tamen interdicto scienter celebrat, fit irregula-
ris à solo Papa dispensabilis, nisi ex priuilegio, vel à iure sit el-
li concessum in tali loco celebrare; ita habetur cap. is qui de
sen. excomm. in 6. Alterum est, cui est interdictus ingressus
Ecclesiæ, celebrans in ea fit irregularis, cap. is cui de sentent. ex-
comm. in 6, quod si hic extra Ecclesiam celebraret, nempe in
oratorio domi, vel alibi, quia habet altare portatile, dummo-
do in Ecclesia non celebraret, non esset irregularis, nec pecca-
ret, vt tenet Gloss. in eodem cap is cui. Non etiam fit irregula-
ris, si in Ecclesia polluta tantum celebret, aut ministret. ita ha-
bent Panorm. cap. tuarum, de priuileg. & ibidem Butri. qui ad-
dit, si Episcopus vltra pollutionem addit nouum vinculum
interdicti supra iuris prohibitionem, quia interdicit eam, tunc
esset irregularis celebrans in ea, ratione interdicti: si verò sim-
plicem adhibet prohibitionem, & interdictum, non intendens
aliud, quàm obseruantiam prohibitionis iuris, tunc non esset
irregularis celebrans in ea. & hic est casus illius cap. tuarum.
semper tamen peccaret, qui celebraret in ea, & esset suspen-
dendus.

De irregularitate ex delicto in scientia discenda, vel docenda.

CAPVT LXVII.

EST alia irregularitas ex delicto, quę habetur c. non ma-
gnopere. adiuncto cap. super Specula. ne cleri. vel mona.
regulares enim professi, qui extra claustra egrediuntur ad
legendas, vel audiendas leges, aut Physicam, scilicet medici-
nam, si intra duos menses ab egressu non fuerint ad claustra
reuersi præter excommunicationem, de qua supra diximus,
promoueri non possunt, nec per alium, quam per Papam sunt
dispensabiles, nisi fuerit occultum crimen; tunc enim Episco-
pus per Concil. Trident. dispensat. Aduerte ex Panormit. in

cap.

cap. non magnopere. allegato, vtrumque requiri ad cõtrahendam hanc pœnam, nempe egressus è clausstro, & hac de causa factus; si enim intra clausstrum existens audiat, aut legat prædictas scientias prohibitas, peccat quidem, tamen non incurrit in hanc pœnam. Similiter si alia de causa honesta egressus, audit, aut legit has scientias, non contrahit pœnam, debet enim vtrumque simul conuenire, & vltra hoc spatium duorum mensium, intra quod audiens, vel legens peccat, sed non incidit in hanc pœnam. Plura diximus in materia excommunicationis, hoc solum attende, prohibitionem factam in cap. non magnopere. contra regulares, extensam fuisse cap. super Specula. ad Archidiaconos, plebanos, præpositos, cantores, & alios clericos personatum habentes, & presbyteros, qui, nisi intra idem duorum mensium spatium destiterint, pœnam latam contrahunt, non solum excommunicationem, sed etiam irregularitatem, quod nempe spe promotionis careant, si promoti non sunt, & hanc interpretationem tutiorem esse Glossa ibi notat.

De irregularitate ex criminis notorietate.

CAPVT LXVIII.

ORitur etiam irregularitas ex criminis notorietate; crimen enim notorium etiam post pœnitentiam hominem facit irregularem, indigetque dispensatione. In huius explicationem aduerte ex Anton. de Butrio cap. ex tenore de tempor. ordi. nn. 5. & alijs Doctoribus in eodem cap. at si clerici de iudi. crimina quædam esse mediocria, quædam enormia; mediocria sunt quæcumque peccata mortalia, enormia verò, quæ faciunt hominem dignu depositione, aut degradatione, maximè accedente incorrigibilitate, vt homicidium, periurium, adulterium, stuprum, sacrilegium, furtum, falsum testimonium, hæresis, simonia, peccatum nefandum, & cætera, quæ iure puniuntur tali pœna, de quibus vide Panorm. cap. at si clerici de iudic. Aduerte rursus ex Panorm. & Gloss. cap. vestra de cõhabi. cleric. & muli. vbi copiosè de hoc agunt, ex quib. aliqua breuiter deducam, adiunctis paucis. Notorium est duplex, vnum iuris, alterum facti. Notorium iuris triplex est, primum quod constat ex spontanea confessione facta in iudicio coram iudice competenti; qui enim in iudicio

proprium crimen ſponte confitetur; illud facit notorium, iamſi non ſit ſententia lata contra eum.

Secundum eſt notorium ex clara probatione, & indubitata.

Tertium eſt ex ſententia, quæ reuocari non poteſt.

Crimen ergo notorium ſit notorietate iuris, quod conſtat ex propria, & ſpontanea confeſſione in iudicio, vel ex indubitata, & clara probatione, vel ex ſententia vltima & irrreuocabili. Notorium facti eſt, quando eſt clara locutio ex euidentia facti prouenies, quod aliqua tergiuerſatione celari non poteſt; differt enim à famoſo: famoſum enim eſt quod communiter circumfertur, ſed ex euidentia facti, aut certo auctore non procedit, vnde probari non poteſt: notorium verò ex ſententia, ex auctore certo eſt, probarique poteſt. publicum verò commune eſt notorio, & famoſo; vtrumque enim dicitur publicum, & conſtat ex cap. tua nos de cohabi. cler. & muli. diſtinguit etiam Panorm. à notorio manifeſtum, quod probari poteſt, ſed non adeo patet ac notorium: ad faciendum autem notorium, dicit neceſſarium eſſe, vt conſtet aut populo, aut maiori parti viciniæ, vel vici, dummodo non ſint pauciores decem; vnde quinque non faciunt notorium, ſed manifeſtum; immo vbi collegium, vel vicinia continet viginti, ſex non ſufficiunt facere notorium, ſed neceſſaria eſt maior pars viciniæ. His ſuppoſitis, dico. mediocria, ſiue occulta, ſiue notoria non faciunt hominem irregularem, ita, vt poſt pœnitentiam indigeat diſpenſatione, nec in hoc eſt controuerſia Doctorum, ſiue ſit notorium notorietate facti, ſiue iuris. Enormia autem notoria, ſiue notorietate facti, ſiue iuris, , inducunt irregularitatem, nec eſt in hoc controuerſia; at verò cum nõ ſunt notoria, ſed occulta, tunc eſt cõtrouerſia, an inducãt enormia irregularitatem. Hoſtien. cap. cum ex tenore, de tempo. ordin. & cap. niſi cum pridem, de renunc. quam quidam ſequuntur peccatum omne enorme inducere irregularitatem, etiam ſi occultum ſit, affirmat, quod verum non eſt, cum non habeatur in iure talis irregularitas; vnde Butri cap. cum ex tenore, dicit occultum etiam enorme non inducere irregularitatem, ſed ſola deleri pœnitentia, præter homicidium, cui adiunge hæreſim, & cætera, quæ iure exprimuntur, vt quando ſuſpenſus, vel excommunicatus, aut interdictus celebrat, & denique quando tale eſt crimen, quod iure irregularitatem inducit: de quibus diximus; & adhuc plura dicemus. Cætera verò occul-

ta etiam

ta etiam grauissima, quæ non exprimuntur in iure, sola pœnitentia delentur, vt probatur cap ex tenore. & cap. quæsitum de temp ordin. & ita Couar. & Nau. affirmarunt de peccato sodomitico, quod iure non inducit irregularitatē. Nau. aūt adfert quandam Bullam Grego. quæ potius videtur loqui in foro exteriori, & contra solos clericos, nec in occultis procedit. Aduerte rursus, Nauarrum huiusmodi irregularitatem inter eas numerasse, quæ sunt ex delicto, cum re vera non sit, sed ex defectu; quæ enim irregularitas nascitur ex delicto, semper ex eo siue occulto, siue manifesto procedit: nam propter delictum posita est: at verò hæc non est ex delicto, cum, si occultum est, non oritur, sed est ex infamia, & scandalo, quæ oriuntur ex notorietate delicti: ad iudicandum autem genus irregularitatis, considerare oportet id, vnde immediatè procedit. Doctrina hæc communis est antiquorum: nam Innocen. cap. si celebrat. de cle. excomm. minist. & ibi Panor. & cæteri, & Archidia. can. Apostolica. d. 56. expresse dixerunt hanc irregularitatem non esse propter delictū, sed propter infamiam, vel scandalum, vnde Anton. Butr. cap. ex tenore. de temp. ordin. dicit hæc crimina inducere irregularitatem ex accidenti, nempe ex notorietate. Existimat autem Episcopum cum ijs posse post pœnitentiam dispensare, sicut supra diximus de infamibus, quod probatur cap. ac si clerici. §. de adulterijs. de iudic.

De irregularitate ex homicidio.

CAPVT LXIX.

OBscura est, & varia de irregularitate, quæ oritur ex homicidio tractatio, quam in vltimum locum ideo distulimus, quia partim ex defectu, partim ex delicto est, ijdemque sunt ferè casus, & eædem in vtraq; regulæ: Loquimur autem non de homicidio spiritali, quo anima occidi dicitur per peccatum, quia vita spirituali gratiæ priuatur, nec etiam de eo, quo occidere dicitur, qui odit, qui detrahit proximo, de quo homicidij genere agitur de pœn. d. 1. can. homicidiorum. & can. nolite putare. & multis alijs canonibus; hæc enim homicidia non inducunt irregularitatem, de qua nunc agimus; nos vero tractamus de homicidio corporali, quo homo vita hac sensibili priuatur, quādo interficitur: nomine aūt homi-

cidij ad effectum irregularitatis intelligimus semper etiam membri mutilationē, vt inferius declarabitur. Hoc ergo supposito, duo quidem sunt sine vlla controuersia; vnum est, non omne homicidium cum peccato fieri; aliquando enim licet occidere hominem, aliquando etiam non licet 23.qu.5. can. homicidium 23.q.4.can.illud. multisque canonibus id cōstat; iudex enim & ministri eius iustè occidunt, & occidi faciunt malefactores, & in bello iusto miles iustè occidit hostem. iniuste etiam homo priuata auctoritate occidit hominem. Est ergo homicidium iustum, & est homicidium iniustum. Alterum est, ex vtroque homicidio oriri irregularitatē; qui enim iustè, & qui iniustè occidit, irregularis est, can. si quis viduam d.50. hæc duo certa sunt, illud autem est controuersum, ad quā irregularitatis speciem hæc, quæ oritur ex homicidio, sit reuocanda.

In primis Ioan. Ana. cap. vlt. de homic. tres distinguit irregularitatis species.

Vnam, quæ ex deformitate proprij corporis oritur.

Alteram, quæ ex deformitate corporis alieni, vt qui occidit mutilat, aut ad hæc consilium, vel auxilium præstat.

Tertiam, quæ est ex culpa, vt quando aliquis suspensus celebrat.

Dicit ergo, homicidas repelli ab ordine propter horrorem, & scandalum; horror enim est, si ponat manus in sanguine Christi, qui effudit sanguinem hominis, iuxta hanc doctrinā irregularitas, quæ ex homicidio est, siue licito, siue illicito, nō est ex delicto. Hoc idem senserat Innocen. cap gaudemus, de diuort. vbi dicit, irregularitatem homicidij non esse positam propter peccatum, indeque esse, vt tam iustus, quam iniustus homicida sit irregularis; cui doctrinæ quidam antiqui adhæserunt, eandem rationem irregularitatis in omni homicidio ponentes, & ita sensit Henri Boic. cap sicut dignum, de homicidio num. 43. vbi statuit, homicidas ex facto voluntario indistincte esse irregulares, tùm propter horrorem, tùm quia ordines diriguntur ad sacramentum Eucharistiæ, quod est sacramentum pacis: paci autem maximè contrariatur homicidium. & videtur hæc sententia. S. Thom. 1.2.q.20.art.5.ad 4. vbi vtramque irregularitatem ad defectum sacramenti reducit.

Alij secundo loco distinguunt has irregularitates, & quæ ex homicidio illicito oritur, ad irregularitatē ex delicto reuocāt; quæ verò ex licito homicidio est. ad horrorem, & scandalum,

hanc

hanc sententiam secutus est Panorm.cap.gaudemus, de diuort. & videtur opinio Gloss.marg.15.q.1.can.vlt.cum alijs nonnullis.hi non videntur irregularitatem ex licito homicidio inter eas numerare;quæ sunt ex defectu.

Alij tertio loco distinguunt irregularitatem,quæ est ex homicidio iusto,& hanc inter eas,quæ ex defectu sunt, adnumerant; quæ vero ex illicito oritur, inter eas,quæ sunt ex delicto,ita sensit Præpos.can.1.d.50.nu.8.& ca.miror,ead.d.vbi irregularitatem, quæ ex homicidio licito est, appellat ex defectu,& coniungit cum ea,quæ est ex bigamia, nec videtur hoc esse in re contrarium sententiæ præcedenti Panorm. nam per horrorem,& scandalum intellexit defectum,qui est causa horroris;nam corpore vitiati etiam inducunt horrorem & scandalum;non tamen propterea irregularitas eorum definit esse ex defectu,consonat etiam doctrinæ ipsius cap. nisi cum pridem,de renunc. vbi distinxit irregularitatem in duo genera, nempe in eam,quæ ex defectu,& eam,quæ est ex delicto: cum igitur homicidium licitum non sit delictum, necesse est irregularitatem,quæ inde prouenit,esse ex defectu;idque sensisse videntur, quotquot illam bimembrem diuisionem amplexi sunt.Pro huius difficultatis resolutione sit.

Prima propositio,irregularitas ex homicidio illicito,& iniusto dicenda est ex delicto,seu ex peccato.ita affirmant Panor. cap.gaudemus de diuor.nu.17.& Hostien.eodem cap.nu.18. & Præp.can.1.d.51.& est multorum aliorum, quæ confirmatur ex Concil.Triden.sess.24.cap.6.datur enim facultas Episcopis dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus,excepta ea,quæ oritur ex homicidio voluntario. Ergo quæ oritur ex homicidio voluntario illicito, est ex delicto:nam exceptio fit ab eodem genere.

Secunda propositio irregularitas,quæ oritur ex homicidio licito,dicenda est ex defectu. hæc etiam communis est, nam communis est diuisio in irregularitatem ex delicto, & ex defectu;cum autem hæc non sit ex delicto,consequitur eam esse ex defectu.

Tertia propositio, irregularitas huiusmodi dicenda est ex defectu sacramenti,hæc est.S.Tho.1.2.q.20.ar.5.ad 4. vbi expresse ad defectū sacramenti irregularitatem iudicis occidentis reducit,& Alex.Alen.3.p.q.34.nu.2.art.3. pro quo aduerte, Præpositum can.miror,d.50. quatuor rationes collegisse ex Theologis,quibus defectum huius irregularitatis explicat.

Prima est. S. Thom. 2 2. q. 64. art. 4. & sent. d. 25. q. 2. quia clerici sunt electi ad altaris ministerium, in quo repræsentatur passio Christi occisi, qui, cum pateretur, non comminabatur. Debent ergo ministri suum dominum imitari.

Secunda est eiusdem S. Tho. quia clericis committitur ministerium nouæ legis, in qua nulla pœna occisionis aut mutilationis determinatur.

Tertia ex Alex. Alen. 3. p. q. 34. m. 2. ar. 3. ministri nouæ legis debent esse ministri mansuetudinis, & dilectionis, ad alliciendos animos hominum ad bonum.

Quarta ex eodem, ministri nouæ legis sunt ministri sacramenti vnionis, & viuificationis; sacramentum enim altaris significat vnionem Ecclesiæ cum Christo, & viuificat sumentes, & participantes. Qui ergo occidit, sacramentum vnionis, & viuificationis non repræsentat. Has quatuor rationes colligit Præpos. ex S. Tho. & Alexan in homicida. Est ergo defectus significationis, mansuetudinis, & sacramenti: omnia autem hæc significantur voce hac, ex defectu sacramenti, & Alexan. hanc irregularitatem ex defectu sacramenti appellat, & adnumerat cum bigamiæ irregularitate, quæ etiam est ex defectu sacramenti. Quidam ad defectum cuiusdam mansuetudinis reducunt, & hoc videtur conforme cap. interfectii. de homic. vbi huius vocabuli facta est mentio; duos enim latrones ad rei temporalis defensionem occidit quidam monachus, quem irregularem Papa declarat, quia inquit contra mansuetudinem Ecclesiasticam egit. Est ergo homicidij irregularitas ex defectu mansuetudinis, & hoc verum est: sed quia vltra mansuetudinis defectum, habet alios defectus, vti diximus, & omnes includuntur hac voce, sacramenti, ideo cum S. Thom. & Alexan. & alijs vsi sumus hoc nomine. Quod si obijcias, homicidium, quod ex delicto est, habere eundem defectum, fateor; tamen habet vltra hoc delictum, & ab eo, quia grauius est, accipit denominationem: vbi verò culpa non est, manet solus defectus, & ideo nominatur irregularitas ex defectu mansuetudinis.

De irregularitate ex mutilatione.

CAPVT LXX.

QVantum ad irregularitatem contrahendam, parem fecerunt iura mutilationem homicidio, qui enim occidit aut mutil-

mutilat, siue licitè faciat, siue illicitè, irregularis est. Clem. si furiosus. de homic. quamuis, vt notauit Præpos. can. de his. d. 50. nu. 7. non sit ita grauis irregularitas, quæ oritur ex mutilatione, sicut quæ oritur ex homicidio; vnde fiet vt facilius dispensetur super eam. Ex mutilatione ergo licita, irregularitas ex defectu oritur, sicut ex homicidio licito: ex illicita verò ex delicto, sicut & ex homicidio illicito.

Duæ autem occurrunt difficultates, vna est, quid sit mutilatio, altera est, quid sit membrum.

Ad priorem respondeo, mutilationem esse abscissionem alicuius membri, quando membrum à corpore separatur; tunc enim corpus mutilum dicitur, quando membrū deest aliquod. Qui ergo debilitat membrum alterius, etiam si illud tale reddat, vt opus suum non valeat exercere, non mutilat, nec est irregularis. hæc est communis sententia, quam sequitur, & probat Panorm. in duobus locis, nempe cap. de diacono. qui cle. vel vouen. & cap. clericis. ne cler. vel mona. quamuis cap. cum illorum. de sen. excomm. tenuerit contrarium. eandem tenet Præpos. cap. de diacono. allegato, vbi citat Cardin. in eandem sententiam, & tenet etiam Felin. cap cum illorum. de senten. excomm. & Philip. Fran. cap. is qui. de sent. excommu. in 6, vbi citat alios in eadem sententia, & hæc est vere tenenda, quæ confirmatur. 23. q. 8. can. his à quibus. præcipitur ibi clericis, ne mortis sentētiam ferant, nec truncationes membrorum quibuslibet per se inferant, aut inferendas præcipiant, & cap. in Archiepiscopatu. de rapto. mors, & truncatio prohibentur prælatis. essent profecto diminuti canones, si debilitatio, quæ non est truncatio, nec mors, induceret irregularitatem. Non ergo aliud est mutilatio, quam truncatio membri, & eius abscissio. id etiam significatio nominis probat, Aristo. enim lib. 5. metaph. mutilum definit, cui extrema aliqua pars integralis corporis deest, quod etiam docet S. Thom. 22. qu. 65. art. 1. ratio etiam id ipsum comprobat: nam mutilatio ideo homicidio comparatur quantum ad irregularitatem, quia est particularis occisio membri, nimirum quia anima separatur ab illa parte abscissa, quod recte dixit Præpos. can. 1. d. 50. numer. 25. id autē in debilitatione non fit, manet enim anima in membro debilitato, quod etiamsi non valeat exercere officium proprium, pertinet tamen ad integritatem, & decorem corporis, & inter membra computatur. 1. q. 1. can. sicut vrgeri.

Altera difficultas est, quod sit dicendum membrum, mutilatio enim intelligi nō potest sine notitia membri, est autem controuersum, an digitus sit membrum. Caiet. 22. q. 65. art. & Sotus lib. 5. de iusti qu. 2. art. 1. affirmant esse membrum, qui digitum abscindit, esse mutilatorem. maior autem pars Canonistarum sequens Bartol. lib. 2. ff de pub. iud. negat esse membrum ad effectum inducendæ irregularitatis huius. tenent Panormit. cap. de Diacono, qui cler. ver. vou. & cap. cum illorum, de sentent excomm. Ioann. Anan. cap. ex iniuncto, de hære. cum alijs multis. Dixi ad effectum inducendæ irregularitatis, quia multi Canonistæ distinguunt membrum in principale, & minus principale; seu paruum, & magnum, appellantque principale, manum, pedem, oculum, nasum, & quod officium habet in corpore separatum ab alijs partibus: digitum autem vocant membrum paruum. ita habet Hostien. in sum. titul. de corp. viti. & Anton. Butr. cap. Thomas, eodem tit. & Gloss. can. qui partem d. 55. ad effectum tamen irregularitatis non habetur pro membro, nisi sit principale, & ita habet Gloss. Clem. vni. de homic. & hæc est verior doctrina; non enim verum est, quod quidam recentiores putant, Canonistas negare, digitum esse membrum, cùm multi illorū affirment, sed dicunt quantum ad irregularitatem non censeri mutilatorem, nisi qui principale mebrum abscindit, & hęc opinio, vt communior, est amplectenda: nam in pœnalibus non sunt significationes nominū ampliandæ. Qui ergo alteri digitū abscindit, etiamsi pollex aut index sit, non censetur mutilator, vt irregularis efficiatur. Dubitabit aliquis de auricula, an sit membrum. Couarr. negat, quia, inquit, qui auriculam abscindit, nō aufert membrū, cùm ablata auricula maneat auditus in aure, quæ ratio si valeret, nec esset mutilator, qui abscindit nasum alteri, quia manet olfactus: nasum verò esse membrū, omnes affirmant. Auricula ergo est membrum, & habet officium separatū ab alijs partibus, nempe præparare sonos, & voces, vt audiantur melius & distinctius, quod in animalibus, quę aures monet, satis visui patet, & in ijs hominibus, quib. abscisſæ sunt experientia ostendit; non enim ita perfecte audiunt, quæ sententia est Specula. tit. de dispen. materia de irregulari. §. iuxta. in fin. vbi quærit, an Petrus fuerit irregularis, qui Malcho abscidit auriculam. respondet negatiuè. quia tunc nō erat introducta irregularitas, significans, postquam iam ab Ecclesia est introducta, esse irregularem qui eam cædit. idem Couarru.

negat

negat mamillam in fœmina esse membrum, nescio qua ratione ductus, cum habeat officium præcipuum in corpore. Ex his ergo duabus actionibus, nempè homicidio, & mutilatione oritur hæc irregularitas.

Ex ijs, quæ in superiori capite, & proxime dicta sunt, multa sequuntur.

Primò, per vulnerationem cum quantacumque sanguinis effusione, vbi non est mors, nec mutilatio membri, non induci irregularitatem: quod rectè notauit Panormit. capit. de Diacono. qui cler. ver. noue. & capit. clericis. ne cleri. verb. monach. licet aliqui contrarium dixerint, tamen sine fundamento, & contra canones, quia ex solo homicidio, & mutilatione hæc irregularitas oritur; per hæc enim tantum pars corporis, vel corpus anima, & vita priuatur, vti diximus, nec est aliqua introducenda irregularitas, quæ non sit iure expressa.

Secundò, qui alterum percutit, & ex percussione facit irregularem ex defectu, nimirum quia notabile vulnus in facie inflixit, quo fit multum deformis, aut fecit eum claudum, vt nequeat sine baculo ambulare, vel quid aliud simile, si non abscidit, aut mutilauit membrum, non est irregularis, quamuis Silu. ver. homicidium, 3. aliter sentiat cum alijs per ipsum citatis, sed sine fundamento, quia iste non est occisor, nec mutilator.

Tertiò, qui excæcat alterum, visu eum priuando, nō tamen oculum extrahendo, eadem ratione non est irregularis, quia nec occisor, nec mutilator; qua ratione, qui dat mulieri venenum sterilitatis, vt priuetur potentia generatiua, quia non occidit, nec mutilat, non est de iure irregularis, vt habet Glo. c. si aliquis, de homic. quamuis quantum ad peccatum grauis sit culpa, & homicida habeatur.

Quartò, qui mortuo homini abscindit caput, aliudue membrum, non est irregularis; non enim mortuus est simpliciter homo, nec membrum mortui est simpliciter membrum, vnde qui abscindit, non est mutilator, quia non priuat membrū anima, aut vita. Non esse hunc irregularem dicit Archidi. can. si quis 15. q. 1. contra aliquos id affirmantes, & Præposi. can. 1. d. 50. num. 27.

Quintò, qui fœtum, antequam anima sit informatus, nimirum ante quadragesimum diem aboriri facit, quamuis peccet grauiter, de iure irregularis non est, quia cum nondum sit vi-

tificatus, nōdum est homo, & sic hic, qui aboriri fecit, non est homicida. ita habetur cap. sicut 2. de homic.

Sextò, per solam voluntatem, & conatum occidendi, aut mutilandi, si non sequitur occisio, aut mutilatio, non efficitur irregularis. ita dicit Henri. c. 1. de eo, qui mit. in poss. vxo. qui dat venenum alteri animo occidendi, aut vt aboriatur vxoris fœtum, si non occiditur, aut aborsus sequitur, non est irregularis, nec qui bombardam exonerat contra alterum, sed non sequitur effectus, quidquid sit de pœnis alijs temporalibus, tamen irregularitatem non incurrit, quamuis quidam contrarium teneant, sed falso, quia lex promotionis sacram requirit 15. quæst. 1. canon. vltim. Denique vbi non est realis mutilatio, aut occisio, non inducitur huiusmodi irregularitas.

Quotuplex homicidium, & mutilatio.

CAPVT LXXI.

CVm constet tantum ex reali mutilatione, & homicidio, induci huiusmodi irregularitatem, oportet, quomodo hæc fiant, considerare. Est autem triplex homicidium, quod autem de eo dicitur, de mutilatione etiam intelligere oportet. Est homicidium, quod voluntate, quod necessitate, quod casu committitur. hæc diuisio celebris est, quam probat Glo. can. de his d. 50. Arch. & Præpos. ibidem, Gloss. etiam cap. sicut dignum. de homic. & ibi Henri. num. 43. & Alex. Alen. 3. p. q. 34. m. 3. Est etiam aliorum multorum, eamque confirmauit Concil. Triden. sess. 14. c. 7. vbi de irregularitate ex illicito homicidio tractans distinxit homicidium, & quod voluntate, & quod necessitate, & quod casu fit. Hæc igitur diuisio est amplectenda, & iuxta ea, quæ de irregularitate homicidij dicenda sunt, explicabimus. Oportet igitur, quid horū vnumquodque sit, declaremus, postea quæ ad irregularitatē spectant proponemus.

Aduerte, ex Gemin. & Præpos. can. si quis voluntariè d. 50. dupliciter accipi voluntarium, stricte, & large. stricte voluntarium est, quod est in se volitū, in quod nempe voluntas immediate fertur. vt quando volumus ambulare, sedere, legere, hæc dicuntur voluntaria stricte. Large voluntarium est, quod

non in se volumus, sed in sua tantum causa, vt qui vult bibere multum vini, dicitur velle ebrietatem, non quidem in se, sed in sua causa, quia id vult, vnde sequitur ebrietas. Vinum ergo est volitum stricte & per se: ebrietas autem est volita, seu voluntaria in sua causa. Alij alijs terminis hoc explicant, voluntarium stricte appellant, directe volitum; large verò, indirectè, iuxta Gloss. can. studeat d. 50. Addunt hi Doctores, voluntatem respectu eorum, quæ stricte sunt voluntaria, esse velut matrē: respectu vero eorum, quæ non in se, sed in sua tantum causa sunt volita, esse velut auiam; vt enim auia per filiam efficit nepotem, sic voluntas per causam, seu in causa vult effectum, qui ex ea sequitur. Hæc distinctio & doctrina est vera & legitima, sed diminuta, ideo perficienda est: primum enim membrum diuisionis huius, nempe quod est volitum, seu voluntarium in se, duplex est, quoddam absolutum, quoddam conditionatum, quod alijs verbis dicitur esse voluntatem duplicem, nempe absolutam & conditionatam. illud est voluntariū absolute, seu absoluta voluntate volitum, quod sponte, nulla impellente necessitate fit, vt quando aliquis vult legere, ambulare, &cæt. Illud vero est voluntarium conditionatum, quod non sponte, sed inuiti facimus, vt periculum aliquod vitemus. exemplum commune est in mercatore, qui tempore tempestatis merces in mare proijcit, vt vitam seruet, cuius proiectio voluntaria quidem est, quia liberum est illi proijcere, & non proijcere; tamen non est absolute voluntaria, quia metu mortis impellente proijcit, inuitusque facit. Hoc voluntarium non est plene voluntarium, sed mistum cum inuoluntario; ideo dicitur voluntarium conditionatum, seu, vt alij dicunt, voluntarium coactum, de quo Arist. 3. ethic. & S. Thom. 1.2. q. 6. art 6. & Canonistæ tit. de ijs, quæ vi. me. ve. ca. fin. tractant.

Ex hac distinctione sequitur duplex esse homicidium voluntarium directe, seu in se volitum, vnum absolute voluntarium, quando aliquis directe, & per se vult occidere aliū sponte, & nulla impellente necessitate. alterum est voluntarium directe, & in se, sed ex necessitate, & conditionate, nempe quādo aliquis vult occidere, sed necessitate, & coactè, quia aliter vitam tueri non potest, vt qui inuadentem, & occidere volentem occidit, ne ipse occidatur, vtrumque tamen est homicidium voluntarium, quod considerantes antiqui quidem iuristæ, homicidium in sui defensionem factum, etiam quando

aliter

aliter homo euadere non potest, appellarunt voluntar
quia directè & in se volitum est, ita habet Innoc. c.ad audi
tiam, de homic. idque titulus decretalis indicat, nempè de
micidio voluntario, & casuali, vbi voluntarium appellat
quod à casuali distinguitur, & hoc non aliud est, quam qu
est volitum in se, & directè, siue absolute, siue conditionat
vnde Ioan. Andr. & Anchar. in eodem titul. opponunt coarti
eundem titulum: nam videtur diminutus, dicendum enim e
rat, de voluntario, necessario, & casuali. Respondent autem,
voluntarij nomine comprehēdi etiam necessarium, seu quod
ex necessitate fit, quod etiam canones antiqui confirmant,
can. eos vero. can. si qua mulier. can si quis voluntarie d.50. vbi
in duo membra fit diuisio homicidiorum, nempè quod vo
luntate, & quod casu fit. At cum voluntarium conditionate
seu ex necessitate sit mixtum cum inuoluntario, & non ha
beat plenam rationem voluntatis, merito Conci. Triden sess.
13. cap. 7. citatum hæc duo distinxit, & nomine voluntarij id
appellandum censuit, q̄ absoluta voluntate fit absq; vlla ne
cessitate & coactione: quod vero coactè & necessitate fit no
men habet distinctum, nempe homicidium ex necessitate, seu
ad defensionem. quam etiam distinctionem ante Concilium
citati Doctores tradiderunt, voluntarium separantes ab eo,
quod ex necessitate fit, quamuis & hoc volūntarium dici de
beat, si rationem voluntarij sine distinctione consideremus.
Multum ergo refert ad materiam irregularitatis, tractandam
cognoscere, quando dicimus homicidium voluntarium, seu
irregularitatem ex homicidio voluntario, non eam intelligi
quæ est ex homicidio facto ad defensionem, seu ex necessita
te, quod inferius adhuc magis explicabitur. Hæc de priori mē
bro illius diuisionis, in qua voluntarium in stricte & large di
uidebatur. nos superaddimus voluntarium hoc stricte, nempe
quando est directè, & in se aliquid volitū, esse duplex, strict
xstrictius, stricte quando est volitū directe voluntate cōdita
nata. Strictius, quando est volitum directe absoluta voluntate,
& hoc est verè & absolute dicendum voluntarium, & distin
guitur ab eo, quod fit ex necessitate. Alterum membrum diui
sionis erat, voluntarium large, quod est volitum tantum in
sua causa, & indirecte, respectu cuius voluntas est vt auia. hoc
voluntarium appellant citati Doctores casuale, quod non est
in se volitum, sed tantum in sua causa quod alij vocant indi
recte & per accidens volitum, vti diximus ex Glos. can. studeat

d.50.Hoc igitur membrum adhuc distinctione indiget:ex causa enim dupliciter effectus sequitur, aliquando enim sequitur semper,aut plerumque,seu in plurimum ; aliquando sequitur raro,vtriusque sit exemplum: Ex veneni potu frequēter mors sequitur.ex nimio vini potu in plurimum consequitur ebrietas.ex graui vulnere in capite mors. At ex pulsu campanæ raro malleus soluitur, & occidit hominem. ex iactu bombardæ raro rumpitur seu frangitur bombarda,& occidit circumstantes.Prædicti ergo Doctores volitum in causa tantum , siue raro,siue in plurimum sequatur , casuale appellant.at Caiet.22. q.64.art.8.ad.3 quando effectus ex causa in plurimum sequitur,existimat , non esse casuale dicendum, sed annectendum cum voluntario ; vnde qui voluit vulnus infligere,ex quo in plurimum mors sequitur , quamuis non intendebat occidere, si mors sequatur,existimat homicidam voluntarium,id quod recepit Couar.vbi de homicidio voluntario loquitur , tamen est contra S.Thom.quem ipsi in suum citant fauorem : nam. 22.q.64.art.8,ad.2.loquens de homicidio casuali dicit: Qui percutit prægnantem,si sequatur mors mulieris,vel pueri,nō effugere homicidij reatum, præcipuè cum ex tali percussione in promptu sit quod mors sequatur. Nota esse casuale homicidium in causa,ex qua in promptu est,mortem sequi , id est ex qua in plurimum mors sequitur, dummodò non sit facta percussio ea intentione , vt mors sequatur,aut sit mors præcogitata,& in corpore articuli definit casuale homicidiū,quod prę-ter intentionem fit . fateor ad purum casuale duo necessaria, nempè quod raro fiat,& quod præter intentionem & præscientiam , tamen in materia irregularitatis plus habetur ratio intentionis, etiamsi non raro fiat ; & quamuis minus sit casuale,tamen casuale est.

Aduertendum ergo est,casuale dici quantum ad irregularitatem,quod tantum & præcisè in causa est volitum,siue raro, siue in plurimum sequatur,dummodò non sit præuisum, nec intentum ab efficiente,seu occidente: penes intentionē enim & voluntatem est casuale,ad eo vt si quis campanam pulset intentione,vt malleus cadens occidat aliquem, vel præuidens casurum,& occisurum,si cadat, & occidat ; licet raro accidat, non erit casuale,sed voluntarium,vt dicit Archi can. de occidendis 23.q.5 contra vero,si quis percutiat vulnere lethali aliquem,nesciens mortem sequi,nec ea intentione, vt sequatur, reputabitur casuale.dico (nesciens) quia si quis scit, & adhuc

facit,

facit, iam vult occidere directè. hoc autem est discrimen quod grauius erat peccatum, si ex causa frequentius sequi mors; arguit enim maiorem negligentiam, in foro exteriori magis reputabitur habuisse intentionem occidendi: at in foro interiori, & quoad Deum non erit voluntarius homicida, sed casualis, qui præter scientiam & intentionem occidit, quod ex eodem Concil. Triden. sess. 14. cap 7. satis clare deducitur: nam cùm prius dixisset, qui sua voluntate occiderit, non debere cum eo dispensari, & hoc distinxerat ab eo, qui necessitate, & qui casu occidit, repetens, quid sit voluntate occidere, dicit, qui non proposito occidit, significans, voluntate occidere, & ex proposito occidere idem esse: ex proposito autem occidere, & intentione idem est; propositum enim & intentio directam voluntatem significant. homicidium ergo voluntarium distinctum ab alijs duobus est directè volitum.

Hæc est causa quod in canonibus, vt constat ex cap. significasti. de homici. consideratur animus & intentio in percussione, ex qua mors est secuta, quod etiam maxime comprobatur ex can. eum vero. & can. frater vester d. 50. ex quibus hoc maximè deducitur: est enim notanda doctrina Panorm. cap. significasti. de homic. in fine, ius canonicum, quantum ad irregularitatem, considerare magis animum, & intentionem in actu subsecuto; aduertendum tamen est, non solum illum habere intentionem, seu voluntatem directam occidendi, qui specialiter vult occidere, sed etiam illum, qui in genere percutit animo nocendi indistincte, & vniuersaliter, non excludendo mortem: secus si expressè nollet occidere, aut mutilare, sed tantum percutere; hic enim, etiam si ex percussione sequeretur mors, non est censendus homicida voluntarius, quantum ad irregularitatem in foro interiori, vbi non proceditur ex præsumptione: nam in exteriori foro censeretur homicida voluntarius, quia præsumeretur voluisse occidere, nisi aliunde veritas constaret.

Ex his omnibus habes expositam diuisionem homicidij, quod fit tripliciter, aut voluntate, aut necessitate, aut casu; quamuis enim omnia sint ex voluntate largissimè sumpta, tamen quod non in se, sed in sua causa tantum est volitum, non appellamus simpliciter voluntarium, sed casuale, nec id etiam, quod in se est volitum, si non absolutè, sed ex necessitate & conditionatè est volitum. Ex hoc triplici homicidio, seu

mutilatione irregularitas consequitur, sed non eadē, nec eiusdem rationis, nec semper. ideo qualiter, & quibus modis, & quando sequatur, in sequentibus capitibus explicatur.

Quando ex mutilatione, vel homicidio non inducatur irregularitas.

CAPVT LXXII.

PAulò superiùs diximus, vbi homicidium, aut mutilatio realis non erat, nō inducit irregularitatem, cuius rei multa attulimus exempla, nunc dicimus esse casus, in quibus etiam si homicidium, & mutilatio sint, nulla inducitur irregularitas. & præter alios, de quibus agemus, quando singula homicidiorum genera tractabimus, oportet nunc aduertere necessarium esse ad hoc, vt hæ duæ actiones inferant irregularitatem, quod procedant ab habente vsum rationis; non enim verè est homicidium, aut mutilatio, quæ sunt actiones humanæ, vbi non est rationis vsus, sicut nec habet propriam rationem homicidij id, quod fit à leone, vel tauro. Est igitur conditio necessaria, vt sit actio humana: non est autem actio humana, nisi adsit vsus rationis, & libertas arbitrij. hac de causa in Clem furiosus. de homic. excipiuntur tria genera, quæ, etiam si occidant, vel mutilent, nullam contrahunt irregularitatem, nec ex delicto, nec ex defectu.

Primò loco sunt infantes, qui non sunt doli capaces, hi si occidant, vel mutilent, quod accidere potest, non sunt irregulares, & adulti facti promoueri possunt. notat ibi Gloss. communiter recepta, tempus infantiæ esse vsque ad completum septennium, infra quod non est irregularis, qui occidit. aduertit autem Anchar. in eadem Clementina, quod si contigerit ante septennium aliquem esse capacem doli, aut post septennium nondum esse capacem doli, vel habere rationis vsum, illum incurrere irregularitatem, hunc vero non. Nec est iam probanda doctrina Hosti. c. 1. de delict. puer. affirmantis, si puer nondum doli capax proiiciat cultellum, aut lapidem, aut occidat, etiam si id non intendat, esse irregularem. hoc inquā iam non est verum post Clemen. vt dicit Panormit. cap. 1. de delict. puer & Gloss. in eadem Clem. vbi vterque reprobat Hostiensem.

Secundò loco, Clementina excipit furiosos, etiam adultos,

hi pa-

hi pari ratione, si occidant in furore vel insania aliquem, sunt irregulares. notat ibi Gloss. per furiosos, non solum intelligi eos, qui hoc morbo continuo laborant, sed qui etiam per interuallum eum patiuntur, & dum furiosi sunt, occidunt vel mutilant, idemque est dicendum de infirmo phrenetico. In his omnibus deficit vsus rationis, nec inducitur irregularitas, etiam si vitio & culpa propria inciderint in insaniam, vt docet Gloss 15. q. 1. can. si quis insaniens. & Card. in Clem. furiosus, de hom. q. 6.

Tertiò, excipit dormientes, aliqui enim somnos adeo graues patiuntur, vt noctu somniantes surgant, multaque faciant opera, qualia vigilantes efficere solent. hi, si occidant, vel mutilent, non contrahunt vllam irregularitatem, nec enim habent rationis vsum, sicut nec furiosi, vt habetur cap. maiores de bapt. §. verum, hoc limitant Card. & Anchar. in eadem Cl. Quando qui solitus est in somno arma capere, & percutere, scies præcauet in vigilia quantum potest, ne quid similes faciat dormiens, a cubiculo arma eijciendo, aut socium apud se habendo, vel aliquid aliud necessariũ adhibendo, qui n scit, & non præcauet, nõ excusatur ab irregularitate opere subsecuro, idemq; dicendum existimo in eo, qui lucida interualla patitur, quãdo compos est mentis, si scit se in furore in alios inuehi, debet enim præcauere quantum potest: quod si solitus non est ea facere, vel si solitus est, præcauit, & adhuc postea cecidit, vel mutilat, nullam inde contrahit irregularitatem. Dubium excitant Doctores de illo, qui vigilans, ira vehementi vel odio commotus conatus est alterum occidere, nec potuit, postea ramẽ dormiens præcedenti imaginatione agitatus in somno furens & occidit, an sit irregularis. Palu. 4. sen. d. 32. q. 1. art. 3. affirmat esse irregularem, quia causam dedit vigilans, contrarium tenent Socin. cap. ad audientiam, de homi. num. 15. & Gonsal. Valladiego de irregula. c. de percussore, & Castr. lib. 2. de potest. leg. p en. cap. 14. quos etiam sequitur Couarr. limitans, si non erat solitus talia facere in somnis, nec ea intentione dormiuit, vt id eueniret, & hoc verum est. Hæc tria genera personarum excipit Clementina. Doctores autem paritatem rationis sequentes idem dicunt de ebrio, qui præ ebrietate non habet rationis vsum, etiamsi sua culpa ebrius sit, dummodo non ea intentione, vt alium percuteret, se inebriauerit, hic, si occidat, non est irregularis, ita dicit Castro loco citato in fine capitis, & Couarr. limitans, si non erat solitus in ebrietate furere.

ita

in alios, aut, si solitus erat, præcauit, si enim id sciens non præcauit, est irregularis, si casus sequitur; est enim eadē ratio dormientium, aut patientium lucida intervalla, & ebriorum in hac parte quantum ad irregularitatem. De his quatuor generibus personarum, quomodo excusentur à culpa, vide 15. q.1. per totam.

De irregularitate ex homicidio voluntario.

CAPVT LXXIII.

HOmicidium voluntarium, quod ab habente vsum rationis, non casu, aut necessitate, sed directa voluntate fit, duplex est, vnum quod iustè, alterum quod iniustè fit: iustè enim ministri iustitiæ, & qui publicam habent potestatē malefactores interficiūt, & occidi faciunt. iniustè aūt auctoritate priuata homo occidit proximū suum vtrumq; aūt dicī voluntariū, quando non necessitate, nec casu aliquo fit, sed directa voluntate, communis est sententia, quam sequitur Archid. can. si quis viduam d.50. Gemin. & Præpos. can de his. eadem d. Hostien. in summ. de homic. §. qua pœna. & Gofred. in sum. de homic. Anton 3.1.tit.27 c.2.§.5. & Alexand. Alen. 3,1. 34.m.3. cum alijs multis. Hi allegati Doctores Canonistæ reprehendunt Raym. affirmantem, voluntarium homicidium semper esse peccatum, cuius contrarium ipsi docent: nec negari potest, occidunt enim, qui publicam habent potestatem malos sine vllo peccato, cumque hoc homicidium non ex necessitate, nec casu fiat, sed directa voluntate, necesse est voluntarium esse: & ex vtroque nascitur irregularitas, quamuis diuersæ rationis: ex iusto enim homicidio nascitur irregularitas ex defectu; ex iniusto autem, ex delicto. Nec probanda est descriptio Couar. qui in materia de homic. fere in principio definit, voluntarium homicidium esse, quod dolo, malóue animo fit: postea vero aliquanto inferius asseuerat, homicidium factum à iudice, & habente publicam potestatem esse voluntarium; hoc secundum verum, nam canones, vbi agitur de irregularitate, tam iustum, quàm iniustum homicidium sub hoc nomine voluntarij cōplexi sunt, quia ex vtroque irregularitas oritur. Aduerte ergo ex Præpos. can. si quis viduam d.50. & Alex. Alen. 3.p.q.34.m.2.ar.2.ad.2. & ex cōmu-

ni doctrina, ad iustum homicidium quatuor esse necessa
nempè debitam, & legitimam potestatem, iustam causa
stum ordinem, iustum animum. Isti Doctores tria numer
quia primum sub tertio comprehendunt, tamen distinctim
causa quatuor. ego adnumeraui. Erit ergo homicidium in
stum, quando vel vnum horum defuerit, & per id homi
iniustus voluntarius efficietur irregularis ex delicto; vbi ve
omnia simul conueniunt, erit homicida iustus, & irregular
ex defectu.

Primò igitur, requiritur debita, & legitima potestas in eo
qui occidendi, aut mutilandi sunt, priuata ergo persona, qu
nec iudex, nec minister est, nec publica fungens potestate, h
cidat etiam reū, & dignū morte, etiam Paganum, Iudæum, vel
infidelem quemcumq;, iuxta can. clericum d. 50. homicida n
iustus est; est enim ad iustitiam necessaria potestas, seu auctor
tas publica 23. q. 5. can. miles. Ex defectu huius potestatis clerici
ci, & religiosi occidentes hostem, etiam in bello iusto, sunt
homicidæ iniusti, quia potestas talis illis negata est, c. ex multis
de voto. §. clericis. & c. sententiam. ne cler. ver. monst. Potest ta-
men Papa dare facultatem illis pugnandi in bello iusto absque
irregularitate, vt dicit Panor. c. clerici. de vit. & honest. cleri. &
Præpos. c. 1. d. 50. num. 27. & can. clericum, eadem d. Eadem ra-
tione essent homicidæ iniusti, si occiderent bannitum, qui ex
forma statuti potest impune à quolibet occidi, vt dicit Hippol.
de Marsi. consi. 11. Si verò laicus occideret animo iusto, esset
homicida iustus, dummodò occideret in territorio proprii
principis, cuius est minister, secus si in alieno, vt dicit Silu. ho-
mic. 1. §. 7. secundum Archi. nisi dominus illius territorij con-
sentiat expressè, tacite, aut præsumptiue.

Secundò, necessaria est causa iusta, nemo enim iustè occidi
debet, nec potest, si non sit reus & dignus morte; vnde iudex
princeps, & ministri, quantalibet potestate fungantur, si occi-
dant, aut occidi faciant eum, qui innocens est, aut si reus est,
non est reus mortis, sunt homicidæ iniusti, 11. qu. 3. can. in. &
can. cum apud. hoc quidem verum est, nempè si innocens pro-
baretur nocens, & morte dignus, iudicem, qui secundum alle-
gata & probata iudicare debet, post adhibitam omnem dili-
gentiam indagandi verum, si occidat probatum nocentem,
non peccare, nec esse homicidam iniustum. vt tenet Alexand.
3. 1. quæst. 34. m. 1. articul. 4. quia causa secundum allegata &
probata est consideranda. Esset autem iniustus homicida si

les occidens in bello iniusto, & minister, qui exequeretur pœnam mortis in eum, quem certo scit iniustè damnatum. dico, quem certo scit, quia nec miles, nec minister iustitiæ debent inquirere maiorum suorum facta: sed quando certum non est maiores inique agere, etiam in dubijs tenētur credere eos habere iustam causam, can. quid culpatur 23. q. 1. Esset etiam iniustus homicida iudex, qui dignum mutilatione, aut triremibus morte plectere, vt dicit Silu. 11. homicidium 3. §. 6. non tamen si dignum morte acerbius puniret, quàm dignus esset; licet enim peccaret, non tamen iniustus homicida esset ad effectum irregularitatis ex delicto, quia causa mortis iusta interfuit, & iuste occidit.

Tertiò, est necessarius ordo iustitiæ præscriptus à legibus; qui enim occidit ex potestate, & ex causa, si ordinem debitum non seruat, est iniustus homicida; vt, si non conuictum damnauit, aut vijs illegitimis confessionem extorsit, propter quā morti adiudicauit, aut alia neglexit, quæ seruanda in causa mortis leges statuerunt: notat tamen Præpo. 11. q. 3. can. eorum in notorijs delictis non omnem iuris ordinem seruare necessarium esse.

Quartò necessarius est iustus animus; etiamsi enim adesset potestas legitima, causa iusta, & ordo debitus & iustus, si animus non esset iustus, homicida esset iniustus: animus autem iustus is dicitur, vt amore iustitiæ, & non zelo vindictæ occidatur malefactor, aut hostis 23 q. 4. can ea vindicta. & 23 qu. 5. can. minister. vbi Archid. id adnotat, & 23 q. 8. can quicumq; & ibi Gloss. & 11. q. 3 can. Episcopus presbyter. & ibi Doctores. Iuxta hoc, qui occidit bannitum, non quia bannitum, sed quia proprium inimicum, homicida est iniustus. Et miles, qui in bello iusto occidit hostem, non quia publicus hostis est, sed quia proprius aduersarius, & vindex, qui pœnam mortis in reum traditum a iusto iudice exequitur animo vindicandi se de eo. Omnes hi ex defectu animi, & iustæ intentionis sunt homicidæ iniusti.

Hæc communis doctrina limitanda, & declaranda potius videtur: nam qui præcipue mouetur animo iniusto, & zelo vindictæ, homicida esset iniustus, nempè qui occidit bannitum, occisurus, etiamsi non esset bannitus; qui in bello occidit hostem publicum, occisurus, etiam si non esset hostis publicus. At qui non principaliter eo animo mouetur, sed minus principaliter, occidit enim animo vindictæ, & odio;

non tamen occideret, nisi iustè occidere posset, & nisi testas, & causa essent: hunc non pura esse homicidam iustum ad effectum irregularitatis ex delicto peccaret quo & grauiter, sed non propter hoc esset irregularis ex delicto enim omne homicidium, quod est peccatum, seu cum pe to, est iniustum ad effectum irregularitatis ex delicto, c est maximè notandum, nisi adsit iniustitia contra proxim principaliter. quâ distinctione, nempè principaliter, & minu principaliter, insinuat Silu. homicidium 1. §. 5. vnde milites & ministri, qui aliquando ex vana gloria, auaritia, cupiditate, immoderata ira mouentur, essent irregulares ex delicto, quod non est, quia non sunt iniusti homicidæ, vnde iudex ex ma die festo malefactorem occidi facere, aut non prius admi strato pœnitentiæ sacramento, peccaret grauiter contra ca ritatem Dei, & proximi, tamen non esset irregularis ex del cto, quia iniustitiam non facit in occisione. Ecce qua homicida voluntarius iustus, & quis iniustus. Iustus es quando omnia quatuor conueniunt. iniustus est, quando vnum deest, vterque est irregularis, sed vnus ex delicto, alter ex defectu Hæc omnia dicenda sunt de mutilatione, in qua homicidij & mutilationis genere semper incurritur irregula ritas, siue ex delicto, siue ex defectu, excepto in vno casu, quando membrum aliquis secat alteri gratia sanitatis, vt Chirurgi solent facere, hi nullum ex hoc incurrunt irregularitatem, imò nec si ea de causa aliquis sibi ipsi membrum abscinderet, vti diximus supra de corp. viti ex Innoc. & idem sequitur Pra positi.

Aduerte aũt circa homicidium voluntarium iniustum, s solũ esse homicidã, qui de facto occidit, sed qui dedit causa sufficientem mortis, etiam si ab alijs sit occisus: verbi gra quidem percussit alterum lethaliter, & antequam animam halaret, ab alijs est occisus, censetur ille primus etiam homi da voluntarius, & hic est casus c. significasti. 2. de homi & Panor. nu. 7. dicit id esse verum, quantum ad irregularitat Aduerte etiam esse homicidam voluntarium, non quide rum, sed iuris interpretatione eum, qui voluntate occidendi percussit alterum, non lethaliter, tamen ab alijs superueni tibus est occisus, etiam si ille non hos induxerit ac occidendi hic propter voluntatem occidendi coniunctam operi, & ve neri, etiam non lethali, est homicida voluntarius, non re, sed iuris interpretatione, quæ habentur eodem cap. significasti de ho

de homici. quod si non voluntate occidendi percussit, non lethaliter, & alij superuenerunt, & occiderunt, tunc ad casuale homicidium pertinet, de quo inferius dicetur. Aduerte rursus homicidium factum in rixa repentine, & calore iracundiæ, etiam si minor culpa sit, esse voluntarium homicidium. ita habet Ioan. Andr. c. de infantibus. de ijs, qui fili. occid. & titulus ipse idem probat. Aduerte postremò, quando multi interfuerunt ad percutiẽdum vnum, & nescitur cuius vulnere is occisus est, debet quisque reputari irregularis, quia tutius est, c. significast. 2. de homic.

De irregularitate homicidij ex necessitate facti.

CAPVT LXXIX.

HOmicidium ex necessitate est, quod aliquis committit non sponte, sed impulsus necessitate ad defensionem ab iniusta oppressione. est autem triplex defensio. Vna est vitæ propriæ, nimirum quando aliquis inuasorem, & occidere volentem occidit, vt vitam propriam tueatur. Altera est defensio vitæ proximi, quando nempè aggressorem, & inuasorem proximi occidit, vt proximum à morte iniusta liberet. Tertia est defensio bonorum temporalium, quando latronẽ, & rapere bona volentem occidit, vt bona propria tueatur. de horum singulis est particulariter tractandum. De prima ergo defensione aduertendum est ex Glo. can. de his. d. 50. & ex communi doctorum sententia, duplicem esse necessitatem defendendæ vitæ propriæ: Vna est ineuitabilis, quando nimirum aliter non potest homo suam tueri vitam ab iniusto aggressore, nisi eum occidat. Altera est euitabilis, quando posset tueri vitam propriam alio medio, absque eo quod occidat inuasorem, sed modum defensionis transgrediens eum occidit, volens tutius & securius agere. quando ergo homicidium fit ex necessitate ineuitabili, dicitur fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando vero non est necessitas ineuitabilis dicitur sine moderamine inculpatæ tutelæ, quia non seruat moderamen, quod seruari debet, vt sine culpa vitam propriam tueatur. His sic suppositis notanda sunt aliqua.

Primò, qui occidit inuasorem, seruato moderamine, id est, quando aliter vitæ suæ propriæ consulere non potest, non

solum non peccat, sed non irregularis est. quātum ad primam partem de peccato, nulla est difficultas, quia iure naturali licet vnicuique vim illatam propulsare, quod intellige quando non ex odio, aut vindicta occidit, sed vt seipsum defendat, & propriæ vitæ consulat. Posterior autem pars de irregularitate olim erat olim sic, immò qui occidebat, etiam ad iustam sui defensionem, non erat ab irregularitate immunis, non quidem ex delicto, sed ex defectu. ita Innocen. cap. ad audientiam. de homicid. & capit. 2. de cleric. pugn. in duel. & Sanct. Thom. 22. qu. 64. art. 7 & alij antiqui scriptores senserunt: at postea facta est Clemen. furiosus. de homic. vbi occidens, aut mutilans suum inuasorem, aliter mortem vitare non valens, ab omni irregularitate est immunis, nec in hoc dicto vlla est iam controuersia.

Secundò, etiam personis Ecclesiasticis, licet ad vitæ propriæ ineuitabilem defensionem occidere absque peccato, & irregularitate. ita habet Panorm. cap. si aliquis de homi. Hoc etiam dictum est commune, & patet ex cap. significasti. 2. de homic. nec est verum, quod dicit Gloss. can. de occidendis 23. q. 8. Clericum debere permittere potius se occidi, quam occidere, sed debet intelligi, quando non est ad defensionem necessariam. quod si Gloss. etiam in hoc casu loquatur, falsa est, quia defensio sui fundatur in iure naturali, quod commune etiam est personis Ecclesiasticis, nec potest tolli per ius positiuum. Nec huic decisioni est contrarius can. de his d. 50. vbi videtur puniri clericus, qui ad sui defensionem occidit Paganum, ibi enim Gloss. respondet intelligi de eo, qui occidit non necessitate ineuitabili. Gemini. tamen aliter respondet, nempe intelligi de irregularitate, quam contrahebat occidens ad sui defensionem ante Clemen. at iam est ablata iure nouo, & sic S. Thom 22. qu 64. art. 7. ad 2. cum canonem interpretantem procedat, non de peccato, sed de irregularitate. quæ tunc contrahebatur.

Tertio. inuasor, seu aggressor est censendus, quando cum armis venire contra nos videtur: non enim expectandum est, vt ille vulnerare incipiat, aut bombardam emittat, sed satis est si venientem, & irruentem videamus, nec euadere aliter possimus. hoc est Ioan. And. cap. si perfodiens. de homic. vbi secundum Bartol. dicit, si video venientem cum cultello contra me, tunc esse iustam defensionem. & Archid. can. de his dist. 50. strepitum armorum dicit facere iustum metum ad

fectum defensionis ; debent tamen arma considerari, vt talia sint, ex quibus periculum vitæ immineat, probabiliter , nisi occidendo, aut mutilando se defendat. Aduerte autem, eum dici inuasorem, seu aggressorem , qui non prouocatus prior in alterum insurgit. Qui ergo talem, se defendendo, occidit, aliter euadere non valens , dicitur inuasorem iustè occidisse; quando vero prouocatus est , quia verbo, aut facto iniurioso lacessitus , ad vindicandum sua arma capit , non censetur aggressor , vnde qui eum occidit , non dicitur ad defensionem occidisse inuasorem, quia ipse prior causam iniustam dedit.

Si ergo occiderit, erit irregularis ex delicto homicidij voluntarij. similiter etiam ipse lacessitus , si occiderit , quia non debuit se vindicare, & ex vtraque parte occidens erit irregularis ex delicto, hinc sequitur , si aliquis intrauit domum alterius furandi causa , vel vt aliquod delictum perpetraret , qui verò intus erant insurrexerunt in eum , ipse vero defendendo se , occidit , erit homicida voluntarius , & irregularis ex delicto , quia causam iniustam dedit , nec illi censentur aggressores ad effectum irregularitatis vitandæ in eo, qui occidit.

Quarrò , qui occidit aggressorem ad euitandam propriam mutilationem, aliter eum euadere non valens , non quidem peccat, sed est irregularis ex defectu. hoc est contra Cardin. in eadem Clementin. Silu. homic. 3. §. 6. & Couar. qui tenent nec esse irregularem, sed contrarium tenet Gonsal. de Villadiego tractat. de irregularit. capt. de percussore , & hoc est probabilius. De peccato non est controuersia , quia iusta est defensio membrorum propriorum , tamen quantum ad irregularitatem non est immunis, & ratio est, quia iure communi ante Clement. etiam ex iusta sui defensione contrahebatur irregularitas : at per Clement. abrogatum est ius commune. id solum ergo abrogatum est , quod per Clemen. declaratur : at Clementina solum excipit eum, qui ad sui defensionem non valens aliter mortem vitare, suum occidit inuasorem. in hoc autem casu poterat euadere mortem . Non igitur immunis est ab irregularitate , nec valet dicere quia paria sunt, quantum ad irregularitatem, mutilatio, & homicidium, hoc enim inualidum est argumentum, sunt quidē paria quantum ad hoc , quod ex vtroque contrahitur irregularitas , sed non quantum ad hoc, quod, quidquid de homicidio stabiliter, sit de mutilatione dicendum, alias enim non esset irregularis

qui potens euadere mutilando occideret, cuius cõtrarium fa-
tim dicemus, & ipsimet affirmant. præterea in Clem. habe-
qui mutilat, aut occidit non valens aliter propriam mortem
euadere. vtrumque coniungitur respectu inuasoris, non au-
tem respectu occidentis, sed solum vnum, nempè quando nõ
potest mortem euadere, nec valet, non esse peccatum occide-
re ad vitandam mutilationem propriam, quia irregularitas
hec etiam sine peccato contrahitur, vt statim dicemus in mul-
tis casibus.

Quintò, qui occidit non seruato moderamine, nempe ne-
cessitate euitabili, quando mortem euadere poterat, semper
est irregularis, tamen non semper ex delicto, quia aliquando
peccat, non seruando moderamen, aliquando non peccat;
quando peccat, erit irregularis ex delicto, quando vero non,
erit ex defectu, quod in casibus aliquibus manifestum est, ideo
dico.

Sextò, qui potest vitam tueri non occidendo inuasorem,
sed tantummodò mutilando, peccat, si occidit, & irregularis
est ex delicto. ita dicit Silu. homicidium 3, §. 6. & ratio est, quia
non licet occidere, nisi quando aliter non potest euadere, at
hic potuit euadere non occidendo. ergo grauiter peccauit, &
ab irregularitate delicti non est immunis.

Septimò, qui potuit fuga euadere, si fuga ei dedecus & infa-
miam inducit, quia vir nobilis, aut miles est, aut eius condi-
tionis, cui multum infamiæ fuga inferret, non tenetur fugere,
& si aliter non potest euadere, potest sine peccato occidere, ir-
regularis tamen erit ex defectu, non ex delicto. hoc dictum est
Panor. c. olim. de restit. spoliat. & Præpos. can. ex præmissis d.
50. num. 26. quidquid quidam in contrarium dicant; est enim
graue detrimentum honoris in similibus personis, & non mi-
nus in multis, quam alicuius membri mutilatio. Quando er-
go honor benè ordinatus est, & non vane appetitur, sed pro-
pter honestum finem, tunc non peccat, si nolit fugere, sed se
defenderit: in defensione autem, si non potest vitam tueri, nisi
occidendo aduersarium, licite occidit, tamen est irregularis,
quia Clem. non excipit ab irregularitate, nisi eum, qui aliter
vitam tueri non poterat.

Octauò, quod si est persona Ecclesiastica, cui fugere non est
infamia, quia alterum profitentur militiam, aut si secularis,
cui parum dedecoris fuga adfert, quia homo minoris cõditio-
nis, aut alia quauis de causa, hic, si occidat inuasorem, peccat

graui-

grauiter,& est irregularis ex delicto.Hoc dictum est prædictorum doctorum,& est commune, quod limita, nisi in fuga imminеret periculum,quia aduersarius à tergo noceret, aut simul aliqua causa,tunc enim non tenetur fugere, nec reputatur tunc per fugam talem euadere posse.Ita Præpos.can.1.d.50. num.26.

Nonò,qui inuasorem fugientem,aut recedentem ab inuasione insequitur,etiam si vulneratus sit ab ipso inuasore,& insequendo occidit,aut mutilat,peccat, & est irregularis ex delicto,non quouis modo, sed ex homicidio voluntario, iam enim non est necessitas defensionis, sed vindicta. Ita habet Gloss.cap.si perfodiens.de homi.Archidi.& Præpo.can.de his. d.50.

Hæc dicta sunt de homicidio ex necessitate ineuitabili,& euitabili propriæ personæ: vbi vnum maxime attende pro intelligentia legitima cuiusdam decreti Concil.Trid. & multarum facultatum a Sede Apostolica emanantium super dispensatione ab irregularitate,nempe,qui occidit,aut mutilat se defendendo in casibus,in quibus contrahit irregularitatem,nimirum quando necessitas euitabilis est, non esse irregularitatem ex homicidio voluntario,siue sit ex defectu,vt quando sine peccato occidit;siue ex delicto,quando cum peccato, vtraque enim irregularitas oritur ex homicidio huiusmodi, vt ex antecedentibus constat.hoc constat ex ipso Concilio Tridentino sess.14.cap.7. distinguit enim tres irregularitates ex delicto,vnam,quæ oritur ex homicidio voluntate perpetrato: Alteram ex homicidio necessario ad propriæ vitę defensionem. Tertiam ex casuali:res autem certa est, quando defensio ineuitabilis est, nullam oriri irregularitatem. Ergo necesse est fateri, Concilium procedere in defensione necessitatis vitabilis,quando moderamen non seruatur,quæ est ex delicto:hanc autem irregularitatem distinxit ab ea, quæ oritur ex homicidio voluntario,& casuali. Igitur irregularitas ex homicidio necessario,etiam si sit ex delicto, quia modus non est seruetus,non erit ex homicidio voluntario,quod etiam ante Concilium multi senserunt; nam Gloss.can.de his.d.50.Archidi. Gemi.Præpo.& quotquot,vt superius diximus, diuiserunt homicidium in voluntate,necessitate,& casu perpetratum. Omnes hi homicidium necessitate factum subdistinxerunt in id, quod sit necessitate vitabili,& id in id,quod sit necessitate ineuitabili,vtrumq; à voluntario separantes,hinc fit, vt quando

Concilium Trident. sess. 24. cap. 6. concedit Episcopis facultatem dispensandi in omni irregularitate ex occulto ex delicto proueniente, præter eam, quæ oritur ex homicidio voluntario non sit excepta ista, quæ prouenit ex homicidio ex necessitate, non seruato moderamine, quia hæc non censetur esse ex homicidio voluntario, etiam si sit ex delicto. Præterea quando est sine peccato, vt in eo, qui potuit, non tamen tenetur fugere, & ideo est irregularis ex defectu, non censetur esse ex homicidio voluntario, quamuis licito, sicut est ea, quæ est in iudice, & milite, & alijs huiusmodi; hi enim sunt irregulares ex irregularitate homicidij voluntarij ex defectu, vt quando conceditur facultas dispensandi in omni irregularitate, siue ex delicto, siue ex defectu, præter eam, quę est ex homicidio voluntario, non excipitur ista, quæ est ex homicidio defensionis, quia non est homicidium voluntarium, quod multum est obseruandum.

Quantum attinet ad homicidium factum in defensione vitæ proximi, vt liberetur ab iniquo aggressore, sunt aliqua etiam adnotanda.

Primò, qui occidit, aut mutilat inuasorem proximi, vt consulat vitæ illius, quando aliter non potest consulere, non peccat, tamen irregularis est ex defectu. prior pars de peccato communis est, & habetur cap. ex delicto de sen. excom. in 6. immo obligatorium est, quilibet enim tenetur. si potest sine suo periculo, etiam clericus proximum ab inuasore iniquo defendere, vt ex eodem cap. constat. Posterior pars de irregularitate, quamuis quidam teneant esse ab irregularitate immunem, tamen contrarium est certius & verius, quod tenet Glos. Clem. vni. de homic. nam ibi non excipitur, nisi qui suum inuasorem occidit, aut mutilat, aliter propriam mortem euadere nó valens. Qui ergo occidit in defensionem amici, fratris, etiam patris, licet non peccet, & recte agat, irregularis est, sicut & iam olim erat occidens in propriæ vitæ necessariam defensionem.

Secundò, si moderamen non seruetur in tali defensione, quia nimirum potuit proximum defendere absque occisione aggressoris, tunc peccat, & irregularis est ex delicto, vt etiam dictum est in defensione vitæ propriæ, nec est in hoc controuersia.

Tertiò, hæc irregularitas in vtroque casu est ex homicidio voluntario, in priori ex defectu, sicut in milite, & ministro

iusti-

iustitiæ;in posteriori ex delicto, sicut in priuato occidente alium quemuis,quamuis non sit tanta culpa, quia id efficit in defensionem proximi.Hoc dictum est multum aduertendum pro facultatibus dispensandi concessis: vtriusque autem dicti ratio est,quia qui inuasus est, dicitur occidere ex necessitate: at qui inuasum ab alio defendit,cum ipse non sit in necessitate,quia inuasus non est,sponte id facit, eiusq; homicidium ad voluntarij genus spectat,siue iuste,siue iniuste fiat,vnde canones,& Doctores,qui de homicidio ex necessitate facto locuti sunt,omnes huius tantum meminerunt, quando fit in defensionem propriam.

Quartò,qui iuuat defendentem se contra iniustum inuasorem,si ipse,qui inuasus est,occidat, quando occidere ei licet, nimirum seruato moderamine,ipse,qui iuuat, nullam incurrit irregularitatem,etiamsi vulneret,dummodo non sit lethale vulnus. Hoc dictum est ex communi doctrina sumptum, nam sicut in bello iusto non omnis, qui pugnat & vulnerat, irregularis est,sed ille,qui proprijs manibus occidit, aut mutilat, quamuis omnes adiuuent se mutuo, vt constat ex capit. petitio. de homicid ita fit in hoc bello particulari iusto. Hæc de homicidio in defensionem alterius vitæ dicta sunt.

Quantum autem ad defensionem bonorum temporalium graues Doctores tenent, nõ licere vlli ad solam defensionem bonorum temporalium occidere aggressorem, etiam si aliter illa conseruare non possit,licet quidem defendere, & in defensione vulnerare inuasorem,sed non occidere,in qua opinione fuerunt Innocen cap.si vero.1.de sen.excom & Panor.cap. interfecisti.de homi. cum alijs. At contrariam partem tenent Anton 3.p.tit.4.cap 3.Silu.bellum.2.§.2.Caie.22.q.64.art.7. & Sotus lib.5.de iust.q.5.artic.8. cum alijs multis. & hæc est verior & probabilior opinio;in cuius gratiam sunt aliqua adnotanda.

Primò,personis religiosis, & Ecclesiasticis non licet occidere aliquem in defensionem bonorum temporalium, sed potius eorum iacturam pati debent,quàm occidere, hoc dictum est commune,& habetur cap.interfecisti.& cap.suscepimus.de homic.vnde si occiderent ea de causa,irregulares essent ex delicto,vt constat ex capitibus allegatis.

Secundò,non licet etiã secularibus personis, quando res est parui momenti,occidere inuasorem, sed potius est facienda

iactu-

iactura.hoc dictum est Soti loco allegato,& ratio id cõfirm. Rursus,nec licet occidere,quando potuit comprehendi lat. & eripi furtum,aut rapina de manibus eius citra mortem,& etiam quando via est aliqua recuperandi bona, etiam si tum rapi permittantur.His tribus casibus nõ licet occidere,vt prafati Doctores tradunt.extra hos verò casus dico.

Tertiò, licere in bonorum temporalium defensionem inuasorem occidere,quando omnino aliter bona conseruari nõ possunt hoc dictum probatur efficaciter ex cap.interfecisti.de homic. vbi ei,qui occidit se suaque defendendo, pœnitentia necessaria non imponitur,quia laicus erat, si tamen esset sacerdos, tanquam reo homicidij imponitur grauis pœnitentia;hinc sumitur argumentum, si de defensione vitæ sermo ibi est,par est ratio laici,& sacerdotis, nec erat, cur vni pœnitentia,non alteri imponeretur,licet enim clericis occidere in propriæ vitæ defensionem. Igitur sermo est de bonis temporalibus, in quorum defensione non licet clericis occidere, licet autem laicis. Quod si dicas cum quibusdam, licere laico defendere bona sua a latrone, & si latro conuertat se in personam laici,vel*que eum occidere,vt bona tollat, tunc licebit occidere in defensionem vitæ. Hæc responsio nullius est momenti,nec argumenti efficaciam minuit: nam si non liceret in bonorum defensionem occidere, non etiam licere in eo casu occidere in defensionem personæ:nam suæ personæ consulere potest dimissis bonis. Si ergo tunc defendit personam, & occidit licite,ideo fit,quia bona sua tueri licet,& inuasorem occidere, si aliter ea recuperare non potest. Est igitur argumentum efficax,quo dictum assertum confirmatur,& est quidam contradictio in Panorm.ipse enim,vt paulò superius diximus,tenet,in defensione vitæ propriæ illum non teneri fugere,cui magnum dedecus fuga inferret, etiamsi per fugam posset euadere mortem,sed posse occidere inuasorem. Si ergo ad defensionem honoris potest occidi licite inuasor, cur non etiam ad defensionem bonorum temporalium, quando non possunt aliter conseruari, nec est spes ea amplius recuperandi:adde,si id non liceret, vix bella multa iustificari possunt, quæ fiunt ad temporalium defensionem, & in quibus multa homicidia perpetrantur.

Quartò, qui occidit in bonorum temporalium defensionem,irregularis est, non quidem ex delicto,sed ex defectu in casu,in quo licet occidere. hoc est contra Armil.ver.homicidium.

dium.§.3.qui etiam ab irregularitate excusat, sed sine fundamento: nam Clemen. allegata solos eos excusat ab irregularitate, qui inuasorem in propriæ vitæ defensionem occidunt, aliter mortem euitare non valentes; ex quo sequitur, quod eum, qui occidit latronem volentem rapere bona, & occidere, si resistat esse irregularem, quia etiamsi vitæ propriæ consulat, tamen in eo casu non est necessariam occidere ad eam tuendam, cum possit dimissis bonis illam seruare, sicut & ille, qui posset fugere, tamen non fugit propter dedecus, & infamiam, vtrumq; licitè facit, tamen irregularis est, quod si est persona Ecclesiastica erit ex delicto, secus si latro vtrique simul insidiaretur, nempe vitæ, & bonis, quia vtrique liceret occidere, nempe clerico, & laico absque vlla irregularitate.

Quintò, defensio bonorum propriorum facit homicidium non quidem voluntarium, sed ex necessitate, sicut & defensio honoris in eo, qui potuit fugere. Siue ergo sit ex delicto, siue ex defectu, irregularitas hæc ex homicidio necessitatis procedit: nam bonorum propriorum defensio ad quandam personæ defensionem pertinet.

Sextò, si quis, postquam latro rapuit bona, incontinẽti eum persequitur, quia forsan amici in auxilium eius superuenerunt, vt recuperet bona, quando spes nulla est alia via recuperandi, & tunc in conflictu, quia aliter bona recuperari non potuerunt, occideret latronem; irregularis quidem esset, tamen non esset peccatum, ac si in ipsa ablatione occideret, quia idem actus propter temporis breuitatem reputatur. Hoc dictum est Gloss. cap. significasti. 2. de homic, nec est eadem ratio de eo, qui fugientem inuasorem vulneratus insequitur, & occidit, quia hæc est vindicta; non enim facit hoc, vt recuperet ablatum: nam vulneri accepto per id non medetur: at qui latronem insequitur, facit, vt sua recuperet, quæ vere possunt recuperari. Hoc dictum Glossæ probabile est.

De irregularitate ex homicidio casuali.

CAPVT LXXX.

HOmicidium casuale, vt supra diximus, est, quod fit præter intentionem occidentis, aut id, vnde mors sequitur facientis: dupliciter enim aliquis homicidium casuali

sualiter,& præter intentionem committere potest;vno mo immediate,quando est ipse causa proxima occidendi, vt in venatione proijcit sagittam in ceruum, & præter intentionem configit hominem. Altero modo, quando est causa mediata,& remota, nempe ipse non occidit per se,sed fecit aliquid ex quo hominis occisio per alium facta est, aut per eundem met,qui occisus est, vt qui leonem domi educauit, qui non bene custoditus occidit ingredientem hominem, aut qui equū percussit,qui calce occidit puerum;aut qui iniuria lacessit aliquem,qua commotus, qui ea affectus est, semetipsum occidit.Sunt huiusmodi casus multi, in quibus mors,aut mutilatio præter intentionem occidentis,aut causam mortis dantis eueniunt,& aliquando contrahitur irregularitas, aliquando verò non.

Quæ omnia Doctores communiter solent distinctione gemina explicare;nam qui occidit,aut causam mortis dedit,debat operam rei illicitæ,ex qua opera mors est secuta, aut debat operam rei licitæ,& si licitæ rei dabat operam, aut præmisit diligentiam,ne mors sequeretur,aut non. Hæc distinctio est Gloss.cap.sicut dignum. & cap.continebatur.de homic.Innocen.cap.ad audientiam.& Panor.cap.continebatur.codtur. & Præpos.can.1.d.50.nu.26.& S.Thom.22.q.64.art.8.& est communissima, ex qua tres regulæ deducuntur, quibus totaæ materia elucidatur.

Prima,qui operam dabat rei illicitæ, ex qua mors siue per se,siue per alium est secuta,etiamsi sit præter eius intentionē, est irregularis ex delicto, etiamsi omnem diligentiam præmiserit,ne quis occideretur.ita habet Silu homic.2.§.2.& Couarr.& est communis sententia: quomodo autem limitanda sit,dicam capite sequenti:

Sotus verò lib.5. de iusti. q.1. art.9. dicit hanc regulam non haberi iure expressam,sed Doctores communiter a contrario sensu eam collegisse ex nōnullis capitibus, in quibus quidam ab irregularitate excusantur, quia operam dabant rei licitæ, seu quia non dabant operam rei illicitæ;hinc colligunt, ergo irregulares essent,si darent operam rei illicitæ.ita habetur cap. dilectus.& cap.ex literis.2.de homic.hæc dicit Sotus,nec est ad rem censura Nauarri cap.27.num.221.dicentis, nimis audacter Sotum dixisse,non esse textum probantem, qui dat operam rei illicitæ esse irregularem, cùm tamen argumentum a contrario sit validum in iure,hoc, inquam, non est ad rem,

quia

quia Sotus non negauit, immo expresse affirmauit à contrario sensu deduci ex textibus; nec dixit non esse textũ probantem, sed non haberi in iure, sed Doctores collegisse, quod in iure non erat expressum: longe enim aliud est, hoc colligitur, & deducitur ex iure, & hoc habetur in iure. Omissa ergo accusatione Nauarri, vera obiectio contra Sotum, & contra eundem Nauarrum ea est, quia verè id habetur in iure expressum, & absque vllo argumento à contrario deductum: nam cap. is qui. de homic. in 6. habetur, eum, qui mandauit verberari, expresse prohibendo, ne occideret, esse irregularem, si mandatarius occidat, quia in culpa fuit mandando. Ecce homicidium præter intentionem, immo contra intentionem mandantis imputatur ad irregularitatem, quia in culpa fuit mandando; idem autem omnino est in culpa esse, & dare operam rei illicitæ. Huius regulæ exempla multa sunt.

Primò, qui percussit aliquem animo non occidenti, tamen verè mortuus est, etiamsi sit ex medicorum, vel infirmi incuria, aut ex morbo occasione vulneris superueniente, est irregularis, quia operam dedit rei illicitæ, vnde mors est secuta.

Secundò, qui iniquam rixam cum altero habuit, & amici eius superuenerunt, & occiderunt illum eius intuitu, etiam præter voluntatem illius, irregularis est, quia dabat operam rei illicitæ, propter quam homicidium factum est; secus si superuenientes illum occiderunt non eius intuitu, sed quia inimicus erat etiam eorum, & propria de causa. ita Panormit. & Anani. cap. Petrus de homi. & colligitur ex eodem cap. quod intellige, si, postquam superuenerunt, non iuuit illos, nec à principio clamauit alios conuocando. aut aliquid aliud fecit, quod fuit causa mortis. ita Innocen. cap. significasti. de homic.

Tertiò, si quis percussit alterum, non lethaliter, nec animo occidendi, tamen vulneratus illo vulnere factus est impotens ad fugiendum, vel se defendendum, & sic ab alijs est occisus, etiam non intuitu percussoris, est irregularis. ita Anan. cap. significasti. num. 46. & ibi Panormit. si tamen nec animus erat occidendi, nec vulnus impediuit à defensione, nec intuitu eius occisus est, tunc non est irregularis.

Quartò, clericus venationi, in qua sagittæ, aut sclopeta emitti solent, incumbens, & casu occidens, quantumcumque

omnem

omnem prius diligentiam adhibuerit, irregularis est, qui peram dabat rei illicitæ, & talibus personis prohibitæ. Prz can. 1. nu. 26. d. 50.

Quintò, clericus in maioribus, vel in minoribus habens beneficium, indulgens Chirurgiæ, in qua incisio vel adustio habetur, si ex eius incisione facta infirmus moriatur, quamuis sit doctus ac peritus, & etiamsi ex incuria propria infirmus moriatur, irregularis est, cap. tua nos. de homi. quia dabat operam rei talibus personis prohibitæ, cap. sententiam. de cle. vel mona.

Sextò, qui mulierem pregnantem inhoneste ludens, per zonam arripuit, vnde sequitur abortus animati fœtus, est irregularis, cap. sicut 2. de homi. quia dabat operam rei illicitæ.

Septimò, qui absque consilio medici potionem dedit infirmo, ex qua mortuus est, quamuis bono animo fecerit, irregularis est, quia dabat rei illicitæ operam, cùm non esset peritus in arte. ita Innocen. cap. tua nos. de homic. vnde custodientes infirmum, & dantes aquam, vel vinum cõtra mandatum medici, vel sine eo, vnde mors est secuta, sunt irregulares, Prapo. can. 1. d. 50. nu. 27.

Octauò, qui in torneamẽtis alterum percutit, etiam animo ludendi, & vires exercendi, si moriatur ex vulnere, irregularis est, quia rei prohibitæ operam dabat, est enim prohibitus ludus hic cap. fœlicis de torneam.

Nonò, qui infantes tenellos in lecto secum collocant & opprimunt dormientes, sunt irregulares, quia dant operam rei illicitæ, cùm id sit prohibitum can. consuluisti. 2. q. 5. Quod si propter paupertatem coacti sunt in eodem lecto collocare, & non adhibuerunt diligentiam, & opprimant, sunt irregulares, secus si adhibuerunt diligentiam.

Altera regula est, qui operam dat rei licitæ, si tamen non adhibuit prius diligentiam, ne mors sequeretur, si ea postea sequatur, irregularis est; eundem enim effectum facit dare operam rei illicitæ, & dare operam rei licitæ, non adhibita diligentia, ne mors sequatur, quæ diligentia tunc est adhibenda, quando aliquod est periculum, in opera ipsa licita, alias non est opus diligentia, quod adnotat Panormit. cap. ex literis. 2. de homic. dicens, non teneri aliquem clamare, quando proijcit rem in locum solitum, & per quem nullus cõsueuit pertransire. idem Ana. ibidem. Huius regulæ sunt aliquot exempla.

Primò,

Primò, secularis, cui venatio ferarum cum sagittis, & sclopetis non est interdicta, si casu occidat aliquem, quia nō præmisit diligentiam, vt si prope viam venabatur, aut in loco, in quo solent esse homines, irregularis est, quia etiamsi daret operam rei licitæ, oportebat prius diligentiam adhibere, quando locus ille hominum commercio vicinus erat, aut aliqui in eo versari soliti erant.

Secundò, tecta mundans, lapidesq; proijciens in via, si casu percutiat transeuntem, & occidat, irregularis est, si non adhibuit diligentiam, ponendo signa, vt cautè viatores transirent, aut prius clamando, vt omnes cauerent.

Tertiò, presbyter volens corrigere puerum de sua familia, cingulo, quo cingi solebat verberauit, contigit quod cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus eum in dorso vulnerauit, & occasione vulneris mortuus est, irregularis censetur cap. ad audientiam de homi. non enim diligentiam debitam adhibuit, etiamsi daret operam rei licitæ.

Quartò, qui puerum quendam intuitu disciplinæ percussit in capite, & post paucos dies occasione vulneris interijt, vel in aliam infirmitatem, ex qua mortuus est, incidit, irregularis est, quia non adhibuit modum, & diligentiam in disciplina alias licita, cap. presbyterum. de homic.

Quintò, quidam laicus ludens cum Diacono insiluit equitans super eum, casu autem percussus est à falce Diaconi, quā ad latus habebat, & ex vulnere expirauit, Diaconus irregularis efficitur, cap. continebatur, quia incautus fuit; debuit enim in tali ludo prius falcem à se remouere. Quamuis ergo daret rei licitæ, & non prohibitæ operam, tamen diligentia non fuit adhibita.

Sextò, Chirurgus, aut medicus, etiam secularis, qui licitæ rei operam dat, si ex incuria sua, & imperitia, quia scidit infirmum, aut potionem dedit, quando non oportuit, & inde mortuus est infirmus, est irregularis, quia non adhibuit debitam diligentiam.

Septimò, qui infirmum morti proximum de loco mouet, ideoq; infirmus citius moritur, irregularis est, etiam si bono fine, & non intentione id mortis faciat, si tamen id incautè, & non adhibita diligentia faciat.

Octauò, qui leonem, aut vrsum, aut cornupetam taurū habet, & non adhibet diligentiam, vt, si leo, aut vrsus, aut simile animal sunt, ligati sint, & benè custoditi, aut habet in vijs pu-

blicis etiam ligatos, si casu transeuntem occidant, irregularis est. Si etiam est taurus cornupeta in agris, & ille non prænet, vt viatores à via declinent, aut diligentiam adhibe viatores offendat, est irregularis. si homicidium sequatur his casibus irregularitas est ex opera licita, quia diligentia adhibetur.

Nonò, qui mittit puerum ad aquandum equum in flumine, etiamsi moneat, vt caueat, si casu suffocetur, irregularis est, quia non adhibuit omnem diligentiam. ita Præpos. can. 1. d. 50. numer. 26. allegans Hostiens. quamuis hoc potius ad regulam præcedentem pertineat, quia dabat operam rei illicitæ.

Tertia regula, Quando aliquis operam dat rei licitæ, & adhibet diligentiam, ne sequatur mors, si casu aliquo, & præter intentionem eius sequatur, non est irregularis. Huius regulæ habemus multa exempla etiam in iure.

Primò, in cap. lator. de homic. Dum quidam cum quodam clerico luderet, & eum proijceret in terram, cultellus, quem proiectus clericus habebat, incidit in proijcientem, & percussus occubuit, hic non est factus irregularis, quia non dabat operam rei illicitæ, & casus fuit omnino fortuitus, vbi aduerte quod supra adnotaui, diligentiam esse adhibendam, quando inest aliquod periculum. secus non est necesse; ludus enim hic non erat periculosus, sed casu contigit, vt proijceretur in terram clericus; si enim periculosus esset, debuerat ante ludum clericus proijcere cultellum, & non proiecto defuisset necessaria diligentia, sicut defuit in illo, de quo supra diximus ex cap. audientiam. de homi. qui irregularis fuit, quia falcem non abiecit, ludus enim ille erat periculosus: at non hic de quo nunc loquimur.

Secundò, in cap. dilectus. de hom. Quidam Capellanus cum quadam corporis molestia grauaretur, vt comedendi appetitum excitaret, equum, quem nutriebat, ascendit, qui cum non bene pareret habenis, sed præter sessoris arbitrium saltibus insciuiret, ipse vt refrenaret equi impetum, freno vim intulit, & calcaribus stimulauit: equus autem freno fracto currens festinanter, abiecto sessore irruit in mulierem baiulantem puerum ipsumq; puerum oppressit. talis non censetur irregularis, non dedit enim operam rei illicitę, nec culpam vllam in hoc commisit. Vbi aduerte, hunc nesciuisse equum esse ferocē, si enim sciuisset, & ipse imperitus esset equitandi, aut si peritus esset,

non curasset freno vti forti, quod facile rumpi non posset, esset irregularis, quia diligẽtiam non adhibuit, vt ibi dicit Glos. & hic est casus in cap. significasti. de homicid. vbi equus Buccadurus, præter voluntatem clerici sedentis, mulierem interfecit raptus in cursum, hic, quia nesciebat prius vitium equi, non censetur irregularis, sed ad cautelam ei imponitur pœnitentia.

Tertiò, in cap. ex literis. de homi. Cum quidam presbyter fœnum de curru deponere vellet, perticam superius alligatam proiecit in terram, postea puerum quendam iuxta currum seminiuum reperit, in quo præter liuorem in fronte nihil inueniri potuit læsionis, qui mortuus est. hic accessit ad Papam, qui cùm intelligeret, presbyterum, antequam proiecisset perticam, circumspexisse diligenter circum circa, an vllus esset circa currum, declarauit eum nõ esse irregularem, quia dabat operam rei licitæ, & adhibuit diligentiam. adiecit Papa, quod si laborat infamia, aut scandalum est, nimirum quia eum culpabilem cæteri putant, non debet sine purgatione permitti celebrare, quę intellige, quia non creditur debitam diligẽtiam adhibuisse. Debet ergo purgari, vt constet adhibuisse diligentiam, quod ad forum exterius pertinet.

Quartò, cap. ex literis. 2 de homi. Quidam monachus campanam de campanili deponebat, lignum autem ipsa motione cadens puerum occidit. hic si rem vtilem agebat, & in loco, per quem aliquem eo tempore transire, aut ibi existere, aut illuc venire consuetum non erat, non censetur irregularis adde si tamen eo tempore fecit, quo aliqui ibi esse, aut transire consueuerant, nec adhibuit diligentiam, aut si rem non bonam agebat, quia malo aliquo fine campanam dimouebat, tũc esset irregularis, quia aut daret operam rei illicitæ, aut, si licitæ, non adhibuit diligentiam debitam.

Quintò, cap. exhibita. de homic. Puer cum coætaneis ludẽs, & vnum insequens illorum, lapidem, non animo lædendi, sed timorem incutiendi proiecit, ille in alterum lapidem corruẽs caput offendit, & mortuus est, tum propter imperitiam medici, tum propter incuriam patris. hic non censetur irregularis, quia non dabat operam rei illicitæ, nec vlla in hoc diligentia adhiberi potuit; vbi aduerte, Innocen. hunc textum intelligere, quando qui corruit, & offendit in lapidem, non id fecit timore, vt declinaret propter proiectum lapidem, tunc enim esset proiector irregularis, at re vera text⁹ loquitur de eo,

qui timens lapidem, etiam à tergo proiectum declinauit, dicit, quamuis non sit lapide percussus, nec tactus, tamen ruens offendit in alium lapidem, quasi diceret, motu lapidis proiecti territus declinauit, & corruit, vt fieri solet; declinamus in alteram partem, quando proiectum lapidem à tergo sentimus, & ita Panorm. ibi textum intelligit, & Glos. ibi. dicit autem ludum esse noxium, tamen excusari, quia ex curia patris, & imperitia medicorum ille mortuus est, sed hoc non recte dicitur: nam si dabat operam rei illicitæ, etiam si ex curia alterius percussus est mortuus, ille est irregularis, vt commitan. dicit, ludum licitum pueris ante annum pubertatis, adeo non esse irregulare, secus si adultus esset, aut si magnum lapidem proiecisset, qui grauem timorem incuteret. ego puto etiam in adulto non inducere irregularitatem, quando lapis est paruus, & non proijcitur ad percutiendum, sed ad leuem timorem incutiendum; esset enim leuissima culpa, quæ non facit irregularem, vt paulò post dicemus, idemque dico, quando duo inuicem ludunt, & oua, aut poma inuicem proijciunt, & casu aliquis declinans caderet, & percussus ligno, vel lapide expiraret, non puto esset irregularis proiector, quia leuissima hæc sunt; & non censetur illicitus ludus, secus si magnos lapides, aut ligna proijcerent, tunc esset illicitus ludus, & induceret irregularitatem, vt dicit Præposi. can. 1. d. 50. numer. 26.

Sextò, in cap. Ioannes. de homi. Quidam sacerdos pulsauit campanam, vt signo dato populus conueniret, casu occidit tintinabulum, & puerum occidit, non est irregularis, quia dabat operam rei licitæ, nec casus omnes fortuitos prouidere potuit. vbi aduerte, tunc diligentiam adhibendam, quando periculum imminet, vbi autem nullum est, est casus omnino fortuitus: esset autem culpa, quando sciebat tintinnabulum non bene ligatum, aut alias cadere solitum, in quo casu esset irregularis. Hi sunt casus iure expressi, per quos multi alij deducuntur.

Septimò, si quis ludens pilæ ludo, quem vocant palmaglio, in loco, per quem non solent aliqui pertransire, & facta diligentia, si aliquis forsan adest, clamando, casu occidat, non erit irregularis, secus si in via publica, aut non facta diligentia.

Octauò, scindens ligna prope viam, aut in loco, vbi adsint aliqui, si casu ferrum resiliat, & occidat aliquem, est irregu-

ris, quia non præmisit diligentiam ; secus si diligens fuit, adstantes aduertendo, aut præcauendo, ne resilire ferrum facile posset, aut in locis solitarijs incidendo. can. qui arbores. d. 50. & can. sæpe contingit. eadem.

Nonò, Chirurgus laicus, aut in minoribus non habens beneficium, aut medicus, qui peritus est, & diligentiam adhibet, ne ex incuria infirmus moriatur, si casu infirmus moritur ratione medicamenti exhibiti, in quo peritus errare potuit, non est irregularis, non enim omnia sciri possunt, nec omnis error præcaueri, quod si imperitus, vel negligens, & ex eius imperitia, vel negligentia mortuus est infirmus, erit ille irregularis. Innocen. cap. tua nos. de homicid.

Decimò, si duo secabant arbores, & instante arboris casu. vnus illorum dixit alteri, fuge, hic vero fugiens oppressus est ab arbore cadente, ille non est irregularis, can. si duo fratres. d. 50. His exemplis hæc tertia regula manifesta est.

De nonnullis alijs circa huiusmodi regulas.

CAPVT LXXXI.

QVia per tres regulas præcedentes Doctores decidunt omnes casus, qui ad irregularitates ex homicidio casuali prouenientes spectant, idcirco aliqua sunt declaranda, & obseruanda.

Primum est, hoc esse peculiare in homicidio casuali, vt vbi nulla est culpa, nempe quia non datur opera illicitæ rei, & diligentia debita adhibetur, nulla sit irregularitas, vnde in homicidio casuali nulla est irregularitas, quæ non sit ex delicto; quando enim non est delictum, non est irregularitas : in voluntario autem homicidio, aliquando est irregularitas ex defectu, aliquando ex delicto, quia etiam sine culpa incurritur: in homicidio etiam necessario, & ad defensionem, aliquando sine culpa contrahitur; ideo aliqua ex defectu, aliqua est ex delicto; et in casuali, vbi cessat culpa, cessat irregularitas. ratio autem discriminis est, quia in voluntario, & in necessario homicidio, quamuis non sit culpa, non propterea deest voluntas occidendi; at in casuali, quando nulla est culpa, nullo modo est volitum, vnde merum casuale non procedit ab hominis voluntate. Hoc dictum, nempe in casuali, vbi culpa non intercedit, nullam esse irregularitatem, est S. Thom. 22. q. 64. artic. 8.

& Panormit.cap.ad aures.de æta.& qualit.& Præposi.cap. 50.num,26.nec in hoc est recipienda Gloss.cap.dilectus de mic.quæ tenet in hoc casu irregularem esse eum,qui non est promotus,ne promoueri possit: sed eam Glossam reprehendit Panormit.in eodem cap.dilectus.Nec contra est canon,si quis non iratus.15.q.1. vbi videtur irregularis qui casu, nulla præcedente culpa, occidit; sed Gloss.lib. ne respondet, non esse illud verbum(secundum legem repeli) intelligendum de lege promotionis, quasi ille, ordinari non posset. sed secundum legem veterem reputatum esse homicidam, vt à parentibus occisi extra Vrbes refugij occidi impune posset. Alij aliter respondent; veritas tamen hæc est nullam esse irregularitatem in homicidio casuali, in quo datur opera rei licitæ, & nulla est negligentia, quod sanctissimi dentur confirmatur ex cap. Ioannes. cap. lator. & cap. dilectus, de homicid. & alijs allegatis in explicatione tertiæ regulæ.

Secundò,in eisdem regulis adnotandum est secundum Sotum lib.5.de iusti.q.1.articu.9 & Couarru.& Socin.cap.ad audientiam.de homicid & Ancha. cap. vltim. de homicid. in 6. non quamcumque operam illicitam censeri illicitam,ad effectum inducendi irregularitatem in casuali homicidio ex opera illicita subsecuto, sed quando opera illa ex genere suo est periculosa,& iuductiua homicidij;si enim talis nō est, quamuis sit alio ex capite illicita, & aliquo casu sequatur ex ea homicidium, non propterea erit dicendus ille dare operam rei illicitæ,& irregularis.Couarru. addit, quod etiam erit illicita etiamsi ex suo genere non sit ordinata ad mortem: si tamen talis sit,quod ex ea frequenter sequitur mors, quod exemplis Sotus, & Couarru.manifestant, ex ijs, quæ supra diximus nempe qui campanam pulsauit, & tintinnabulum cadens casu occidit puerum, diximus non esse irregularem, quia dabat operam rei licitæ, & non potuit præuidere omnes casus ponamus,quod tempore interdicti, aut indebito sonabat, opera erat illicita, quia prohibito tempore, non tamen propterea erat irregularis,quia non est illicita, quasi periculosa & inductiua homicidij, quia rarissime illud accidit. similiter qui equitabat,& casu equo freno fracto irruit, & occidit puerum,diximus non esse irregularem, quia dabat operam rei licitæ.ponamus;illam equitationem illicitam, quia nociua erat sanitati illius,non propterea fit irregularis, quia equitatio

ex suo genere non est periculosa, nec inductiua homicidij. Rursus, qui secabat arborem, adhibita omni diligentia, casu occidit hominem, irregularis non est, quia dabat operam rei licitæ. ponamus non esse propriam arborem, sed furtum committere, erit illicita, at non propterea erit irregularis. Deniq; opera illicita debet esse talis, vt sit ex suo genere, & non per accidens periculosa, aptaq; ad inferendum homicidium, aut ex qua frequenter id sequitur, id quod omnia exempla posita in prima regula ostendunt.

Hanc doctrinam cum positis exemplis non existimo absolutè probandam, vtpote contra textus canonicos, & contra communem sententiam: sed distinctione opus est tali; aut enim opera illicita est causa immediata homicidij, nempe per quam occiditur homo, vt quando aliquis mittens sagittam, aut scindens arborem, aut proijciens lapidem, aut simile quid faciens, occidit hominem; aut est causa mediata, nimirum quando aliquid fecit, vnde mors hominis aliunde euenit, vt qui commisit adulterium, propter quod adultera occisa est à marito: aut protulit verbum iniurioſum, propter quod iniuria affectus se ipsum occidit; aut induxit alterum ad rixā, in qua occisus est ab aduersario. Sunt alij similes casus, in quibus opera illicita non est causa immediata homicidij, sed ex qua sequitur homicidium ab alio, seu alia actione, & opera factum.

Est autem magnum discrimen inter hæc, quando enim opera illicita est immediate causa homicidij, quomodocumque sit illicita, & prohibita, facit hominem irregularem, etiā præmissa omni diligentia; quantum enim ad irregularitatem inducendam, satis est talem operam prohibitam facere, à qua homo abstinere debuit, hæc enim canonum est dispositio expressa: nam in cap. ex litteris. 2. de homicid. casus fuit de quodam monacho deponente campanam de campanali, accidit autem, lignum corruere, & puerum occidere: consultus Papa de irregularitate, respondit, eum non esse irregularem, duabus conditionibus positis; Vna est, si rem necessariam, & vtilem agebat, quod disiunctiue intelligunt Panormitan. & Ana. ibidem, nempe si necessariam, aut vtilem rem agebat. Altera est, si nullus tunc de consuetudine illuc solebat transire, aut illic existere. A contrario ergo sensu, si rem non vtilem agebat, erat irregularis, & ita Hostien. Panor-

mitan. & Anan. notant, addens Ana. quod si id agebat, ut furabatur, aut mala de causa deponebat campanam, esset irregularis. Quãdo igitur opera est causa immediata mortis, quomodocumque sit illicita, inducet irregularitatem, quod eo prorsus modo iudicandum est de casibus à Couarr. & Sot. suum fauorem propositis.

Primò, de eo, qui campanam pulsabat, & tintinabulum cadens occidit, dico si tempore interdicti, aut mala de causa sonabat esse irregularem, quia operam dabat rei illicitæ, quæ fuit immediata causa mortis; vnde textus cap. Ioannes, excusauit illum ab irregularitate, qui sonabat, vt populum fidelium ad diuina conuocaret. idem dico de illo, qui equitabat causa illicita: nam textus cap. dilectus. loquitur de eo, qui solo nitatis gratia equitabat. Rursus, qui, scindens arborem alterius furto occidit, est irregularis, vt recte Siluest. verb. homicidium 2. §. 12. dixit, quidquid dicant Sotus, & Nauarr. qui non aduertunt distinctionem; omnes enim isti non agebant rem futilem, & sunt immediatæ causæ occisionis, ergo sunt irregulares, per cap. ex litteris. allegatum, vnde rectè Caietan. 2. 2. quæst. 64, articul, 8. dicit, qui equitationi incumbens occidit casu, quando equitatus est ei prohibitus, est irregularis, quia dabat operam rei illicitæ, & quamuis non semper incurrat reatum homicidij, quantum ad culpam, quia rarissimè id accidit, & præter omnem iuris voluntatem, tamen quia dabat rei illicitæ operam, canones imputarunt quantum ad irregularitatem, quod valde adnotandum est, non enim semper imputatur homicidium ad reatum homicidij, quamuis imputetur ad irregularitatem, quia canones id decreuerunt propter culpam aliam inuentam in tali opere.

Quando verò illicita opera non est immediata causa; homicidij, tunc puto distinguendum, aut erat periculosa ex se, vel ex circumstantia aliqua, vel consuetudine, aut non: si erat periculosa, inducit irregularitatem, si non adhibita sit diligentia: si verò non erat periculosa, non inducit irregularitatem. hoc exemplis declaratur, qui vinum bibit, se inebriando, si postea occidit hominem, vti superius diximus cum multis Doctoribus, non erit irregularis, quamuis dederit operam rei illicitæ inebriando se, quia hæc inebriatio non est causa immediata mortis, nisi quando ipse nouit, se in ebrietate furere, nec enim diligentiã tenetur adhibere, aliàs erit irregularis, sicut in eo, qui dormiens occidit inimicum; is enim non erit

irregu-

irregularis, nisi quando nouit periculum. Idem dico de eo, qui irritauit aliquem iocosis verbis importune, aut iniuriosis, vnde postea ille se occidit, non erit irregularis, etiamsi daret operam rei illicitæ, quia non est immediata causa, nec periculosa, nisi quando nouerat illum esse furibundum, & nimis extra se exire similibus verbis. Idem dico de eo, qui commisit adulterium, aut stuprum, propter quæ occisæ sunt à marito, vel parentibus fœminæ, ille non erit irregularis, nisi quando periculum aliquod imminebat, vt quia erant fœminæ nobiles, aut maritus, vel parentes tales, de quibus præsumi poterat eos scire posse, & scientes occisuros. Hæc confirmantur ex c. is, qui. de sent. excomm. in 6. vbi qui mandauit percutere, prohibendo, ne occideret, irregularis est, non solum quia in culpa fuit mandando, sed etiam quia periculosum erat, & verisimiliter id potuit cogitari.

Hinc resolutio patet cuiusdam casus de eo, qui cum solicitaretur ab aliqua inhonestè, dixit, noli me solicitare, alias me interficiam, ille solicitare non destitit, vnde factum est, vt ille se occideret, profecto est irregularis, etiamsi causa mediata fuerit homicidij, quia dabat operam rei illicitæ, quæ ex circũstantia quadam erat periculosa, quia ille sibi comminatus erat mortem, nec tamen se abstinuit à solicitando: non tamen esset irregularis, si nihil tale cogitando ille se occideret, quia non erat verisimile illud euenturum. Per hunc casum multi similes decidi poterunt.

Aduerte tamen, quod si opera esset licita, & maximè obligatoria, tunc nõ esset irregularis, etiamsi sciret illum sibi mortem illaturum, quod docet, & exemplis declarat August. 23. q. 5. can. cum homo. de eo, qui comminatur se occisurum, nisi aliquis sibi in re inhonesta consentiat. hic, si non consentiat, non erit irregularis, etiam si ille se occiderit. Similiter si comminatur subditus mortem inferre sibi, si à prælato, vel à patre corrigatur. similiter, si quis vult se occidere, si quis non det illi centum aureos dono. Denique sunt multa huiusmodi, in quibus, quando scandalum passiuum. si illi se occidant, nulla est culpa, nec irregularitas benefacientium.

Vnum supereſt in his regulis declarandum, cum homicidium casuale non imputetur ad irregularitatem, nisi ei, qui fuit in culpa, quanta culpa sufficiat ad eam cõtrahendam. Aduerte ergo ex Bart. in quod Nerua. ff. de posit. & Panor. c. vni. de

commoda,culpam, de qua nunc agimus, dici deuiatione ab eo,quod rectum est,quod per hominis diligentiam præderi poterat;culpam enim nunc appellamus negligentiam, omissionem eius,quod potuit, & debuit fieri. Est autem triplex,lata,leuis,& leuissima. Lata culpa est omissio illius diligentiæ, quam communiter homines illius conditionis, & professionis adhibere solent;verbi gratia,dedi tibi librum cõmodato,tu reliquisti in bãcho ante domũ,vnde furto subtractus est,eris in culpa lata,quia in custodiendo non adhibuisti diligentiam,quæ communiter ab hominibus solet adhiberi;solent enim communiter homines maiorem in his adhibere diligentiam. Leuis culpa est omissio diligentiæ, quam non omnes communiter adhibere solent, sed diligentiores;verbi gratia,dedisti pecunias mercatori, qui communiter habetur bonæ fidei; perdidisti,quia ille talis non erat,leuis est culpa, quia homines diligentiores inquisitionem maiorem solent facere. Leuissima est omissio diligentiæ, quam exquisitissimi homines solent facere; verbi gratia, commodatum in arca posuisti, & reseraſti; at re vera mansit apera, quia non tentasti manu, an esset clausa, est leuissima culpa, quia id non faciunt neç diligentiores, sed homines diligentissimi, & valde cauti. Est ergo difficultas, quanta culpa inducat irregularitatem in casuali, quando non adhiberur debita diligentia. Gloss. capit. significasti.1.de homic. affirmat in eo,qui operam rei licitæ dabat,etiam leuissimam culpam inducere irregularitatẽ:sed re vera, exempla quæ Hostiens. & Ioann.And.ibi adducunt, potius ad leuem culpam pertinent.multa de hoc dicunt Silu.homic.2.§.15. & Angel.& cæteri Summistæ, hæc tamen,quæ subiungam, probabiliora videntur.

Primò,quando homo non est causa immediata homicidij casualis,sed aliunde accidit mors, si dabat operam rei illicitæ, lata culpa inducit irregularitatem, non leuis nec leuissima. hoc est Innocen. c.ad audientiam de homi.& Præpos.can.d 50.num.27.qui loquentes de eo,qui habet leonem,aut vrsum, qui ex illius negligentia occiderunt quẽdam, affirmant latam culpam,& negligentiam dissolutam inducere in hoc casu irregularitatem.

Secundò, quando dabat operam rei illicitæ, etiamsi non sit causa immediata homicidij in quacumque culpa,est irregularitas, immò,vt diximus superius, aliquando etiam adhi-

bita

bita omni diligentia, est irregularis. hoc est Silue. homic. 2. §. 2. & 15.

Tertiò, quando vero est causa proxima, si dabat operam rei illicitæ, sufficit etiam quælibet culpa: nam si, quando est causa mediata, est irregularis, multo magis quando causa immediata; vt qui dat potionem infirmo, cum non sit medicus; qui in venatione prohibita occidit. denique etiam omni adhibita diligentia fit irregularis.

Quartò, si vero dabat operam rei licitæ, tunc distinguendũ est; aut enim est causa in omittendo, vt si mortuus est aliquis infirmus, quia ipse omisit adhibere diligentiam, tunc non sufficit leuissima, sed leuis; vnde medicus, ex cuius negligentia mortuus est infirmus, irregularis erit, si sit leuis culpa, quamuis Couarru. putet esse, etiam si sit leuissima, quando medicus tenebatur mederi, quia erat mercede conductus: sed puto, quantum ad irregularitatem nihil id facere: hoc verum est, illum teneri ad maiorem diligentiam adhibendam, tamen non propterea esset irregularis, si ex leuissima culpa moreretur infirmus.

Quintò, si dabat operam rei licitæ, & ex eius culpa mors immediate sequitur in committendo, erit irregularis. hoc teneo contra Silvest. 11. homic. 2. §. 2. & 15. cum Couarru. qui putat, in committendo esse satis leuissimam culpam, & argumentum est ex 2. quæst. 5. can. consuluisti. vbi, qui opprimunt filios in lecto secum dormientes, etiam quando id sine peccato facere possunt, quia pauperes sunt, nec habent vbi illos collocent, ex quauis culpa etiam leuissima teneri; quod si in culpa fuerunt, quia habebant vbi eos collocarent, non tantum irregulares sunt, sed rei homicidij, & hoc est quod ibi Glossa adnotat.

Vbi aduerte, quod ex incuria parentum tripliciter infantes mori possunt.

Vno modo, ex incuria sola, sine actu, aut tactu ipsorum, vt quando in cunis suffocantur ex parentum negligentia. Et hic est posterior casus, cap. quæsitum. de pœna. & remis. vbi Panorm. adnotat, incuriam leuem in hoc casu inducere irregularitatem.

Secundo modo, ex parentum procuratione, aut studiosa negligẽtia nimirum quia ipsi procurarunt mortem illorum, ipsos opprimendo, aut studiosè neglexerunt, nempe non adhibuerunt diligentiam, hoc fine, vt illi in cunis suffocaren-

tur; &

tur; & hic est casus prior, c. quæsitum, & hoc homicidium est casuale, sed voluntarium, quod maximè adnotandum quod quidam non aduerterunt: nam quod aduenit ex pro ratione, aut negligentia studiosa, non est præter voluntatem nec est casuale.

Tertio modo, quando in lecto iuxta parentes positi, ab ipsis opprimuntur dormientibus, citra voluntatem eorum, si tunc fuerunt negligentes committendo, quia per actum eorum occisi sunt; & hic est casus can. consuluisti. 2. quæst. 5. & sufficit quæcunque negligentia, etiamsi darent operam rei licitæ, & bona intentione id facerent, tenentur de qualibet negligentia.

De homicidio lingua perpetrato.

CAPVT LXXXII.

HActenus de homicidio, quod facto committitur, locuti sumus, tam voluntario, quàm necessario, & casuali, nunc de eo, quod lingua fit (hoc enim vocabulo Doctores vtuntur) agendum est: nam quantum ad irregularitatem attinet, nō solum homicida est, qui per se occidit, aut mutilat, sed qui alios ad occidendum, vel mutilandum inducit, mandato consilio, aut defensione; his enim tribus modis homicidium linguæ committitur, vt habetur can. si quis viduam. d. 50. & cap. 2. de cl. pug. in duel. circa quæ tria sunt consideranda. Vnum est, in quo Doctores conueniunt, nempè, nisi interueniat homicidium facto, numquam solius linguæ homicidium inducere irregularitatem; qui enim mandat, aut consulit, aut opem fert, & defendit, vt homicidium fiat, si non perpetratur homicidium facto, non incurrit irregularitatem.

Alterum est, hæc homicidia linguæ committi in homicidio voluntario, necessario, & casuali, in vnoquoque enim horum, qui aliquid horum trium facit, nempe consulere, mandare, aut defendere, irregularis est, quod qualiter fiat, explicabitur statim.

Tertium est maximè memoriæ mandandum, nimirum non semper eandem irregularitatem contrahere homicidam linguæ cum homicida facti, id est, non qui consulit, mandat, aut defendit homicidam voluntarium, est ipse homicida voluntarius, nec qui consulit, mandat, aut defendit necessarium, ipse est necessarius, similiter de casuali: sed sæpè contingit, vt

homi-

homicida linguæ sit irregularis vnius speciei,& homicida facti sit alterius, imò aliquando homicida linguæ est irregularis,non autem facti,quod ijs,quæ dicemus, notum fiet,aliqua tamen exempla nunc proponam.

Primò, iudex iuste occidi mandat reum dignum morte, & est irregularis ex defectu; tamen si minister occidit animo vindictæ,est irregularis ex delicto. similiter clericus consulit laico occidere bannitum, laicus iustè occidit,tanquam minister publicus iustitiæ;tamen clericus inique consulit,aut mandat,aut iuuat,quia prohibitum est id clericis; vnde ille irregularis ex defectu,hic vero ex delicto est. Similiter vnus se defendens occidit,non est irregularis; at qui consulit,aut mandat,irregularis est.imò respectu eiusdem homicidij, qui mandat,est vno modo irregularis, & qui consulit, altero modo: nam iudex iuste mandat interfici malefactorem: at persona Ecclesiastica delinquit consulendo iudici,vt occidi faciat,& ille ex defectu,hic ex delicto est irregularis.

De irregularitate ex mandato.

CAPVT LXXXIII.

AGgrediamur ergo singula homicidia linguæ explanare,incipientes ab homicidio, quod fit mandato. Qui mandat alteri,vt occidat,aut mutilet,vel aliquid, vnde procedat mors,aut mutilatio,irregularis est,cap.si quis viduã, dist.50.quod quando,& quomodo fiat,sequentibus dictis explanatur;est enim aduertendum,aliquando mandantem non esse irregularem,etiamsi sit irregularis mandatarius;aliquando è contrario,mandantem esse irregularem, non autẽ mandatarium; aliquando vtrumque esse irregularem. Præterea mandantem aliquando ex defectu,& voluntarium, aliquãdo voluntarium ex delicto,aliquando à casu. Hæc omnia ordine exponenda sunt.

In primis sunt casus, in quibus mandans non est irregularis,etiamsi mandatarius sit.

Primò,legum conditores,qui statuunt mortis pœnam malefactoribus,non sunt irregulares,etiam si iudicantes, & pœnam mortis secundum leges infligentes sint irregulares. ita habet Archid.23.q.5.can. officia. vbi causam adfert,quia,qui tales condunt leges,& præcepta, non intendunt homines occidere,

cidere, sed arcere à malo, timore pœnarum. cum Archi. sc Præposi. can. 1. d. 50. num. 37.

Secundò, prælati, & personæ Ecclesiasticæ, iurisdictione habentes temporalem, possunt, & debent curam administrandi iustitiam secularibus demandare, quibus si iniungant, vt ministrent iustitiam contra malefactores, etiam si sciant ex hoc, aliquos morte plectendos, & de facto interficiantur, sintque propterea officiales, & mandatarij irregulares, non sunt ipsi mandantes irregulares, cap. Episcopus. ne Cler. ver. mon. in 6. possunt etiam huiusmodi personæ Ecclesiasticæ dicere mandatarijs, & ministris suis, non patiaris malefactores viuere, secundùm Arch. can. si quis viduam d. 50. & Glo. c. clericis Cler. ver. mon. & secundùm Silu. ver. homicidiũ 1. 5. 11. possunt dicere, super maleficio tali inquire, & administra iustitiã, nec erunt irregulares, dummodò non mandent occidere, aut mutilare. hac eadem de causa inquisitores tradentes hæreticum Curiæ. etiam si sciant comburendum. non sunt irregulares, vt dicit Hosti. c. ad audientiam. de homic. est enim hoc eis per eadem Apostolicam concessum.

Tertiò, qui mandauit aliquid licitum, nec potuit verisimiliter cogitare mortem alicuius, aut mutilationem ex eo ortu, si postea mors sequatur, non erit irregularis, quamuis mandatarius irregularis sit. hoc est Innocen. & Panorm. & ead audientiam. de homi. Vnde, si quis mandat filium, aut seruum in correctionem verberari homini modesto, & de quo nihil tale est timendum: postea verò hic modum correctionis excedat, & occidat, aut mutilet, non erit mandans irregularis, sed mandatarius. Similiter, qui mittit seruos venatum venatione licita, præcauens, & admonens, vt adhibeant diligentiam, ne casu aliquis occidatur, aut quos cognoscit tales, qui omnem prius solent adhibere diligentiam, si postea ipsi, non adhibita debita diligentia, aliquem casu interficiant, non erit mandans irregularis; secus, quando mandauit aliquid illicitum, aut illicitum, potuit verisimiliter cogitare, aliquid simile euenturum & non adhibuit diligentiam, vt diximus de casuali, & postea etiam dicemus.

Quartò, qui re integra reuocauit mandatum expresè, & sine fictione, quod de aliquo occidendo dederat, tamen postea mandatarius occidit, non erit mandans irregularis, secundùm Innoce. c. ad audientiam. de homi. immò secundùm eundem, satis erit reuocasse mandatum tacite; vt, si sciente mandatario

parentelam fecit, aut pacem iniit cum aduersario, contra quē dederat mandatum. idem dicit Anchar. c. ad audientiā. de homic. nu. 8. & Anani. eodem c. nu. 9. Hæc reuocatio non habet locum in consulente, vt inferius dicemus. Quidam affirmant, quādo mandans cognoscit mandatarium non mutasse animū per reuocationem ipsius, teneri admonere eum, contra quem est mandatum datum, vt sibi caueat: sed Panor. c. Petrus. de homic. tenet, non esse necessarium.

Quintò, qui mandauit alteri, vt occideret, & hic re vera non occidit nomine mandantis, sed nomine suo proprio, quia eius erat aduersarius, mandans non erit irregularis. ita tenent Ioa. Andr. & Anchar. cap. ad audientiam. de homi. & ratio est, quia non est cooperatus ad homicidium; secus, si nomine vtriusque id faceret.

Sextò, qui mandauit occidere alium intra certum tempus, & ille post tempus præfixum occidit, non est irregularis, secundum Anan. c. ad audientiam. de homi. num. 8. sed puto, si mandatum erat illicitum, & ille virtute mandati, occidit, quod erit irregularis mandans, casuali tamen homicidio, non voluntario. His casibus non est irregularis mandans.

Secundo loco, mandans irregularis est, etiam non existente mandatario irregulari, quod raro, aliquando tamen euenire potest, suppositā doctrina communi, nempè non semper teneri eum, qui inique inuasus est, suum occidere aggressorem ad defendendam vitam propriam, sed posse permittere se potius occidi, quàm occidere: si tamen occidat, non erit irregularis. ponamus ergo casum, nempè seruum alicuius domini, aut filium alicuius patrisfamilias inuasum esse, nec posse euadere, nisi occidat aggressorem, tamen nolle, si dominus tunc, aut pater præcipiant illi, vt occidat, & saluet vitam propriam, tūc non erit irregularis, vti diximus suprà, qui occidit; erit tamen ipse mandans, quia homicidium mandato cōmisit & non ad propriā defensionem: talis tamen irregularitas non est ex delicto, sed ex defectu, quia iustum est mandatum; si tamen esset persona Ecclesiastica, esset ex delicto, quia non debuit immiscere se in causa sanguinis, etiam iusta; secus, si mandaret, vt se defenderet, non exprimendo, vt occideret: nam tunc non esset irregularis. Rursus, si quis secularis in licita venatione, omni diligentia adhibita, præciperet seruo, vt emeteret sagittam, aut bombardam, revera sciens inimicum ibi latentem percutiendum, si emitteret seruus, & occideret, ipse

irre-

irregularis non esset, quia dabat operam rei licitæ, & diligentiam adhibuit, tamen mandans esset homicida voluntarius delicto, & irregularis.

Tertio loco, aliquando mandans est irregularis voluntarius ex defectu; iudices enim mandantes malefactores occidere, & ferentes sententiam mortis, aut mutilationis, effectu subsecuto sunt irregulares ex defectu, & voluntarij, quia directe volunt per alios occidere: nec obstat aliquando eos, per quos ministrant iustitiam, & occidunt, iniquo animo occidere, & esse homicidas iniustos: nam, vti diximus, non est semper eiusdem speciei irregularitas in mandante, & mandatario, sæpe enim iustum est mandatum. Similiter sunt irregulares ex defectu Duces mandantes militibus in bellis iustis occidere, & mutilare, si adsint requisita ad iustitiam, vti diximus superius. Similiter laicus mandans occidi bannitum, quem per publicas potestates licet occidere, irregularis est ex defectu, & voluntarius, quia directe occidere vult. Similiter laicus, qui habet potestatem omnium causarum, aut tanquam delegatus à principe, aut tanquam iudex ordinarius alteri committit causam sanguinis, si commissarius occidat, vel mutilet, erit ille irregularis ex defectu, & voluntarius: nam commissarius virtute potestatis illius occidit, & mortis pœnam infligit. ita habet Præpos. can. 1 d. 50. num. 31. & sequenti, vbi dicit, Episcopos & personas Ecclesiasticas solas, non incurrere irregularitatem, si per commissarios occidant, quia est illis ex priuilegio Sedis Apostolicæ concessum: secularibus autem id licet absque peccato, sed non absque irregularitate. Ego tamen existimo in hoc, & similibus casibus cum distinctione respondendum: nam aut committit ministris, vt occidant, & tunc, tam Ecclesiasticus, quàm laicus, erit irregularis; aut committit, vt administrent iustitiam, & tunc neuter est irregularis, quia dat operam rei licitæ, & non occidunt per se, nec mandant directe occidi; magnum enim est discrimen, vti diximus supra, quando vnus dat operam rei licitæ, & quando dat operam illicitæ.

Quarto loco, aliquando mandans est irregularis voluntarius ex delicto, quando mandatum est iniustum, & prohibitum, quod fit, quod mandatur homicidium iniustum, vt quando priuatus mandat alteri, vt occidat eius aduersarium, aut si iudex mandaret, & ferret sententiam mortis iniustam tunc, esset irregularis ex homicidio voluntario ex delicto, quam-

tus

uis minister exequens, nesciens iniustitiam iudicis, & innocentiam occisi, esset irregularis ex defectu. Similiter, si clerici, aut personæ Ecclesiasticæ mandarent alijs, vt occiderent, etiã malefactores, & qui iustè occidi possunt, etiamsi ipsæ personæ iurisdictionem haberent, essent irregulares ex delicto homicidij voluntarij, quia prohibitum est tale mandatum, c. sententiam. ne cler. ver. mona. Similiter inquisitores, si postquam tradiderunt Curiæ hæreticum, & iudex nollet comburere, si mandarent, vt combureret, puto essent irregulares, quamuis Tabie. irregularis 2. §. 9. & 15. sequens Felin. cap. ad abolendam. de hære. dicat non esse irregularem ex tali mandato: sed non video, quo iure hoc defendatur, cum solum liceat tradere Curiæ; Curia autem, non potestate inquisitorum, sed legum, & principum morti tradat, imò solent protestari iudicibus ipsis, ne mortem aut mutilationem inferant. Rursus, qui dicit seruo percusso ab altero, non reuertaris domum, nisi aliud sentiam de te, seruus autem profectus, occidit verberantem, tunc dominus esset irregularis, secundum Panor. cap. ex literis. de excess. prælat. ℘ distingue; si enim animo, vt occideret, vel mutilaret id dixit, erit voluntarius homicida; si verò habet intentionem, vt se vindicaret seruus citra mortem, aut mutilationem, erit dominus homicida casualis, & ex delicto, quia dedit operam rei illicitæ, & debuit quod euenit cogitare: seruus autem in vtroque casu est homicida voluntarius ex delicto. Similiter, qui mandauit alicui, vt alterum occideret, etiãsi ille distulerit occidere, est irregularis, si non reuocauit mandatum. Innoc. Panorm. c. ad audientiam. de homic. idem de consilio, quod intelligitur, quando ex mandato, vel consilio dato occidit.

Quintò loco, aliquando mandans est irregularis ex delicto, sed casualis, quando nimirum rem illicitam mandauit, ordinatam ad mortem, & præter illum casum proxime positum, de mandante seruum sine animo occidendi, vt se vindicaret, est etiam alius casus cap. vltim. de homic. in 6. si quis mandauit alteri, vt percuteret quendam, expressè prohibendo, ne mutilaret, aut occideret: mandatarius autem, excedens terminos mandati, occidit; mandatarius irregularis est voluntarius ex delicto, quia voluit occidere, tamen mandans irregularis ex delicto, sed casualis, quia dabat rei illicitæ operam, & poterat, & debuerat facile cogitare, simile euenire posse casualis vero, quia præter opinionem, & intentionem: notat autem Gloss.

in eodem cap.quod si dabat operam rei licitæ, quia nim
mandauit iustè percuti,si mandatarius excedat, & occid
mutilet,non fit irregularis,quod intellige , quando non
verisimile excessum fieri posse.Eodem modo, si aliquis m
dauit alteri,vt occideret alterum , at postea euenit, vt man
tarius occideretur,vel mutilaretur ab illo,tunc mandans in
gularis est ex delicto , casualis tamen quia præter opinio
nem , & intentionem , rem tamen illicitam mandauit,
& debuit verisimiliter cogitare,id euenire potuisse. ita hoc
cap.ad audientiam.dicit,in eo,qui consuluit, vt occideret alt
euenit,vt ipse potius occideretur , quamuis dicat,quosdam
nuisse contrarium,dicentes,non esse irregularem , nisi qu
do periculum erat,quod occidi posset: at Panorm.cap.ad au
dientiam.de homic.& Ioan.Andr.cap.vltim.de homic.in 6.
nent esse irregularem indistinctè,& Ana. cap. ad audientiam
num 9. existimo tamen cum distinctione in hoc casu pru
dendum esse,si enim animo fraudulento mandauit, vt pote
ipse occideretur,sicut Saul miserat Dauid contra Philistæos,
occideretur potius ipse ab eis, tunc si mandatarius occisus est
mandans esset homicida voluntarius ex delicto, non casual
at si non intendebat mortem illius,sed eius,ad quem occiden
dum misit , tunc etiam distinctione opus est cum Præpo can.
1.d.50.num.30. & Anton.3.p.1.tit.28 c.2.§.2.aut enim dabat o
peram rei licitæ , vt qui habens auctoritatem misit milites ad
comprehendendum,vel occidendos bannitos, & assassinos,
& tunc si cautè misit,non est irregularis , si aliquis ex missis
occidatur:aut dabat operam rei illicitæ,quia mandauit, vt oc
cideret inique inimicum suum, & tunc puto esse irregularem
casualem , quia ad hanc irregularitatem contrahendam satis
est,si dedit operam rei illicitæ ordinatæ ad mortem , & peri
culosæ;aut si res licita erat,& periculosa , & non adhibuit di
gentiam : hoc autem in casu dabatur opera rei illicitæ,& peri
culosæ; quia in congressione semper est ex vtraque parte pe
riculum:& hoc voluerunt dicere Panorm.Ioani Andr.& Ana.
citati. Rursus,si quis mandauit alteri, vt occideret Ioannem
mandatarius autem errore occidit Petrum , esset mandans ir
regularis,non voluntarius,sed casualis;non quidem voluntá
rius , quia præter opinionem & intentionem illius occisus
est Petrus : at verè deliquit, & irregularis est, quia illicitum
fuit mandatum , & periculosum : esset autem qui occidit
voluntarius, quia,etiamsi nolebat occidere Petrum, volunt di

recte

rectè occidere illum, quem occidit.

Rursus, qui mandat aliquem ob quodcumque crimen detrudi in arctos careeres, ita vt verisimile sit, quod intra sex, vel octo dies, vel breue tempus morietur, est irregularis, secundum Cardin. Clement. de homic. & Præposi. can. d. 50. quod intellige, si iustitia id exigente fit, & cum mortis intentione, eritque tunc voluntarius ex defectu, vt in iudice seculari, cui licet morte damnare. At si in clerico, erit ex delicto, & voluntarium, si est ex intentione: secus autem casuale: dicit tamen Tabien. irregularitas 2. num. 29. §. 8. quod qui secundum statuta regulæ imponunt pœnitentiam, non incurrunt irregularitatem, etiam si mors sequatur. Ecce quibus modis mandans sit irregularis, & quando voluntarius, quãdo casualis, & quando nullam contrahat irregularitatem.

De irregularitate ex consilio.

CAPVT LXXIX.

COnsulens alteri, vt occidat, aut faciat aliquid, vnde verisimiliter mors sequi potest, est etiam irregularis. Præposi. can. si quis viduam d. 50. distinguit triplex consiliũ, exhortationis, approbationis, & simplicis opinionis. Rursus, singulorum, vnum iustum, alterum iniustum est potest, & ex omnibus oritur irregularitas, vt modo patebit: fere autem pari ratione procedunt, mandatum, & consilium: est tamen vnum latum inter verumque discrimen, quod notat Innoc. communiter approbatus in cap. ad audientiam. de homic. qui enim mandauit alterum occidi, si reuocat mandatum re integra, non contrahit irregularitatem, quamuis mandatarius postea interficiat: at in consilio non satis est id reuocasse; si enim aliquis consuluit alteri vt occideret, postea reuocauit consilium; at ille, cui consilium datum est, adhuc non dissuasus occidit; qui dedit consilium irregularis est: ratio autem discriminis est, quia mandatum respicit mandantem: nam mandatarius nomine mandantis operatur, ob id reuocatione mandantis cessat vis mandati, quia verisimile est, ex quo grata alterius fit, quod cessabit ex eiꝰ reuocatione: at consiliũ est in gratiã eius, cui datum est. Qui ergo inductus est consilio

alterius occidere, reum facit consulentem, donec a mo consilio, & persuadeat contrarium: quod si contrarium persuasus occidat, imputabitur etiam consulenti Ioan. ca. ad audientiam de homi. nu. 8. tenet etiam in consilio esse, si reuocet, & faciat quantum in se est, vt dissuadeat, si non possit dissuadere: nec recipit opinionem illorum, dicunt, quādo non dissuasit, teneri certiorem facere eū, contra quem dedit consilium, vt sibi caueat, non reuelata persona eius, consilium dedit, in qua opinione fuit Ant. 3. par. tit. 2. §. 2. in mandato autem, satis esse reuocasse. At veriorem opinio Innoc. consilium non posse reuocari, nisi per persuasionem contrariam, sicut autem diximus de mandante, ita & de consulente oportet dicere; sunt enim casus, in quibus consulens non cōtrahit irregularitatem; sunt etiam casus, in quibus contrahit, aliquando ex voluntario homicidio, siue ex delicto, siue ex delicto, aliquando ex casuali.

Primò, consiliarij, qui interueniunt cum principe legibus condendis, in quibus statuitur pœna capitis malefactoribus, etiamsi sint clerici, non sunt irregulares: ita habet Ioan. And. cap. ad audientiam. de homic. num. 6. vti enim suprà diximus, nec ipsi principes ex ea actione irregularitatem contrahunt, tum quia id generalis est, & remota causa, tū quia in mortem per se non tendit, sed vt homines à malo retrahantur.

Secundò, qui consulit alteri homicidium, aut mutilationem, qui re vera erat etiam sine tali consilio illud facturus, non efficitur irregularis; tunc enim consilium non est causa mortis, aut mutilationis. ita habent Ioan. Andr. & Anch. & Ioan. de Ana. c. ad audientiam. de homic. quod si consilio sit, vt ille magis animetur, & confirmetur ad illud perpetrandum, non euadit irregularitatem consiliarius, quia tam consilium operatur aliquid in mortem, quamuis Gloss. c. nuper. de sent. excom. in materia excommunicationis, quæ grauior est, videtur dicere contrarium, tamen reprehenditur ibi a Panor. & in materia irregularitatis, non puto esse veram, & ita sentit Couar.

Tertiò, qui consulit alteri, vt pro fide Christi, & Ecclesia exponat se mortis periculo, etiamsi sciret indubitanter, mortem esse illi infligendam, non est irregularis ita habet Innoc. & Ana. c. ad audientiam. & Præpos. can. d. 50. nu. 3 non tamen eandem esse rationem existimat Innoc. si consulat alicui, vt exponat vitam pro patria, pro iure, pro amicis; in hoc enim

casu

casu, si sciret esse mortem illi infligendam, esset irregularis; si vero non id sciret, non esset irregularis: rationem autem differentiæ huius eam dicit esse, quia ordo charitatis est, vt pro Christo, & eius fide, & Ecclesia sanguinem fundamus, quia ipse pro nobis fudit: at non est ordo charitatis, vt pro altero vitam propriam exponamus. Ista tamen ratio nō est vllius momenti: nam secundùm ordinem charitatis, etiam tenemur aliquando pro patria mortem oppetere, & licitum est, & secundum ordinem charitatis præponere vitam temporalem aliorum propriæ. secundum etiam ordinem charitatis tenemur vitam vnius spiritualem præponere nostræ temporali. Ergo eadem ratione, qui in his casibus consulit, non erit irregularis. Adde etiam, pro rebus defendendis liceret exponere se periculo vitæ, quando res ipsæ sunt in bonum finem, & honestum ordinatæ: de qua re alibi dicendum est. Melius ergo Ioan. Ana. cap. ad audientiam. num. 6. indifferenter tenet, tale consilium non inducere irregularitatem, quia qui consulit alteri, vt exponat se periculo vitæ pro Christo, fide, amicis, patria, &c. nō consulit mortem directè, non enim sunt ipsi, qui occidunt, sed tyranni, & persecutores; nec etiam consulit aliquid, vnde per se sequitur mors; sed per accidens ex aliorum malitia, & iniquo opere: in re autem licita, & honesta consulenda, oportet considerare, an sit mors ipsa, quæ consulitur, aut id, quod est propinqua causa mortis, non quod per accidens, & indirectè, qui enim consuleret alteri, vt occideret alios, etiam pro fide, pro Ecclesia, vt qui consulit occidere hæreticos, infideles, insurgentes contra Ecclesiam, non euaderet irregularitatem. Longè ergo aliud est, mortem directè consulere, aut indirectè, & per accidens in re iusta & honesta: vnde notanda est distinctio Panorm. cap. ad audientiam. de homic. tenet, qui consulit alicui id, vnde sequitur mors, etiam si mortem non intendat, irregularem esse, si cōsuluit illicitum; secus, si licitum, vt qui consuluit maleficum capi vel vt exponat se morti pro patria, aut pro fide, multum enim interest inter rem licitam, & illicitam in his casibus: nam quod induceret irregularitatem in re illicita, nō semper inducit eam in re licita. hoc confirmatur ex c. cum homo 23. q. 5. qui petit ab altero rem turpē, quam nisi faciat, minatur se occidere, qui nō consentit, etiā si sciat illum se occisurum, non censetur homicida. Qui etiam corrigit filios, etiā si sciat aliquem ex timore correctionis se in fluuiū proiecturū, non est homicida, nec debet à correctio-

ne necessaria abstinere, nec sunt bona semper relinquenda hoc, quod aliqui mali scandalizantur, quia hoc est per accidens, & indirectum: sat est, si præter nostram accidant voluntatem, nec nos homicidium per se velimus. Ergo, nec qui alteri consulit, ne turpe aliquid committat, etiamsi mors inde sequatur, nec qui cõsulit, ꝙ bonum, & necessarium est erit homicida, etiamsi mors aliquando inde sequatur per accidens.

Quartò, eum, qui consuluit alteri, vt occideret intra certum tempus, tamen hic transacto consulto tempore occidit. Ioan. Ana. c. ad audientiam. num. 8. putat non esse irregularem: sed ego existimo, cum distinctione eadem respondendum, quam suprà diximus de mandato, nempè si intra tempus occidit, esse homicidium voluntarium: si vero transacto tempore, tunc si non virtute consilij id facit, sed alia motus ratione, non erit irregularis; si verò virtute illius consilij, tunc erit irregularis ex homicidio, tamen casuali: vt enim qui fines mandati excedit, non liberat mandantem ab irregularitate, ita & qui fines consilij, quando id virtute mandati, aut consilij facit, & res est illicita.

Quintò, clerici in bello iusto, exhortantes, consulentes, aut incitantes milites, vt pugnent, vel vincant hostes, etiam si ipsi pugnent, & percutiant, dummodò non occidant, aut mutilant, non sunt irregulares, etiamsi in ipso conflictu id faciant: quamuis Innoc. & Hostien. cap. quod in dubijs. de pœnis dicant, debere esse ante conflictum; si enim horentur in conflictu, esse irregulares. At Couar. & rectè, etiam in conflictu affirmat id fieri posse absque irregularitate, dicitque valere distinctionem esse verbalem. Hæc pars, nempè quando clerici in bello iusto pugnant, & vulnerant per se citra mutilationem, aut mortem, non esse irregulares, quamuis peccent, ex expressa in cap. peritio. de homici. quod verò non sint irregulares in bello iusto exhortantes, & incitantes etiam in conflictu ad pugnam, & victoriam, quamuis postea ex vtraque parte sint homicidia, & mutilationes. est Panorm. capit. peruenit. allegato, & Gloss. can. Clericum. d. 50. & colligitur ex ipso cap. peritio. nam ille Clericus in conflictu erat, quando vulnerauit, & non censetur irregularis, si nec occidit, nec mutilauit per se Gloss. etiam capit. quod in dubijs de pœnis. rectum ipsum affirmantem, sacerdotes esse irregulares, qui in prælijs incitant ad præliandum, declarat procedere in bello iniusto, aut in iusto, quando excitant ad occidendum, vel mutilandum

directè

directè; tunc enim essent irregulares, imò ex delicto homicidij voluntarij, quia directè consulunt mortem, quod eis est prohibitum, ex quo confirmatur quod supra diximus de consulente, vt exponat se periculo pro amico, pro patria, pro iure, quando licita est talis expositio, etiam si verisimile sit, illum occidendum esse: nam & in prælijs verisimile, immò certum est mortes euenturas; nec tamen consulentes fiunt irregulares, quia non consulunt, nisi quod iustum, & bonum est: quod enim in bello iniusto, & in causa illicita irregularitatem; in licito, iusto, & honesto non semper inducit, nisi sit per se causa mortis: potest autem victoria haberi sine morte, & mutilatione quantum est ex se.

De differentia hac consilij in re iusta, aut iniusta, vide Ana. cap. ad audientiam. num. 4. 5. 6. Non tamen hoc intelligendum est de ijs, qui dant sagittas, sclopetum, & arma militibus, etiam in bello iusto, vt iaciant in hostes, quia hæc est causa proxima ordinata in mortem. nec in hoc placet opinio Nauarr. qui contrarium tenet, allegans pro se Innoc. cap. sententiam. ne cleric. ver. mona. qui id non dicit; immò potius cõtrarium, loquitur enim cum limitatione, quando nimirum, qui arma dat, nescit ea esse ad occidendum, sed ad solam defensionem, quo casu non esset irregularis. Idem est de ijs, qui ex officio hæc arma faciunt, aut vendunt indifferenter, tam militibus, quam alijs, non enim sunt irregulares, quamuis hi occidant, quia non ea intentione ea vendunt, aut faciunt.

Sextò, qui consultus à iudice consilio generali opinionis, & cognitionis, quali pœna malefactor talis esset puniendus, nempè fur, latro, aut alius criminosus, & respondit morte illum secundum leges esse plectendum, ex quo postea consilio iudex occidit, si ille in generali fuit interrogatus, & extra factum imminens, non esset irregularis, vt dicit Anton. 3. par. tit. 28. cap. 2. §. 2. etiamsi clericus esset, vt dicit Panorm. cap. ex literis de excess. prælat. etiamsi erraret, quia non erat ipse admodum peritus, vt dicit Præposi. can. si quis viduam dist. 50. Si vero consultus esset de facto singulari imminente, quid de hoc, vel illo malefactore agendum esset, & respondet morte plectendum, tunc esset irregularis secundum eosdem tradit consilium scienter in mortem: esset autem voluntarius, & si clericus esset, voluntarius ex delicto; secus verò ex defectu.

Septimò, qui clamat cõtra latrones, & hoc facit in sui
sonæ defensionem, & liberationem, quia occidi timet, in
ratque auxilium aliorum, si hi veniant in auxilium, & oc
non erit ille irregularis ex tali exhortatione, & incitatio
cus, si id faciat in defensionem rerum suarum. ita habet Ar
significasti. de homi. num. 6. Anto. vero 3. p. tit. 28. c. 2. §. 2.
tat, quando potuit verisimiliter intelligere, quod ille occi
retur à concurrentibus, quia eo casu esset irregularis cũm
ter; secus non. quæ duo oportet sic intelligere:

Primum quidẽ, qui clamauit in defensionem personæ, nisi
verisimiliter sciret venientes occisuros latronem, atque
tenderet mortem illius, si aliter liberari non poterat, nullam
incurrere irregularitatem, quia licebat ipsimet absque irre
laritate occidere inuasorem, seruato moderamine: qui ve
clamauit in defensionem rerum, si intẽdebat occidi latrone
erit irregularis, quia qui in defensionibus rerum occi
irregularis est ex defectu; & si clericus, ex delicto, vt supra
diximus: at si non intendebat mortem, etiamsi verisimiliter
cognosceret, mortem inde secuturam, tam pro personæ, qu
pro rerum defensione, non esset irregularis morte secuta: h
enim valde notanda distinctio sæpe dicta, inter eum, qu
dat operã rei licitæ, & eum, qui dat operam rei illicitæ, quan
opera non est proxima causa mortis; qui enim dat operam re
licitæ, si non intendat mortem, etiamsi cognoscat verisimil
ter inde secuturã, non efficitur irregularis; si vero det opera
rei illicitæ, fit irregularis, quando verisimiliter potuit mors
euenire ex tali opera, quod etiam suprà adnotauimus: quando
vero est intentio mortis, semper in vtraq; opera contrahitur
irregularitas, etiamsi sit causa remota, vt dixit notabilis Gloss.
c. de cætero. de homi. sicque intelligendus est Abba. antiq. qui
in eod. c. affirmauit, siue propinqua, siue remota sit causa mor
tis, inducere irregularitatem.

Octauò, prælatus, & personæ Ecclesiasticæ conuocant
milites in sui defensionem, & tutelam, non sunt irregulares si
milites aliquem aduersariorum occidant 23. qu. 3. can. Mat
mianus. & ibi Gloss. quamuis exhortetur eos ad pugnam &
defensionem, quod limitat Ana. cum Innoc. cap. ad audien
tiam. de homic. num. 12. quando est in defensionem suæ per
sonæ, vel suorum; secus, si in defensionem rerum: sed nec hoc
est verum indistinctè, nisi quando intendunt occidere; si vero
intendunt defensionẽ sui iuris, & rerum Ecclesiæ absq; intẽ
tione

tione mortis, vt habet Glos. can. de occidendis. 23. q. 5. non sunt irregulares, quod colligitur ex eod. can. Maximianus. hac etiam ratione, qui inuocant brachium seculare contra malefactores, & inobedientes, non sunt irregulares, etiamsi mors sequatur: immo licet Episcopis habentibus iurisdictionem temporalem, secundum Innocen. cap. quod in dubijs. de pœn. ratione iurisdictionis bellum indicere, & hortari suos milites, vt pugnent. His casibus ex consilio non inducitur irregularitas.

Aliquando verò ex consilio inducitur irregularitas homicidij voluntarij, aliquando delicti, aliquando defectus, iuxta qualitatem consilij: nam quãdo est iuiustum, tunc est ex delicto: at verò quando consilium est iustum in causa sanguinis, cum scientia, aut intentione mortis, est ex defectu: sic assessores iudicum, qui votum dant, aut consilium in causa sanguinis, sunt irregulares ex defectu; si verò personę Ecclesiasticę essent, tunc esset ex delicto. Similiter, qui personæ priuatæ existunt, & consulunt iudicem, vt aliquem occidi faciat, quia nociuus est, & malefactor, quamuis sine peccato faciat, irregularis est voluntarius ex defectu: at si clericus, ex delicto. Qui etiam consulit, vt potum accipiat ad aborsum faciendum, si fiat quando fœtus animatus est, aut præsumitur animatus, nempe post quadragesimum diẽ irregularis est ex delicto voluntario. Qui etiam bona intentione incitat carnificem, vt citius interficiat, ne diu vexetur reus, irregularis est voluntarius, vt dicit Præpos. can. 1. d. 50. num. 27. & si est persona Ecclesiastica, ex delicto. Qui etiam male consulit alicui, vt remaneret in aliquo loco, & hostes superuenientes occiderunt, si non intentione, vt occideret, fecit, sed verisimile erat id euenturum, non tamen id cogitauit, erit irregularis ex delicto, sed casualis. Per hæc multi alij casus decidi possunt circa consulentes.

De irregularitate ex defensione.

CAPVT LXXX.

INducitur etiam irregularitas ex defensione, aliquando ex defectu, aliquando ex delicto, siue voluntario, siue casuali, vti diximus in mandato, & consilio. Archi. can. si quis viduam. d. 50. hoc verbum (defensione) exponit de ea, qua aliquis se ipsum defendit; olim enim, vti diximus, etiam ex homici-

dio ad ineuitabilem defensionē contrahebatur irregularit
tamen hoc verbum alij aliter exponunt, nempe pro ea de
sione, qua aliquis defendit occidentem, vt liberius, & secu
occidat, quomodo videtur accipi cap. 2 de cler. pug. in duel
sic interpretantur hanc defensionem, Ioan. Ana. cap. ad
dientiam. de homicid. nu 4. & summa Pisan. homicidium,
Qui ergo defendunt, & tuentur homicidas, vt hominum oc
cisiones tuto, & liberius, animosiusque efficiant, irregulares
sunt iuxta cap. sicut dignum. de homicid §. illi etiam. Si autem
defensio fuerit iusta, vtpote in homicidio iusto, & a persona
non prohibitis, erit ex defectu. Si verò ad homicidium iniust
vel ad iustum à personis Ecclesiasticis, erit ex delicto; & si ad
est intentio mortis, erit ex homicidio voluntario: si verò di
præter intentionem, erit casuale iuxta regulas dictas supra
de mandante & consulente. Hæc defensio ampliatur ad om
nes eos, qui multis alijs modis concurrunt ad ferendum opem
& auxilium in hominis occisione, aut mutilatione, & ic
multi sunt casus, in quibus contrahitur hæc irregularitas ex
defensione

Primò, ministri iustitiæ sunt irregulares, quando occisio
vel mutilatio fit, nempe fiscalis, notarius, testes, qui literas scri
bunt, quibus demandatur officiali, vt occidi faciat aliquem
malefactorem, vt notat Præpos. can. 1. d. 50. num. 26. Similiter
satellites, notarij sententiam mortis scribentes, notificantes
eam reo cum auctoritate, quique interfunt, dum reus occidi
tur, tanquam fautores, aut auctoritatiue: si verò nudam præ
sentiam exhibēt, quales qui non habentes iurisdictionem ad
stant ad videndum tantum, non sunt irregulares, etiamsi sint
clerici, vt dicit Panorm. cap ex his. de excess. prælat. Similiter
accusator in causa sanguinis, & aduocatus contra reum, immo
etiam aduocatus pro reo, quando accusator obligatus est ad
pœnam talionis, si non probauerit crimen, si casu non probo
punitus est morte, aut mutilatione; aduocatus etiam, qui ac
cusatum defendebat in ea causa, est irregularis, vt dicunt Ar
char. cap. ad audientiam. de homic. & est communis sententia.
Denique officiales iustitiæ in causa sanguinis sunt irregulares
can. aliquantos, d. 51. & si iustum est iudicium, est irregularitas
ex defectu, sin minus, est ex delicto; aut quando personæ hanc
Ecclesiasticę, quibus non licet immiscere se in huiusmodi cau
sis, vt sæpe dictum est.

Est tamen in hac parte cōsiderandum, priuilegium esse cle-

ricis,

ricis,&Prælatis conceſſum,cap.prælatis de homicid.in 6.licet enim perſonis Eccleſiaſticis,non ſolum abſque peccato, ſed etiam abſque irregularitate vlla conqueri, & querelam deponere etiam apud iudices ſeculares contra ſuos malefactores,in defenſionem ſui,& rerum ſuarum,etiam ſuper criminibus,in quibus pœna ſanguinis venit imponenda, dummodo proteſtentur ſe non intendere vindictam,aut pœnam ſanguinis.hi ſi iuſtitia exigente decapitentur,etiam ſi clerici id ſciant,facta proteſtatione non ſunt irregulares,immo etiam ſi ipſimet capiant malefactores, & iudici tradant, vt tenet Socin. cap.ad audientiam.de homic.num.52. Nec opus eſt hanc proteſtationem facere in ſcriptis,ſed ſatis eſt,ſi verbo expreſſo fiat,quamuis ad cautelam tutius eſt,ſi ſcripto fiat,vt dicunt. Doctores in cod.cap. prælatis.& ibi Gloſſa.

In qua proteſtatione aliqua ſunt adnotanda.

Primum eſt,non iuuare hanc proteſtationem, niſi quando clericus pro ſui, rerumq; ſuarum defenſione querelam deponit,vt notant communiter Doctores, & ibi Franch. dicit nomine ſuarum,intelligi etiam ſeruos,& ancillas, eorumq; bona,ſed non amicos,cæteroſq; coniunctos.

Secundò,hanc proteſtationem non eſſe in fauorem teſtiũ, aut aduocatorum,aut aliorum,præter accuſatores, ſeu denunciatores,illi enim etiam proteſtantes fiunt irregulares.

Tertiò,quantum ego puto,non iuuat proteſtatio,niſi ſolos clericos, ſeculares enim etiam proteſtantes ſunt irregulares: nam priuilegium eſt clericis,& prælatis conceſſum, ne,occaſione irregularitatis fugiendæ,alij libere in eos, & eorum bona inſurgant,quod in laicis, quibus irregularitas non ita timetur,quibuſq; ſine peccato accuſare licet,non habet locum: at quia communis Doctorũ ſententia tenet,laicos ſimili proteſtatione iuuari,nec irregularitatem incurrere,ea eſt ſequenda ſententia.

Quartò,ex Anchar. & Francho eodem cap. prælatis. & Anan.cap.poſtulaſti.de homic.proteſtatio neceſſaria eſt, quando eſt ſuper crimen,pro quo venit pœna ſanguinis imponenda:nam ſi fit ſuper crimen leue, pro quo talis pœna non eſt imponenda,ſed iudex,vel ob imperitiam, vel ob ſæuitiã, pœnam talem imponit, non efficitur clericus etiam non proteſtans irregularis,nec etiam ſecundum Innocen.cap.tua nos.de homicid.efficitur irregularis, ſi ſuper quodcumque crimen iuriliter, & non criminaliter agit: iudex autem imperitus,

crimi-

criminaliter procedens, pœnam sanguinis infligit. & hic casus cap. postulasti. de homicid.

Quintò, qui protestatur, se non ob vindictam facere, tametsi re vera animum habet vindictæ, irregularis est ex delicto, si non faceret protestationem; erit tamen in solo foro conscientiæ irregularis, quia animus eius latebit, sicut in homicidio occulo. Si tamen constaret de animo, esset etiam in foro exteriori irregularis. ita sentit communis sententia, quam tenent Hostien. sum. de homic. §. qua pœna. ver. verum circa hoc. Archidi. cap. prælatis. de homic. in 6. qui citat Hostiens. & sentit cum eo. idem dicit Gemini. eod. cap. prælatis. & allegat eundem Hostien. & in eod. cap. Ioan. Andr. Quidquid dicant Felin. cap. postulasti. de homicid. & Couarru. qui tenent contrarium, & citant pro se Ioann. Andr. sed falso. Cum communi sententia, & nostra consentit etiam Franch. cap. prælatis. qui pro se citat Hostiens. Archid. & Ioan. Andr. Idem tenet Anan. cap. postulasti. de homic. citans etiam Ioann. Andr. item Antonin. 3. p. tit. 28. cap. 2. §. 4. cum alijs multis: protestatio enim supponit animum non vindicandi, & eum habenti suffragatur; aliter enim non est vera protestatio. Nec argumentum in contrarium est vllius roboris; Ecclesia enim iudicat de actibus animæ, quando cõiuncti sunt cum actibus exterioribus: nam & qui actum facit exteriorem hæreticum; verbi gratia vescitur carnibus tempore prohibito, si faciat animo hæreticandi excommunicatus est, sin minus, non est excommunicatus, & sunt huius rei multi casus. Denique cùm tot, ac tanti Doctores affirment esse irregularem, saltem res est valde dubia, & tutius est in conscientia reputare se irregularem. Nec ergo sola protestatio sine animo, nec animus sine protestatione sufficit, vtrumque simul clericum deponentem querelam in causa sanguinis a peccato, & ab omni irregularitate præseruat. Hoc tamen aduertendum est postremo, si crimen aliquod esset in perniciem, & nocumentum publicum, nec posset aliter impediri, quam per denunciationem, liceret clerico, facta protestatione, etiam absque irregularitate, morte subsecuta delinquentis, denunciare, vt tenent Caiet. 22. q. 33. articu. 7. & Nauar. cap. inter verba. 11. q. 3. Corol. 58. & Couarru. & colligitur ex cap. accusasti. de accus. Hic est primus casus irregularitatis ex defensione.

Secundo loco, contrahunt eandem irregularitatem ex defensione illi, qui bono zelo ligna ferunt ad hæreticum com-

burendum, dummodo, vt dicit Præpoſi. can 1. d 50. num. 27. ligna cooperentur ad mortem: nam ſi mortuus comburitur, aut ſi viuus, ligna tamen illa nihil effecerunt in morte, non erit irregularis, qui portauit, quamuis in dubio debeat ſe talem reputare. Addit Præpoſi. qui ligna vendidit, aut ſcidit, non eſſe irregularem, quia eſt cauſa remota: cauſa autem propinqua debet eſſe, vt contrahatur irregularitas, iuxta Gloſſ. cap. de cætero. de homicid. quod limitandum puto, qnando ex officio ſcindit, aut vendit indifferenter, & indiſtinctè cuilibet ementi. hic, etiam ſi ſciret, pro hæretico comburendo emi; non eſſet irregularis, quia dat operam rei licitæ, & id non intendit primo, & per ſe; ſecus ſi non ex officio id faceret, ſed ad hoc ſolum vt combureretur hæreticus, quia in remota cauſa, & propinqua iudicanda debet non tantum conſiderari, quando actio ex ſe inducit mortem, aut ex ſe in cauſa ordinatur, ſed etiam, quamuis talis non ſit, ſi intentione ea fit: nam intentio mortis cauſam alias remotam facit propinquam, iuxta Gloſſam ſingularem ſupra allegatam, cap. de cætero. de homicid. Hac de cauſa, qui vendunt funes, quibus ſuſpenditur malefactor, & qui vendunt arma militibus, quibus pugnant, & occidunt, quique ſimilia faciunt ex officio, & indiſtinctè, non ſunt irregulares: ſecus de ijs, qui commodarent, aut darent ad hunc effectum, eſſent enim irregulares voluntarij, ſicut & occiſores.

Tertiò, eum, qui campanam pulſat in locis, vbi conſuetudo eſt pulſari, ad conuocandum populum, vt interſit, quãdo malefactor eſt occidendus, quia miniſter eſt iuſtitiæ, & intentione facit mortis, crederem eſſe irregularem cum Socin. cap. ad audientiam. de homic. & Anan. cap Ioan. eod. titu & ibi communiter Doctores, quamuis Couarru. teneat contrarium, dicens eſſe cauſam remotam: ſed vti diximus, vbi eſt intentio mortis, ſemper eſt cauſa propinqua: eſſet autem irregularis ex defectu; ſed ſi clericus talem campanam pulſaret, eſſet ex delicto.

Quartò, qui indicat latronem, aut malefactorem iudici, vt comprehendatur, ſciens, quod quærebatur ad mortem, aut ea intentione, vt occideretur, irregularis eſt, vt dicunt Cardin. & Anan. cap tua nos, de homi §. vlt. eritque ex homicidio voluntario ex defectu in ſeculari: at in clerico, ex delicto; ſecus, ſi id faciat, non intendens mortem, ſed defenſionem propriæ vitæ, aut ſuarum rerum, & neſciens occidendum, niſi quando

pro-

protestatio fit, vt supra diximus, quæ protestatio non pro
nisi cùm à iudice latro occiditur; si enim clamat aliquis, &
uocat turbam contra latronem, quamuis protestetur, si a
occidatur ab ea, irregularis erit, vt dicit Ana. cap. significasti
homi. nu. 7. Eadem ratione, qui pulsat campanam, quan
inimici veniunt, vt congregetur populus contra eos, si id fa
ciat in sui defensionem, mortem non intenpendo, irregularis
non erit; secus, si non in defensionem sui, aut mortem inten
dat, etiam si faciat in aliorum defensionem, vt dicit Anan.
cap. Ioannes. de homicid.

Quintò, qui interrogatus à iudice de insignijs latronis, a
quo fuit spoliatus, dedit cultrum, & fobtulares latronis, quæ
apud eum manserunt, posteaq; latro fuit occisus, non est irre
gularis. casus est expressus in cap. tua nos. de homi. §. vlt. in quo
multum Doctores laborant, & maximè Anani. tamen verum
hæc est, illum non dedisse insignia intentione, vt occideretur latro, sed vt sua recuperaret, nec fuisse signa sufficientia ad
eum conuincendum, vt dicit Antoni. Butr. vnde fuit causa re
mota; secus, si intentione mortis faceret, aut signa fuissent
sufficientia, non præmissa protestatione.

Sextò, ad eandem irregularitatem ex defensione pertinet,
si quis socius sit alterius ad occidendum iniustè, quamuis e
nim ipse non occidat, sed alter, efficitur etiam ipse irregularis.
dixi, ad occidendum iniustè, quia socius in rixa iusta, vt qui
socius est eius, qui ad sui defensionem, aut in bello iusto pug
nat, non fit irregularis, si ipse non occidat, quamuis alter, qui
iustè pugnat, occidat, cap. petitio. de homicid. & ibi Panormit.
etiamsi clericus esset, vt supra diximus. In iniusta autem rixa
ex parte illa, in qua iniustitia est, omnes efficiuntur irregula
res, etiamsi vnus tantum occidat, & est irregularitas ex delicto
voluntario. Quod autem dixi de socio, intelligendum sic est,
quando alterum associat ex proposito, ita vt animosiorem fe
ciat: nam fieri potest, vt rixa à multis subito sit exorta, quo
rum vnus alium non iuuat, sed pro se quisque pugnat, etiamsi
sit contra vnum, tunc, qui occidit, est irregularis, non alij, vt
colligitur ex cap. significasti. de homicid. & ex ijs, quæ ibi a
notantur, quod in specie dicit Couar. His casibus, & simi-
libus, irregularitas ex mandato, consilio,
& defensione contra-
hitur.

De aliis

De alijs modis contrahendi irregularitatem homicidij.

CAPVT LXXXI.

QVidam, præter modos tres, consilium, mandatum, defensionem, addunt alios duos, vnus est ratihabitio, quãdo nempe aliquis homicidium nomine eius factum, etiam ipso ignorante, ratum postea habet. ita habet Archi. cap. si quis viduam. d. 50, & Specul. tit de leg. §. iuxta propositiones. Henric. Boic. cap. sicut dignum. de homic. Siluest. ver. homicidium. 3. § 2. Rosel. homicidium. 2. §. 5. Nauarr. in sum cap. 27. num. 233. Pro hac opinione facit, quod in delictis ratihabitio mandato æquiparatur, Reg. ratihabitionem. de reg. iur. in 6. fauet etiam cap. si quis de sent. excom. in 6, vbi, qui ratam habuit percussionem eius nomine factam contra clericum, declaratur excommunicatus, quia mandato æquipollet. Oppositam opinionem, nempe per ratihabitionem non contrahi irregularitatem, tenent Hostien. in sum. de homi. §. qua pœna. & Archi. sibimet contrarius. 17. q. 4. can. omnes. Tabien. ver. irregularitas. 2. §. 7. & Armil. ver. irregularitas. §. 22. & Couarr. pro cuius resolutione attende, duplicem esse ratihabitionem; Vna est improprie, & large, sic dicta, quando aliquis probat id, quod gestum est, & in eo complacet, etiamsi non eius nomine sit gestum, vt qui audit suum inimicum esse occisum ab aliquo, gaudet, & probat factum illius, qui occidit; omnes conueniunt, hanc ratihabitionem esse quidem peccatum, non tamen inducere irregularitatem. ita Archi. can. omnes. 17. q. 4. & Hostien. loco citato dicunt, & de hac intelligitur Gloss. can. si quis viduam. d. 50. ver. consilio. Altera est propriè dicta ratihabitio, quando aliquis probat, quod eius nomine gestum est, etiamsi ipse prius ignorauerit, & de hac est Reg. ratum. de reg. iu. 6. Ratum, inquit, nemo habere potest, quod eius nomine non est gestum, quam ratihabitionem Panorm. cap. 1. de conuer. infid. recte declarat, dicens, ad ratihabitionem esse necessarium, vt ratum quis habeat, quod eius nomine gestum est eo tempore, quo ipse facere potuisset; si enim aliquis nomine infantis occidere alterum, quamuis ille factus adultus ratum haberet, non esset ratihabitio proprie, quia illo tunc temporis non poterat infans occidere. De hac ratihabitione est controuersia, & puto probabilius esse, non induci irregularita-

laritatem per ratihabitionem: & ratio, quæ me mouet est ex cap. is. qui de sen. excommu. in. 6. habemus, neminem irregularem censendum, nisi sit iure expressum: non autem habemus iure expressam irregularitatem ex ratihabitione: sed regula illa, quæ in delictis ratihabitio mandato æquiparat, multas habet fallentias, & saltem locum habet, vbi iure non cauetur contrarium: at habemus iure cautum, irregularitatem debere esse expressam in iure, quod non est cautum de excommunicatione: ideo per ratihabitionem incurritur excommunicatio, non autem irregularitas. Et per hoc soluuntur argumenta in contrarium.

Alter modus contrahendi huiusmodi irregularitatem est omissio, nempe quando aliquis non liberat a morte eum, quem poterat auxiliando liberare, qui modus est valde controuersus, multi enim multa dicunt, quorum opiniones breuiter proponam; supposita duplici distinctione; Vna est, mortem qua liberari vnus ab altero potest, duplicem esse. Vna est iusta, vt quando à iudice infligitur, vel ab habente potestatem occidendi; aut quando ex infirmitate aliqua, similive causa moritur. Altera est iniusta, quando oppressus ab altero occiditur. Posterior distinctio est, dupliciter aliquem obligari posse ad eri subuenire. Vno modo ex solo debito charitatis, sic tenemur diues subuenire pauperi, & priuatus proximum ab iniuste opprimente eruere, quando potest. Altero modo etiam ex iustitia, sic persona publica, nempe iudex, tenetur oppressum defendere, ne lædatur. His suppositis est.

Prima opinio Hostiens. cap. significasti. 2. de homicidium. 2. affirmantis eum, qui potuit liberare alterum ab iniusta morte, & non liberauit, ideoque hic mortuus est, esse irregularem. loquitur Hostiens. de iniusta morte, indistincte tamen ad obligationem, siue ex charitate, siue ex iustitia teneatur.

Secunda opinio est aliorum, qui generaliter tenent neminem effici irregularem ex omissione, seu non liberatione a morte, siue ex charitate, siue ex iustitia teneatur, & de quauisque morte. Hanc opinionem refert Innoc. cap. Petrus de homicid. quia, inquit, lex promotionis factum requirit, & videtur in eam inclinare, vt ex principio cap. apparet: eam tamen tenet Pisan. ver. homicid 4. vbi expresse de vtroque loquitur casu, & Tabien. ver. irregularitas. 1. §. 2. qui eum, qui etiam dolose non liberat, vt ille moriatur, dicit non esse irregularem, dummodo non concurrat aliquo actu positiuo ad mortem

eius.

cius. Idem Aſten. lib. 6. titul. 14. artic. 8. q. 8 dicens, nec iudicem nec priuatum per non liberationem effici irregularem. Roſel. ver. homicidium. 4. §. 12. idem dicit expreſſe, quamuis poſtea citet alios in contrarium, & videatur inclinare in eorum ſententiam, malè citans verba ex Aſtenſi ſumpta, quæ ſunt ex Hoſtienſ. in ſum. de homicid. §. qua pœna. At Hoſtienſ. loquitur de peccato, non de irregularitate. idem etiam ſentit Antonin. 3. p. tit. 28. cap. 2. vbi generaliter loquitur de eo, qui potuit, & non liberauit à quacumque morte, etiamſi delectetur in morte illius, peccat quidem, ſed non eſt irregularis, dicitque medicum nolentem mederi infirmo, & diuitem non ſubuenientem pauperi; etiamſi ex hoc hi moriantur, non effici irregulares.

Tertia opinio eſt aliorum, qui generaliter, etiam nulla facta diſtinctione, tenent non effici irregularem, qui non liberat, niſi in vno caſu, nempe quando doloſe id facit, vt ille alius moriatur, aut occidatur. Hanc tenet Henric. Boic. cap. Petrus. de homicid. & Angel. homicidium. 1. §. 17. & ver. irregularitas. §. 8. & Silueſt. homicidium. 1. §. 14. quamuis hic mutet opinionem. ver. homicidium. 3 §. 2. & §. 7. notab. 5. dicit enim non inducì irregularitatẽ ex permiſſione, quamuis delectetur, niſi ſit Prælatus, aut Dominus.

Quarta opinio eſt media, eos ſcilicet, qui ex charitate ſola tenentur liberare, non contrahere irregularitatem, ſed eos ſolos, qui ex iuſtitia obligantur. ita Nauarr. in num. c. 27. nu. 231. addens, eos, qui ex ſola charitate tenentur, non effici irregulares, quamuis delectentur in morte illius, ponitq; exemplum Antonini citati ſuperius in diuite nolente ſubuenire, & medico nolente mederi.

Quinta eſt Couar. qui dicit, eos, qui habent poteſtatem in interfectorem, vt iudex, aut dominus, aut pater familias, ſi nõ arcent hos à malo perpetrando, effici irregulares, ſi hi occiderint. in quo caſu procedit cap. quantæ. de ſent. excomm. nempe reſpectu perſonarum, qui ex officio tenentur reprimere malefactores: cæteri verò non incurrunt irregularitatem, niſi doloſe dimittant, vt ille alius occidetur, videtur loqui de iniuſta morte. Hæc ſunt, quæ Doctores ſentiunt in hac varietate, quæ puto probabiliora his ſunt: loquimur autem, non de peccato, de quo nemo dubitat, ſed de irregularitate.

Primò, ei, qui non tenetur liberare aliquẽ à morte, etiamſi

posset liberare, non imputatur mors, nec quantum ad re-
tum, nec quantum ad irregularitatem. in hoc dicto nulla
difficultas, ex quo sequitur, qui posset eruere de manibus
dicis reum morte damnatum, si non eruat, & reus mori-
ctatur, non est irregularis, immo male faceret eruendo. I
sus, qui non dat panem, seu cibum ei, qui est damnatus, ut
me moriatur, quamuis id posset facere, non est homicida, n
irregularis. Similiter, qui non remittit, nec, vt dicitur, dat pa
cem aduersario, qui occidit patrem, aut consanguineum eius,
ob idq; ille damnatur morte, non damnandus, si cum illo se
componeret, non est irregularis, dummodo querelam non
fecerit, nec aliquem actum in iudicio, quia non obligatur ad
facere, sed potest licitè permittere Iudicem iustitiam exer
quando non ex odio id facit, sed zelo iustitiæ, & bonitat
Rursus, si quis se occidere minatur, si non det aliquis ei m
aureos dono, vt supra diximus, hic non est irregularis, etiam
ille occidat se, quia non tenetur eo casu dare. Denique vbi non
non tenetur liberare, non est irregularis; hinc sequitur, prælat
tas personas, quando nequeunt liberare, nisi se exponendo pe
riculo alicuius mali grauis, non esse irregulares, si non libera
quia eo casu non tenentur.

Secundò, quando non liberatio, aut non prohibitio non
habet auxilij, aut consensus apud occidentem, tunc, qui non
liberat, aut non prohibet, est irregularis, quia eo casu est auxi-
lium, aut consensum præstare. casus est in cap. Petrus de ho-
micid. In domo cuiusdam Diaconi, consanguinei eius tracta-
runt, ipsius intuitu occidere quendam Abbatem, & occiderũt,
consultus Papa respondet, illum non esse irregularem, quia
nec causam, nec occasionem dedit; nec solum hoc, sed etiam
quia expressè prohibuit, ne illi occiderent. Igitur à contra
sensu, si non prohibuisset, esset irregularis, quod intelligen
foro exteriori, quia præsumitur consensisse: in foro autem
interiori, si re vera non consensit, nec ea de causa tacuit, vt
consentire videretur, tunc non esset irregularis, si nihil aliud
fecit, & hoc est quod ibi Gloss. & Innocen. dicunt, nimirum e-
tiamsi non prohibuisset, non esset irregularis, quod intelligo,
quando non prohibitio non fuit tacitus consensus in morte
illius; iuxta commune dictum, qui tacet, consentire videtur.
Qui ergo videt tractantes de occidendo aliquo in præsentia
sua, & non prohibet, cùm possit, consentire præsumitur in fo-
ro exteriori: at in foro interiori. non, si vere non ob id tacuit.

& hic est sensus illius cap. allegati, & concordatur cum doctrina can. quia præsulatus. 1. q. 4. vbi quidam intuitu cuiusdam clerici eruerunt oculos alteri, ille tamen censetur non irregularis, vbi nihil dicitur de non prohibitione; respondeo, in hoc casu, illos tractasse eo absente eruere oculos alteri; ideo eius non prohibitio non potuit habere rationem, nec vim consensus in crimen; vnde quando non voluntate, nec aliquo illius consilio factum est, non censetur irregularis. casus etiam alius est, cap. sicut dignum. de homic. §. illi etiam, vbi qui illicito homicidio, cum possent, non restituerunt, censentur homicidæ, quia, inquit, non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, quod procedit de ijs qui sua dissimulatione occisores animosiores fecerunt ad occidendum. In his casibus, & similibus, non est simplex non liberatio, sed est consensus quidam, aut auxilium tacitum in mortem.

Tertiò, non liberatio illicita, & contra iustitiam inducit irregularitatem, quando nempe aliquis ex officio & iustitia tenetur liberare à quacumque morte; si enim non liberat, cum posset sine suo periculo graui, est irregularis, & homicida hoc exemplis confirmo. Est medicus, qui infirmi curam suscipiens, nouit esse illi necessariam potionem, aut sanguinis emissionem, & tamen non vult facere, ob idq; moritur infirmus, nemo negare potest, hunc esse irregularem: quod manifesto argumento probatur; diximus enim supra, ex communi sententia, quando ex negligentia medici infirmus moritur, etiamsi id nesciat medicus, esse irregularem casuali homicidio, quia dans rei licitæ operam, non adhibuit debitam diligentiam, ergo a fortiori erit irregularis, non casualiter, sed voluntariè, quando sciens, & prudens, morituram infirmum remedio priuat necessario; si enim daret potionem lethiferam, esset irregularis. ergo etiam erit, si neget necessariã, quã tenebatur ex officio adhibere, tam enim est causa illa potio occisionis, quam huius subtractio. Ex hoc exemplo manifesto deduco, iudices & publicas personas esse irregulares, quãdo ipsis scientibus, & non prohibentibus, cùm possint, malefactores occidunt aliquem; non minus enim ipsi ex officio tenentur malos reprimere, & subuenire oppressis, & inferiorum indemnitati, quam medici suscipientes curam infirmi tenentur ipsius consulere saluti: nec inuenio discrimen, vtrique

enim sunt causa mortis, seu concausa, quod facit irregularitatem, cap. de cætero. de homicid. sunt enim homicidæ fabricant, & gubernator nauis, qui tempore tempestatis potest subuenire, & non subuenit, est vera causa submersionis nauis, homicida eorum, qui submerguntur. Deduco etiam, qui ex officio, & iustitia tenentur cibum, & necessaria victui ministrare alijs, & scientes aliquos in extrema esse necessitate, cum possint non subueniunt, & mori permittunt, sunt irregulares, & homicidæ contra iustitiam. & in hac parte mihi placet opinio Couarru. & aliorum, quos citauimus, nec opus est, vt dolo, & malo animo non prohibeant, satis est, si scienter id faciant, ad homicidium voluntarium, aut casuale, si id facere scire poterant, & neglexerunt, cap. quæsitum. de pœnit. & remiss.

Quartò, quando non liberatio, seu non prohibitio efficita, qua contra solam charitatem est, etiamsi impurum homicidium quantum ad peccatum, non imputatur quantum ad irregularitatem. in hoc consentio Nauarro, & Antoni. & alijs citatis; vnde medicus, qui non est salario conductus, nec curam suscepit infirmi, si vocatus nolit venire, & moriatur infirmus, etiamsi malo animo faciat, non erit irregularis. Nec diuites, qui pauperibus non subueniunt, nec priuatæ personæ, qui non accurrunt ad liberandum in periculo mortis existentem, siue ex iniqua oppressione, siue ex aliquo alio accidente sit mors. In his, & similibus casibus, qui non subueniunt, grauiter peccant, & hoc canones aliqui significarunt, appellantes hos tales homicidas, tamen non contrahunt per hoc irregularitatem. hæc videtur esse opinio Hostien. cap. sicut dignum de homi. num. 38. vbi illud can. pasce d. 86. pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti. dicit esse homicidium spirituale & Gloss. cap. si aliquis. de homi. appellat homicidium occasionaliter, sicut qui dat potionem ante animatum fœtum. Secundum hos ergo non inducitur irregularitas, quando non liberatio est contra solam charitatem. Petet aliquis causam & rationem huius differentiæ, quam nemo Doctorum allegatorum adduxit. & ex qua huius difficultatis resolutio valde declaratur; ea autem est. qui enim non dat, quod ex iustitia dare tenetur, aufert quod est alterius, alterius enim est modo quodam id, ad quod ius habet; vnde qui non dat, ius illius impedit, quod est auferre: at qui non dat, quod ex charitate tenetur dare, non aufert alteri, quod eius est; sed est pura negatio non

dandi,

dandi, quod dare deberet: multum autem hæc differunt, auferre, & non dare; illud enim causa propinqua est, hoc verò remota. Sicut, qui auferret pallium alteri, seu cibum, qui in manu eius est, si inde mors sequeretur, propinqua esset causa. ita & qui non dat, quod ex iustitia dare tenetur. Propter hoc ergo ille est irregularis, non hic, quamuis vterque peccet.

Per hoc soluitur dubitatio, quam aliqui proponunt, nempe an, qui scit tractatum contra aliquem in mortem eius, si non reuelet illi, sit irregularis, si occidatur. tractant hoc Doctores, cap. Petrus. de homicid. vbi Innocen. respondet, si intuitu eius illi id tractant, tenetur prohibere, & si credit eius prohibitionem sufficere, non tenetur reuelare, tunccue, si casu illi occiderint, non erit irregularis; si tamen credit non sufficere eius prohibitionem, debet reuelare, alias esset irregularis: citat tamen quosdam, dicentes non esse irregularem in vtroque casu non reuelando, siue eius intuitu fiat, siue non; & hoc profectò est magis iuridicum, nam in eo capit. Petrus. ille diaconus iudicatus est non contraxisse irregularitatem, quia expresè prohibuit, nec fit vlla distinctio, an crediderit sufficere eius prohibitionem, an non: Panormitan. autem ibidem citat Innocent. in ea sententia expositа, & Ioann. Andr. dicentem esse irregularem, quando dolosè noluit reuelare; ipse tamen in contrarium potius inclinat, & re vera ita est, immo aliquando non peccat non reuelando. Fateor quandoque teneri reuelare maximè in genere, vt sibi caueat, & aliquando personas manifestando in casibus aliquibus, & certis quibusdam circumstantijs, de qua re non est modo tractandum, sed quia est peccatum contra charitatem, vti diximus, non videtur contrahere irregularitatem, & in hoc etiam innocen. consentit, nam ipse de casu illo loquitur, quando intuitu illius fit tractatus contra aliquem, per quod insinuat, si non eius intuitu id fit, non fieri irregularem, si non reuelet, tamen in neutro casu est irregularis, vti diximus. Hæc de huiusmodi irregularitate.

De dispensatione irregularitatis ex homicidio.

CAPVT LXXXII.

CVm irregularitas ex homicidio voluntario, necessario, & casuali oriatur; de singulis ordinate, quantum ad dis-

pensationem tractandum est, primoq; de dispensatione ver homicidij voluntarij irregularitatem, de qua sunt aliqua notanda.

Primò, irregularitas ex homicidio voluntario non est iure diuino, sed humano, hoc est contra quosdam, qui iure diuino ortam esse hanc irregularitatem arbitrati sunt, decer illo facto Dauid, qui prohibitus est à Deo ædificare templum quia vir sanguinum erat, nec aduertunt illud factum esse cum Dauid, quia typus erat, & figura Christi, qui Ecclesiam erat ædificaturus: noluit autem Christus in hoc per Dauid significari, nec repræsentari, quia ipse Christus fuit Rex pacificus, qui cùm malediceretur non maledicebat, nec per alterius, sed proprium sanguinem redimere venit: sacerdotes autem non sunt figura Christi, ideo non comprehenduntur hoc facto, neque Dei sententia. hoc tenuit generaliter Innocen. cap. ad audientiam. eod. tit. de omni irregularitate. Idem Panorm. cap. gaudemus. de diuort. quamuis idem Panormit. sibi contrarietur tenuit esse de iure diuino, cap. ad audientiam. de homi illatamen, vti diximus, est communis opinio. Ex hoc dicto sequitur posse Papam dispensare cum homicida voluntario quocumque, quamuis difficile id faciat, & non sine graui & vrgenti causa, & multo difficilius in foro exteriori, quando homicidium est publicum.

Secundo, per baptismum tollitur omnis irregularitas ex homicidio voluntario quocumque. In hoc est controuersia Doctorum, aliqui distinctione vtuntur: cùm enim duplex sit homicidium voluntarium, vnum ex delicto, alterum ex defectu, vti supra dictum est, dicunt, illam irregularitatem, quæ est ex homicidio illicito & delicto, tolli: quæ verò est ex defectu non tolli. ita senserunt Glos. can. si quis viduam. d. 50. Hostien. cap. gaudemus. de diuor. & Præpo. can. 1. d. 50. num. 1. contrarium tamen tenent idem Præpos. cap. gaudemus. de diuor. & ibidem Panormitan. affirmantque omnem tolli irregularitatem, siue ex licito, siue ex illicito homicidio, & hoc verum est, immo si proprie loquendum est, per homicidium quodcumque infidelis non est irregularis, sed solus baptizatus; vnde non dicitur tolli irregularitas per baptismum, cum ante baptismum non esset, dicendum potius est, non baptizatum non contrahere irregularitatem ex homicidio, siue licito, siue illicito; ratio huius est, quia can. si quis viduam. d. 50. irregularem facit eum, qui quouis modo homicidij voluntarij est

ni est causa post baptismum. & ita notauit Archidi.d.21.can. decretis.nu.10.

Tertiò,cum homicida voluntario licito solus Papa dispensat ad ordines,& beneficium; sed si est clericus,Episcopus dispensat ad beneficium,de hoc enim est eadem ratio, ac de voluntario illicito,vt paulò post dicemus, nec de hoc loquitur Concil.Trident.sess.16.c.7.quia non est ex delicto,vnde relinquitur iudicandum secundum ius commune.

Quartò,ante Concilium, cum homicida voluntario illicito Episcopus dispensabat cum clerico, nempe tonsurato ad simplex beneficium,sed non ad ordines,etiam minores. hoc est Innoc cap.2.de cler.pugn.in duel. & ibi Panorm.qui citat Hostien.affirmantem posse Episcopum dispensare ad minores,quia caput loquitur de sacris,& cum Hostien.sentit Ioann. Andr. Cardi.& Butr.intellige autem cum clerico. de hoc enim capita loquuntur,tamen Panor.tenet,quod non, propter cap. 5.eod.tit.& exponit ibi per sacros ordines,etiã minores significari,& hoc est verius,quamuis & illud sit etiam probabile. Nõ ergo dispensabat Episcopus, nisi cum clerico iam promoto ad beneficium simplex,non tamen vt promoueri posset,nec etiã ad minores,pro quo facit can.miror.d.50. & ibi Gloss.dispensabat autem ad simplex,sed non ad curatum,vt in hoc verè dicit Hostien. quod tamen limitat Deci.cap.at si.de iudi. quod non dispensat ad curatum de nouo habendum,sed potest dispensare ad retinendum iam habitum. sed hoc non est tenendum:nam si non potest dispensare, vt ministret in susceptis, nec poterit dispensare in retinendo curato, quod sine vsu ordinum retineri non potest.

Quintò,de iure etiam antiquo non poterat Episcopus dispensare cum occulto homicida voluntario, nec etiam ad ministrandum in susceptis.hoc est in controuersia:nam Archidi. can.de his.2.d.50.num.5.tenet cum occulto posse Episcopum dispensare,vt ministret in susceptis, etiam in ministerio altaris,immo Angelus,homicidium.§. affirmauit quoad suscipiendos etiam posse dispensare;tamen contrarium tenet Gloss. can.miror.d.50.idq; est probabilius,& colligitur ex cap. quæsitum.de temp.ordi.

Sextò,post Concil.Trid. Episcopus non potest dispensare cum homicida voluntario etiam occulto ex delicto, nec ad ordines,nec ad beneficiũ simplex,& sess.14.cap.7. vbi tali homicidæ denegatur quorumcumq; ordinum promotio, & cuiusq;

beneficij collatio. Posset autem alicui suboriri dubium ... irrationabile, an hoc Decretum Concilij, quo, qui homi... sua volũtate perpetrauerit, à spe promotionis repellitur, ... plectatur eum tantum, qui occidit facto, non autem man... tem, nec consulentem, & maximè hoc dubium augetur p... pter doctrinam Anani. cap. 2. de cleri. pugn. in duel. vbi d... non dici propriè homicidam, nec committere homicidium nisi eum, qui facto occidit, non autem mandantem, nec consulentem, & sic censet statuta declaranda, quæ loquuntur de homicidijs, & committentibus homicidium. at contrarium est tenendum, & facit pro hoc cap. 2. de cler. pug. in duel. vbi habetur, homicidium, facto, præcepto, consilio, & defensione perpetrari. perpetrat ergo homicidium, qui facit, præcipit, consulit, defendit, & ideo hoc statuto concilij, vbi de perpetrante homicidium indistinctè agitur, comprehenduntur hi omnes. idem etiam probatur cap. mulieres. de sen. excom. §. illi etiam, vbi verè committere dicitur delictum, cuius mandato fit. Hoc tamen verum est, non comprehendi eum, qui mutilat: nam hic non perpetrat homicidium, nec delictum ita graue committit, nec irregularitas habet ita difficilem dispensationem, vt superius diximus, ex quo sequitur vnum notandum, posse Episcopum cum hoc, quando occultum est crimen, dispensare per Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. vbi datur facultas dispensandi super omnem irregularitatem ex delicto occulto, præter eam quæ est ex homicidio voluntario. Ergo dispensabit super irregularitatem, quæ ex mutilatione est: nam hæc non oritur ex homicidio voluntario.

Septimò, per homicidium voluntarium, etiam ex delicto perpetratum post obtentum beneficium, non amittitur ipso iure beneficium, quamuis sit priuandus. hoc est Innoc. cap. ... nostris. de concess. præb. & cap. constitutis. 2. de appella. & Panorm. cap. querelam. de iureiurand. & cap. fina. de exces. præla. vbi idem tenet de alijs irregularitatibus superueniẽtibus, & ... cõmunis sententia, quamuis contrarium affirmauerint Glos. can. studeat. d. 50 & ibi Archidi. tamen non est recipienda eorũ opinio, quia non est textus vllus quo sufficiẽter probetur: nam cap. clericis. ne cle. ver. mon. solum habet, esse priuandum homicidium volũtarium, non tamẽ ipso iure esse priuatũ: immo dictum nostrum probatur ex cap. ex litteris. de exces. prælat. vbi Pontifex iubet Episcopum homicidã cedere Episcopatui: si autẽ iure priuatus esset, cedere nõ posset, ex quo sequitur quod

poteſt reſignare beneficium,&c, ſi eſſet curatum, vel tale, quod non poſſet retineri ſine ordinis exercitio, teneretur reſignare, aut dimittere; non autem ſi ſimplex eſſet, quod actum ordinis non requireret, quamuis Ana.& Ioan. Andr.c. inquiſitionis. de accuſa.affirment, neutrum poſſe retinere, tamen verius eſt, quod diximus, & ita ſentire videtur Felin. eodem c.inquiſitionis.

Octauo, per homicidium illicitum qualificatum ipſo iure amittetur beneficium: hoc dictum eſt Felin.eodem cap.inquiſitionis.& Anchar. conſil. 158. tamen limitatio eſt addenda, nempè in caſibus iure expreſſis; iſti enim Doctores ſimpliciter affirmant, per homicidium qualificatum amitti ipſo iure beneficia, vt per parricidium,& alia ſimilia, quæ habent circumſtantiam mutantem ſpeciem peccati; tamen id non probo, ſed exiſtimo, in ſolis caſibus iure expreſſis amitti beneficia ipſo iure, per homicidium illicitum qualificatum. ſunt autem hi caſus tres.

Primus habetur cap.1. de homic.in 6.Qui occidit Chriſtianum per aſſaſſinum, eſt ipſo iure omnibus beneficijs, etiam habitis, priuatus. Secundus, c.felicis de pœnis.in 6.Occiſor, aut percuſſor Cardinalium ipſo iure eſt habitis beneficijs priuatus. Tertius, in Clem.de pœn.etiam occiſor Epiſcopi priuatur ipſo iure beneficijs. Extra hos caſus expreſſos, non puto homicidam priuari ipſo iure habitis beneficijs. his coniungi poteſt Quartus, in c.in quibuſdam de pœnis Clerici beneficiati occidentes, aut mutilantes per ſe, vel per alium Rectorem alicuius Eccleſiæ, vel aliquem clericum conſocium eiuſdem Eccleſiæ, ipſo iure ſunt priuati beneficijs. Panor.ibi affirmat hoc eſſe ſecundum communem ſententiam, ipſe tamen dubius eſt, tamen probabilior eſt opinio communis.

Nonò, collatio facta homicidæ ante diſpenſationem, eſt nulla ita habent Innoc.c.cum noſtris. de conceſ.præb. & Panorm.cap.tanta de exceſ.prælat.quamuis contrarium ſenſerit Felin.c.inquiſitionis, de accuſ.prior tamen opinio eſt verior, & communior.& eſt in Praxi.

Decimò, nomine homicidij voluntarij, quantum ad irregularitatem, venit tam licitum, quàm illicitum, tam ex defectu, quàm ex delicto, vnde qui habent facultatem diſpenſandi in omni irregularitate, præter homicidium voluntarium, & bigamiam, non poſſunt diſpenſare cum homicida voluntario ex defectu. hoc ex dictis ſuperius ſatis colligitur. Si autem

datur facultas dispensandi in omni irregularitate ex delic
præter homicidium voluntarium, tunc etiam non potest
pensari cum homicida ex defectu, quia facultas extenditur
eas irregularitates, quæ sunt ex delicto. Hæc sunt secundu
communem opinionem antiquorum, qui homicidium exist
ex defectu, volūtarium etiam appellarunt, cum non sit ex ne
cessitate, nec casu, vti suprà diximus, quidquid dixerint recen
tiores quidam.

De dispensatione vero in irregularitate ex homicidio ne
cessitate facto, vti superiùs diximus, quando est ad sui necessa
riam defensionem, non oritur irregularitas, si seruatur mode
ramen; quando vero non seruatur moderamen, tunc contra
hitur irregularitas, quæ aliquando est ex delicto, aliquando ex
defectu. quę omnia exposita sunt superius, si sit ex delicto tanc
dico.

Primò, in foro conscientiæ, quando est occultum cri
men, dispensat Episcopus, per cap. 6. Concil. Triden. sess. 24.
vbi datur Episcopis facultas dispensandi in omni irregulari
tate ex delicto occulto prouenienti, præter eam, quæ oritur
ex homicidio voluntario. Ergo potest dispensare cum eo, qui
occidit ad defensionem sui, non seruato moderamine, & deli
quit, quia, vti ostendimus superius, non est hoc homicidium
voluntarium.

Secundò, si homicidij crimen non est occultum, non dis
pensat Episcopus, post Conc. Trid. sess. 14. c. 7. nisi ex commis
sione Papæ, iuxta formam ibi allegatam.

Tertiò, de iure communi est controuersia: nam aliqui affir
marunt, irregularitatem ex homicidio euitabilis necessitatis
impedire, nè homicida possit ad nondum susceptos promo
ueri, tamen in susceptis posse ministrare. ita habet Gloss. can.
de his, d. 50. & Gloss. cap. sicut dignum, de homic. Gofred. et
iam in summ. de homic. dicit, post pœnitentiam posse in sus
ceptis ministrare. Hostien, vero cap. sicut dignum. de homi
citat eam sententiam, & tenet contrarium, nempè non posse
nec in susceptis ministrare. idem Panorm. eodem cap. num. 13.
& Boic. ibidem, num. 43. & Anchar. eod. cap. & hoc est proba
bilius, nempè irregularem esse, quantum ad susceptos, & sus
cipiendos, indigereque dispensatione; ad quem autem perti
neat idem sentiunt Doctores de hoc, ac de homicida volunta
rio ex delicto, ob id eadem dicenda sunt, quæ illic diximus de
iure communi.

Quartò,

Quartò, quando est huiusmodi irregularitas sine peccato, sed ex defectu, vt in eo, qui poterat fugere, & non tenebatur fugere, aut in eo, qui occidit ad defensionem rerum temporalium, aut ad defensionem, non sui, sed aliorum, patris, aut amici, aut proximi. Idem dicendum est de iure communi, ac de voluntario; in hoc enim Concilium non disposuit quidquam, nisi vbi est cum delicto. De irregularitatis vero casualis homicidij dispensatione, communis doctrina est, de iure communi Episcopum posse dispensare ad minores, sed non ad maiores. ita habet Panorm. c. continebatur, & cap. ad audientiam, de homi. & videtur deduci ex eodem cap. ad audientiam. idem tenet. Præpo. can. 1. d. 50. num. 26. nunc vero post Concil. Triden. si occultum est homicidium, dispensat Episcopus, quia est ex delicto, & non est voluntarium; si tamen non est occultum, non dispensat, nisi ex commissione Papæ, iuxta formam cap. 7 sess. 14. Hæc de dispensatione irregularitatis ex homicidio prouenientis.

De modis, quibus quæuis irregularitas tollitur.

CAPVT LXXXIII.

QVamuis in singulis explicandis irregularitatibus exposuerimus, ad quem pertineat dispensare, nunc in generali quædam breuiter sunt proponenda; triplicem enim modum Doctores tradunt, per quem irregularitas aufertur, nempe baptismum, ingressum Religionis, & dispensationē. Quantum ad baptismum attinet, certum est non tolli per eum bigamiā, vti plenius dum de bigamia locuti sumus, diximus. De homicidij vero irregularitate est magna controuersia, sed vti etiam diximus, ante baptismum nulla homicidij contrahitur irregularitas. De illegitimitate vero, Silu. ver. irregularitas. notab. 28. negat tolli per baptismum, allegans Archi. can. deinde. dist. 28. Sed opinio eius non est tenenda, nec vere allegatur Archidiaconus, si enim per ingressum Religionis tollitur illegitimitatis irregularitas, multo magis per baptismum. Archidi. autem potius contrarium affirmat. nam dicit, per baptismum tolli omnem irregularitatem, quæ prouenit

ex pec-

ex peccato, & ex sequela peccati, quæ est infamia; illegitimitem autem putat esse ex peccato, sicut & Gloss. c.1. de fil. presbyt. non quod sit irregularitas ex delicto, cum sit defectus talium, sed quod originem trahat ex peccato alterius. Denique baptismus tollit omnem irregularitatem, seu potius in baptizato non est vlla irregularitas ex aliquo, quod ante baptismum fecerit, aut habuerit, præter eam, quæ ex matrimonio prouenit, nempè bigamia, & irregularitates, quæ prouenium ex defectibus corporis, non quia erant ante baptismum, quæ reperiuntur etiam post baptismum, sicut in alijs baptizatis, vtputa est minoris ætatis, qui est notabiliter deformis, vel patitur aliqua vitia, quæ generant horrorem, aut scandalum, vti diximus in materia de corpore vitiatis.

Quantum ad religionis ingressum, quidam affirmant tolli omnem irregularitatem, præter eam, quę est ex bigamia & homicidio voluntario: alij dicunt, nullam tolli, sed ingressum Religionis faciliorem facere dispensationem, & videtur hæc opinio Butr. cap. 2. de apost. ita refert Gloss. c.2. de apost. & Gloss. can. 1. dist. 56. Opinio verò Panorm. cap. 2. de Apost. & Ana, ibidem vera, & legitima videtur, nempè per ingressum Religionis non tolli vllam irregularitatem, nisi quæ est expressa, ad cæteras autem facilitatem dispensandi inducit, sed eas non tollit: iure autem expressa habetur ea, quæ est ex illegitimatione quantum ad ordines sed non quantũ ad præfationem, cap 1. de fil. presb. quamuis etiam, vti diximus, quidam dixerint, nec hanc tolli sine dispensatione, tamen verius est tolli. vt ibi dicit Gloss. & Hostien. c.2. de apost. de alijs iure non constat.

Quantum ad dispensationem attinet, tollitur irregularitas omnis per Papæ dispensationem, quia vti diximus, quæ proprie irregularitates sunt, de iure positiuo sunt. Episcopi autem in nonnullis dispensare possunt iure communi, vt in earum tractatione ostendimus: in foro autem interiori ampliata est multum eorum facultas, per Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. nam in omnibus irregularitatibus ex occulto delicto prouenientibus dispensare possunt, præter eas, quæ sunt ex homicidio voluntario, & deductis ad forum contentiosum. Diximus autem superius, etiam posse dispensare in irregularitate, quæ prouenit ex illicita mutilatione, quia hæc non est excepta. cum non sit comprehensa sub nomine homicidij voluntarij. Sunt autem duo aduertenda circa dispensationem

Episco.

Episcoporum super irregularitatem, vnum quantum ad ius commune, alterum quantum ad hanc concessam facultatem ex Concil. Trid.

Quod ad ius commune attinet, notanda est doctrina Inno. c. dilectus de temp. ordin. quem citat, & probat Panorm. cap. postulastis. de cler. excom. ministr. nempè quoties in iure exprimitur, vt dispensari possit cum aliquo, & non exprimitur per quem debeat fieri dispensatio, tunc videtur concessa facultas Episcopis dispensandi in eo casu. idem habet Gloss. eodem c. postulastis. Secus tamen est, quando nihil agitur de dispensatione, sed tantummodo aliquis iudicatur irregularis, aut ab ordine remouetur, tunc enim vti superius diximus ex Panor. c. ex litteris. de cleric. non ordi. mini. Episcopus non dispensat, nisi in casibus iure expressis. & Gloss. cap. dilectus. de tempor. ordin.

Quod ad Concilij Tridentini facultatem attinet, quia in irregularitatibus ex occultis delictis prouenientibus datur facultas dispensandi, interest multum scire, quid dicatur occultum, de quo vide Panorm. c. vestra de cohabit. cler. & muli. Clarius tamen & perfectius sic dicemus. Duplex est occultum, vnum per se, alterum per accidens. Per se occultum est, quod ex se, & in se non potest cognosci ab hominibus, quales sunt hominũ cogitationes, desideria, & motus animæ interiores, & hoc occultum Deus solus iudicat, nec subest excommunicationi, irregularitati, aut pœnæ humanæ. Occultum per accidens est, quod re vera potest in se, & ex se cognosci ab hominibus, tamen de facto non cognoscitur, qualia sunt verba, aut facta hominis, quæ secreto fiunt. hæc per se, & in se cognosci possunt, quia exteriora sunt, & si adessent homines, ea notassent, tamen de facto non cognoscunt, quia absunt. ista dicuntur occulta per accidens, & hoc occultum duplex est. Vnum quod opponitur probabili, nempè quod est adeo latens, vt, nullis testibus, per quos probari possit pateat, & hoc partim iudicio humano subest, partim non, nam iudicium humanum duplex est. Vnum quod in causæ cognitione, probatione, & sententia consistit, & huic non subsunt talia occulta, cum per probationem non possint in lucem, & iudicium prodire.

Alterum est, iudicium humanum, quod in præcepto, aut prohibitione consistit, & pœnam in genere præueniendo infligit, vt quando Prælatus præcipit sub excommunicatione

lata,

lata, ne quis vescatur carnibus in diebus Veneris, tunc frag vescatur, quamuis occultò, & sine probatione, subest iudi & excommunicatus est; huic iudicio subsunt hæc occulta, irregularitas oritur ex occulto crimine, & defectu exter quamuis occulto per accidens, & improbabili, ligatque iu cium hoc in conscientia, non autem in priori iudicio. A terum occultum per accidens est, quod opponitur publico, siue notorio, siue famoso, quod enim nec notorium, nec famosum est, dicitur occultum, quamuis possit per aliquos testes probari, dummodò non sint tot, qui faciant notorium, ve diximus cap. superiori de criminis notorietate. hoc supposito dico, facultatem concessam Episcopis dispensandi super irregularitatem ex occulto crimine, intelligendam de occulto per accidens (occultum enim per se non facit irregularem) de occulto inquam per accidens, tam improbabili, quam probabili: vt autem clarius dicam, dummodo non sit notorium aut publicum, aut proximum notorio, vel publico, quod eadem Concilij verbis satis apertè deducitur, nam dicitur, quod dispensat in occultis, præter ea, quæ sunt deducta ad forum exterius. igitur si nondum sunt deducta, sed deducibilia, dispensari poterit, & hoc est valde notandum. Dices ergo, quid si dispensauit, quando nondum erant deducta, & postea sunt deducta. existimo dispensationem factam prodesse in foro interiori, non in exteriori. Aduertendum etiam est, hanc concessionem factam Episcopis non competere Abbatibus, nec Prælatis religiosorum, ex sententia Congregationis. nec Cardinalibus in suis titulis, ex declaratione Greg. 13. quia quamuis in eis iurisdictionem, quasi Episcopalem habeant, tamen Episcopi non sunt. liceret & Episcopo in huiusmodi casibus, in quibus absoluit, & dispensat inferiorem, deputare Confessarium, qui absoluat, & dispenset secum in eisdem, si forte accurreret, ex sententia congregationis, & Anton. 3. p. ver. 15. §. 2. qui generaliter loquitur.

Postremò omnium est aduertendum, per iubilæa, & alias concessiones, quæ fieri solent, in quibus datur facultas absoluendi à quibuscumque censuris, & pœnis, non tolli irregularitatem. in quo non est tenenda doctrina nonnullorum recentiorum existimantium, posse per huiusmodi iubilæa tolli irregularitatem ex homicidio voluntario, sed non est vllo modo id sequendum, cui repugnat tota praxis Romanæ Curiæ, & omnis Canonistarum doctrina: nam longè aliud est

absol-

absoluere, & dispensare: irregularitas autem non tollitur per solam absolutionem, sed per dispensationem: Dispensatio autem non datur in iubilæis. Pœnæ autem illæ, à quibus in iubilæis absoluendi datur facultas, sunt quæ per absolutionem solam tolluntur. Idemque dicendum est de quibuscunque concessionibus, aut facultatibus à Sede Apostolica emanatis, in quibus sola absoluendi facultas datur.

De iurisdictione.

CAPVT LXXXIV.

ALiud impedimentum, quod solet Sacerdotem à suo retrahere officio, ex defectu iurisdictionis. Est enim necessaria potestas iurisdictionis ad Sacramentorum administrationem.

Tamen notare oportet, quod dupliciter potest impediri administratio Sacramentorum: primo modo, quo ad rectum vsum; altero modo, quo ad vsum.

Tunc impeditur quoad rectum vsum, cum, si Sacramentū administretur, tenet & sequitur effectus Sacramenti in recipiendo, tamen peccat qui exhibet.

Tunc verò impeditur quoad vsum, cum irrita est ipsa Sacramenti administratio, quia vere non sequitur effectus Sacramenti.

Iuxta hoc dico primò, in Sacramento pœnitentiæ, est necessaria iurisdictio quoad vsum, id est, si quis non habens iurisdictionem, id est, non existens Episcopus, Parochus, vel habens curam animarum, intentet absoluere, absolutio nulla est, quia non est iurisdictio. Vnde Sacerdos simplex non potest absoluere à peccato, exceptis tamen in tribus casibus.

Primò, in tempore mortis, aut periculo mortis.

Secundò, cum peccata sunt venialia, aut mortalia, sed iterum confessa, & absoluta.

Tertiò, cum in eum transfertur auctoritas, vel per licentiam Episcopi, aut Parochi, vel per diploma, vel priuilegium Papæ, in quo conceditur facultas eligendi Confessarium.

Dico

Dico secundò, in aliorum sacrorum administratione necessaria iurisdictio quoad rectum vsum, non tamen quoad vsum. Explico: Nullus potest conferre Eucharistiam, vel extremam Vnctionem, vel Ordines, vel Baptismum solemniter, nisi habens iurisdictionem in eum, cui confert, vel ex commissione habentis. Si tamen conferat, peccat, & tamen Sacramentum tenet. In Eucharistia verò, & extrema Vnctione tempore necessitatis, non peccaret conferendo: in Matrimonio autem non est necessaria, quia non ibi vt conferens concurrit Sacerdos. Modo habetur in Concil. Trid. sess. 24. can. 3. *Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonia contrahere intentabunt, eos sancta Synodus, ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus etiam.*

Dico tertio, Ad baptismum conferendum non solemniter, eo modo, quo laicus potest conferre, non est necessaria iurisdictio, nec quoad vsum, nec quoad rectum vsum, si parvulorum conferatur, quando necessitas imminet. Et hæc satis de hoc impedimento.

De peccato mortali.

CAPVT LXXXV.

MOrtale peccatum est impedimentum, non quidem vsum ordinum, nec sacramentorum administrationem impediens, vt falsò hæretici fingunt, sed solum rectum vsum. Sacramenta enim collata ab his, qui in peccato sunt mortali, suum consequuntur in suscipiente effectum: tamen qui sic ministrant, malè, & cum peccato ministrant.

In cuius gratiam notandum est, peccatores hos ministros posse esse in triplici differentia. Aut enim sunt præcisi ab Ecclesia, aut tolerati: & hi, vel publici, vel priuati, seu occulti.

Præcisi dicuntur, qui sunt ab Ecclesia separati, vel per censuram ab officio excluſi, vt Apostatæ, hæretici, schismatici, degradati, depositi, suspensi, excommunicati, interdicti, irregulares.

Tolerati sunt, qui in alijs sunt peccatis, propter quæ ab

Ecc-

Ecclesia non arcentur ab officio. Publici autem sunt, cum eorum peccata alijs sunt nota. Cùm verò secreta, dicuntur occulti. Illi primi generis peccant mortaliter, Sacramenta administrantes, & celebrantes : tamen tenent Sacramenta, præter confessionem, vt suprà declaratum est, hoc notato, quod irregularitas solum arceat ab vsu ordinis, non iurisdictionis, cum non est ex peccato. nec de his modò est præcipuè sermo: nam de singulis dictum est. Illi verò secundi generis, si administrarent sacramenta, tenent quidem, tamen mortaliter ipsi peccant in cuiusque administratione, nisi vrgeat necessitas, & ipsi habeant contritionem. Et idem peccatum committunt Diaconus, & Subdiaconus, qui solemniter, & modo, quo secularibus non licet, suos exercent ordines in mortali peccato. Idemque dicendum de inferioribus ordinibus, si eadem solemnitate celebrent, si ministri publici peccatores sint. idemque dicendum de prædicante, cum publicus sit peccator. Hi enim graue generant scandalum. Illi verò tertij generis etiam mortaliter peccant, licet non ita grauiter, præter duos, scilicet, qui in minorib. sunt ordinati: nam hi, quia nō ita propinqui Sacramento altaris, à mortali excusantur, nisi adsit contemptus. Similiter, præter prædicantem, quia non est actus ex se ordini deputatus, non enim mortaliter peccat, si reuerenter accedat, & contemptus non adsit. Eodem modo excusarentur à mortali, quamuis publici essent, si non esset tanta notificatio, vt graue fieret scandalum, sed alij non excusantur, quia sunt proximi Sacramento purissimo. Quod si tibi arduum videtur, quod conferens in mortali Sacramēta, mortaliter peccat, audi rationes huius, & cessabit admiratio.

Tria conueniunt maximè in ministro sacrorum, quæ ipsum obligant, vt absque conscientia peccati mortalis Sacramenta ministret.

Primus, ipsa spiritualis est consecratio, per quam potestas ei data est: nam per Sacramentum gratiæ constituus est, & ordinatus minister Domini, vnde tenetur se in officio suo talem exhibere, qualis per ordinationem effectus est.

Secundus est, ipsa gratia ad hoc peculiariter collata : nam Sacramentum ordinis imprimit eam gratiam, qua homo valet quæ ordinis sunt exercere. Non enim constituit Dominus aliquem in officio, vel dignitate aliqua, quin ei conferat,

quantum est ex se, quæ necessaria sunt ad exercenda ea, quæ talis sunt muneris. Vnde peccat, qui absque tali dignitate accedit ad ea exercenda, quæ sunt ordinis, & ex genere suo peccatum est mortale, & accedente grauitate materiæ, vt fit in casibus prædictis, est mortale.

Tertius est, quia in talibus actibus se exhibet minister religionis Christianæ, & cultus spiritualis, & diuini, oportet ergo esse in charitate, seu absque conscientia peccati mortalis, qui se ministrum tanti cultus exhibet.

Quando licet à malis ministris accipere Sacramenta.

CAPVT LXXXVI.

TAnta est humana nequitia, vt sæpè contingat, quòd ministri conscientias proprias negligentes, Sacramenta administrare non formident, vnde oportet fidelem esse præparatum, & scire à quibus, & quomodo possit talia recipere Sacramenta. Et vt, iuxta distinctiones in capite præcedenti positas, procedamus, dico ante omnia, quod huiusmodi ministri possunt se dupliciter habere. Vno modo, quod ipsi sunt expositi Sacramenta administrantes, vel celebrantes; vt, qui sedet in loco suo, audiens confessiones, vel qui in Ecclesia ad adhibens Sacramenta. vel non sunt sic expositi, sed sunt parati, vt si aliquis ab ipsis peteret, ipsi statim conferrent. Rursus isti, aut sunt quibus ex officio incumbit Sacramenta administrare, vt Parochus, Curatus, Episcopus, vel similes: aut sunt quibus non ex officio incumbit, sed ex facultate aliqua, vel alia de causa. Iuxta hoc dico.

Primò, à non toleratis ab Ecclesia, siue parati, siue non parati, siue expositi sint siue ex officio incumbat eis, siue nò, non licet vllum Sacramentum recipere, etiam in necessitatis tempore, præter baptismum 24.q.1.c.si quem forte. Explico: Si esset aliquis Parochus hæreticus, aut schismaticus, aut nominatim excommunicatus, non licet eum, quamuis celebrantem audire, etiam in die Dominico, & quamuis nullum aliud esset sacrum: nec cum ipso confiteri, nec aliud recipere Sacramentum, quamuis ipse esset expositus, & vellet ministrare, nisi in articulo mortis, quando non est copia

alte-

alterius: Baptismum verò licet, quia est Sacramentum necessitatis; & hic potest etiam à quouis ministrari, his talis conferendo non peccat. Quod si adesset laicus, melius esset ab hoc sumere.

Dico secundò, à malis ministris secundi, & tertij generis, si sint expositi, siue ex officio incumbat, siue non, dum non sequatur aliquod graue scãdalum, possumus sacra recipere: nam Ecclesia ipsos tolerat, & ipsi talia administrantes sacra, sibi solis nocent. 15. quæst. 8. can. sciscitantibus. dicit Nicol. Papa, quod isti sunt sicut fax accensa, quæ alijs illuminat, & se consumit: & vnde alijs commodum exhibent, sibi dispendium præbent mortis.

Dico tertiò, ab his, quibus ex officio incumbit, siue sint parati, siue non, licet petere, & accipere Sacramenta, siue ex necessitate, siue non, quia ille ex officio tenetur quandocumque petiero ministrare, nec ego ius meum amitto ex illius malitia.

Dico quartò, ab eo, cui non incumbit ex officio, quando non est tempus necessitatis, non licet petere (à non exposito) Sacramentum, quia tunc est verè inducere ad peccandum: nõ enim habeo ius exigendi ab eo. Imminente quidem necessitate id fieri potest, quia tunc quilibet Sacerdos ex officio tenetur administrare, & non sufficit alia necessitas: nam quando est necessitas præcepti Ecclesiæ, puta, confiteri, & sumere Eucharistiam Paschatis tempore, tunc, si non esset is, cui ex officio incumbit, non licet petere à non parato, nec exposito, quamuis sit priuilegium, vt à quouis possit pœnitens accipere Sacramenta.

Dico quintò, cum toleratis ab Ecclesia oportet annumerare excommunicatos, qui nominati non sunt, & publici, nec percussores Clericorum. Est enim hoc post Bullam Concilij Constantiensis, vt suprà diximus, quamuis isti peccant administrantes, vt probabilius est. Idem de suspensis, & interdictis, quia istæ censuræ sunt, & par earum habetur ratio in bulla illius Concilij.

De qualitate Ordinatorum.

CAPVT LXXXVII.

QVia non satis est, impedimenta non habere ad alia exercendos, sed simul subiectum debitè in se esse dispositum, vt conuenienter possit operari, Sacerdos non solum præfatis impedimentis carere debet, sed etiam aliquam in se habere dispositionem, vt quæ officij sunt digne valeat ministrare. Quæ autem ordinatus maximè habere debet, ferè quinque esse videntur, Charitas, Religio, Sanctitas, Scientia, Prudentia.

Charitas quidem necessaria est ratione sui officij, Sacerdos enim est medius inter Deum, & populum. Ad hoc enim est selectus à cæteris, vt pro cæteris Deo vacet, pro ipsis intercedat. Vnde necessaria est virtus, quæ vtrumque respiat extremum, Deum scilicet, & populum: talis est Charitas, quæ respicit Deum, & proximum.

Debet ergo Sacerdos maximè vnitus esse Deo per amorem, quia ad statum talem est accersitus: debet esse maximè Deo familiaris, vt, quæ pro populo petit, consequatur. Si enim inimicus, quomodo exaudietur pro alio? Debet etiam suum amorem extendere erga alios, pro ipsis orando, erga ipsos suos actus ministrando, non propter lucrum, sed propter amorem.

Cùm autem Sacerdos sit ex suo officio Deo magis proximus, eius charitas debet excedere eam charitatem, quæ secularium est. Summè igitur dolendum est, cum Sacerdos minus diligens, quam secularis inuenitur, & cum, qui è populo, est ante Sacerdotem Deo vicinior habetur.

Religio etiam est necessaria. Est autem Religio quædam moralis virtus in voluntate existens, qua homo reddit Deo debitum honorem, quatenus est primum omnium principium, sicut Iustitia virtus est reddens cuique quod suum est. Vnde cultus diuinus exhibitus per sacrificia, per adorationem, & per alios actus, à religione proficiscitur. Cum igitur Sacerdos sit diuino cultui deputatus, maximè debet, religione pollere.

Religio autem, non solum in his actibus, & ceremonijs ex-

terioribus consistit, sed etiam in actibus interioribus voluntatis, quibus homo se Deo dat, ad suum cultum & honorem. Vnde maximè cauendum est Sacerdoti, & cum actus similes exteriores Deo exhibet, interior adsit, qui præcipuus est, & ratione cuius exteriores Deo placent. Debet etiam suos actus exteriores ita componere, vt in eis interior appareat, vnde cum maxima reuerentia, & humilitate altari accedere debet, similiter ad exequenda alia, quæ diuini sunt cultus.

Debet his accedere Sanctitas. Sanctum aliquid dupliciter dicitur: Vno, vt idem sit, quod mundus, vt sanctum dicatur, quasi sanguine tinctum, vt dicit Isidorus, eo quod olim mundabantur homines à maculis, seu peccatis, sanguine hostiæ, & sic vasa templi dicuntur sancta, id est munda. Secundò, Sanctum idem est, quod constans, firmum, & stabilitum, à verbo sancio. Vtraque sanctitas necessaria est Sacerdoti. Est quidem necessaria munditia non solum corporis sed animæ. Mundatur anima sicut corpus metaphoricè. Immundum enim dicitur aliquid, cum miscetur rebus se inferioribus.

Vnde aurum immundum dicitur, cum est mistum metallis inferioribus: mundatur, cum ab his purgatur. Animus tunc miscetur rebus, cum affectum ponit in eis, cumque eas habet propter se, & non propter Deum, tunc immundus est. Purgatur autem, cum affectus ab his in Deum transfertur. Debet igitur Sacerdos à terrenis affectibus suum in Deum transportare: vt nihil velit, quod non sit propter ipsum. Purgare se autem maximè debet à vitijs carnalibus, non solum opere, sed etiam cogitatione Hęc enim immunditia Deo odibilis est multum.

Rursus secundò debet esse sanctus, id est, constans, vt cum se Deo semel consecrauerit, in ea permaneat consecratione, & gratiam, quam semel accepit, in perpetuum cum fœnore conseruet. Talem hanc sanctitatem Deus petebat in veteri Testamento à suis Sacerdotibus, Leuitici 22. *Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius: Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & eius sancti erunt.* Et nota, quantò maior futura sit Sacerdotis Euangelici sanctitas, ex causa data. *Ob id*, inquit, *sancti erunt, quia Deo offerunt incensum, & panes*: quid dicendum est de eo, qui corpus, & sanguinem Christi filij Dei offert? Profectò supra modum nostra sanctitas futura debuerit esse maior.

Prædicta ista voluntatem perficiunt: sed non debet ... etiam perfectione carere intellectus: & ideo est etiam ... cessaria scientia, non æqualis in omnibus: nam in mi... bus constitutis sufficit scire legere, & commodè pronuncia... & iuxta decret. Concil. Tridentin. sess. 23. cap. 11. saltem latina... linguam intelligere. Diacono, & Subdiacono sufficit intel... gere quæ Latinè legit, licet mysteria non ita calleat. Sacerdoti verò maior est necessaria scientia. Vltra prædicta enim, aliquam scripturæ cognitionem habere debet, quanta sufficit, vt intelligat mysteria, quæ tractat: indignum est enim, vt altissima tractet mysteria, & eorum ignarus existat: nullum enim inde poterit gustum percipere. Quod si curam animarum habeat, adhuc maior est necessaria scientia: debet enim omnes fidei articulos, & totam doctrinam Christianam ... callere, vt alijs possit tradere, aliosque in eis instruere. Debet habere cognitionem eorum peccatorum, quæ frequentius confessionibus accidunt. Debet scire casus, à quibus possit absoluere, & à quibus non: similiter censuras, quæ ad ipsum pertinent. Difficultates verò arduas, siue fidei, siue ... occurrentium non tenetur scire, sed poterit, cum occurrerint, à sapientioribus petere.

Episcopus est, qui istam plenam cognitionem habere debet. Ipsi enim dictum est 1. Petri 3. cap. *parati reddere rationem omni poscenti nos, de ea, quæ in nobis est fide*. Vnde perfectam ... triusque testamenti debet habere cognitionem, & perfectam mysteriorum fidei intelligentiam, vt sciat etiam alijs veritatem exponere, & aliorum contra veritatem fallacias expellere, hæresesque expugnare. Verè enim est doctor in Ecclesia Cathedra sedens, cui ex officio sacras exponere populo scripturas competit.

Nec adhuc totum est completum: nam debet accedere ista prudentia, quæ omnia moderetur atque gubernet. Nam prudentia est, quæ media ordinat, & adaptat in finem, sine qua nihil benè fit, & conuenienter. Est autem maximè his necessaria, qui iurisdictionem in interiori, siue exteriori foro habet, vt dum ad ipsos aliorum bona, vel malè facta deferuntur, ipsi remedia proportionata adhibeant, ne fructus subditorum auferantur, aut impediantur.

Denique debet esse Sacerdos exemplar perfectionis, sanctitatis, & bonitatis omnibus hominibus, vt tamquam lux

posita

posita super candelabrum luceat omnibus, & vt Pagani, & infideles omnes, opera Christianorum videntes, maximè nostram fidem commendent Deus faxit, vt tales sint, quales esse debent, interim memoriæ causa, quæ diximus quinque, ad duo hæc carmina reducamus.

Sacra parans Domino, sit prudens, sanctus, & ipsi
Charus, coniunctus religione, sciens.

Atque hæc sint saris de isto libro nostræ instructionis primo, in quo de impedimentis, & dispositionibus ad officium Sacerdotum pertinentibus egimus. Superest, vt de ipsis officijs in particulari disseramus.

Libri primi finis.

INSTRVCTIONIS SACERDOTVM,

LIBER II.

De tribus Sacerdotis officijs in particulari.

De dispositione necessaria ante celebrationem.

CAPVT I.

HActenus de impedimentis officiorum Sacerdotum egimus, nunc de ipsis officijs primùm agere oportet. Cùm autem hæc tria maximè sint, vt superius diximus, celebrare diuina officia, Sacramẽta administrare, populum instruere, de primo tractemus. Cumque istud in duo diuidatur, & in persolueredis horis canonicis, & in sacris celebrandis, ab hoc initium sumimus. Et antequam de ipso sacrificio dicamus, agendum est de dispositionibus, & circumstantijs quibusdam, quæ circa ipsum sunt, quæ in tres partes diuiduntur: quædam obseruandæ sunt ante accessum ad celebrandum quædam in ipsa celebratione, quædam post. Quæ obseruari debent ante, hoc carmine breuiter descripsimus.

Ieiuna, recita, expecta, tua crimina pande.

In quo quatuor verba continentur, primum est (*Ieiuna*) cap. liquido, de consecratione, d. 2. & can. sacrum d. 1. de consecra. D. Thom. 3. p. q. 80. art. 8. Debet celebraturus accedere ieiunus, ita vt nihil cibi, nihil potus illo die sumpserit. Quæ dies computatur à media nocte superiori. Qui autem accesserit non ieiunus, quãuis id infirmitatis causa fuerit, peccat mortaliter, vnde maius ieiunium esse necessarium, quam ad obseruatio-

nem

nem præcepti ieiunij Ecclesiæ: hoc enim potus non soluit, nec medicina, illud verò soluit. Ob id dicitur ieiunium naturale. Nec huic obstat, quòd cùm abluitur os, aliqui humores cum saliua deglutiantur per modum saliuæ, dum non sit notabilis quantitas, vt videatur haustus. Nec obstat etiam, quòd particulæ relictæ intra dentes cibi præcedentis deglutiantur aliquando, quia idem est per modum saliuæ, non cibi. De hoc ieiunio non est præceptum diuinum, sed Ecclesiæ tantum, obligans tamen ad peccatum mortale. Quod ieiunium impositum est, tùm propter reuerentiam sacramenti, tùm propter significationem, vt significetur primùm à nobis quærendum esse vniri cum Christo in charitate & gratia.

Sunt tamen casus aliqui, in quibus licet sumere Eucharistiam, seu dicere sacrum non ieiunum.

Primò cùm quis omninò immemor susceptí cibi, vel potus accessit altari, & post consecrationem recordatur, tunc non debet desistere, sed continuare: quod si ante consecrationem recordatur, desistat, nisi adsit scandalum circumstantium; tunc enim prosequi debet, nec est peccatum. Angel. verb. Euchar. 2. §. 6. & Siluest. verb. Eucharist. 2. §. 7.

Secundò, si sumpsit sanguinem, & inuenit non fuisse sanguinem, quia vinum non apposuit, sed aquam, vel acetū, tunc quamuis non sit ieiunus, debet iterum (ne Sacramentum maneat imperfectum) apponere vinum & aquam, & iterum consecrare, incipiendo ab illis verbis (*simili modo post quam cænauit*) vsque ad illa (*vnde & memores,*) & sumere. Idem si inuenit hostiam fuisse panem corruptum, debet apponere aliam, & incipere ab illis verbis (*qui pridie quàm paterentur*) vsq; ad consecrationem inclusiuè, & sumere, & hoc vtrumque absque noua eleuatione.

Tertiò, si postquam sumpsit ablutionem, inuenit particulas Sacramenti in corporalibus, Caietan. verb. missa, tunc debet sumere, nisi iam notabile tempus transierit, quod est post orationes, vel quando iam destitit ab ablutione. tunc debet in loco sacro seruare, vsque in alium diem; vel ab alio Sacerdote sumatur.

Quartò, si post ablutionem adhuc particula sacramenti maneat in calice, vel in ore, melius est tunc superinfundere vinum, & sumere. His casibus potest non ieiunus celebrare.

Alterum verbum est (*Recita.*) Ante celebrationem debet persoluere horas matutinas, quòd si scienter accedat, quamuis

communiter dicatur esse peccatum mortale, tamen non d
vt tenet Silvest. verb. Missa, 1. §. 6. Soto 4. d 13. quæst. 2. art. 2. h
quamuis hæc sententia non sit omninò tuta, quia commu
est in contrarium, tamen ad hoc seruiet, vt quando sit alic
causa rationabilis, licèt non sit nimis notabilis, possit celebr
ri absque scrupulo non persolutis matutinis. De prima aurora
non sic est, immò licet prius celebrare missam, nullumq; ib
peccatum est, nisi esset consuetudo in aliquibus locis, & tun
id intelligitur de prima recitata in choro, non de particulari,
& de missa communi.

Tertium verbum est (*Expecta*) quod ad tempus referri debet: non enim quolibet tempore, etiam ieiuno celebrare licet, sed ab aurora, vsque ad meridiem, Ioann. Andr. c. 1. de celebratione missiæ. Nauarrus verò negat c. 25. num. 55. & dicit, si sine scandalo fiat, posse post meridiem. Tamen mihi videtur contra Nauarr. esse dicendum, quia vsus Ecclesiæ, qui locum habet legis, ita obseruat. Et ita ante auroram celebrare, extra festum natiuitatis, & hoc quoad primum sacrum, graue esset peccatum. cap. in nocte, de consecrat. d 1. Nisi peculiare aliquod existeret priuilegium, vel aliqua necessitas vrgens communicandi infirmum instaret, sed cum licentia Episcopi, aut superiorum. Anto. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 4. & sine licentia, cùm absit superior. Nauar. c. 25. nu. 85. Post meridiē verò celebrare, dummodo esset ieiunus, non ita graue esset peccatum, quia non extat peculiaris prohibitio; tamen propter consuetudinē non licet, sine aliqua causa rationabili, cum qua liceret post meridiem aliquo paruo tempore celebrare. Vnde grauiter peccant sacerdotes, qui tempore Paschatis Resurrectionis statim post mediam noctem celebrant, & populum communicant, vt citius possint vesci carnibus.

Quartum verbum est, (*Tua crimina pande.*) Ante celebrationem debet esse confessus, cap. de homine, de celebr. missæ, & Concil. Trid. sess. 13. c. 7. & can. 11. Si habes conscientiam peccati mortalis.

Nec sufficit contritio, nisi in duobus casibus.

Primus est, cùm non recordatur nisi in missa, tunc si recordatur post consecrationem, doleat, & continuet missam: si ante, tunc si posset commodè recedere, & prius confiteri, debet facere. Quod si scandalum est aliquod, doleat, & continuet missam, cum proposito semper post missam confitendi: securè tamen potest continuare, cum est paulò post initi-

tium,

tium, nec potest confiteri. Idem dicendum est de eo, cui subit in mentem excommunicatio, vel impedimentum aliquod, tunc potest continuare, nec incurrit irregulatitatem : quamuis si est paulò post principium, nec vllum sequitur scandalum, debet recedere. secus non. Silu. Angel. verb. Eucharist. 2. §. 6. & 7.

Alter est, cùm aliquis recordatur ante missam peccati mortalis alicuius, & tamen est tempus celebrandi, & tenetur celebrare, quia est dies dominicus, & in castello non est alius Sacerdos, qui celebret, nec cui possit confiteri, tunc debet conteri, & cum proposito confitendi accedere, aliàs non sufficit cõtritio. vide Concil. Triden. cap. 7. sess. 13. Hoc etiam dici posset illis, qui non sunt Sacerdotes, & accedunt sacramento, & iam in altari existentes recordantur alicuius peccati mortalis, neque sine scãdalo possunt recedere, debent communicare, cum proposito confitendi post communionem. Vnde fit, quòd Sacerdos, qui ministrat Sacramentum, cùm non potest absoluere, quia non habet iurisdictionem talem, si tunc ab ipso pẽnitẽte absolutio illic petatur, vt fieri solet, meliùs faceret, immò debet facere, aut illum à communione arcere, si potest sine scandalo, aut secretò dicere, vt sine scrupulo communicet, cum proposito confitendi suo proprio confessario; ipse tamen non debet absoluere. Vnum tamen hic est attendendum quòd non sufficit aliquando confessio ad celebrandum : cùm enim peccatum paruo tempore antecessit, non debet celebrare, sed expectare diem alium. Vnde qui se accusant, quòd nocte proxima peccatum carnis commiserunt, quamuis cum dolore accedant, & absoluantur, sunt tamen à celebratione arcendi, nisi aliqua grauis necessitas occurrerit. Et meritò id fit; si enim qui pollutiones nocturnas patiuntur, etiam sine peccato, vel cum peccato, arcentur à communione, nisi obligatio intercedat, vel notabilis deuotio : (licet non esset peccatum mortale istis celebrare) quanto magis repellendi sunt illi, qui mortaliter peccarunt, & maximè, ac maximè, qui sæpè idem peccatum inculcant per reincidentiam. Hæc igitur sunt quæ potissimè obseruanda sunt ante ipsam celebrationem.

De dispositionibus in ipsa celebratione.

CAPVT II.

ALia etiam sunt, quæ in ipsa celebratione maximè sunt attendenda, quæ memoriæ causa alio secundo carmine continentur, quod tale est.

Apta locus, vestis tibi sint, altare minister.

In primis debet esse locus aptus, non enim licet celebrare in loco per Episcopum non consecrato. Vnde in agro, vel in alio loco absque licentia Episcopi, vel priuilegio celebrare extra tempus necessitatis non licet, de consecratione, dist. 1. can. missarum solemnia, & cap. hic ergo de consecrat. d. 1. can. concedimus. Concil. Triden. sess. 22. in decret. de obseruan. quo præcipit, ne omninò extra Ecclesiam, aut extra oratoria ab ordinarijs designata, & visitata celebretur. Vnde ius antiquum est derogatum, Can. concedimus. d. 1. Cùm tamen necessitas occurrerit, nec est facilius adeundi ad Episcopum, posset celebrari in loco non consecrato. Esset necessitas, si occurreret præceptum audiendi missam, dum fit iter, de consecra. dist. 1. can. concedimus, vel communicandi aliquem in mortis articulo, vel quid simile. Tamen debent adesse cætera dicenda: altare scilicet, & alia, quæ dicemus. Iam verò raro loca consecrantur: sufficit proinde benedictio.

Similiter debet esse locus aptus, in quo non est periculum submersionis sanguinis, vt in mari, vel flumine, vbi non licet celebrare. Anton. 3. par. tit. 13. cap. 6. §. 4.

Similiter locus aptus non pollutus effusione seminis, vel sanguinis: nam in polluto esset peccatum celebrare, licet non incurreretur irregularitas, Nauarr. cap. 25. num. 83. pollutio autem, si occulta est, non impedit, nec opus est reconciliatione Ecclesiæ, cap. is qui, de sent. excomm. in 6. vbi dicitur, quamuis sit peccatum in Ecclesia polluta, vel coram excommunicato scienter celebrare, tamen non incurritur irregularitas; nec etiam celebrare in Ecclesia, quauis alia causa polluta, inducerct irregularitatem, vt dicunt Sot. & Palu. 4. d. 15. q. 2. De licentia Episcopi posset celebrare in Ecclesia polluta, cum reconciliatione, vt habet S. Thom. 3. par. quæst. 83. art. 3. ad 2. propterea excusari videntur multi in Germania, debet tamen esse nota.

Aliud verbum est, (*Vestis apta.*) Anto. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 6. Non

potest enim absque mortali Sacerdos celebrare, absque vestibus sacerdotalib. Circa quas debet obseruari qualitas, & quantitas.

Qualitas quidem, vt sint benedictæ ab Episcopo, vel Abbate, vel ab habete similem potestatem, quales sunt aliqui priores religiosorum.

Altera qualitas, vt sint mundæ vestes: celebrare enim cum immundis notabiliter vestibus, esset mortale, & magna irreuerentia fieret sacramento mundissimo.

Tertia est, vt sint integræ, & non dilaceratæ notabiliter. In quo profectò magna apud multos reperitur incuria. Hæc autem munditia necessaria est in his etiam, quæ in altari sunt, velut in corporalibus, & in purificatorio, quæ aliquando grauí negligentia multorũ, adeò solent esse immunda, vt à mensa communi cum nausea expellerentur.

Numerus etiam obseruandus est; sunt enim sex: in quo notatur perfectio. Est enim senarius numerus perfectus; in sex enim diebus fecit Dominus cuncta. Sexta ætate redemit mundum, sex etiam voluit in suo Ministro, vestes, scilicet Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Casula, quæ non sunt absque magna, & consideranda significatione.

Primò Amictus, si significatio à Christo Domino, quem Sacerdos repræsentat, sumatur, significat velamen, quod Iudæi ante oculos Domino posuerunt, cùm eum alapis percutiebant. Vt autem ad mores refertur, significat fidem, quæ est primum fundamentum Religionis Christianæ, quæ non in euidentia rerum credendarum, sed in captiuitate intellectus voluntaria consistit. Ob id optimè per velamen oculorum repræsentatur. Solet amictus quoddam additum habere ornatum, quo significat spem bonorum æternorum, qua fulciri debemus in omnibus præsentis vitæ calamitatibus, ob id Galea salutis dicitur. Amictus iste a capite in humeros, & deorsum descendit, per quod opera bona significantur, quæ cum fide coniuncta esse debent: In humeris enim, & dorso fortitudo laboris consistit. Ab isto duæ chordæ descendunt in pectus per modum crucis, quæ intentionem operum in Deo ponendam ostendunt.

Alba vestis est illa longa, talaris, & ampla, quæ significat vestem illam albam, qua Herodes Regem gloriæ Christum induit in signum amentiæ. ob idque est longa, vt gressu humanis impedito, hic, illique caderet, omnibusque in derisum

esset.

esset. Circa mores significat vtilem iustitiam, quæ debet esse omni opore Sacerdotis, vt quicquid faciat, & operetur conforme sit rationi, & voluntati diuinæ; Et eius largitas significat amplitudinem operum sacerdotis, quæ multa, & magna & conuenientissimè facta esse debent. Debet esse linea, id est bissina, non ex animalium pellibus, vel setis: nam pellibus nudatus fuit Adam post peccatum, & factus fuit vt iumentum: sed ex herbis esse debet, ad significandum morum viriditatem & vigorem; & albedo innocentiam, & vitam immaculatam denotat.

Tertia vestis est, Cingulum per renes, quo tota alba comprimitur. Significat primum ligamen, quo Iudæi in horto Christum comprehendentes ligarunt. Circa mores significat castitatem, quæ cum omni opere sacerdotis coniuncta esse debet. Hæc enim nimis Deo placet. Et nota, quòd cingulum Pontificis sit à læua parte duplex cinctorium dependens: in quo notatur, quòd castitas maximè in ieiunio & oratione conseruatur & acquiritur.

Quarta est, Manipulus: significat secundum ligamen Christi, quo in columna ligatus est, estque in læuo brachio, vt denotet amorem intimum cordis, quo Christus passionem pertulit, quia cor ad læuam vergit partem, & sacerdos profitetur, se simili corresponsurum amore ipsi Christo. Circa mores significat præsentiam, quæ in hac vita (significata per læuam partem) debet haberi: cui præsentiæ postea respondet manipulus retributionis, iuxta illud, *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua, Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Solus Pontifex post casulam sumit manipulum, vt denotet, & figuret Christum, cuius opera non fuerunt ante charitatem & gratiam: quia ex summa gratia operatus est; nec sibi, sed nobis meruit. Nos per pœnitentiam ad charitatem venimus, ob id alij sacerdotes manipulum ante casulam induunt.

Quinta est, Stola, quæ vltimum ligamen Christi significat, quo ad crucifigendum ductus est. In Sacerdote significat iugum legis dominicæ, quod debet ipse ferre, ob id super collum ejus, & etiam super vtrumque humerum, vt notet obedientiam, & patientiam, quibus iugum portari debet. Descendunt etiam inferius partes duæ, ad significandam prudentiam, & temperantiam: & extremitates sunt prope terram, ad significandam perseuerantiam. Et nota, quòd Diaconus habet stolam, sed tan-

tantum in læuo humero, per quam notatur vita actiua; qua ille tantùm est ad administrandum. Sacerdos habet in vtroque, vt complectatur vitam vtramque, actiuam, & contemplatiuam.

Vltima vestis est, Casula, siue Planeta, quæ tunicam inconsutilem Christi significat, Casula etiam significat vestem purpuream, qua indutus est Christus in domo Pilati, & ita intelligit Gabriel super canon. Circa mores significat charitatem, quæ præcipua omnium est vestis, & coniungitur cum amictu, vt denotet fidem coniunctam esse debere charitati. Hæc vestis partem anteriorem habet angustam, & partem posteriorem latam, per quod denotat, quòd charitas est circa Deum & proximum, verum citra Deum vnum tantùm, ob id angusta est pars anterior, non enim pluralitas est Deorum. Latitudo posterioris notat amplitudinem Christianæ charitatis, quæ se extendit ad amicos, & inimicos: & est longior, quia se extendit etiam ad mortuos. Hæ duæ partes significant etiam duos status, quibus homines saluantur, & ante gratiam, & post: sed prior erat angustus; quia non ita diuiua gratia, nec diuina remedia abundabant, sicut modò in posteriori statu post Christum abundant. Hæc sunt vestimenta Sacerdotis, intra quæ calcamenta non computantur, quæ tamen sunt necessaria, quia non solent benedici.

Sequitur post locum, & vesles, aliud, scilicet, *altare*. Multa sunt, quæ requiruntur, vt altare sit paratum, quæ quidem ista sunt. Ara, mappa, corporalia, vas, liber, candela. In primis ara debet necessariò esse, sine qua consecrare, esset graue mortale peccatum. Debet esse lapidea, can. altaria. de consecr. d. 1. non ex alia materia. Debet esse integra, non notabiliter rupta, cap. 1 & 3. de consecrat. Ecclesiæ. Debet esse consecrata, alias nullo modo celebrari debet, nec posset Episcopus dispensare, nisi solus Pontifex. Debet esse capax, vt corpus, & maiorem partē calicis capiat. Significat ara crucem, in qua immolatus est Christus. Est autē lapidea, ad denotandum, Christum esse petram spiritualem. Rursus mappæ debent esse ad minus duplices, vel vna duplicata; corporalia benedicta, & linea, nullo modo seria, quia Dominus in syndone linea inuolutus est. Vas, scilicet calix, & patena, debent esse aurea, vel argentea, ex stanno, non ex alia materia, quamuis olim lignea solebant esse, cap. vlt. de celebratione miss. Deponitur ab officio, & beneficio, qui in vase ligneo consecrat. Et adhuc debent esse consecrata.

Calix

Calix significat sepulchrum. Patena, lapidem suprapo
Liber est necessarius, saltem in quo contineatur canon,
libro celebrare, peccatum mortale est. Sunt necessariæ
læ accensæ, sine quibus, vel saltem vna, mortale peccatum
set celebrare. Significat autem lumen accensum, diuinitat
immortalem, & semper existentem: & deponitur Sacerdo
officio & beneficio, qui sine lumine celebrat, cap. fina de c
lebrat. miss. Nec est necessarium lumen ex cera, quamus
rius est ipso vti. Hæc omnia sunt de iure positiuo, in qu
bus potest Papa dispensare. *Minister* necessarius est, de consec
d. 1. cap. hoc autem, vbi duo ministri ponuntur; sed sufficit v
nus iam ex consuetudine; & debet esse vir, non fœmina, ut
habetur, de cohabit. cleric. & mulie. c. 1. Et idem tradit Anto
de consecrat. d. cap. hoc quoque, & Dec. de reg. iuris, l. fœmi
na, §. 40.

De dispositionibus post consecrationem.

CAPVT III.

IAm quæ post celebrationem obseruari debent, isto ma
carmine continentur.

Sacrifica, vna luce semel, nisi causa requirat.

Tria continentur in hoc carmine. Primum est, *Sacrifica*: na
nim sat est Sacerdoti semel in vita celebrare, cum sæpe pos
Et quamuis aliqui dicant, quòd non peccat simplex Sacerdos
non celebrando per totam vitam, tamen plures sunt doct
res, & graues, qui tenent, quòd ter aut quater in anno celebr
re debet, saltem festis solemnibus, quibus solent fideles com
municare, & oppositum facere, est peccatum mortale. S. Th
3. p. q. 82. art. 10. Dur. Palu. 4. d. 13. q. 2. Vide quæ diximus supr
& cap. dolentes. de celebr. missarum. Suspenditur qui non ce
lebrat quater in anno, (licet suspensio non seruetur) quoad
potestas spiritualis, quam recipit, ipsum obligat, nec cessat
maneat. Quòd si curatus est, tenetur celebrare omnibus diebus
quibus populus tenetur audire sacrum, nisi loco suo alium sub
stituat. Nullus tenetur quotidie celebrare, etiamsi obligatus
sit ratione capellæ; non enim tenet obligatio cap. significa
de præbendis; sed debet celebrare salua reuerentia, & honestat
te. Vide Silu. ver. missa. 1. §. 7.

Alt

Alterum est, *vna luce semel*. Nullus potest absque peculiari priuilegio celebrare, nisi semel in die, cap. consuluisti, & cap. te referente, de celeb. missarum: & oppositum facere, non esset deuotio, sed graue peccatum mortale contra præceptum Ecclesiæ: Similiter nec communicare quis potest, nisi semel tantum in die: hæc enim vnitas sacramenti significat vnicam Christi mortem, per quam semel mortuus est, & semel pro nobis passus est.

Tertium verbum est, *Nisi causa requirat*: Sunt enim aliqui casus, in quibus celebrari pluries in die potest.

Primus est, festum natiuitatis dominicæ, in quo licet tria celebrare sacra; non tamen per hoc obligatio est celebrandi tria, vel audiendi: nam sufficit vnum: tamen ex deuotione conceditur posse celebrare tria. Et hoc non absque magno mysterio: nam per tria sacra, significantur tres Christi natiuitates, scilicet Aeterna, qua nascitur Deus ex Patre; Spiritualis, qua nascitur in cordibus nostris per gratiam; Corporalis, qua nascitur homo ex matre. Prima autem omnium, quæ media nocte celebratur, significat corporalem generationem, quia natus est media nocte, & in tenebris huius mundi, venit enim incognitus. Ob id cantatur Euangelium, *Exiit edictum*, in quo talis natiuitas describitur. Secunda significat spiritalem, qua in nobis per gratiam nascitur, & sic incipit introitus, *Lux fulgebit hodie super nos*, iuxta illud 2. Petri 1. *donec lucifer oriatur in cordibus nostris*. Et Euangelium de pastoribus, in quibus per gratiam natus est. Tertia, significat generationem æternam, quæ dicitur manè, ad significandum illum diem æternitatis, de quo dicitur, *in splendoribus sanctorum ante luciferum genui te*. & Euangelium hoc indicat: *In principio erat verbum*. Introitus autem est. *Puer natus est nobis*; quia nomine illius pueri, intendit Ecclesia diuinitatem ostendere. Alij mutant hunc ordinem, & per primum sacrum æternam generationem, per tertium temporalem intelligunt; sed melius dicitur modo prædicto. Significant etiam ista tria sacra, tres status, quibus homines saluati sunt, scilicet status naturæ per mediam noctem significatur; quia debilis erat tunc Dei cognitio in hominibus: legis status, qui per auroram significatur; quia maior facta est in hominibus Dei cognitio. Gratiæ status, qui per diem, in quo diuina gratia, & cognitio maximè abundant. Nota tamen quòd ista tria sacra, sunt à ieiuno celebranda. Vnde in primo & secùdo sacro, nō debet sumi ablutio; qui autem

incautè sumpserit, non potest illo die aliud sacramentum celebrare. Et hoc modo intelliguntur alij omnes casus, quibus licet pluries celebrare, scilicet, quòd in primo ablutio fuerit sumpta, quamuis extra istam diem non licet celebrare, sed solum bis.

Secundus casus huius est, cùm quis habet duas parochias (Iam Concil. Trid prohibuit, ne vllus duas habeat parochias) propter ipsarum tenuissimum redditum, nec potest ambabus vno sacro satisfacere, nec socium habet, tunc posset modo prædicto bis celebrare.

Tertius est, si postquam celebrauit, superuenit Episcopus, qui vult audire sacrum, nec est alius qui celebret, & extra diem festum: tunc si non sumpsit ablutionem, potest iterum celebrare.

Quartus, cùm superuenerint multi peregrini, & est dies præcepti Similiter cùm alius non adest.

Quintus, cùm infirmus debet communicari, & non est sacrum. Aliæ possunt esse causæ, sed istę communiores. Notandum, quòd non omnibus diebus licet celebrare. Die Veneris sancti non licet consecrare, nec die Sabbati sancti, nisi tantùm quia tale sacrum non est talis diei, sed noctis resurrectionis, in qua solebat celebrari, & mos retinetur iste in aliquibus Ecclesijs, licèt communiter humana fragilitate oblitus sit, quia vix ieiunium poterat per totum diem sustineri. Hæ igitur sunt dispositiones post celebrationem.

Quid sit Missa.

CAPVT IIII.

INter ea, quæ de sancto Missæ sacrificio dicenda occurrunt, id primum est, quid sit Missa. Videtur autem sic aliquo modo posse describi. Oblatio corporis, & sanguinis Domini, sub alienis speciebus facta, sacrificij ab ipso semel exhibiti expressiua. In hac descriptione, quatuor sunt verba attentè consideranda.

Primùm est, *oblatio*, Est autem oblatio, actus quidam exterior latriæ, quo Deo offerimus creaturam aliquam suam, in signum recognitionis, quòd ipse est principium totius esse, & dominus omnium, & à quo totum bonum procedit. Et hoc dicitur sacrificare, quod quidem ob dictam causam nulli con-

uenit alteri, nisi soli Deo vero. Ipse enim est verum omnium principium: nulla fuit tam barbara natio mundi, nec est, quæ circa Deum saltem falsum, & dæmonis astutia fictum, non vteretur hoc sacrificio, & cultus genere. Gentiles enim, & omnes idololatræ suis dijs falsis offerebant, & sacrificabant. Iudei Deo vero nostro etiam sacrificia exhibebant. Religio nostra sancta, & vera etiam Deo sacrificium maximè acceptabile offert, & tale est missa.

Alterum verbum est, *Corporis, & sanguinis Domini*. In quo dignitas sacrificij huius conspicitur. Non enim tauri, vituli, aut alia huiusmodi offeruntur, sed corpus, & sanguis pretiosissimus Christi, cuius valor infinitus est. Cõspicitur etiam in hoc Dei Patris complacẽtia; maximè enim in hoc sacrificio delectatur, vtpote in corpore, & sanguine filij sui: de quo sacrificio dicebat Psal. 49, *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei*.

In maiorem declarationem, nota quod Iudæis erat triplex genus sacrificij.

Primum erat, quod Deo offerebant ob ipsius reuerentiam, recognoscẽtes ipsum generalem omnium Dominum, & hoc dicebatur holocaustum, in quo totum animal, quod Deo offerebatur, igne consumebatur, & nulla reseruabatur particula, vt ostenderent omnium prorsus rerum Deum esse dominum, & creatorem.

Alterum sacrificium erat quod Domino offerebant, in reconciliationem, pro aliquo commisso peccato, quod dicebatur hostia, seu victima placabilis: & huius aliqua pars seruabatur Sacerdoti, totum reliquum igne consumebatur, in quo denotabatur, quod Deus est causa nostræ salutis, sed medijs ministris suis. Quando tamen erat peccatum Sacerdotis, vel totius populi, tunc expiatio fiebat per holocaustum, vt denotaretur aut ministri iniquitas, aut peccati grauitas.

Tertium erat, quando Deo offerebatur in gratiarum actionem, pro beneficio accepto, vel per cuiusuis obtinendi beneficij impetrationem, & dicebatur hostia pacifica: & huius fiebant tres partes. Altera Deo offerebatur per ignem; altera Sacerdoti dabatur, altera ipsis offerentibus remanebat. In quo notatur, quòd Deus dat salutem per suos ministros, & nobis etiam cooperantibus. Hæc tria sacrificiorum genera erant in Iudaismo à Deo instituta: omnia tamen erant figura oblationis huius, in qua corpus dominicum offertur. Ipsum enim

est verum holocaustum, quod maximè in Dei Patris glo
Christus obtulit totum. Et vera victima placabilis, quæ tot
reconciliauit genus humanum. Vera etiam hostia pacifi
nam per ipsam maximè gratiæ Deo sunt octæ, habitæ, &
tæ, & per eã maxima nobis beneficia obtinuit Christus. C
igitur in missa id fiat, quod Dominus in morte sua fecit, cõ
rectè dicitur missa, oblatio corporis & sanguinis Domini: in
quo nostra oblatio differt ab ea, quæ in lege scripta fiebat, quæ
quamuis esset figura huius nostræ oblationis, non tamen ipsa
vera erat corporis dominici oblatio.

Tertium verbum est, *Expressiua sacrificij à Christo Domino fa-
cti.* In quo verbo, missa differt à sacrificio illo Christi. Nam
Christus, etsi obtulit suum corpus, & sanguinem, illa tamen
oblatio non dicitur Missa, saltem eo modo, quo in præsenti
loquimur: nam illa oblatio sic fuit oblatio, vt non fuisset si-
nificatiua, seu expressiua oblationis. At nostra oblatio, et ob-
latio, sed significatiua, & expressiua Christi oblationis. Vnde
qui missam celebrat, non solum offert Christi corpus, & san-
guinem, sed repræsentat Christi oblationem. Vnde repræsen-
tando offert, & offerendo repræsentat, ad modum tragœdiæ
alicuius, in qua repræsentatur aliquod Regis factum, & ille e-
dem Rex, cuius factum repræsentatur, in tragœdia illa vere
introducitur. Vt enim aptius intelligas, scito quod cum Chri-
stus sacrificauit, considerantur in eo sacrificio duo. Primum,
quod oblatum est, & hoc est corpus, & sanguis. Secundum,
modus, & hic fuit vere moriendo. In missa est illud idem quod
oblatum est, scilicet corpus & sanguis; sed modus est in repræ-
sentatione & significatione. Nam per hoc, quod primano cor-
pus separatum à sanguine, & sanguis a corpore separatum
consecratur, mors Christi significatur; ob id est veritas, & hæc
repræsentatio: Ob id positum est illud verbum tertium, Ex-
pressiua.

Quartum verbum est, *semel.* In quo notatur efficacia huius
sacrificij. Nam solum à Christo oblatum est, & vnicum sacri-
ficium est: habuit tamen infinitam sufficientiam & valorem
ex se. Vnde fit, vt pluries Deo offerri possit illud in missis, &
valor eius extenuari non potest. Et est exemplum: Si aliquis
habuerit vnam gemmam tanti valoris, vt quæcunque omnes
homines alicuius ciuitatis opus haberent, illa possent emi, &
esset aliquis, qui aliqua necessaria talibus ciuibus haberet, tunc
si dominus gemmæ istius daret eam pro quocunq; necessario

ciuium,

ciuium, tunc quidem vna esset datio, tamen, quoties quisque ciuis ab eo peteret aliquid, tunc esset noua quædam repetitio dationis, & solutio, quia gemma illa omnium est pretium. Sic quodammodo intellige, fuit Christi corpus, sacrificium summè acceptum Patri, & infiniti pretij, vt illo sit contentus Pater pro omni debito nostro, & pro omni alio sacrificio exhibendo, dummodo nos illud reperamus, quod fit celebrando, & illo vtamur per bona opera. Tale igitur sacrificium, missa est.

Vocabulum autem hoc, *missa*, omissis multis alijs, quæ de hoc dici solent, est hebraicum. Hebræi enim, oblationem vocant מנחה, id est, missa; Hamets, mutato in duplex sigma, vnde in illo Psalmo, vbi dicitur, *Eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum*, hebraice habet miza: & Hieron. vertit, *oblatio manuum mearum*. Hoc igitur sacrificium dicitur missa, scilicet oblatio quædam.

De Missæ partibus.

CAPVT V.

SAcrificium istud in tres diuiditur partes principales. Quarum prima est, quæ antecedit ipsam oblationem: secunda est ipsa oblatio. Tertia est post oblationem. Et quamuis nō intendimus omnia minutissimè prosequi, quæ profectò mysterijs sunt referta, nonnulla tamen summatim & generaliter attingemus. Prima pars est vsque ad offertorium exclusiuè. Secunda ab offertorio, vsque ad post-communionem. Tertia est, a post-communionem, vsque in finem.

Prima pars constat introitu, & instructione populi. Introitus est vsque ad orationes. Instructio est per epistolam, & Euangelium.

Introitus significat ingressum Domini in hunc mūdum. Ob id Sacerdos, præmissa cōfessione, quæ non censetur pars missæ, sed præparatio quædam, osculatur altare, in quo denotatur vnionem Verbi cum carne, & Christi cum Ecclesia, iuxta illud, *Osculetur me osculo oris sui*. In introitu exprimuntur ea, quæ gesta sunt ante hunc Christi aduentum: præcesserunt enim desideria, vaticinia, laudes, clamores Prophetarum, & Patriarchārum: ob id in introitu sunt ista, initium ipsum, quod bis

reperitur, ad denotandam vehementiam desiderij sa-
rum patrum, Statim versus sequitur, denotans ipsorum
cinia, & statim, *Gloria Patri*, notans ipsorum laudes. Sta-
Kyrie eleison, notans clamores ipsorum, & voces petentes
nam misericordiam. Ob id toties repetuntur. Singulæ
diuinæ personæ Trinitatis ter acclamantur, qui numerus
tat, in singulis personis inesse singulas: est enim in Patre
lius, & Spiritus sanctus, similiter sunt in se inuicem. Statim
tatur, *Gloria*, denotans ipsius aduentum: nam in Domini
uitate illud cantarunt Angeli. Totum hoc Introitus dicitur.

Sequitur instructio populi: & quia primò fuit instructio
facta per Prophetas, & similiter per Apostolos, cum Christus
misit illos binos prædicare. ob id præmittitur epistola, quæ a-
liquando est ex Propheta, & aliquando ex Apostolo. Et sequi-
tur Graduale, quod ad gradus altaris decantari solebat, signi-
ficans opera ipsa, quæ debent respondere prædicationi: popu-
lus enim debet exequi, quæ in prædicatione percipit. Ante in-
structiones tamen præmittitur Collecta, seu oratio dicta Col-
lecta, quia animus populi debet esse collectus in diuina con-
sideratione. Præmittitur oratio, quia quæ facienda à nobis
sunt, oportet à Deo peti: & ad hoc etiam diuino indigemus au-
xilio, ob id præmittitur, *Dominus vobiscum*. Hæc oratio semper
est Deo dirigenda, quamuis liceat aliquem sanctum interces-
sorem ponere, vel beatã Virginem: atq; ob id missa solet à san-
cto denominari, maximè quia in introitu, & instructione est
aliqua similitudo vitę illius, non tamen, quòd sacrificium fiat
alicui, præterquam Deo.

Post hanc instructionem sequitur Euangelium, quod fit
dextro altaris latere. ob excellentiam maioris doctrinæ. Ex-
linquitur latus primum, ad denotandum, quòd à Iudæis do-
ctrina veritatis debuit auferri, & tradi Gentilibus, qui sunt ad
læuam sacerdotis; In quo notatur, quòd nisi esset ob culpam
Iudæorum, ipsi erant dextra pars, quibus præcipuè lex erat tra-
denda, atq; doctrina.

Finito Euangelio, dicitur *Credo*, notans fidẽ, quæ secuta est
prædicationẽ. Atq; hęc est prima Missæ pars, quę dicitur Missa
cathecumenorum, quia cathecumeni in Ecclesia primitiua ha-
ctenus permittebantur præsentes esse sacro: statim. n. canebat
voce alta diaconus, dicens; *Ite missa est*. id est, recedite foras, nã
incipit oblatio, & sacrificiũ, cui vos non potestis adesse, donec
sacro baptismatis fonte lauati in Christo renascamini.

Statim

Statim sequitur secunda pars Missæ, ab offertorio, in quo præparantur,& offeruntur ea, quæ consecranda sunt, & omnia ista fiunt voce submissa, ad denotandum illud Christi eximium, Ioan. 20. cùm Christus non palàm loquebatur iam, cùm Iudæi illum comprehendere destinarant: statim post hoc silentium, sequitur præfatio, significans illum ingressum magnificum in Hierusalem, cùm pueri cantantes Dominum receperunt; quo finito sequitur canon vsq; ad communionem, in quo fit consecratio ipsa,& sumptio: In quibus duobus sacrificium consistit.

His absolutis, est tertia pars Missę, scilicet, post communionem & orationem, quæ gratiarum actio est, & fit in latere sinistro altaris, ad significandū, quòd Iudæi in fine mundi conuententur ad Dominum. Hæ sunt partes missę. Multa quidem prætermitto in particulari, quę digna sunt magna meditatione, tamen quia esset valde prolixum omnia prosequi, & solùm aliquam in his instructionem paramus, ad alia tendentes, reseruo in alium locum. Vnum tamen hic notandum est, quòd corpus, & sanguis Domini sub speciebus panis, & vini contenta, sunt quidem sacramentum, sunt etiam sacrificium. Sacramentum quidem sunt, quatenus sub illis speciebus continentur; vsus autem in sumptione consistit: at verò sacrificium sunt, cùm offeruntur Deo Patri. Et hæc oblatio posita est in duobus, & in consecratione ipsa, & in sumptione à Sacerdote. Vnde cùm in pyxide conseruatur hostia consecrata, sacramẽtum est, non sacrificium; cùm verò in missa consecratur, & sumitur, non tantùm sacramentum est, sed etiam sacrificium. Multa, quæ dici poterant de forma, & materia ipsius, reseruabimus in locum, cùm ibi de singulis in particulari tractabimus. Hæc, quæ diximus, non sunt omnia de iure diuino, præter ipsam consecrationem, & sumptionem; reliqua sunt de iure humano. Et adhuc non omnia fuerunt à principio nascentis Ecclesiæ; sed successu temporis fuerunt multa laudabiliter apposita, donec ad hanc integritatem reducta est missa, cuius aliquam notabilem partem negligenter permittens, grauiter peccaret mortaliter.

De valore huius Missæ ratione sacrificij.

CAPVT VI.

DIfficilis est hæc materia, nec Doctores in ea sunt co formes: dicam ea, quæ mihi probabiliora visa sunt.

Valor huius sacrificii duplici ex parte sumi potest vna ex ipso actu offerentis; alia ex ipsamet re oblata: ita vt sint duo valores distincti. Actus quidem ipsius offerentis augetur secundum quod magis est deuotus, vel minus, aut ex maiori vel minori charitate procedit. Valor tamen ex parte ipsius rei oblatæ semper est vnus, & idem: qui quidem finitus quidam gradus est. Nam quamuis res oblata sit infinita, quia tamen offerens est finitus, & oblatio finita, ad certum finitum valoris modum determinatus est: quemadmodum in ipso sacramento, vt sacramentum est, gradus finitus valoris continetur, quando confertur alijs, quamuis in se res infinita sit; quæ sacramentaliter continetur, & datur: prior valor dicitur ex opere operantis, posterior ex opere operato. Qui quidem valores, in sacramentis continentur. Vnus est etiam in adultis, qui actibus suis dispositi, sacramenta suscipiunt. Istis datur effectus valoris, non solum ratione sacramenti, sed ratione suorum actuum: at verò in paruulis solum est valor ex opere operato sacramenti. Vt igitur in isto sanctissimo sacramento continetur certus gradus valoris ex opere operato, vt sacramenti est, sic etiam alius gradus continetur in ipso, vt sacrificium est, vltra actum sacrificantis, & vltra actum eius, per quo sacrificatur. Valor autem iste est trium bonorum: valet enim ad bona temporalia, valet ad bona spiritualia, gratiam scilicet, & inspirationes, ac dispositiones; valet etiam ad satisfactionem pro pœnis debitis pro peccatis, ita vt sacrificium oblatum conferat bona corporalia, gratiam, & remissionem pœnarum, omnia sub certo gradu ex parte operati.

Modus autem, quo ista bona conferuntur, non vnus, sed triplex est. Conferuntur enim ista per modum meriti, per modum satisfactionis, per modum impetrationis, seu suffragij.

In primis per modum meriti de condigno confert gratiæ augmentum, & per modum meriti de congruo confert temporalia bona. Dicitur autem cõferre per modum meriti, quia

offe-

offerens sacrificium hoc, ratione ipsius rei oblatæ, meretur gratiæ augmentum, sicut ratione ipsius oblationis, seu actus.

Confert etiam satisfactoriè pro pœna debita peccatorum, ita vt sacrificium hoc inducat remissionem pœnæ.

Confert etiam per modum impetrationis, quatenus offerens tale Sacrificium, à diuina clementia obtinet ea, quæ petit, licèt non de iustitia. Et hoc modo maximè prodest mortuis, quantùm ad solam remissionem pœnæ, quandoquidem mereri non possunt. Viuis autem duobus primis modis confert, & etiam tertio. Sed duo priores solum viuis competunt, nisi mortui, dum vixerunt, ad missas sibi celebrandas pecunias erogarunt. Tunc enim per modum satisfactionis, & iustitiæ conferunt. Hoc enim est discrimen inter illos modos, quòd duo priores, in quadam iustitia fundantur. Vltimus verò in diuina tantùm misericordia, quamuis hæc numquam desit. Assimilatur autem proportionaliter celebrans Christo domino, se per mortem offerenti; Christus enim dominus, se Patri hostiam pro peccato offerens, à Patre meruit de condigno gratiam, licèt non sibi, sed nobis meruit remissionem pœnarum nostrarum, & impetrauit quod petiit: sic offerens in missa meretur gratiæ augmẽtum, quia debet esse in gratia offerens, meretur etiã remissionem pœnæ, & impetrat, sed non infinitè, vt Christus, sed finitè, vt dictum est.

De his, quibus sacrificium prodest.

CAPVT VII.

OStenso valore huius sacrificij, supereſt examinare quibus prosit, & qui consequantur hunc valorem. Et vt generaliter dicam, prodest offerentibus, & his, pro quibus offertur, quamuis non vniformiter.

In cuius gratiam scito, multos esse offerentes, & multos, pro quibus offertur.

Offerentes enim sunt in triplici differentia, quidam immediati, & proximi & huiusmodi sunt soli Sacerdotes celebrantes: quidam mediati, & remoti, & huiusmodi est totus populus Christianus: omnes enim vnum corpus faciunt mysticum & mediatè celebrant per Sacerdotem, qui nomine totius po-

puli Christiani celebrat: quidam medio modo se habent: qui aliquo actu conueniunt erga celebrationem: & hi sunt magis vel minus propinqui, vel circumstantes, qui intersunt sacro & offerunt cum Sacerdote. Post hos propinquior est chorus & qui inseruit: post hos diaconus, & subdiaconus: postque hos qui Sacerdotem alit, & sustentat: propinquissimus est, qui peculiarem dat ecclesiam, vt Missa celebretur. Omnes isti sunt offerentes, & omnes hi, si in gratia sunt, merentur vnusquisque in suo gradu, secundum quod magis, vel minus propinquus est. Dico, si in gratia sit: nam in peccato existentes, nihil sibi merentur, nisi forsan de congruo. Non autem his omnibus idem est meritum: nam qui in gradu sunt tantùm, nec aliquem actum circa illam celebrationem exercet, sed solum habitualiter celebrant, consequuntur de condigno remissionem aliquam pœnæ debitæ pro peccatis, & his prodest ad satisfactionem quodcumque sacrum celebratum. In gratiæ augmentum non confert: nam gratia non confertur sine actu nostro dispositiuo: Cùm igitur illi non operentur, non merentur gratiæ augmentum. Qui verò actu aliquo concurrunt, non solum remissionem pœnæ, sed gratiæ augmentum de condigno consequuntur, quamuis magis, vel minus, prout propinquiores sunt, vt diximus, & hoc vltra illam gratiam, quam quisque suo actu proprio meretur, quo ad offerendum concurrit. Vbi aduertendum est, quantùm perdant, qui missam non audiunt, & qui in peccato sunt mortali: hi enim maxima pœnarum remissione se priuant. Aliqui volunt, quòd etiam offerentibus remotis aliquis gradus gratiæ augmenti detur ex opere operato, & id probabile est. Aduerte tamen hic, quòd quantumcumque numerus offerentium multiplicetur, non ob id quisque minus meretur in suo gradu; quia tale sacrificium habet se ad singulos, ac si à singulis per se in suo gradu offerretur; sicut plures suscipientes sacramentum non perdunt quicquam de valore, quia singuli integrè suscipiunt. Hoc igitur est ex parte offerentium.

Illi verò, pro quibus sacrificium offertur, in duplici habent differentia: quidam, quibus ex intentione vniuersalis Ecclesiæ valor applicatur, vt totus populus Christianus, & adhuc propinquius Reges, Imperatores, Pontifices, & capita Christianæ Riepubl. pro his enim omnibus, ex intentione Ecclesiæ, offert Sacerdos quisque: quidam autem sunt, pro quibus offert Sacerdos ex propria intentione sua, quam applicat

VIII.

vni, vel multis : & hoc vel ex propria voluntate, vel quia illi aliquo actu ad id concurrunt, vel erogantes Ecclesiam, vt pro ipsis celebretur, vel erogantes, aut petentes, aut iubentes. Aliqui volunt, quòd his omnibus, si in gratia sint, conferatur augmentũ gratiæ de condigno. Et hoc probabile est, sed magis nobis placet, quòd non, quia gratia nunquam datur, nisi operanti actualiter, vel virtualiter circa tale opus: sed pro quibus ex intentione Ecclesiæ applicatur, prodest ad meritum de congruo bonorum temporalium, & meritum de cõdigno remissionis pœnarum, si in gratia sint, & impetrant etiam diuinas motiones, & auxilia, quibus gratiã confert; sicut etiam offerẽtibus remotis. Illis verò, qui aliquo actu concurrunt, etiam ad gratiæ augmentum, si in gratia sint. Ex quo collige, quanta sit copia gratiæ in hoc mirabili sacrificio: vt cum conferat multa ex opere operato offerentibus in suo gradu, adhuc supersit magna copia, vt conferatur his, pro quibus offertur, præsertim hoc etiam, si omnibus in gratia existentibus gratia conferatur, vt dicit illa citata opinio, quam tenet doctissimus Soto lib. 4. sent. d. 13. q. 2. art. 1. & aliqua ex parte videtur conformis esse S. Thom. 3. p. q. 79. art. 7. ad 2. probabilius tamen est quod diximus.

De resolutione trium dubiorum.

CAPVT VIII.

EX his, quæ diximus, facilè erit tria dubia in hac materia præcipua resoluere.

Primum est, si missa mali Sacerdotis, & existentis in mortali peccato aliquid valoris habeat. Ad quod dubium cum distinctione respondere oportet. Vt enim diximus, in Missa duo sunt, & sacrificium ipsum, & orationes, seu preces, quæ in ipsa missa funduntur. Prætermitto autem valorem ex deuotione ipsius offerentis.

Si sacrificium consideretur, quamuis Sacerdoti ipsi nihil conducat, si in cõscientia peccati mortalis sit, sed potius mors sit maior, tamen, quia valor est in ipso sacrificio ex opere operato, prodest alijs offerentibus, & alijs, pro quibus offertur. nec hi suo fructu, vt diximus, defraudantur, nec iste valor est maior in bono Sacerdote, quam in malo, sicut collatum Sacramentum.

Si verò

Si verò considerentur orationes, & preces, tunc possunt dupliciter considerari. Aut sunt ipsius Sacerdotis, vt personæ quædam particularis, aut vt est repræsentans Ecclesiam, in cuius nomine celebrat, & offert. Si priori modo considerantur, absque dubio nihil valent, nec ipsi nec alijs, cùm sit in mortali, vnde ex hac parte magis valet Missa boni, qui ex parte precum à Deo magis exauditur.

At verò cùm est offerens nomine Ecclesiæ, valent etiam æqualiter cum bono.

Omnibus igitur perpensis, plùs valet Missa boni sacerdotis, non solùm quia illi prodest, mali autem Missa illi nō prodest, sed etiam, vt respectu aliorum, ex parte precum & orationum, quia valent non solùm vt Ecclesiæ nomine procedunt, sed etiam vt sunt ab homine Dei amico, & grato.

ALTERVM dubium est. An defunctis, quibus Missa non prodest, nisi ad remissionem pœnæ, & hoc per medium impetrationis, plus prosit Missa de *Requiem*, quàm alia Missa quæuis. Ad quod iuxta prædicta facilè respondetur: ex parte enim sacrificij æquè prodest vna ac altera; tamen ex parte precum, plùs prodest de *Requiem*; quia in ea orationes, & preces ad ipsarum animarum liberationem directè funduntur, tam ex intentione Ecclesiæ, quàm ex intentione propria Sacerdotis.

Tertium dubium est, an, cùm quis offert pro pluribus, singulis prosit, ac si pro vno tantùm offerretur. Ad quod aliqui dicunt, inter quos est Caiet. quodlibet. primo, quæst. 18. & in per 3. part. quæst. 79. art 5. quòd ita prodest singulis simul, ac si pro vno solo offeratur. Sed oppositum est cum communi sententia tenendum, puta quòd nec ad pœnæ satisfactionem, nec ad gratiæ augmentum, quod datur ex opere operato, ita prosit singulis simul, ac si vni applicaretur. Scot. quod lib. 2. multò minus, dum pluribus applicatur. Ratio est, quia gradus gratiæ, & satisfactionis in hoc sacrificio contentus, finitus est, sicut in ipso, vt sacramentum est. Vnde fit, vt in plures diuisus minus obueniat singulis. Sic, si ego ieiunarē pro quatuor, minus prodest ad satisfactionē singulis, q̄ vni prodesset, si pro vno tantum ieiunassem. Loquor autem de valore ex opere operato.

Hinc fit quòd Sacerdos recipiens eleëmosynas plurium, & vno sacro eis satisfaciens, cùm tamen singuli darent pro vno sacro, peccat mortaliter, quia defraudat illos sua sa-

tisfa-

tisfactione,& fructu ex opere operato, cum ad hoc sustentationem acceperit ab eis. Nauar. c. 25. num. 95. vbi tenet contra Soto, qui lib. 9. de iust. qu. 3. art. 1. tenet, quòd pauper potest saltem duas eleemosynas recipere pro vna missa ad sustentationem: sed contrarium dic cum Nauar. non enim perdit ius ille ob istius paupertatem, nec Missa ordinata est ad sustentationem. Vide Tabie. verb. Restituțio §. 32. Nota tamen quòd cùm pro aliquo celebratur in particulari, vel aliquibus, non excluditur pars valoris, quæ ex intentione Ecclesiæ applicatur alijs, vt diximus, nec excluditur etiam pars quædam, quæ Sacerdoti obuenit: ita vt meritò diuidi possit valor in tres partes: in gradum communem, qui ea intẽtione Ecclesiæ applicatur, etiam gratiæ, si ipsi sint dispositi: & gradum proprium Sacerdotis: & medium, qui ex intentione Sacerdotis potest sibi, vel alijs applicari.

De remedijs erga ea, quæ in Missa accidunt.

CAPVT IX.

MVlta accidere possunt in Missa pericula, quib. prompta debet celebrans habere remedia: quamuis autem multa ista sint, ad aliqua tamen principalia reduci possunt, per quæ de alijs, si quando accidant, poterit iudicari.

Primum periculum est, cùm in altari Sacerdos impeditur, quo minus possit sacrificium absoluere, vel quia moritur, vel quia fit demens, vel quia morbo aliquo prosecutionem impediente corripitur. Et tunc cum distinctione oportet respondere: vel enim illud accidit ante cõsecrationem, vel post. Si ante, non debet alius Sacerdos perficere: at verò, si est post consecrationem, tunc Sacerdos alius potest substitui, qui absoluat, continuando à parte relicta ab alio. Hoc enim habetur 7. q. 1. can. nihil, ex Concilio Toletano: in quo casu potest Sacerdos, etiam non ieiunus, tale sacrum perficere: Sylues. verb. Eucharistia 2. §. 12. tenet quòd debet esse ieiunus. Oppositum tenet Soto in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 6. cùm non adest alterius copia. Minus enim est hoc præceptum de ieiunio, quàm de sacro perficiendo. Attende tamen quòd in Concilio non ponitur obligatio Sacerdoti, vt faciat, sed tantùm facultas concedi-

ditur.

ditur. Vnde fit, si esset Sacerdos concubinarius ibi, vel alias peccato mortali existens, nisi esset aliquod scandalum quod sequeretur ex omissione sacri imperfecti, non debet celebrare: quod si vrgeat scandalum, tenetur habere contritionem, immò etiam confiteri, si fieri possit. In eo tamen casu alius non existens in conscientia peccati mortalis teneretur celebrare. Quòd si illud sacramentum maneret imperfectum, tunc sacramentum debet reponi in sacrario; & similiter sanguis, donec altera die ab alio Sacrerdote sumatur. Quòd si interim species vini corrumpantur, tunc corruptæ debent effundi in piscinam.

Alterum periculum est, cùm aliquis in sacro recordatur alicuius commissi peccati, cuius non habuit pœnitentiam, nec illud est confessus; vel recordatur se non esse ieiunum, tunc adhuc eadem distinctione oportet procedere. Si enim post consecrationem, debet pœnitere, & prosequi, quamuis peccati, cuius recordatur, sit graue, etiam cum excommunicatione, vel irregularitate. Nec inde contrahit censuram, vel peccatum, si oblitus fuit inculpabiliter: si verò est ante consecrationem, nisi tantùm est peccatum, potest pœnitere, & celebrare: tamen si est excommunicatus, vel irregularis, & non ieiunus, debet recedere, nisi sequatur scandalum circumstantium.

Tertium est, quando aliquid incidit in sanguinem, impediens sumptionem, quod tripliciter potest esse.

Aut est venenum, quod appositum fuit ignorante Sacerdote, & post consecrationem est admonitus; tunc non debet sumere, sed nouum vinum apponere, & consecrare. Illud autem conseruandum est in sacrario, donec species corrumpantur, & corruptæ in piscinam proijciendæ sunt.

Secundò potest etiam esse quòd aliquid aliud venenosum incidat, & similiter est tunc faciendum.

Tertiò potest esse quòd aliquid aliud incidat non venenosum, & tunc, si est animal horrorem incutiens, vt vespa, vel quid simile, est extrahendum, & lauandum, & lotio sumenda post sanguinem; animal autem comburatur, & cineres in loco sacro seruentur. Quod si non est animal horribile, vt pulex vel musca parua, degluriatur cum sanguine: si tamen hæc omnia accidunt ante consecrationem, poterit effundere tale vinum, & nouum apponere.

Quartum est, cùm Sacerdos in altari recordatur se nõ apposuisse aquam vino: tunc, si est antè sanguinis consecrationem,

debet apponere ; si verò post, nullo modo: nec enim est de essentia sacramenti. Quòd si vinum non esset appositum, tunc necessariò esset apponendum ; quamuis post verba consecrationis, quæ iterum sunt repetenda : & hoc etiam fiet, etiamsi sit post sumptionem hostiæ, quamuis aliqui velint, quòd debet etiam noua poni hostia consecranda ; sed non est necessarium. Vide can. 32. Concil. Constant. vbi dicitur esse traditio à Iacobo fratre Domini, quòd vino apponeretur aqua.

Quintum est, quando accidit aliquod miraculum, quòd corpus appareat post consecrationem in specie carnis, aut sanguinis in propria specie, tunc certissimum est, non debere sumi, sed conseruari in sacrario; tamen non obligatur Sacerdos ad nouam consecrationem, vt habet S. Thom. 3. p. q. 82. art. 4. quia miraculum liberat ab obligatione perficiendi Sacramentum. Nam, vt ibi dicit Caietanus, potest, si vult, iterum consecrare.

Sextum est, cum aliqua sanguinis gutta cadit : tunc multipliciter potest accidere hoc; de quo vide de consecratione dist. 2 can. si per negligentiam, vbi præciditur, quòd si cadat, idque per negligentiam, in tabulam, lambat, & radat tabulam : si in terram, comburat terram ; & cineres seruentur in loco sacro, & pæniteat diebus quadraginta: si verò cadit super altare, sorbeat, & pæniteat tribus diebus. Si supra primum linteum, & perueniat ad secundum, quatuor diebus : si vsque ad tertium, nouem diebus: si vsque ad quartum, viginti, & tunc linteum lauetur ter, & lotio recondatur iuxta altare, vel sumatur à ministro. Modò solet abscindi illa pars lintei, & comburi, & cineres seruari. Ista pænitentia imposita erat ieiunij, & abstinentiæ à celebrando, sed non est modò in vsu ; licèt grauiter peccet, cui id ex negligentia accidit, vt in eadem dist. dicitur de vomitu. Cũ enim vomitus accidit per ebrietatem, vel voracitatẽ, si clericus est laicus, pæniteat quadraginta diebus : si monachus septuaginta: si Episcopus, nonaginta. modò non est in vsu pænitẽtia; sed est graue peccatum sic accidere. Quòd ex infirmitate, olim pænitebat septem diebus, modò non : sed est peccatum, quando timebatur probabiliter vomitus, & celebrauit. Cùm autem accidunt ista tria, tunc quærendæ sunt particulæ, si quæ possunt inueniri, & conseruandæ in sacrario.

Rursus septimò, contingit aliquando vt hostia cadat à manu in calicem, ante fractionẽ, vt nulla possit fieri fractio pro-

pter

pter humiditatem hostiæ, tunc continuandum est sacrificium: hilque repetendū, quia illa non sunt de essentia sacrificij: si commodè posset fieri; tunc saltem in residua parte hostiæ debent fieri signa, & fractiones.

Octauum aliquando circa verba accidit, vt proferens putus obliuiscatur, an talia protulit. Quòd si est aliquod verbum ex alijs, præter verba consecrationis, postquam iam alia verba successerunt, non est curandum repetere. Tamen de verbis consecrationis difficultas est, & non quodcumque dubium sufficit, vt repetantur, nam multa proferuntur certo ex vsu, quorum non meminimus an fuerint prolata, si supra id reflectamur. Vnde scrupulosi debent multum quiescere in hoc: licet enim non recordentur, nō ob id statim repetenda sunt. Cùm tamen alicui videtur certum multum, se non dixisse, & valdè probabiliter dubitat, potest repetere sub conditione; nec est vlla periculum, licèt accidat quòd semel protulerit.

Nonum tandem accidere potest aliquid impediens, ne absoluatur sacrum, vt si, celebrante Sacerdote, aduenias aliquis ipsum volens occidere, vel inimici, seu hostes in prælio, vel domus corruat: & tunc, si est ante consecrationem, potest discedere; si verò post, licet ei statim consumere. Quòd si non credo, poterit Sacramentum cum corporalibus extrahere. Quod si non, aliqui dicunt, quòd subeat mortem: sed ego non credo, quia nulla ratio, nec textus id probat, sed licet ei discedere: nam si permaneat, occiditur, & adhuc sacrificium manet imperfectum: melius ergo est, quod maneat sic, & saluetur homo. Attende tamen, quòd si aliquis in contemptum fidei vellet eum occidere, si à sacro non desisteret, tunc tenetur propter fidem continuare, & mori, non solùm post consecrationem, sed etiam ante. Hi sunt casus, qui frequentiores sunt in hac parte.

Quid diuinum officium dicatur.

CAPVT X.

SAcerdotis officium primum, non solùm sacrificare, sed etiam officium diuinum persoluere, esse diximus. Tractatum est de sacrificio, nunc de officio tractare oportet. Atque illud primò se offert explicandum, quid sit diuinum officium.

Vide-

Videtur autem posse sic describi. Laus Dei voce expressa, per Ecclesiæ institutionem determinata.

In qua descriptione sunt quatuor partes considerandæ.

Prima est, *Laus*. Est autem laus, manifestatio quædam excellentiæ alicuius. Cùm enim alicuius virtutes propalamus, ipsum laudamus. Est autem officiũ istud, laus quædam & manifestatio excellentiarum alterius.

Altera pars est, *Dei*. Non enim diuinum officium est laus Regis, vel Imperatoris, sed omnipotentis Dei: cùm enim ipsius excellentiam exprimimus, ipsum laudamus. Aduerte tamen, quòd quamuis officium sit Beatissimæ Virginis, & aliorum Sanctorum, & mortuorum, tamen præcipuè est Dei: nam ipsum in suis Sanctis laudamus, iuxta illud, *Laudate Dominum in sanctis eius*. Quid est aliud, Beatissimæ Virginis virtutes & gratias exprimere, quàm Dei virtutem & misericordiam, à qua omne bonum est, extollere? Quid est animarum purgatorij pœnas referre, quàm Dei iustitiam cum clemẽtia magnificare? Dicitur ergo optimè diuinũ officium, *Laus Dei*. Nam in omni bono præcipuè laudatur, & laudandus est ab omnibus Deus.

Tertia pars est, *Cum voce expressa*. Est enim duplex laus: altera quidem interna, altera externa. Interna est, quæ fit corde, & nihil aliud est, quàm recognitio quædam mentis, excellentiæ, & virtutis alterius, cum affectu quodam ex inclinatione in ipsum. Vnde Deum laudamus interius, quando ipsius excellentias mente recogitamus, & affectu simul in ipsum ferimur. Externa autem est, quæ fit ore, & voce ipsa manifestante internam. Bona quidem interna est, & melior quàm sola externa; verùm si externa coniungatur cum interna, efficitur melior quàm altera per se. Diuinum igitur officium est, non solùm laus interna, sed & externa, quæ fit voce, atque prolatione. Vnde, qui diuinum officium persoluunt, non adimplent præceptum recitandi, nisi ore proferant, quantumuis mente laudent, quoniam necessaria est prolatio vocalis. Vnde attendere debent qui mussitando recitant, vt sic proferant, vt vox fit plene articulata. Attendere etiam opus est, vt non de[illegible] interna; qui etenim solùm voce laudat, & vult non attendere mente, aduertendo se non attendere, non implet præceptum, poterit[illegible]que illi dici, *Populus hic labijs me honorat, cor autem eius longè est à me* Esaiæ cap. 29. Dices, cùm Deus sit scrutator cordium, & qui non indiget voce, vt intelligat, & penetret

occulta cordium, quorsum petit hanc vocalem laudem? Ideo illud optimis rationibus esse factum.

Prima, vt noster affectus magis excitetur. Animus etenim laudantis magis excitatur ad deuotionem vocis, quæ est velut quidam stimulus ipsius, excitans & prouocans ad actum.

Secunda, vt aliorum affectus etiam prouocentur. Multum enim animi accenduntur, cùm aliorum clamores, & voces ad Deum percipimus: propter quod institutum est, vt essent cantus in Ecclesia, & etiam diuersorum musicorum genera.

Tertia, vt pluribus modis laudetur Deus, cùm pluribus modis sit excellens, & pluribus modis simus ei debitores.

Quarta, vt sit manifesta distinctio inter ecclesiasticos, & seculares, etiam in voce ipsa.

Tandem quintò, propter facilitatem: nam sola mente orare, seu laudare continuè per aliquod tempus, difficile est, quia necessaria est actualis attentio; ore verò non est ita difficile: nam sufficit tūc virtualis attentio, cùm deest actualis per inaduertentiam aliquam. Est igitur officium, laus Dei externa anteriorum expressiua.

Quarta pars est, *Secundum Ecclesiæ institutionem determinata*. Non enim semper, cùm Deum voce laudamus, diuinum officium celebramus, sed cum illa voce laudamus, quæ est ab Ecclesia ad hunc finem determinata, scilicet per Psalmos, Antiphonas, Lectiones, & reliqua, quæ continentur in officio. Et attende quòd dicitur, *determinata*. Nam Ecclesia non instituit laudare Dominum ore: est enim hoc secundùm ius naturale: ita omnes gentes suos falsos Deos etiam clamoribus laudant, & Iudæi hoc etiam faciebant, & in primitiua Ecclesia ab Apostolis id fuit traditum sed Ecclesia determinauit hunc modum laudis prædictum. Ecce igitur quid diuinum officium sit. Dices, quare dicitur Officium? Respondeo officium dici actum proprium, quo vnusquisque, vt in proprio, & distincto ab alijs exercitio versatur. Est autem munus hoc personarum ecclesiasticarum, in quo versari debent. Nihil est ita proprium Christiano, quàm Deum verum laudare, nihilque magis durabile: in cælo enim sacrificiū cessabit, diuina tamen laus cessare nequaquam debet. *Beati enim, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Cuius oppositum sentient damnati in sempiternum. Cùm igitur hoc sit proprium, ac perpetuum Christiano, laus dicitur officium: & quo-

De

Dei est laus, dicitur officium diuinum. Dicitur etiam hora canonica, à tempore, in quo fit ista laus: quia enim canones determinant certa tempora, & horas, quibus determinatæ laudes Deo sunt dandæ, ob id ipsa laus hora canonica dicta est.

Quotuplex sit istud officium.

CAPVT XI.

SEptem horæ canonicæ constitutæ sunt. Matutina, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ. & Completorium. Est enim numerus septenarius perfectus. Septem enim sunt ætates hominis, quibus omnibus Deus est laudandus: Infantia, Pueritia, Adolescentia, Iuuentus, Virilitas, Senectus, Decrepitudo. Septem mundi ætates: septem dona Spiritus sancti: septies cadit iustus: septies Dauid laudabat in die Dominum: septies etiam à nobis petit sic laudari. Diuidũtur in duas partes horæ canonicæ. in diurnas, & nocturnas. Nocte enim, & die laudare Dominum debemus, cùm ab eo continuè bona accipiamus: Horæ nocturnæ sunt, Matutina: Matutina enim, quæ aurora est, sumitur pro tota nocte per Synecdochem. Diuidebatur olim nox in quatuor quartas. Singulæ tribus horis constabant, incipiebantque ab Aue Maria noctis, scilicet post Solis occasum, (In Italia ex vigesima quarta) Et dicebantur istæ quartæ Vigiliæ noctis. Prima vigilia durabat per tres primas horas, quibus finitis, incipiebatur Matutinum, quod est diuisum in tria nocturna: & primum dicebatur in secunda vigilia, quo finito, ille ibat cubitum, & alij surgebant. Tertia vigilia scilicet media nocte, & dicebant secundum nocturnum. Alij verò surgebant pro tertio, in quarta vigilia. Quibus finitis, pulsatis campanis, dicebatur, *Te Deum laudamus*, & tunc omnes adorant similiter cum laudibus. Nec mireris, quòd singula nocturna durabant tres horas, quia dicebatur nocturnũ diei, Diuæ & beatæ Virginis, & mortuorum. Diebus solennibus adesse solebat populus secundo, & tertio nocturno cum laudibus, modò iam non est in vsu, sed vnico tractu dicitur ab omnibus ministris; quamuis varij sint modi. Aliqui in secunda, aliqui in tertia vigilia dicunt. Horæ verò diurnæ statim dicebantur.

Erat enim dies in alias quatuor quartas diuisus, & in primo primæ quartæ dicebatur Prima: in principio Secundæ Tertia in principio tertiæ, Sexta. Quando erat iam meridies Sextam, & Primam, dicebatur sacrum solenne. Post prandium Nona, post Nonam Vesperæ, & Completorium, cum iam hora erat nox. Et sic totus dies in diuinis laudibus agebatur. Significant autem istæ septem horæ Christi passionem. Matutina significat, cùm in horto fuit à Iudæis comprehensus, & ligatus. Prima, cum in domo Caiphæ fuit alapis cæsus, & spuatis fœdatus. Tertia, cum fuit lata mortis sententia. Sexta, cum cruci affixus. Nona, cum mortuus, & eius latus lancea aperta est. Vesperæ, cùm depositus de cruce. Completorium, cum positus in sepulchro. Quæ omnia antiqui his versibus, vt haec memoriæ inhæreant, descripserunt.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputis, dat causam Tertia mortis.
Sexta cruci nexit latus eius Nona bipertit.
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

De obligatis ad diuinum officium persoluendum.

CAPVT XII.

QVatuor sunt genera personarum, quæ tenẽtur officium persoluere: clerici, beneficiati, monachi, moniales. De singulis per se oportet tractare.

In primis, Non quiuis clericus tenetur recitare diuinum officium, nisi sit subdiaconus, vel diaconus, vel Sacerdos, etiam si beneficium non habeant, c. dolentes de celebr. miss. Quisquis verò in minoribus est constitutus, neque beneficium habeat, non tenetur recitare horas canonicas; quamuis Panorm. c. 1. de celebr. miss. nu. 6. contrarium sentiat, ac communis opinio, vel ipsemet fatetur, contrarium docet, quæ est tenenda, cum non sit tex. aut ratio, quæ faueat Panorm. & consuetudo faciat pro communi opinione.

Secundò, recitare tenentur, qui beneficium habent ecclesiasticum, etiam si clerici simplices sint, & solam tonsuram primam habeant: ita habetur d. 42. can. fin. & Panor. ca. dolentes, de celebr. miss. n. 4. affirmat in eo omnes conuenire. Per beneficium autem intelligo quemcumque redditum ecclesiasticum

sticum, qui habetur sub titulo clericali, nimirum, qui non potest nisi clericis dari. Vnde non solum obligantur, qui curata habent beneficia, aut simplicia, sed etiam qui habent præstimonialia, & patrimonia, quia hæc sunt tituli clericalis. Qui tamen habent pensiones, aut alios redditus ecclesiasticos, qui etiam sæcularibus conceduntur, non tenentur hoc vinculo. Aduertendum tamen est, quòd aliter obligantur simplices clerici ad recitandum, aliter beneficiati, siue sint in maiori ordine constituti, siue non. Simplices enim clerici omittentes absque legitima causa officium vno tantum die, vel aliquam horam, vel totum, peccant mortaliter; ad nullam tamē obligantur restitutionem faciendā. Qui verò beneficiati sunt, & mortaliter peccant, & ad restitutionem aliquam redditus percepti tenentur, Concil. Lateran. sub Leone sess. 9. §. statuimus. Nauar. c. 25. num. 122. Tab. verb. beneficium 11. Quæ restitutio consistit in aliquibus dictis.

Primum sit, iuxta decretum Concilij Lateranensis, cuius tenor est: nullus, ante sex menses primos beneficij habiti, tenetur ad restitutionem, quamuis non recitet. Explico: confertur alicui aliquod beneficium, quodcumque sit, sub titulo clericali, si non recitat per sex menses primos, mortaliter quidem, & multipliciter in singularum horarum omissione peccat, ad nullam tamen obligatur restitutionem.

Secundum dictum sit, transactis sex mensibus, siue in eis recitauerit, siue non, in posterum obligatur ad restitutionem, nisi recitet, non quidem omnium fructuum correspondentiū pro diebus, vel tempore omissionis, sed pro aliqua parte. Explico: aliquis habet redditus trecentorum sexaginta aureorum, singulis diebus aureus respondet, prætermittit vnum diem officij, iste non tenetur ad restitutionem vnius aurei: vel si prætermittit vnam horam, non tenetur ad restitutionem septimę partis aurei; hoc enim esset, si totus redditus daretur pro officio; sed non sic est: datur enim etiam pro alijs ministerijs ecclesiarum, & pro sacrificijs; vnde vna pars obuenit pro officio, hæc restituenda est, non est autem taxata: credo tamen, non esse minorem tertia parte.

Tertium dictum est, ex eodem concilio, quòd ista restitutio est facienda vni duorum, aut fabricis ecclesiarum; quarum beneficia possident, aut pauperibus. Vnde fit, quòd possit aliquando accidere, vt ille, qui tenetur restituere, sit aliquis pauper, vt meritò possit ei ecclesia conferri, tunc iudicio cōfesso-

ris posset iste sibi reseruare;dummodo tamen iste occasionem non sumat vacandi ab officio. Vna tamen hic est notanda exceptio, quod quando restitutio est distributionum, quas canonici, vel beneficiati ex ministerio, vel choro habent, tunc non debet fieri, nisi ipsis canonicis, vel beneficiatis, qui officio interfuerunt, inter quos solent tales redditus distribui: nam quando res habet certum dominum, non debet reddi pauperibus. Idemque dicendum est de redditu canonicatus vltra distributiones; qui sumitur ex communi massa, quæ solet intra canonicos diuidi: denique quãdo redditus sunt ex aliquo communi sumptu, qui solet in plures diuidi magis, vel minus, prout illa massa maior vel minor est, tunc restitutio ipsis etiam beneficiatis, vel canonicis facienda est.

Quartum dictum est: non quotiescumque aliquis mortaliter peccat circa officium soluendum, obligatur ad restitutionem. Verbi gratia, si reciter absque aduertentia, ita vt nolit aduertere, mortaliter peccat, non tamen tenetur restituere. In choro etiam potest ita confabulari cum alijs, & immodestus esse, vt peccet, non tamen tenetur restituere; dummodo tamen non prætermittat officium. Vbi notare oportet circa eos, qui tarde ingrediuntur chorum, & tamen accipiunt distributiones, quòd si isti aliqua rationabili causa id faciunt, idque sæpe, non tenentur: quòd si absque vlla causa id faciũt, vel frequenter faciunt, non excusantur; dummodo tamen sit omissio alicuius partis notabilis officij.

Tertium genus eorum, qui recitare tenentur, sunt monachi, seu religiosi: hi, licèt non sint in maiori constituti ordine, obligantur officio: & quamuis non sit de hoc vllus canon, vt ait Sot. lib. 10. de inst. q. 5. art. 3 communis tamen opinio tenet ipsum obligari propter consuetudinem. Per monachum autem siue religiosum intelligere oportet professum, & eũ, qui est choro deputatus: nouitij enim non tenentur secundum communem opinionem: & conuersi, siue laici, vt vocant, qui sunt ad ministeria corporis deputati, licèt professi sint, non tenentur. huiusmodi sunt Iesuatæ, & illi, qui ex instituto non tenentur ad officium hoc: quamuis Tabi. verb. hora, §. 8. teneat oppositum, probabilius tamen est primum, cùm ad chorum non obligentur.

Quartum genus est Monialium: hæ enim tenentur ad officium secundum omnes, sicut monachi.

Dein-

De circumstantijs circa diuinum officium obseruandis.

CAPVT XIII.

SEx sunt circumstantiæ obseruandæ in diuino officio persoluendo.

Putà, numerus, ordo, qualitas, tempus, locus, modus. In primis numerus debet esse septenarius : singulis enim diebus sunt septem horæ persoluendæ, & vnam absque causa prætermittere, est mortale ; dummodo non sit ex aliqua obliuione. Quòd si aliquo die prætermisit totum officium , vel partem, peccauit quidem, sed non tenetur die sequenti repetere. Inno. c.1. de celebr. Miss. Silu. verb. hora, §. 17. debent autem istæ septē semel in die persolui, non bis, vel ter. Vnde qui in choro canendo, totum, aut partem soluit , non tenetur illud particulariter repetere . Quòd si in choro prætermisit, tunc tenetur. Rursus, qui per Romanum breuiarium recitant officium, non obligantur recitare officium Beatæ Mariæ Virginis , neque septem Psalmos, neque officium mortuorum diebus , quibus solet recitari, nisi in choro, & in die omnium defunctorum, vt constat ex motu proprio Pij Quinti. Ordo harum horarum non est in præcepto , cùm priuatim extra chorum dicuntur: ordinem tamen absque vlla necessitate peruertere, veniale est peccatum Cùm verò acciderit, vt in choro dicantur horæ posteriores, ipse verò non persoluerit priores , bene faciet, si adfuerit choro, & postea priuatim dixerit priores. Similiter erit, cùm ab aliqua persona alicuius momenti inuitatur ad simul persoluendas horas aliquas posteriores, potest quidem licitè cum illo persoluere, & postea dicere priores prætermissas. Similiter ob aliam rationabilem causam occurrentem, vel propter obliuionem.

Qualitas est obseruanda etiam, Pro cuius intelligentia , scito esse multiplex officium. Vltra enim Romanū, sunt in singulis ferè ciuitatibus , seu Episcopatibus propria officia ; & rursus, singulæ religiones habent suos modos recitādi proprios. Adhuc enim officium aliquando est de feria , aliquando de aquo Sancto : dubitare ergo posset aliquis de obligatione horū, an monachi teneātur ad sua officia sub mortali, & an clerici vnius Episcopatus possint recitare Romanū , vel aliud alterius Episcopatus absq; vlla facultate . Et quidem qualitas non

obligat sub mortali. Sylu. verb. hora, §. 1. & 15. Caiet. verb. [illegible] c. 2. Armil. verb. hora, §. 7. immò docent, quòd consuetudo illum obliget sub decentia, non sub peccato. Mihi autem non probatur; crediderim enim, qui tenentur recitare Officium Romanum, & scienter non recitant, iuxta præscriptam formam Ecclesiæ Romanæ, aut particularis Ecclesiæ, mortaliter peccare, loquor quãdo in particulari recitantur horæ: nam de choro non est dubium teneri singulos ad cantandum officium iuxta qualitatem suam; nec licet sine dispensatione suorum superiorum mutare. Vnum tamen notandum est, cùm ex intentione officium mutatum est; vt, qui celebraturus erat de sancto, celebrat de feria, vel è contra, tunc non est opus omnia repetere, sed solùm quod fuit particulare festo, vel feriæ, vt hymnus, Antiphonæ, oratio, trina lectio, si fuit Matutinum, vel oratio in alijs horis. Hoc autem est in officio nouo: nam in veteri totum est proprium, & totum debet repeti. Quando verò aliquis psalmus, vel aliud prætermissum est oblitione, vel alia causa, sufficit repetere tantum illud; securius autem est, vt quisque clericus suo Episcopatui, & monachus suæ regulæ se accommodet.

Circa tempus, dico, quantum ad horas publicas, seruandum esse tempus proprium horarum, seu potius standum esse consuetudini obseruatæ in Ecclesijs circa hoc: & similiter priuilegijs circa Matutinum concessis. Quantum verò ad eos, qui priuate horas recitant, dico, diem cõputari ab occasu diei præcedentis, vsque in mediam noctem sequentis: ita vt, qui hoc toto tempore horas soluerit, non peccet mortaliter; dummodò solum Matutinum dicat post occasum diei antecedentis, & non horas alias, nisi post mediam noctem: quamuis etiam Matutinum possit dicere per totum diem. Verbi gratia, horæ diei Veneris possunt recitari ab occasu diei Iouis, vsq; in mediam noctem Veneris. Qui toto hoc tempore non soluit, peccat mortaliter; qui verò persoluit, licèt omnes dicat nocte Veneris, non peccat mortaliter, sed venialiter grauiter, si sine causa id faciat.

Hoc tamen obseruandum est, quòd, quamuis Matutinum dicere possit statim post occasum Iouis, non tamen dicere potest horas, nisi post mediam noctem, incipiente iam die Veneris. Vt verò horæ dicantur absque omni peccato, sunt obseruanda tempora, nempè vt Matutinum dicatur post occasum, vsque ad principium Solis diei Veneris. Possunt

autem

autem seperari laudes à matutino, vt dicatur noctu matutinum,& iam incipiente die laudes. Prima ante Solis ortum dici potest. Tertia aliquanto post ortum Solis, prope prandium, Nona, Vesperæ etiam, & Completorium post prandium dici possunt, quamuis Completorium aliquando prope noctem.

Aliqua tamen causa rationabili, vel occupatione legitima, potest iste ordo peruerti, & simul possunt recitari, ante, vel post prandium, sed melius est ante prandium ipso mane recitare vsque ad Nonam; & post prandium Vesperæ cum Completorio. Laudabilius etenim est anteponere, quàm postponere: illud namq; magis indicat prouidentiam, hoc verò negligentiam. Tempore quadragesimali, qui priuatim diceret Vesperas post prandium, nequaquam peccaret mortaliter, quēadmodum sentit Silu. ver. hora, §. 10. quod si sine vlla causa fieret, peccatum veniale esset. Omnia autem ista per priuilegium cessant ab obligatione.

Circa locum, dico, Horæ publicæ in Ecclesia dici debent. Priuatæ non habent locum determinatum, possunt in Ecclesia, vel domi, vel in agro, vel in via dici. Laudabilius tamen est vt vnusquisque domi habeat locum aliquem secretum, vel oratorium, in quo dicat officium, vt cum attentione, & reuerentia maiori dicere possit.

Circa modum, obseruare oportet, vt dicat attentè, reuerenter, deuotè. Attendere quidem debet, vt aduertat quæ dicat. Multiplex tamen est aduertentia. Prima circa verba, vt singula proferat debitè; Altera vt intelligat sensum verborum Tertia, vt attendat finem orandi, scilicet, consideret se Deo præsentem, & cum ipso verba facere.

Prima attentio, seu aduertentia est necessaria. Vnde qui, aut verba non profert, aut ex nimia acceleratione malè profert, aut qui cum alio recitans non expectat fines versuum, sed anticipat acceleranter, non implet præceptum. Neque similiter qui cum similibus recitant, neque reprehendunt. cap. dolentes, de celebratione Missarum.

Secunda aduertentia non est necessaria: nam multi non intelligunt in particulari, quæ verba intendunt.

Tertia non est necessaria, sed magnæ vtilitatis, & quam possunt etiam ignari sensus verborum habere. Est autem attentio illa verborum necessaria, aut actualis, aut virtualis. Actualis dicitur, quando actu aduertit: virtualis, cùm incœpit

animo dicendi officium & attendendi, & posteà non mutet animum, quamuis non attendat. Ille mutat animum, qui conuertit se non attendere, & vult adhuc ad alia diuerti. Qui vero sic se non habet, censendus est aduertere. Hinc fit, quod non possit quis dicere officium, & vacare alijs negotijs, quibus attentio aufertur, vt scribere, seu alia legere, & simul recitare; vel etiam attendere officijs, quibus distrahi potest. Potest tamen simul audire missam, & horas persoluere, quia ista ad vnum ordinantur finem. Et præceptum audiendi missam, non est verbis intendere, sed sacrificio adesse, etiam verbis non auditis: vnde etiam præcepto missæ satisfieri potest, & præcepto recitandi horas: quamuis quidam contrarium putent, sed sine ratione probabili. Ecce igitur quid sit attente recitare. Debet etiam reuerenter recitare, quippe qui Deum laudat, & ipsi cultum exhibet, & cum Deo loquitur. Non est autem necessarium horas persoluere, quando priuatim recitantur nudo capite, aut genu flexo; quamuis, si fiat, decenter fieret.

Rursus debet esse deuotio, vt animus noster inflammetur amore Dei, quem laudamus; & ardeat desiderio videndi, quem fide cernentes præconijs extollimus; quamuis si hæc desit absque contemptu, non sit peccatum mortale. Hæc igitur sunt obseruanda in officio persoluendo. Maximè autem curandum est, vt cùm accedimus ad officium, nos præparemus consideratione eius, ad quem laudandum accedimus, & petitione ab ipso, vt dignè laudemus. Cùm autem recedimus, gratias agamus, & veniam pro negligentijs commissis petamus. Est autem vna oratio Leonis Papæ notanda. Concessit enim iste Papa, vt, qui post officium ipsam dixerit, remissionem admissarum negligentiarum, in officio recitando, consequatur. Oratio ista est.

Sacrosanctæ, & individuæ Trinitati crucifixi Iesu Christi Domini nostri humanitati, & beatissimæ, ac gloriosissimæ Virginis Mariæ fœcunditati, & omnium sanctorum vniuersitati, sit sempiternus honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobis quę remissio peccatorum, per infinita sæcula sæculorum. Amen. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni patris filium. Beata vbera, quæ lactauerunt Christum Dominum. Pater noster. Aue Maria. Refert hoc Nauar. c. quando, de conf. d. 1. notab. 19.

De

De causis excusantibus ab officio persoluendo.

CAPVT XIV.

ALiquæ sunt causæ, quæ excusant ab officio persoluendo.

Prima est infirmitas, non quæcumque, sed cùm talis est, vt recitare inferat aliquod notabile damnum. Innoc. cap. 1. de celebr. Miss. vnde, cùm infirmitas leuis est, & commodè absq; damno recitari potest, non excusat. Panorm. ibidem, Quò fit, vt quartana non excuset, saltem illo tempore, quo homo non vexatur febri. Cùm autem homo per infirmitatē excusatur ab officio, non tenetur aliud recitare, nec mente orare, nec alios recitantes audire. Potest aliquando esse, vt talis sit infirmitas, vt nocumentum inferat recitare, non autem celebrare sacrum, & tunc potest celebrari absq; officij recitatione. Similiter cæcus excusatur à recitando, & is, cuius nimis nocet visui recitare, & iste potest dicere sacrum. Isti autem, qui excusantur à recitando, non tenentur alios audire recitantes. Palud. 4. d. 15 art. 2. nec alias orationes dicere.

Altera causa est, occupatio alterius negotij, cui tenetur magis incumbere, puta, cùm quis circa prædicationem publicam, (Vide Sylu. verb. hora. §. 18.) aut lectionem aliquam ita est impeditus, vt non possit satisfacere, si officio horarum vacet. Similiter qui habet curam infirmi alicuius, & non potest vacare officio absque graui damno infirmi, isti non tenentur pro tunc officium dicere, quamuis maxima cura adhibenda est, vt quantum fieri possit, officium, aut pars aliqua persoluatur. Officium enim, cùm sit maximè proprium clerico, non est prætermittendum, nisi graui vrgente necessitate, vt aliud fieri non possit. Similiter, qui ad impediendum populi concertationem, vel aliquos pugnantes, vbi est periculum mortis, currit, & tempus recitandi præterijt, iste potest pro tunc omittere officium.

Tertia causa est, cùm deest breuiarium; nam si aliquis perdidit breuiarium, & est in loco, vbi non potest aliud habere, non tenetur. Quòd si est in loco, vbi sunt breuiaria, sed non habet vnde emat, quia pauper est, non tenetur; tenetur tamen aliquid aliud recitare, vt tenet Fumus, ver. hora. §. maximè si beneficiatus est. Sed ego non credo; quia non tenetur nisi ad officium, cùm ab hoc liberetur, nec est amplius obligatio

Quòd

Quòd si sua culpa perdidit à principio, peccauit tunc, sed postea non peccat in non persoluendo, nisi ipse proiecisset breuiarium, vt se impossibilitaret ad recitandum : tunc peccat quoties non recitauerit, nisi postea pœnituerit.

Quarta causa est, dispensatio Papalis. Potest enim non recitare si Papa dispensat. Sed nota quòd Papa non dispensat absolutè, sed commutat in aliquas orationes alias: & aliqui dicunt quòd non potest dispensare sine commutatione, præsertim quando obligatur ad persoluendum officium ratione beneficij; sed existimo id sine fundamento dictum esse.

Quinta causa est, ex tenuitate beneficij: quando enim beneficium est tenuissimum, vt puta non excedens quantitatem octo ducatorum, tunc non tenetur ad tantum onus, quantum est officium, secus si esset pinguius, quamuis adhuc ad sustentamentum non sufficeret, sed aliqua saltem bona pars sustentationis. ita tenet Soto lib. 10. de iustit. q. 5. art. 3. contrarium tamen tenet gloss. can. clericus, dist. 91. & Syl. verb. hora. 5. 3. tenenda tamen est sententia posterior, quòd tenetur recitare: nullus enim canon excusat eum; & ratione tituli obligatur ad horas persoluendas.

Sexta causa est, quando habet beneficium, tamen non recipit vllos fructus, nec per se, nec per alium, nec per ipsum stat, quò minus recipiat. Vbi nota tres conditiones esse necessarias vt qui habet titulum beneficij excusetur.

Prima est, quòd nullos recipiat fructus: vnde qui recipit saltem distributiones, quamuis non recipiat reditus, tenetur recitare: vnde qui omnes reditus pro pensione reddunt, non excusantur, si beneficij administratio ipsis competat.

Secunda est, quòd nec per se, nec per alium recipiat; vnde qui per alios recipiat, tenetur: ex quo fit vt multi iuuenes teneantur recitare, quorum patres reditus percipiunt.

Tertia est, quòd per ipsos non stet, quò minus recipiant; vnde qui non recipiunt vllos fructus sua culpa, quia non seruiunt, vel quia non accipiunt possessionem, non excusantur ab officio soluendo. Quando verò hæ tres conditiones concurrunt, non tenetur, puta, quando non recipit vllos fructus, nec per ipsum stat, quo minus recipiat, talis non tenetur; nisi tamen speret recipere: nam si hoc est, & sperat certo recepturum fructus etiam illius temporis præsentis, quia certa est iustitia, vt fit, quando ipse est spoliatus, & pars aduersa intrusa, tunc tenetur recitare extunc. Ex his sequitur, quòd qui solum ha-

bet

bet titulum, & ex concessione Papali omnes redditus alteri dantur, simul cum tota beneficij administratione, iste talis non tenetur.

Quid sit Sacramentum.

CAPVT XV.

DE primo Sacerdotis officio hactenus diximus in libro isto, nunc de secundo, putà sacramentorum administratione, disserendum est. Non autem est, vt diximus in libr 1. officium omnibus sacerdotibus cõmune, sed ijs, quorum est aliqua iurisdictio, saltem in foro interiori: quoniam verò alterius à Sacerdote non est ista ministrare, meritò inter officia Sacerdotis hoc etiam computatur. Ab eius igitur descriptione incipiendum est, putà, quid sit sacramentum. Quãuis autem variæ dentur à Doctoribus descriptiones, nobis sic videtur posse faciliùs, & compendiosiùs describi. Sacramentum est *signum sensibile spiritualis animæ sanctificationis, ad cultum veri Dei à Christo Domino institutum.* In qua descriptione sunt quinq; partes maximè considerandæ.

Prima est signum. Vocamus signum, aliquid, quòd, vltra cognitionem sui, ducit nos in alterius cognitionem: hoc est, dum se facit cognoscere, simile etiam aliud reducit in mentem. Sacramentum est huiusmodi: est enim quædam res, quæ vltra sui cognitionem, aliud etiam cognoscere facit. Sunt autem tria genera signorum, primum dicitur rememoratiuum: secundum, demonstratiuum: tertium, prognosticum.

Rememoratiuum est, quod facit nos sua præsentia recordari alterius, vt, cùm aliquis vult non obliuiscì alterius, digitũ filo ligat, filum signum est rememoratiuum eius, quod sibi proponit obseruandum.

Demonstratiuum, est signum, quòd aliquam occultam rem præsentem demonstrat, vt ramus ante tabernam, signum est vini, quod ibi venditur.

Prognosticum, quod futura prænunciat, vt Iris est signum prognosticum futuræ pluuiæ. Sacramentum non tantum est signum vno modo, sed his tribus: est enim rememoratiuum, demonstratiuum, & prognosticum, vt declarabitur. Altera pars est, *sensibile*: Cum enim res quędam sint sensibiles, nempe

quæ

quæ aliquo sensu exteriori percipiuntur: quædam spiritualia, quæ non percipiuntur sensibus, fieri etiam potest, vt sit quid sensibile, & spirituale; sed sacramentum signum est quoddam sensibile, id est, res quædam sensibus subiecta, indicans tamen aliquid occultum.

Tertia pars est, *spiritualis sanctificationis animæ.* In hac declaratur cuius signum sit istud sacramentum, & dicitur esse signum spiritualis sanctificationis animæ, seu potius rei animam sanctificantis. Anima autem sanctificatur per gratiæ, virtutum, & donorum infusionem, seu per gratiam, quam reliqua comitantur. Est igitur sacramentum res quædam sensibilis, quæ indicat animam hominis interiùs per gratiã sanctificari. Cum enim aliquis baptizat, illa verba, *Ego te baptizo*, & illa, lauatio aqua, actus quidam est sensibilis, qui indicat animam hominis interiùs per gratiam sanctificari. Ob id sacramenta dicuntur signa gratiæ, seu signa rei sacræ. Per rem sacram, gratia intelligitur. Dicitur etiam *visibilis forma, inuisibilis gratiæ.* Aduerte tamen, quòd sacramenta non tantùm sint signa gratiæ nos formaliter sanctificantis, seu etiam passionis Domini effectiuè nos sanctificantis, sed similiter futuræ beatitudinis finaliter sanctificantis. Vnde Sacramentum est signum passionis rememoratiuum, gratiæ demonstratiuum, & gloriæ prognosticum, Quod in illa Antiphona sanctissimi Sacramenti exponitur, cui per excellentiam ista appropriantur, quæ tamen omni sacramento conueniunt. *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

Quarta pars est, *ad cultum veri Dei institutum.* Circa hanc declarationem aduerte, quòd Christus Dominus, non solùm fuit noster Redemptor à peccato, & raparator, sed & doctor, & magister instruens, & docens viam, qua regnum cœleste consequamur. Hinc est, quòd non solùm vt Redemptor debuit nobis remedia relinquere, quibus à peccato mundaremur, sed vt doctor, & magister debuit nos instruere, & relinquere modum, & cæremonias sui cultus, quibus Deum veneraremur, & adoraremus. Hæc vtraque complexus est simul in sacramentis: nam sacramenta non solùm sunt medicinæ quædam, & remedia contra peccatum; sed etiam sunt cultus, & cæremoniæ quædam, quibus Christiani & fideles Deum venerantur. Qui ergo hoc sacramentum suscipit, hæc duo simul exer-

cet.

cet. Obid, in descriptione posita est illa pars, *institutum ad cultum veri Dei.*

Quinta pars est, *à Christo Domino*: sciendum est enim, quòd particulæ omnes præcedentes huius descriptionis conueniũt sacramentis legis veteris: Circumcisio enim erat signum sensibile: erant enim signa gratiæ, & in cultum Dei instituta. Sed in hac vltima particula discrimen est à sacramentis legis Euangelicæ: nam illa erant à Deo instituta, est enim Deus etiam saluator, & instructor veritatis, at nostra sunt à Deo per Christum Dominum; Christus enim omnia nostra sacramenta instituit. Ex his tota definitio sacramenti manet exposita. Aliud etiam est discrimen notandum inter sacramenta nostra, & veteris legis, quòd nostra efficiunt gratiam, quam signant: sunt enim instrumenta effectiua gratiæ, at illa antiqua non efficiebant gratiam, sed in illis dabatur gratia ex fide venturi Messiæ. Dicitur sacramentum, quasi quoddam sacrum secretum. Est enim magnum secretum. quòd res sensibilis quędam animam interius purificet. Quamuis autem apud antiquos Latinos, non sumatur in ista significatione, nihil refert: non enim habuerunt rem, sicut nos. Emergentibus autem rebus, nouas licet imponere voces.

De his, quæ in sacramento necessaria sunt.

CAPVT XVI.

QVinque in sacramento conueniunt, materia, forma sacramenti, intentio ministri conferentis, intentio suscipientis, effectus ipsius sacramenti Quatuor priora sunt de necessitate sacramenti, ita vt, vel vno deficiente, sacramentum non sit: vltimum autem, non semper est de necessitate: nam potest verum sacramentum consistere, quamuis non sequatur effectus ipsius, vt paulò post declarabitur. Oportet autem singula hæc declarare in communi: nam post in particulari declaranda sunt.

In sacramento reperiuntur res, & verba Verbi gratia, in Baptismo est aqua, & verba, *Ego te baptizo*. In pœnitentia, res sunt, peccata: verba, *Ego te absoluo*: sic in alijs, res, dicitur materia Sacramenti, verba ipsa, dicuntur forma. Sunt autem ista adeo necessaria, vt, si adhibeatur res sine verbo, vel verbum sine re, nullum sit sacramentum.

Adhuc etiam debet esse minister, qui in omnibus sacramentis est necessarius, licet non in omnibus opus sit distinguia suscipiente. Nam in Eucharistia, Sacerdos se communicat: in Matrimonio coniuges inter se contrahunt. in alijs semper est distinctus: nullus enim se baptizare, confirmare, absolvere, ordinare, aut vngere potest. Est autem in ministro sacramenta conferente necessaria intentio ista, quæ intentio debet esse conferendi ipsum sacramentum, & faciendi quod facit Ecclesia, aut minister Ecclesiæ.

Vnde, qui absque illa intentione faceret, nullum conferret sacramentum; qui verò cum hac intentione fecerit, quamuis credat quæ facit non habere efficaciam, & nihil esse, tamen Sacramentum confert. Vnde tali intentione baptismus aduersus fidelibus collatus valeret. Nec opus est, quòd ista intentio sit actualis: sat enim est, quòd sit virtualis, id est, quòd, dum accedit ad sacramentum conferendum. accedat eo animo, faciendi quod facit Ecclesia, licèt, actu non cogitet quod faciat: immo nec opus est, vt, cùm accedit, dicat actualiter, intendo facere, quod facit Ecclesia, sed, quòd talis intentionis virtute moueatur, scilicet, quòd accedit vt minister Ecclesiæ, ad conferendū, quod est sui muneris.

Vltra etiam hoc, est necessaria intentio suscipientis, cum adultus est. Nam in paruulis Ecclesia supplet intentionem illorum; in adultis autem opus est intentione, adeo vt, si quis vi, aut nolens baptizaretur, non esset baptizatus, aut dormiens, aut amens, dummodò non præcessisset intentio, vt esset saltem virtualis, cùm confertur: ista enim sufficeret. Idem etiam de alijs sacramentis censendum est. Hæc igitur quatuor sunt ad integritatem sacramenti pertinentia, quorum singulis deficientibus, nullum est sacramentum, & reiterari deberet.

Effectus sacramenti duplex est, vnus communis, & generalis omnibus sacramentis. Alter est specialis quibusdam tantùm, non omnibus.

Effectus generalis est, gratia. Omnia enim sacramenta conferunt gratiam debitè accedentibus & suscipientibus, & hoc ex opere operato, id est, ex vi ipsius sacramenti. Vlteriùs, deuotioni cuiusqu;, vltra gradum gratiæ respondentem, datur quidam gradus gratis propter ipsum sacramentum. Attende tamen, quòd duplex est gratia, prima, & secunda.

Prima

Prima est, quæ datur homini, qui erat in peccato, vel non erat Dei amicus.

Gratia secunda est, quæ datur iam existenti in gratia. Nam gratia habita augetur per additionem novi gradus gratiæ, Sacramenta ergo dant gratiam habenti, & sic conferunt gratiã secundam. Dant etiam non habenti, vt pueris ante vsum rationis, & his, qui sunt in peccato quidem, sed cum attritione accedunt putata contritione: hi gratiam primam recipiunt; & hoc est, quod alij dicunt communiter; sacramenta ex attrito faciunt contritum, id est, aliquando homo debet de peccato dolere, qui per se non sufficeret delere peccatum, & tamen accedente sacramento, deletur. Cum gratia intelligas charitem, & alias virtutes, quæ ex ipsa sequuntur.

Effectus particularis est character. Est autem character, potestas quædam spiritualis, quæ indelebiliter imprimitur in animæ potentia rationabili, scilicet intellectu.

Triplex potestas spiritualis datur in sacramentis.

Vna est, ad conferenda & ministranda spiritualia, & hæc potestas in sacramento ordinis datur.

Altera est ad recipienda spiritualia, & sacramenta, & hæc datur in baptismo: est enim baptismus sacramentorum ianua; non baptizato enim nullum prodest sacramentum, nisi post baptismum.

Tertia est, ad fortiter agendum contra Christi inimicos, scilicet mundum, carnem, & dæmonem, vincendasque tentationes eorum, & hæc datur in Confirmatione, per quam homo recipit signum militiæ Christi, & se pro ipso fortiter pugnare obligat. Vnde, cùm triplex sit potestas, est triplex sacramentum characterem imprimens, Ordo, Baptismus, Confirmatio. Est autem ista qualitas, quæ dicitur character, à Deo indebiliter impressa, vt nec per mortem auferatur. Vnde, si quis mortuus resuscitasset, non esset iterũ baptizandus, nec confirmandus, nec ordinandus, si viuus ista receperat: ob id ista sacramenta non possunt iterari. Hæc igitur quinq; sunt in sacramento considerãda.

De numero, & sufficientia sacramentorum.

CAPVT XVII

SEptem esse sacramenta Ecclesiæ, fides docet, ideoque hæresis esset, id negare. Hæc autem sunt, Baptismus, Confir-

matio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium. Quorũ sufficientia sumi potest ex perfectione vitæ corporalis, ad cuius similitudinem procedit vita spiritualis. In vita autem corporali perficitur homo dupliciter primò in se, vt est quædam particularis persona, secundò ordine ad alios, vt est pars reipublicæ. Est enim homo animal.

In se primo omnium perficitur per generationem, qua recipit esse.

Secundò, per augmẽtationem, qua ad debitum terminum quantitatis peruenit.

Tertiò, per nutritionem, qua in robore, & esse suo conseruatur.

Quartò, si in morbum incidit, sanatur per medicinam.

Quintò, post sanitatem acquisitam, reliquias infirmitatis per dietam expellit, & bonum regimen. In ordine ad alios perficitur per dignitatem, qua alijs præficitur, & alios gubernat, & per contractum matrimonium, quo respublica in sua multitudine conseruatur. Ad hanc similitudinem vita spiritualis procedit.

Primò homo nascitur in vita spirituali, qua antè erat priuatus, & hoc fit per baptismum, quo homo nascitur denuo in spiritu.

Secundò, indiget robore gratiæ susceptæ, & hoc fit per Cõfirmationem.

Tertiò, indiget cibo spirituali, quo anima nutritur in gratia & spiritu, & hoc per Eucharistiam, quæ viaticum dicitur.

Quartò, indiget medicina sanante, si quando in peccatum incidat, & hoc fit per pœnitentiam.

Quintò, indiget expellere reliquias aliquas ex peccatis remanentes: non enim homo dolet, sicut debet, ex negligentia sua, & ad hoc indiget extrema vnctione, quæ datur tempore mortis, quia tunc anima omninò debet esse purgata, quippe quæ diuino conspectui est præsentanda. His sacramentis homo perficitur per ordinem, quo homo potestatem habet alijs sacramenta ministrandi. Similiter per matrimonium, quo multitudo hominum conseruatur: ex quorum congregatione Ecclesia consistit. Vnde fit, vt sacramentorum numerus sufficiens sit, & completus. Ex his sacramentis aliqua dicuntur necessaria ad salutem, sine quibus non potest contingere alicui salus. Aliqua non necessaria, quamuis omnia sint in præ-

cepto,

cepto. Baptismus, & Pœnitentia sunt necessaria. Baptismus quidem omnibus, Pœnitentia his, qui mortaliter peccant. Sunt autem sic necessaria, vt nullus secundum legem ordinariam Dei modo possit ingredi cœlum, quin baptizetur; & si post baptismum peccat mortaliter, quin pœniteat, & confiteatur. Attende tamen, quòd non sunt ita necessaria in re, sat est in voto, & proposito, cùm re haberi non possunt. Vnde qui dolet de peccato sufficienter, & cum proposito confitendi, vel voluntate, si posset, consequitur gratiam, & si moritur, saluatur. Idem de Baptismo. Vnde cathecumeni, qui Baptismum in voto habent, si casu moriantur, si dolorem de peccatis habuerũt, salui sunt. Alia Sacramenta, puta, Eucharistia, Confirmatio, Extrema vnctio, sunt quidem in præcepto certis temporibus, & cum haberi possunt, ita vt obligent tunc ad susceptionem, sed non sic, vt sine illis non contingat salus. Ordo, & Matrimonium sunt necessaria in Ecclesia in communi considerata, & sic obligant ad susceptionem; tamen ista necessitas non se extendit ad personas particulares, nisi ratio necessitatis vrgeat vt si tanta esset hominum paucitas, vt aliqui obligarentur ad matrimonium, & aliqui ad ordinem, quod modo non euenit. Superest, vt in particulari de singulis tractemus.

De materia remota, & propinqua Baptismi.

CAPVT XVIII.

PRimum omnium sacramentorum, secundùm ordinem susceptionis, est baptismus, quem Magister sent. in lib, 3. dist. 3. sic definit. Baptismus est ablutio corporis exterius facta, sub præscripta forma verborum. In baptismo, sicut in quouis sacramẽto, quinq; sunt consideranda, materia, forma; minister, suscipiens, effectus.

Materia duplex est, alia remota, altera propinqua. Materia remota est aqua: propinqua est ablutio, quæ fit mediante aqua. Tractemus prius de materia remota. Hæc debet esse aqua elementaris, ideoq; in alio liquore non licet baptizare, nec valet baptismus. Vnde in vino, ceruisia, & lacte, non potest esse baptismus. Similiter nec in liquoribus herbarum, florum, aut arborum, quæ non sunt aquæ elementares. Similiter nec in sudore, sputo, vrina, quæ sunt excrementa, non aqua. Attende tamen, quòd quamuis aqua sic alterata, dum-

modò non sit eius substantia mutata, potest esse materia sacramenti. Vnde in niue, non potest esse baptismus, quia non est habes aliam formam substantialem ab aqua: at verò, quando manet aqua, est materia: vnde nihil refert, an sit calida, vel frigida, pluuialis, vel fluuialis, salsa, qualis est maris, vel dulcis, pura, vel mixta, dummodò non sit mixtio tanta, vt aqua nō sit. Vnde potest esse baptismus in lixiuio, brodio carnium vel piscium, quando non est notabilis mixtio, vt aqua non sit. Potest esse etiam in aqua expressa à luto, si qua exprimatur, licèt sit cum terra, similiter in aqua sulphurea: hæc omnia materia esse possunt, licet non sit adhibenda, nisi in extremo necessitatis tempore. Aqua rursus tempore necessitatis non erit opus sit benedicta, extra casum necessitatis peccat mortaliter, qui in non benedicta baptizat. Immò debet esse chrisma nouum illius anni, nisi necessitas sit, vt habetur c. si quis alio, de consecr. dist, 4. Dices, quare Christus instituit aquam materiam huius sacramenti?

Dico id esse factum propter duo, & propter significationē & propter vsum.

Propter significationem quidem, quia optimè exprimit aqua tres effectus baptismi.

Aqua enim ratione suæ humiditatis ita lauat, vt non relinquat aliquid immunditiæ, reliqui humores non sic: vinum enim relinquit odorem, oleum maculam, lac colorem, aqua nihil. In quo significatur baptismi effectus: totam enim maculam, siue culpam, totam pœnam aufert.

Secundò, aqua ratione frigiditatis tēperat calores & æstus: baptismus temperat carnis concupiscentiā: effrænatior enim est concupiscentia non baptizati, quàm baptizati.

Tertiò, aqua ratione claritatis recipit radios lucis: per baptismum homo fit aptus ad recipiendum alia sacramenta, & gratiam Dei.

Fuit & aqua instituta propter vsum, quia cum hoc sacramentum sit omninò necessitatis, debuit habere materiā communissimam, qualis est aqua, quæ vbique reperitur. Est igitur materia remota, aqua.

Materia propinqua est, ablutio: est enim opus, quòd abluat corpus. Nota tamen, quòd per ablutionem, intelligimus vel immersionem, siue vnam, siue trinam, vel aspersionem, vel effusionem: quocumque modo horum fiat, tenet baptismus. Tamen quisq; debet baptizare, iuxta ritum suæ Ecclesiæ, nisi

aliud

aliud petat necessitas, vel honestas. Necessitas quidem, vt in loco, vbi est trina, vel vna immersio, cum est periculum nocumenti infantis, potest aspergi, vel pauca aqua suffundi. Honestas, vt, si adultus est, non debet immergi, sed sufficit effusio. Attende tamen, quòd debet esse caput, nisi vrgeat necessitas. Cùm enim puer in ventre matris periclitatur, & emisit manum, vel pedem, potest baptizari in illa parte, & hoc est probabilius, licèt aliqui dicant, illum non posse baptizari. S. Tho. 3. p. q. 68. art. 11. tenet quòd potest; tamẽ, si viuit, est denuò sub cõditione baptizandus, licet probabile sit, quòd non oporteat rebaptizari, vt alij sentiunt, quos citat Siluest. ver. bapt. §. 1. Nota etiam, quòd debet esse ablutio, id est: actus ex se ordinatus ad ablutionem. Vnde qui puerum morientem proijcit in puteũ profundum, vt baptizetur, quamuis suffocaretur, quia non potest ab aqua extrahi, iste non baptizat, sed occidit, peccatq; mortaliter, & est irregularis, vt dicit Siluest. loco citato, §. 10. contra aliquos: non enim ille est actus abluendi. Potest autem in illo casu vestem extendere, vt aquam ebibat, & postea expressione baptizare, vel puerum in cistella positum chorda vsque ad aquam dimittere & extrahere. Quòd si hæc non possunt fieri, iudicandum est de hoc, ac si omninò deesset aqua. Nota rursus, quòd aqua debet tangere corpus, vel partem. Vnde in ventre non potest puer baptizari aqua superiecta matri. Nec similiter potest aliquis intra corium inclusus baptizari. Sufficeret, vt dicit Soto, quòd aqua caderet super capillos capitis, licet nõ ita penetraret, vt cutem ipsam attingeret. Hæc igitur est vtraq; materia Baptismi.

De forma Baptismi.

CAPVT XIX.

BAptismi forma sunt verba, quæ simul cum ablutione proferuntur. Hæc autem triplex est.

Vna secundùm Latinam Ecclesiam.

Altera secundùm Græcam.

Tertia, quia vti opus est in baptismo dubio, cùm, putà, aliquid est dubium, an baptizandus aliàs esset baptizatus. Non autem intelligendum, quòd triplex sit formæ substantia: vna enim est, sed varius exprimendi modus.

Græcorum forma est, *Baptizetur seruus Christi*, talis, exprimendo nomen eius, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Latinorum verò forma est, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.* Et baptizandi sub dubio, est: *Si non baptizatus, non te rebaptizo sed si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* Quamuis, credo, sufficeret ista vltima, si non es baptizatus, &c. Est autem in omni forma obseruandum, vt simul sit cum ipsa materia. Nec enim prius verba, quam materia adhibeatur, sunt proferenda, nec etiam post. Vnde, qui post aquæ effusionem verba subiungeret, vel ante proferret, non baptizaret, quamuis non sit necessaria mathematica, vel physica simultas, vt in eodem instanti materia, & forma incipiant, sat est moralis simultas. Vnde licèt post vnam vocem emissam aqua infunderetur, vel ante, non esset inconueniens. Est autem circa has formas aduertendum, quòd non debent vllo modo variari, sed integrè seruari, alias ex negligentia variare, vel consulto, peccatum est graue. Non tamen ob id omnis variatio impedit formã, quo minùs verum faciat baptismum; aliquando enim impedit, aliquando non: pro quo, hoc est generaliter aduertendum, quòd quoties mutatur sensus verborum positorum, tunc non est forma, & consequenter nec baptismus; vt si quis alia quadam sententia, vel ordine vellet baptizare, non est baptismus. In particulari aduertendum est, esse sex mutationum species. Est enim subtractio verborum, additio, variatio, transpositio, corruptio, interruptio, quas singulas explicare oportet. Explicabimus autem in Latina forma, quæ in vsu nostro est, continetur autem his versibus:

Nil formæ demas, nil ponas, nil variabis.
Transmutare cave, corrumpere, verba morari.

In primis, non quælibet subtractio verborum in illa forma aufert baptismum, quamuis vnũ auferre verbum absq; causa, sit peccatum graue, in primis illa duo verba, *Ego, Amen*, nõ sunt de necessitate, quãuis præter mittere peccatum esset, maximè illud, *Ego*: nam, *Amen*, non in omnibus Ecclesijs est vsus: vbi autem vsus est illud proferẽdi, non est prætermittendum. Si præmittatur, non auferrur forma. Pronomen, *Te*, necessarium est ita, vt qui tantum diceret, *baptizo*, non baptizaret. Reliqua verba necessaria sunt, adeò quòd auferre nomen vnius personæ, non esset baptismus. Similiter auferre præpositionẽ, *In*. Aliqui volunt, quòd illud, *&*, sit necessarium, sed non puto

ita

ita esse: nam latinè non auferetur sensus, quamuis subticeatur illa copula. Additio etiam aliquando aufert, aliquando non aufert formā: quando additur aliquid repugnans fidei, quę exprimitur in illis verbis, nō valet: vt si Arrianus diceret: *Baptizo te in nomine Patris maioris, & Filij minoris, & Spiritus sancti*, non baptizaret. Quòd si nihil est contrarium fidei Trinitatis quod apponitur, forma valet, vt si diceret: *Ego indignus minister te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij vnigeniti, & Spiritus sancti ab vtroq; procedentis*, vera est forma: ista tamen nullo modo verbis sacramentorum miscenda, sed purè recitanda sunt. Verborum varietas multiplex est, non tamen omnis impedit. In primis, quantum ad idioma, non impeditur forma, si Hispano, vel Germano, vel Italico, vel quouis idiomate dicatur, dum idem retineatur sensus. Immò melius facerent isti, qui in necessitate baptizant, si natiuo sermone proferrent: cùm enim ignari sint linguæ Latinæ, ridiculas voces emittūt. In baptismo tamen solenni, omnes Latini Latino sermone vti debent. Alia est variatio inter sermonem Latinum: in primis, si loco illius, *Ego*, dicat, *nos*, ratione dignitatis, sicut Episcopi solent loqui, baptismus est. Similiter si, *Te*, mutet in, *vos*, vel in *vestram dominationem*, vel in nomen ipsius baptizandi, valet forma. Similiter, si verbum eadem causa mutet in plurale, *baptizamus*, aut muret in passiuo, *baptizeris à me*, etiam valet; aut si loco illius verbi, *baptizo*, dicat *abluo*, vel *lauo*, vel *immergo*, vel *aqua tergo*, vel quid simile. At si dicat in nominibus Patris, &c. non valet baptismus: nam nomen ibi fidem, veritatem, potestatē, maiestatem, inuocatione significat, quæ vnum sunt in tribus personis. Nec etiam valet; si loco, *nomine*, dicat, *fide*, vel *virtute*, quia plus significat *nomen*: posset quidem dicere, *In nomine Patris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus sancti*. Similiter non valeret, si diceret, *In nomine Trinitatis*, & nō exprimeret personas: vel si diceret, *In nomine Christi*: nam si Apostoli vsi sunt hac forma, id fuit ex peculiari reuelatione Spiritus sancti, ad imprimendum nomen Christi in cordibus fidelium incipientiū; modò non licet absq; tali reuelatione, nec esset baptismus, & hoc puto probabilius. Similiter non valet, si mutentur nomina personarum, & dicatur: *In nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque*. Et hæc est communis sententia, licèt aliqui dicāt valere. In re tamen ita graui securior est sententia communis. Tamen dici posset, *In nomine Patris, Christi, & Spiritus sancti*. Hęc de variatione.

Circa transpositionem notandum est, quòd quoties sensus idem manet, non aufert transpositio verborum formam. Vnde si quis dicat, *In nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti ego te baptizo, Amen*: vel si dicat, *In nomine Patris ego te baptizo, & Filij & Spiritus sancti*: vel si dicat, ordine personarum mutato, *Ego te baptizo in nomine Filij, & Patris, et Spiritus sancti*, dum non inducat errorem inducere contra fidem, baptismus est. Tanta tamen posset esse in aliquibus formis transpositio, vt sensus auferretur, & tunc non valeret.

Circa corruptionem, quæ in pronunciatione consistit, si tanta sit, vt penitus verborum significatio eadem non appareat secundum communem intelligendi modum, non erit forma, at si non sit tanta, siue ex ignorantia, siue ex malitia fuciat, dummodo seruetur debita intentio, non obid forma perit. Vnde approbatur illa forma dicta à quodam ignorante, *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia, & Spiritua sancta*. Ita approbauit Zacharias Papa, capit. retulerunt, de consecrat. d. 4. Hinc fit, vt cum in forma non sit integra pronunciatio, non obid sit repetenda, vt si loco M profertur N. vel subticeatur littera, dicendo, *Ego te absoluo*, vel *assoluo te*, vel quid simile, pro, *Ego te absoluo*.

Circa interruptionem etiam notandum est, quòd cùm est tanta mora interposita, vt iam sit notabilis, est repetenda ex integro forma; at si quis spuendi gratia non continuauit formam, non est opus repetere. Hæc omnia, quæ dicimus de forma baptismi, etiã de alijs sacramentorum formis sunt intelligenda, & etiam de Græcorum forma. Valeret enim, si diceret, *Ego te baptizo seruum Christi*, vel etiam *Christus baptizat hunc seruũ suum*: nam Græci ita intelligunt, cùm dicunt, *baptizetur seruus Christi*, scilicet, à Christo: similiter in alijs, quæ diximus; maximè enim seruãdus est sensus. Vnum tamen hic notandum est, quòd si quis Latinus baptizaret in forma Græca, verè baptizaret, & hoc est probabilius, licèt alij id negent, tamen peccaret, non seruans morem, & præceptum suæ Ecclesiæ. Est etiam obseruandum, quòd in forma Latina plura exprimantur, quam in forma Græca: nam in forma Latina exprimitur causa principalis baptismi, S. Trinitas, & similiter eadem inuocatur. Exprimitur suscipiens baptismũ, & minister, & actus ipse baptismi. At Græci ministrum subticent, forsan ad tollendum eorum errorem, qui putabant ministrum esse causam principalẽ quos repræhendit Paulus. Dicebant enim: Ego sum Pauli,

go sum Apollo. Præterea Latinus vtitur indicatiuo, ad exprimendam præsentialitatem effectus, Græci, deprecatiuo, ad significandum, quod à Deo est communicanda gratia. Rursus, Latinus vtitur secunda persona, quia aures spirituales considerat in baptizato; at Græcus tertia persona, vtens illorum baptizatorum nomine, quia non semper corporaliter audiunt: Græci tamen, si intentionem debitam habeant, verè in sua baptizant forma.

De ministrante baptismum.

CAPVT XX.

VLtra materiam, & formam sacramenti, necessarius est minister conferens. Hic autem non potest esse vnus respectu suijpsius minister, quia tunc veritas formæ non consisteret: non enim verum esset dicere, *Ego te baptizo*. Est autem duplex minister, vnus necessitatis, alter ex officio. Minister ex officio tantùm est Sacerdos, & non omnis, sed Curatus, seu Parochus; adeoque peccaret, qui extra necessitatem baptizaret, nisi Parochus esset: & si laicus esset, fieret irregularis, vt habetur cap. 1. de clerico non ordinato ministrante: hæc tamen irregularitas est intelligenda, si solenniter baptizet. Vnde non bene Siluester verbo, baptismus, 3. §. 1. vniuersaliter est loquutus. Minister necessitatis adhuc duplex est, vnus secundùm legem ordinariam Dei.

Alter est secundum supernaturalem Dei ordinationem. Hic posterior est Angelus, aut anima extra corpus, qui ex diuina voluntate possunt baptizare, non tamen secundùm communem Dei legem. Vnde, nisi constet esse bonum Angelum, vel animam sanctam, non est baptismus censendus; secus si boni sint: tunc enim voluntate diuina fecisse credendum est. Minister verò secundum communem Dei legem, est homo cuiusque sexus, siue vir, siue fœmina, siue hermaphroditus; cuiusque ætatis, siue puer, habens tamen vsum rationis, siue iuuenis, siue senex; cuiusque status, siue laicus, siue ecclesiasticus; cuiuscumque conditionis, siue seruus, siue liber; cuiuscumque vitæ, siue Iudæus, siue Paganus, siue alius quiuis infidelis; cuiuscumque moris, siue peccator, siue non; siue præcisus ab Ecclesia, siue non: omnes isti possunt baptizare. Tamen in

omnibus est necessaria intentio debita faciendi id, quod fit Ecclesia, vti diximus. Vnde, licet infidelis non crederet se quam boni facere, & cum irrisione faceret, si tamen ad pertinem baptizandi baptizaret, intendens facere id, quod facit Ecclesia Christiana, vel vt ille perit, verè baptizaret. Quamvis autem isti omnes possint in necessitate baptizare, & non peccent, licet in peccato sint, sicut peccat, qui solenniter, in peccato existens, Sacramentum ministrat, tamen vnusquisque inferior debet cedere in præsentia superioris; vt cum adest vir, non debet baptizare fœmina; cum Ecclesiasticus, non debet laicus, & sic consequenter; licèt non esset mortale oppositum facere: immò aliquo casu, potius à laico, quàm à Parocho, etiam baptismus esset suscipiendus, putà, si Parochus nollet baptizare, nisi accepta pecunia in pretium, quod Simoniacè, tunc, si paruulus est baptizandus, baptizetur potius ab ipso ferente illum ad baptismum. Quòd si adultus est, petat ab alio etiam infideli: & si nullus abest, & periculum mortis instet, tunc potiùs debet mori cum baptismo in voto: in hoc enim saluatur. Et hæc est communis sententia. Licebit tamen aquã puram emere ad baptizandum, quia non est emptio rei sacræ. Hoc autem est obseruandum in ministro, vt vnus sit; plures enim baptizare non possunt. Vnde si essent, vnus mutus, qui non posset verba proferre, alter manibus carens, qui non posset aquam infundere, si vterque conueniret, & vnus vnum, alter aliud præstaret, non esset baptismus. & hæc est communis sententia, licèt oppositum aliqui velint, sed non est opinio conueniens: nam verba notant exercitium actus ab ipso ministrante, etiam in forma Græca. Nec etiam est baptismus, cum multi baptizant, & singuli dicunt, nos te baptizamus, ita quòd illud pronomen faciat sensum copulatum, seu completum, quasi singuli alios in baptismi consortio significent, tunc non esset baptismus, vt communior opinio tenet, licet aliqui teneant oppositum. At si multi baptizent, singuli dicentes, *ego te baptizo*, vel, *nos te baptizamus*, per illud plurale intendentes singulare, tunc esset baptismus. Si enim vnus præcederet, iste baptizaret, illi non, sed essent rebaptizatores: si verò omnes simul, tunc omnes, & singuli baptizarent, sicut multi consecrant hostiam. Quòd posset accidere, si forsan duo aliqui de præbenda contendentes baptizare conarentur. Hæc sunt circa ministrum notanda.

Sed vnum esse dubium hic poterat, an baptismus collatus

malo ministro si ita efficax, sicut collatus à bono. Et dico, quòd quantum ad effectum per se ipsius baptismi, qui datur ex opere operato, æqualis est valoris vterque baptismus; tamen ex parte illius, qui dans sua deuotione, & petitione impetrat à Deo, maioris efficaciæ est baptismus collatus à bono. Amicus enim Dei & seruus impetrat ea, quæ inimicus & peccator impetrare non potest pro alijs. Aliud dubium de eo, qui putat se baptizare fœminam, & baptizat masculum, aut putat baptizare Petrum, & baptizat Ioannem, dico quòd error personæ, vel sexus, non impedit baptismum, dummodò minister baptizare intendat; nisi exprimeretur in intentione, quòd non vult baptizare, si est alius, quam putat. Sed hoc nullus facit.

De suscipiente Baptismum.

CAPVT XXI.

POst Euangelij promulgationem per Apostolos factam, præceptum diuinum generale est, omnes ad baptismum suscipiendum obligans, sine quo in re, vel in voto suscepto, nullus de lege ordinaria saluatur, iuxta illud Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.*

Sub hac autem generalitate, primò comprehendimus existentes in originali peccato, siue etiam existentes in actuali, etiam sanctificatos in vtero matris, si qui modò essent: tales enim tenerentur modò sub præcepto recipere, vt haberent characterem, & vt Christo Domino in passione, quod per baptismum fit, conformarentur, quamuis hi si, ante baptismum decederent, salui essent ratione gratiæ sanctificantis.

Secundò, comprehendimus etiam paruulos, & adultos: paruulis enim baptismus conferri potest, & collatus consequitur suum effectum, vt definitur in cap. maioris, de baptismo: si enim his conferri non posset, esset illa ætas absque remedio, quod vanum est dicere. Hoc circa paruulos est aduertendum, quòd secundum communem sententiam, & probabiliorem, si filij sint infidelium, qui sui iuris sunt, & non serui, non debent inuitis parentibus baptizari, quia iure naturæ sunt ipsorum parentum: quòd si baptizarentur inuitis parentibus, tenet baptismus; tamen non sunt ab illorum cura subtrahendi,

donec

donec illucescat vsus rationis. Quin etiam ipsis inuitis possent baptizari, si vellent filij. Etiam adhuc circa paruulos aduertendum, quòd cùm expositi inueniuntur, vt in nemore, & rationabilis causa dubitādi, an baptizati fuerint, puta, quia fuerscripto inueniuntur, & nimis recentes sunt, sub dubio sunt baptizandi. Idem quoque censendum est, de eo etiam adulto, qui natus est inter exteras nationes, & nescitur, an baptizatus fuerit. Aduerte etiam circa paruulos, quòd cum eis computantur adulti, qui numq̄ vsum rationis habuerunt, sed in natiua sunt amentia: hi enim, vt pueri, baptizari possunt, etiam repugnantes; secus, si habuerunt vsum rationis, siue iudicium, vel patiuntur lucida interualla. Non enim baptizandi sunt in amentia, etiam vrgente necessitate, nisi in tempore vsus rationis habuerunt voluntatem baptismi: tunc enim, ratione huius intentionis vitualis, possunt baptizari, & eodem modo dormientes.

Tertiò, vt ad adultos redeamus, notandum est, quòd triplex est necessaria dispositio in adultis ad baptismum, intentio suscipiendi baptismum, fides, dolor de peccatis commissis. Hæc autem non eodem modo sunt necessaria. Intentio namque ita est necessaria, vt si desit actualis, vel virtualis, non sit baptismus. Vnde fit, vt qui renuens, & inuitus baptizatur, non sit verè baptizatus; si tamen interius consensit, quamuis metu, & vi, tunc baptizatus est, & recipit characterem, sed non gratiam: cogenduſque est, vt maneat in fide Christiana, vt habetur cap. maiores, de baptismo. Fides quidē est necessaria, sed tamen ad recipiendam baptismi gratiam, non ad characterem. Vnde si accederet aliquis cum intentione suscipiendi baptismum, tamen non credens vni articulo, vel pluribus articulis fidei, recipit characterem, non tamen gratiam, donec deponat errorem, & disponatur. Dolor etiam hoc modo necessarius est ad gratiam, non ad characterem. Vnde, si aliquis cum voluntate actuali peccandi accederet, cum debita tamen intentione, reciperet characterem, sed non gratiam, donec confiteretur de tali peccato, & fictione, in qua recipit baptismum: sicut etiam ille, qui cum errore accedit. Isti enim dicuntur accedere fictè, & ponere obicem: at ablato obice, baptismus consequitur suum effectum, & dat gratiam, & remissionem omnium peccatorum antecedentium baptismum, quoad culpam, & totam pœnam. Verum est, quòd si ministro constaret horum fictio, nullo modo ad baptismum eos admitte-

re de-

re deberet. Tamen cõsiderare oportet, quòd qui fictè accedũt, & posteà confessione remouent fictionem, non dicuntur peccata ante baptismum commissa confiteri: non enim est confessio facienda vlla de illis peccatis, nec vlla imponenda est pœnitentia, sed cum sola attritione, accedente baptismo totaliter delentur; quamuis, si erant peccata obnoxia restitutioni, non liberentur à restitutione.

Quartò notandum est, quòd posset accidere, vt aliquod monstrum nasceretur viuum, duplicatis partibus humanis, vt cum dùplici capite, & pectore: & tunc obseruandum est, an probabile videatur esse duos, tunc vnus illorum absolutè, alter sub conditione baptizandus est. Quòd si vnum hominem esse appareat, semel est baptizandus. Quia verò non omninò certum est, illos esse duos, ob id, non simul baptizandi, sed modo prædicto. In alijs verò necessitatibus, vt cùm est multitudo nimia baptizandorum, vt fuit in primitiua Ecclesia, & modò est in India, possent simul plures baptizari aspersione: & tunc forma est, *Ego vos baptizo*: sed non debent tot simul esse, vt periculum sit, ne omnes abluantur, & attingantur aqua.

Quintò etiam circa adultos est notandum, quòd non statim ad baptismum sint admittendi, cùm ipsum petunt, si ex infidelitate veniunt, sed sunt per aliquot menses inter Catechumenos detinendi, vt in fide instruantur, & vt eorum constantia probetur, & propter reuerentiam Sacramenti. Hoc autem ob duas causas impediri potest.

Prima est, cùm iam qui petit est in fide instructus, & probatus.

Altera est, cùm necessitas vrget infirmitatis, vel obsidionis, vel naufragij, vel alicuius similis: tunc enim vtcumque fide exposita, cùm ille assentiat, est baptizandus: illi verò, qui detinentur expectantes baptismum, si interim obeant absque baptismo cum contritione, & voto baptismi, saluantur.

De

De effectibus, & speciebus Baptismi.

CAPVT XXII.

MVlti sunt Baptismi effectus. Inter alios, hi sunt principui.

Primus est gratia, qua remittitur peccatum originale, etiam actuale in adultis.

Secundus est, totius pœnæ pro peccatis debitæ remissio, adeoq;, si debitè accedat baptismo, consequitur totius pœnæ indulgentiam, vt si statim moreretur, quamquam plenus esset peccatis, volaret ad cælum.

Tertius, character, quo habet potestatem recipiendi alia Sacramenta, quæ sine baptismo præcedenti confer non possunt.

Quartus, ablatio irregularitatis: aufert enim baptismus omnes irregularitates ante baptismum contractas, præter bigamiam, vt alias diximus; non tamen aufert obligationem erga aliam personam. Vnde qui debebat alteri, nõ absolutur propter baptismum à debito: qui erat reus mortis pro aliquo crimine, non liberatur à morte per baptismum; licet soleant iudices similibus parcere, si pars est satisfacta. Ista omnia, quæ hactenùs diximus, de aquæ baptismo intelliguntur. Sunt enim alij duo baptismi, baptismus sanguinis, qui est martyrium, de quo Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur.* Et est baptismus flaminis, qui est cõtritio de peccatis.

Differunt autem isti tres baptismi dupliciter.

Primò ex parte suscipientis: nam flaminis, est adultorum: illi enim soli possunt conteri de proprio peccato: alij duo etiam sunt communes paruulis. Vnde si paruuli occidantur ab aliquo in odium Christianorum, quia filij Christianorũ sunt, licet aqua non sint baptizati, saluantur. Et rursus, cùm mulier prægnans subit martyrium, & infans in vtero saluatur, & fit martyr, vt tenet Sylu. baptis. 1. §. 2. cùm Palud.

Secundò, differunt ex parte effectus. Baptismus enim aquæ imprimit characterem, quem nullus alius baptismus imprimit, quamuis martyrium det aureolam, quæ gloria quædam accidentalis est. Præterea baptismus aquæ, & sanguinis peccatum cum tota pœna remittunt: at flaminis, nõ nisi iuxta quan-

titatem doloris & contritionis pœnam remittit; culpam autem aufert, cum sufficiens est dolor, vt contritio sit: de qua postea dicemus in materia de pœnitentia.

De solennitatibus Baptismi.

CAPVT XXIII.

QVæ hactenus diximus, sunt ea, quæ ad necessitatem baptismi pertinent: vbi enim baptismus est, ibi necessariò forma, materia, minister, suscipiens, & effectus, saltem ad characterem suscipiendum, sunt. At verò quædam solennitates sunt in baptismo, quæ quamuis ad ipsius essentiam non pertineant, attamen obseruandæ sunt, adeo quòd, si aliquis est baptizatus propter necessitatem absque illis, si baptizatus vixerit, sunt tales solennitates adhibendæ, quamuis baptismus non sit repetendus. Quòd si necessitas baptismi non vrgeat, nullus baptizare debet absque illis: sunt enim ab Ecclesia institutæ propter reuerentiam Sacramenti, ne ita aridus & nudus ad tantum Sacramentum fieret accessus. Similiter ad excitandam fidelium deuotionem: maximè enim istæ solennitates animos ad deuotionem accendunt in Deum. Similiter propter eruditionem; quia maximè istis signis sensibilibus homines etiam ignorantes eruditur, & eorum significationes facilius percipiunt. Similiter etiam propter vtilitatem; quia istæ solennitates, non carent magna virtute & efficacia erga animos, veluti dicemus.

Istæ solennitates diuiduntur in duas partes, quædam antecedunt baptismum, quædam ipsum sequuntur.

Quæ antecedunt sunt tres, Catechismus, Exorcismus, Vnctio olei sancti.

Per Catechismum instruitur baptizandus circa fidem, quã profiteri debet: hoc enim significat vocabulum. Est enim Catechismus instructio credendorum. Nec obstat, quòd baptizandus sit paruulus; nam sufficit, quòd per susceptores suos recipiat instructionem.

Altera dispositio est Exorcismus, quæ est abiuratio, & increpatio quædam maligni spiritus: arcetur enim, & expellitur potestas dæmonis, impediens salutem spiritualem baptizandi in quo sunt tres cæremoniæ.

Prima

Prima est exsufflatio, qua expulsio dæmonis significatur, cum manus impositione, & signo crucis, ad præcludendam viam dæmoni, ne regrediatur.

Secunda, salis, in ore immissio, ad dænotandam sapientiam, qua opera Christiana debent esse condita.

Tertia est saliua, digito, auribus, & naribus apposita, ad denotandam apertionem sensuum spiritualium. Exorcizare & Exorcistæ, sicut catechizare, est Lectoris; quāuis modò eorum faciat Sacerdos, qui baptizat.

Tertia dispositio est, Vnctio olei sancti, quæ ad Exorcismū potest referri, quo oleo fit crux in scapulis, & pectore, ad significandum subiectionem diuinæ legi, & quòd subiectio debet esse ex amore. Fit oleo, ad denotandum, quòd debet pugnare pro fide susceptā; pugiles enim oleo inungebantur. Multæ particularitates in his interueniunt, quas prætermitto, quia facilè est cuilibet videre in ipso libro, vbi cæremoniæ istæ exercendæ traduntur.

Post baptismum sunt tres cæremoniæ.

Prima est, signatio sincipitis chrismate, quod significat duo, & ius ad gloriam futuram, & præparationem cuiusque Christiani ad reddendum rationem de ea, quæ in ipso est, fide. Est etiam vestis candida, quæ significat statum innocentiæ baptizati; & candela accensa in manu, significans lucentem fidem per opera, iuxta illud, *Sic luceat lux vestra coram, &c.*

Præter has, alia est solennitas. Debent enim esse susceptores, siue patrini, qui leuent baptizandum in sacro fonte, qui etiam sunt in catechismo: hi tamen ex Concil. Trid. de reformat. sess. 24. cap. 2. non debent esse nisi vnus, siue vir, siue mulier, vel ad summum vnus, & vna, in quo etiam constituit. Quod si alij vltra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. Et attende, quòd hi duo non possunt esse, nisi sit alter masculus, & altera fœmina: hi autem non debent esse monachi, nec religiosi, nec non baptizati: nec pater, nec mater baptizandi, quamuis ad catechismum sufficerent tantum catechizati. Isti tenentur baptizatum circa fidem, & mores instruere, quamuis non sit tanta obligatio modo, cùm parentes iam Christiani sunt. Hæc erant cùm non ita solebant esse. Esset autem modò, si non essent tales parentes, vel esset aliquis defectus, vel negligentia in eis.

Vnum

Vnum tamen hic est aduertendum, quod inter istos susceptores, & baptizantem, & baptizatum contrahitur affinitas quædam impediens matrimonium. Est triplex in hoc affinitas.

Prima est paternitas inter susceptores, & baptizatum, & inter hunc, & baptizantem.

Secunda est compaternitas inter susceptores, & patrem, & matrem baptizati; & inter baptizantem etiam cum matre & patre, licet non cum susceptoribus: & hoc non etiam seruatur post Concilium Tridentinum, Est tertia fraternitas inter filios, & filias susceptoris, & baptizatum, sed hæc fraternitas nunc ablata est per Concilium Tridentinum, eadem sess. & c. supradicto. Ista affinitas est tanta, vt impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum, quando in baptismo. Quod si est in solo catechismo, in quo non sequitur baptismus, quia, verbi gratia, fuit impeditus, vel ante factum, tunc contrahitur etiam affinitas, sed non vt dirimat contractum matrimonium, sed vt sit aliquod peccatum contrahere. Cùm autem susceptor est non baptizatus, non contrahitur ista affinitas, licèt contrahitur, quando baptizatur. De his tamen impedimentis latiùs dicendum est in materia de matrimonio. Atque ista de baptismo sufficiunt.

De Confirmatione.

CAPVT XXIV.

CONfirmatio secundum est Sacramentum post baptismum, adeò quod alia Sacramenta, maximè Sacramentum ordinis, non liceat isto non præcedente suscipere. Quamuis, si conferatur ordo, teneat: non est enim sicut baptismus, qui nisi præcedat; prohibet ordinem, & alia Sacramenta, vt collata non teneant. Ea omnia, quæ in baptismo indagauimus, in Sacramento hoc oportet etiam indagare.

Primum est, materia: hæc autem est chrisma, nō quodcumque, sed consecratum ab Episcopo consecrato, & non tantùm electo: adeò quod, nisi talis sit consecratio, non censeatur materia Sacramenti. Chrisma autem est vnguentum ex oleo oliuarum, & balsamo confectum. Est autem opus, vt sit nouum, illius anni, ideſt, consecratum eodem anno, alias sine necessitate cōfirmare chrismate precedentis anni, peccatum est cōtra

præceptum canonicum, cap. si quis de alio, de consecrat. dist. 4. Quamuis teneret Confirmatio. Chrisma enim præcedentis anni comburi debet, cùm nouum consecratur. Solet esse quæstionis controuersia, an balsamum sit necessarium, ita vt, qui solo oleo confirmaret, verè confirmaret. Omnes conueniunt esse necessarium necessitate præcepti, adeò quòd peccaret mortaliter, qui omitteret. An tamen sit necessarium necessitate Sacramenti, communis opinio tenet quòd sic. Caie. 3. par. in materia de Confirmatione, tenet oppositum, & Soto cum cum alijs sequitur. Et videtur huic fauere c. pastoralis, de Sacramentis non iterandis, vbi quidam confirmauit solo oleo, absque balsamo, & consultus Papa Innocentius III. dixit, quod nihil iterandum erat, sed caute supplendum, quod incaute fuerat omissum. Si igitur non erat iterandum, ergo fuit ille verè confirmatus. Et quamuis opinio ista probabilis sit, tamen secura tenenda est opposita: nam Concilium Florentinum, cum dixisset, materiam esse necessariam ad Sacramenta, pro Confirmatione ponit, chrisma ex oleo, & balsamo confectum: & ad ca. pastoralis, dici potest, quod tunc nō fuit Sacramentum, tamen, cùm appositus fuit balsamus, perfectum fuit, quod ante imperfectum erat. Vnctio autem absque dubio est necessaria necessitate Sacramenti, licet Apostoli, ex diuina dispensatione, sola manuum impositione confirmabant. Huius Sacramenti forma est ista: *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.* Quæ forma patitur illas mutationes, & eo modo, sicut diximus in forma baptismi. Minister est Episcopus, ex Concilio Florentin. & Trid. sess. 7. adeò quòd alius non posset conferre quamuis ex Papali dispensatione etiam Sacerdos possit, sed non alius. Et sic dispensauit Gregor. dist. 95. can. peruenit. Debet autem Episcopus eos tantùm, qui suę diœcesis sunt, confirmare, non alios; quamuis, si confirmet, factum teneat. Vnde nec Archiepiscopus debet suorum suffraganeorum subditos, quamuis eos visitet, confirmare, 16. quæst. 1. cap. interdicimus. Suscipiens istud Sacramentum, est masculus, vel fœmina, cuiusque ætatis; quamuis ex consuetudine sit non minoris ætatis septem annorum: saltem habeat vsum rationis. Debet tamen necessariò esse baptizatus, alias non tenet confirmatio. Debet etiam esse ieiunus, &, quando præcesserit peccatum mortale, confessus. Sed ista sunt secundum decentiam, non tamen sunt de necessitate: cùm enim peccauerit, sufficit contri-

tio

tio cum proposito confitendi, licet non confiteatur tunc. Effectus sunt tres.

Primus est character, quo insignitur tanquam miles Christi, vt aduersus inimici tentationes sit constans pro Christo: ob id insignitur, seu vngitur in fronte, vt denotetur, quod non debet erubescere Christi crucem, & militiam, sed coram toto mundo, si opus erit, confiteri. Solet autem linteo ligari caput, donec exsiccetur chrisma. Impingitur etiam ei alapa, tum, vt recordetur susceptí Sacramenti, quod iterari non potest; tum, vt statim induatur Christi vestibus, quæ sunt alapæ, & iniuriæ: tum etiam, vt eius fortitudo probetur: nam miles Christi statim constituitur. AEquum ergo est, vt experimentum aliquod fiat, an pro Christo sustineat pati.

Secundus est gratia, quæ ad hanc fortitudinem datur.

Tertius est affinitas, quæ oritur inter ipsum, & patrinum: qui vnus, vel duo esse possunt, sicut in baptismo. Non licet vt sit ille idem, qui fuit in baptismo, nisi ex necessitate aliqua. Debet autem patrinus esse confirmatus, aliàs non esset affinitas. Possunt autem omnes esse patrini, non tamen vir vxoris, nec contrà, nec fratres, vel sorores inter se. Confirmatio omni tempore etiam interdicto conferri potest, & in omni loco honesto, licet non sit ecclesia: quamuis conuenientius in ecclesia detur. Hoc autem sacramentum non est necessarium necessitate salutis: potest enim homo saluari absque confirmatione: tamen ipsam ex contemptu relinquere, peccatum est. Esset autem contemptus secundum aliquos, cùm tempore confirmationis apto occurrente, & commoditate oblata susciendi, non susciperetur, maximè si probabilitas adsit non futuræ commoditatis.

De Eucharistiæ materia.

CAPVT XXV.

EA, quæ in alijs sacramentis inquirenda proposuimus, in hoc etiam sanctissimo sacramento prosequi debemus.

Primo autem notare oportet, quamuis in eo duplex materia, & duplex forma appareat, vnicũ tamen censeri debet sacramentum, tum ob vnitatem contenti sub illis speciebus, qui

vnicus est Christus, tum ob vnitatem effectus, vna enim gratia communicatur: tum ob vnitatem finis: vnionem enim Ecclesiæ per vnitatem significat. Est igitur materia huius sacramenti, panis, & vinum.

Vt igitur à pane incipiamus, primò debet esse panis ex frumento confectus, hinc fit, quòd nullus panis ex leguminibus possit esse materia huius sacramenti. Legumina vocantur, quæ non producuntur cum spica, vt fabæ, castaneæ, cicera, amygdala, & reliqua. Rursus nec ex quolibet grano spica producto potest esse materia, nisi sit frumentum, aut species frumenti: vnde ex hordeo, spelta, lolio, milio, auena, & similibus non est materia: potest tamen ex adoreo esse, quod est frumentum habens grandia grana, & alba. Similiter ex siligine, quæ est frumentum selectum ex farro: ex amylo verò esse non potest. Debet igitur esse panis ex frumento.

Secundò, debet esse coctus: vnde massa cruda non potest esse materia.

Tertiò, debet ex aqua elementari esse confectus: vnde, si massa ex vino, aut lacte, aut alio liquore conficiatur, non est materia.

Quartò, debet esse purus, seu immixtus, id est, ex frumento solo, & aqua sola, absque mixtione alicuius liquoris, & alterius humidi. Absque mixtione etiam alterius speciei à frumento. Hoc autem intelligendum est, de notabili mixtione: nihil enim obstat, quòd cum frumento aliquot grana alterius speciei, & cum aqua aliquid alterius liquoris fuerit commixtum.

Quintò, debet esse azimus panis. id est absque fermento, in Ecclesia Latina: in Græca verò cum fermentato, adeo quod peccaret mortaliter Latinus consecrans in fermẽtato, & Græcus consecrans in azimo, quia quisque consuetudinem suæ Ecclesiæ tenetur obseruare; tamen consecratio valida esset.

Sextò, debet esse non corruptus: si enim panis corruptus sit, vt speciem suam mutauerit, nullo modo materia esse potest. Hæc igitur est vna materiæ pars.

Altera est, vinum, ex quo debet confici sanguis Christi, sicut ex pane corpus. Vinum autem debet esse ex vuis. Nullum aliud, scilicet, ex pomis moris, vel radicibus, vel ex alijs quibuscumque potest esse materia.

Rursus, neque potest esse agresta, neque acetum, quia ista non sunt vinum. Potest tamen mustum esse materia, quamuis

recenter esset ex aliquo racemo expressum: hoc etenim vinum est.

Rursus, siue vinum sit album, siue rubrum, potest esse materia. Aliæ species potus esse materia non possunt, vt ceruisia, lac, & alia similia. Cùm vino est quantitas parua aquæ adhibenda, quæ simul est materia, siue conuersa sit in vinum, siue non. Peccaret mortaliter, qui scienter non apponeret aquam, & tamen consecratio valida est cum solo vino. Vtraque ista materia, cùm consecratur, debet esse præsens Sacerdoti. Vnde non posset Sacerdos existens in classe consecrare vinum, quod est domi, vel in foro; quia forma sunt verba demonstratiua: neque potest demonstrari commodè, nisi quod est præsens, licèt non sit opus, quòd sit materia coniuncta, sat est quòd sit in aliqua distantia, quæ moraliter præsentia dicitur.

Rursus hæc vtraq; materia, nequaquam habet certam quantitatem, nisi ratione præsentiæ: posset enim consecrare Sacerdos multos cophinos panis, & vini dolium, si præsentia ista haberet, sicut etiam minimam vtriusque quantitatem. Sed absque ratione, & fine cõuenienti, immodicam quantitatem consecrare, graue esset sacrilegium.

Debet rursus materia vtraque esse certa, seu determinata: fit autem certa ex intentione cõsecrantis: cõsecrat enim quod intendit. Vnde, si extra calicem manent guttæ vini, sicut etiã in altari micæ panis, quamuis præsentia sint, non consecrantur, quia intentio Sacerdotis non tendit ad illa. Quod si aliquis haberet viginti hostias, & intenderet decem consecrare, non determinando illas inter alias, nulla esset cõsecrata, quia non est materia determinata. Notare tamen oportet, quòd quando aliquis consecrat hostias, putans se consecrare tot, & tamen sunt plures, vel pauciores, verè omnes consecrat, quia intentio est consecrandi quod ibi presens est, & ad consecrandum posuit.

De forma corporis, & sanguinis.

CAPVT XXVI.

FOrma consecrandi panis est ista: ***Hoc est enim corpus meum.*** Illa dictio, *Enim*, non est necessaria necessitate sacramenti: peccaret tamen, qui scienter omitteret. Vt autem dixi-

mus in materia de baptismo, non debet forma mutari, quamuis non omnis mutatio auferat sacramentum. Vnde si sacramentum esset, licet aliquis diceret, *Istud est corpus meum*: vel alio simili modo, in quo sensus non mutatur Forma sanguinis hæc est; *Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis, effundetur in remissionem peccatorum.* Omnia ista verba sunt de præcepto, quamuis non etiam omnia de necessitate sacramenti; Ista vero sunt de necessitate sacramenti, *Hic est calix sanguinis mei*, immò non solũ isto modo prolata, sed etiam alio, putà, *Hic est sanguis meus vel hoc poculum*, aut *vas sanguinis mei*. Græci autem hac vtuntur forma: *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* At, quia Latina forma nobis est seruanda, oportet sensum explicemus. Dicit, *Hic est calix sanguinis mei*: In quibus verbis est sensus pertingram, id est, in hoc calice, sanguis meus est; vel etiam potest de sensus, vt calix pro potu ipso sumatur, scilicet, hic est potus sanguinis mei. Dictum est aũt: *Hic est calix sanguinis*, & non, *hic est sanguis*, ad significandum, quòd sanguis continetur in speciebus vini. Et hoc, vt potetur, & sumatur. Statim sequitur, *Noui, & æterni testamenti.* Aduerte, quòd Deus duplex pactum iniuit cum homine.

Alterum fuit, in quo disposuit aduentum suum in carne, & hoc pepigit cum Patribus antiquis quod firmatũ est sanguine, & occisione animalium figurantium mortẽ Christi: ob id, tale pactum dictum est, testamentum; quia fuit dispositio cuiusdam hæreditatis morte firmata testatoris, non quidem in re sed in figura.

Alterum pactum Deus iniuit de vita, & fœlicitate æterna danda est: & hoc pactum morte, & sanguine Christi confirmatum est: diciturq; testamentum nouum, vt distinguatur à priori: diciturque æternum, vt denoretur, quod non alius peruenier testamentum, & quòd res per ipsum notata hæreditas sit æterna, Est igitur sensus, hic est sanguis, in quo dispositio hæreditatis æternæ hominibus confirmata, & stabilita est. Sequitur aliud verbum, *Mysterium fidei.* Sanguis iste sic præsens est, vt sensibus dignosci, nec ratione comprehendi possit: opus est fide, qua teneatur. Est igitur fidei mysterium, id est, secretum fide tenendum. Statim sequitur efficacia, seu effectus huius sanguinis, *Qui pro vobis effundetur, & pro multis.* Pro omnibus quidem fuit sufficiens pretium; tamen, quia non oẽs

ipso

ipso vti volunt, non omnibus prodest, ob id, *pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, quoad efficaciam, qui tamen pro omnibus effusus est, quo ad sufficientiam.

De efficacia verborum forma.

CAPVT XXVII.

SAcramentum hoc non in vsu, seu materiæ applicatione circa suscipientem, vt alia sacramenta, consistit, sed in efficacia verborum erga ipsam materiam, seu in ipsa consecratione ipsius materiæ. Sunt enim illa verba, *Hoc est enim corpus meum*, ita efficacia, vt sint instrumenta transsubstantiandi substantiam panis in Christi verum corpus, ita vt, post prolationem, in illa hostia non sit panis vlla substantia, sed sola accidentia ipsius, scilicet, quantitas cum dolore, & sapore, odore primis qualitatibus, quæ dicuntur species panis, sub quibus est verum corpus Christi præsens. Non quòd accidētia sint in eo sustentata, non enim hoc ita est, quia accidentia illa miraculosè per se sustentantur, sed quòd sub illis latet corpus Christi, illic etiam miro modo continetur.

Idem etiam dicendum de verbis consecrationis vini, in quo non manet substantia, sed accidentia, sub quibus est sanguis verus Christi. At verò tam corpus, quam sanguis continentur in his speciebus, nō quidem modo passibili: nam quāuis istæ speciebus calefiant, aut frigescant, vel scindantur, non ob id Christus ista talia patitur. Rursus cōtinetur Christus, nō per modū dimensionis: nō enim extensus est, vt pars in parte sit, sed in qualibet specierum parte est totus: ob id, tantum sumit, qui partem hostiæ, quantum qui totam recipit: nec desinit esse in cœlo, licèt præsens sit in hostia: nec, licèt sit in vna, ob id relinquit aliam, sed simul omnibus adest. Quæ omnia fide tenenda sunt, quia superant humanum captum, sed credere magnum est meritum fidelium. Notandū tamen est, quòd sub speciebus panis, non solùm corpus Christi, sed eius sanguis, anima, & diuinitas, immò tota Trinitas; sed vnum quidem, puta corpus, virtute verborum, & consecrationis, alia verò ratione concomitantiæ; quia corpus cum anima, & sanguine modò est. Similiter sub vini specieb. cōtinetur sanguis, corpus anima, diuinitas, omnia denique Christi; sed solus sanguis

virtute consecrationis, reliqua ratione concomitantiæ. Vnde, si solam consecrationem consideremus, corpus in vno, sanguis in altero continetur, in quo mors Christi repræsentatur, in qua sanguis à corpore effusus est. Vnde fit, quòd si in illo triduo, in quo Christus est mortuus, aliquis consecrasset, vel consecrare intendisset, tunc sub speciebus panis, corpus absque anima contentum fuisset, & sanguis absque corpore; vtrumque tamen diuinitati coniunctum: non enim à diuinitate dimissum est, quod assumptum est.

De ministro, & suscipiente.

CAPVT XXVIII.

IN isto sacramento duo considerari possunt. Vnum est ipsa consecratio: alterum est vsus, & collatio ipsius sacramenti. Vnde duo sunt ministri, alter est consecrationis, alter collationis. Minister consecrationis, sacerdos solus est adeò quòd nullus, non habens characterem sacerdotalem, potest consecrare corpus, & sanguinem. De hoc satis diximus in principio huius secundi libri. Minister collationis est etiam Sacerdos, non quicunque, sed cui ex officio incumbit, vel ex commissione, vel aliquo priuilegio, adeo quòd nulli licet absque licentia Eucharistiam sumere, etiam extra tempus præcepti à quouis Sacerdote, nisi in necessitate, vel quando pro certo habetur, quòd Curatus concederet facultatem sumendi. Olim, cùm laici solebant sub vtraque specie communicare, Sacerdos solus ministrabat corpus, Diaconus verò sanguinem, quia hic non tangit sacramentum, sed tantùm calicem: iam verò iste modus non conceditur; propterea Diaconus non potest ministrare; corpus etenim nō valet conferre. At verò, quādo necessitas esset, vt si quis infirmatur, & Sacerdos nō adest, vel nō potest, licet Diacono soli etiā corpus ministrare. Suscipientes aut hoc sacramentū duo etiam sunt. Vnus est suscipiens simul, & consecrans; talis est Sacerdos, cùm celebrat, vel Domino sacrificat, & iste sacramentum sub vtraque specie necessario debet suscipere, vt completum sit sacrificium: de quo multa superius diximus, propter quod ab eis modò supersedemus. Alter est suscipiens, qui non consecrat, sed tantum recipit sacramentū, & iste potest esse Sacerdos, & laicus. Cùm Sacerdos nimirum nō celebrando cōmunicat, talis suscipiens non debet

suscipere sacramentum sub vtraque specie, sed tantum sub specie panis: nec ob id sacramentum integrum non recipit: nam totus Christus in qualibet specie continetur: nec maior est effectus sacramenti sumpti sub vtraque specie, quàm sub vna: Sacerdos enim necessariò sub vtraq; recipit, quia integrũ debet esse sacrificium, in quo mors Christi continetur, quæ sub illa vtraque specie repræsentatur. Fuit quidem olim vsus talis, sub vtraque specie communicandi, sed iam ab Ecclesia iustissima causa abolitus est, cùm non sit de iure diuino, nisi tantùm communicare corpus, & sanguinem Domini, sed nõ sub vtraq; specie: nam in vna, vt dixi, totum continetur.

Fuit igitur prima causa, ob periculum irreuerentiæ huius sacramenti, quia facilè, & frequenter accidere poterat sanguinis subuersio.

Secunda, quia multi non possunt sumere speciem vini absque prouocatione ad vomitum: huiusmodi enim multæ fœminæ, multi etiam iuuenes sunt.

Tertia, ad repellendam hæresim Nestorianorum, qui negabant totum Christum in qualibet specie contineri, sed corpus tantum in specie panis, sanguinem totum in specie vini, quod quidem falsum est, vti diximus. Debet ergo suscipiens, & non consecrans, sacramentum hoc sub specie panis totum recipere.

Sunt tamen quædam in suscipiente obseruandæ conditiones.

Prima est, debet esse adultus: nam infantibus quidem posset dari sacramentum hoc, sed tantùm ex Ecclesiæ præcepto non debet dari nisi adultis, & iam maturioris vsus rationis: non enim statim post septem annos hoc sacramentum suscipere debent pueri.

Secundò, non sat est, adultos esse, sed rationis vsum habere oportet actu. Vnde, amentes non possunt recipere, nec phrenetici, nisi aliquando vsum rationis habent, & tunc, hoc suscipere voluerunt.

Tertia est, quòd debent esse ieiuni: nam mortale peccatum est recipere sacramentum hoc post cibum, vel potum aliquẽ, nisi tempore alicuius infirmitatis periculosæ, tunc enim potest post prandium etiam communicari; vel quando esset præceptum communicandi, & infirmus non posset absq; graui nocumento omittere potionem, tunc posset sumere, & post communicare, cùm potio non possit postponi.

Quarta, debet esse confessus de commissis mortalibus post proximam confessionem: nec enim debet accedere cum conscientia peccati mortalis: nec sufficit sola contritio cum proposito confitendi, nisi in aliqua necessitate vrgente, vt mortis aut temporis implendi præcepti, & casu aliquo nullus adest confessarius, tunc sufficeret contritio cum voto confessionis faciendæ, habita occasione. De hoc diximus supra.

Quinta, debent accedere absq; peccati venialis actu, vt non sit actualiter in aliquo veniali. Quamuis ista dispositio non impediat effectum sacramenti habitualem, scilicet, habitum gratiæ, tamen impedit actualem, scilicet, charitatis feruorem: vnde, qui intenderet actu post communionem facere aliquid, quod est culpa venialis, gratiam sacramenti non perdit, feruorem tamen charitatis non recipit. Si tamen accederet cum actu peccati mortalis, non solùm nihil recipit, sed mortaliter peccat, & grauissimè in tali susceptione: propterea dicitur sacramentum hoc, *mors esse malis, vita bonis*. Hinc fit, quòd, qui sunt in aliquo notorio peccato, quorum pœnitentia non constat, non solùm non debent accedere communioni, sed accedentes repelli debent, quales sunt hi, qui in statu peccati sunt, vt meretrices publicæ, vsurarij, histriones, concubinarij notorij, & similes, quibus est communio neganda, nisi pœniteant. At pœnitentia existente, communioni sunt admittendi, non solum hi, sed etiam qui publicè iustitia castigandi sunt, vt suspendendi, vel decollandi, vel alio quouis modo occidendi, quamuis fuerint hæretici, & posteà resipuerint; licet in aliquibus locis hoc non sit in vsu: sed profectò melius est, vt communionem recipiant aliquo spatio temporis ante mortem. Nec etiam est neganda communio energumenis, seu arreptitijs, quamuis à dæmone vexentur, nisi constiterit, ob aliquod graue peccatum, sic à Domino puniri; secus enim communioni admittendi sunt, cùm possint esse in gratia, & maiori, quàm multi alij, qui non sic vexantur à malo spiritu.

De modis suscipiendi Sacramentum, & eius effectus.

CAPVT XXVI.

SAcramentum hoc multiplex est suscipiendi modus. Primus est tantum in figura, quomodo patres illi antiqui, qui sumebant per sacrificia illa, quibus ministerium

hoc

hoc repræsentabatur, & maximè per illud manna, quod de cœlo pluebat.

Alter modus est, verè, & non in figura tantùm, sed spiritualiter tantùm, quo modo sumunt, qui fide tenent sub illis speciebus verum Christi corpus esse, & simul ipsum recipiendi ardent desiderio, quamuis re ipsa non sumant. Et hic modus est multùm vtilis.

Tertius modus est, sacramentaliter tantùm, quando recipitur Christus in sacramento, tamen, ob indebitam dispositionem recipientis, effectus sacramenti non consequitur.

Quartus est, sacramentaliter, & spiritualiter simul, cùm sumuntur species, & effectus sacramenti recipitur. Multi enim, & mirabiles sunt sacramenti huius effectus, è quibus, quatuor solùm recensebo.

Primus est, gratia cum donis & virtutibus, qua quidem gratia remittitur peccatum mortale, si accedens forte, adhuc per confessionem, non fuerit consecutus eam defectu suo; vt, si nõ sufficiente contritione, seu attritione ad eam accesserat; post confessionem verò melius disponitur, adhuc tamen non sufficienter ad gratiam, nisi virtute sacramenti, tunc hoc sacramentum primam gratiam confert. Similiter, si necessitate vrgente non potuit confiteri, sed communionem recepit, cùm tamen attritus tantùm esset, putans se contritum. Etiam alijs in casibus potest gratiam conferre, qua mortale dimittatur. Quõd si accedens in gratia sit, recipit augmentum. Cum gratia etiam partem pœnæ remittit, quamuis non totam; nisi iuxta dispositionem accedentis.

Secundus est, spiritualis refectio, quæ consistit in quodam charitatis feruore, & maiori circa bene operandum conatu, & deliberatione, simul etiam in interna animæ delectatione.

Tertius, præseruatio à peccato: hoc enim sacramẽtum multum iuuat animam, ne succumbat tentationibus, & peccatorũ periculis.

Quartus, quia multùm carnis concupiscentiam ac fõmitem extinguit. Ob quæ multùm esse debet Christiano assidua huius sacramenti susceptio. Vbi enim est continua indigentia, ibi continuum desideratur auxilium: vinci enim, & consumi opus est, nisi frequenti opere subueniatur, id quod, non cessante inimici impulsione, concutitur. Aduertendum tamen vnum hic est, cùm Christi corpus in sacramento recipitur,

tamdiu

tamdiu eius præsentiam intra nos durare, quamdiu specierum calore naturali non consumuntur: consumptis enim (quod fortè dimidia quarta hęc fit) præsentia non est; effectus tamen ex ipsius præsentia procedentes multùm permanent, nisi nostra negligentia impediat, aut culpa expellat, & destruat.

De varijs nominibus huius Sacramenti.

CAPVT XXX.

SAcramentum hoc, propter suam excellentiam, varia sortitur nomina: est enim hoc dignissimum omnium sacramentorum, quia verè in eo Christus continetur. Dicitur autem Eucharistia, quasi bona gratia, quia Christum continet qui fuit auctor nobis gratiæ; vel quasi gratiarum actio, quia est sacramentum, propter quod indesinenter Christo gratias agere, & habere tenemur. Dicitur sacrificium, seu hostia, quia Christum continet, qui per mortem se Patri pro peccato hostiam obtulit. Dicitur viaticum, quia cibus est spiritualis, quo confortatur animus, donec perueniat ad montem Dei, Oreb, id est, cœlestem patriam. Dicitur etiam communio, & Græce Synaxis, quia sacramentum est, in quo Christiani vniuntur. Vt enim magna est vnio corporum, vno cibo corporali vesci, non minor, sed longè maior est spirituum vnio, vno, ac tàm vesci cibo spirituali. Dicitur etiam sanctissimum Sacramentum, per excellentiam, quam habet ad reliqua sacramenta omnia. Multa quidem dici possunt de eo, tamen pro introductione præsenti sufficiant ista simul cum his, quæ in principio huius libri diximus, & etiam in sequenti libro tertio dicemus.

Secundi Libri finis.

IN-

INSTRVCTIONIS SACERDOTVM, DE POENITENTIA,

LIBER III.

Quid sit peccatum.

CAPVT I.

SACRAMENTVM hoc pœnitentiæ plurimas continet difficultates Sacerdoti cognitu necessarias : ob id librum integrum in eis enodādis collocauimus. Sunt autem suo ordine quinque tractanda, materia, forma, minister, pœnitens, & huius sacramenti effectus. Et quidem materia duplex est, altera remota, altera propinqua. Vt enim in baptismo erat materia remota, scilicet aqua; & propinqua, scilicet ablutio, ita in isto est materia remota, & hæc est peccatum. Est enim materia propinqua, ver. gra. contritio, confessio, satisfactio, seu peccatum contritum, confessum, & satisfactioni expositum.

A remota ergo materia, doctrinæ ordine, incipiamus. Ac primum omnium tractandum se offert. Quid sit peccatum. Omissis autem aliorum descriptionibus, sic videtur nobis clarè, & breuiter posse describi: Peccatum, est recessus à regula diuina voluntarius. In qua descriptione quatuor continentur partes.

Prima est, *recessus*, id est, quædam deuiatio, & separatio ab aliquo stabili principio. Peccatum enim est, non aliqua substantia, aut corpus, aut entitas positiua, sed quędam separatio, quidam defectus. Altera pars est, *à regula*, ne intelligeremus, hanc separationem esse à loco aliquo, vel alio quouis, ob id additur separatio à regula. Vocamus regulam, principium

quod-

quoddam, cui agens suum effectum, vel operationem conformare intendit. Recessus ergo, & defectus à regula proposita peccatum dicitur. Vnde, Monstrum, peccatum naturæ dicitur, quia non conformatur regulæ naturæ, secundum quam effectus talis taliter debet esse formatus. Similiter error in imagine, vel aliquo artificio dicitur peccatum artis, quia regulæ artis non conformatur effectus. Non de his peccatis fit mentio in præsenti, ob id additur tertia pars, *Diuinæ*. Per regulam autem diuinam intelligo, tam præceptum supernaturale, vt præceptum de fide habenda, de suscipiendis sacramentis, de adoratione, & alijs huiusmodi, quàm naturale, vt præcepta Decalogi, & humanum, vt præcepta Prælatorum, & superiorum. Omnia enim diuina dici possunt, quatenus à Deo sunt, siue mediatè, siue immediatè: natura enim à Deo est potestas humana, & Ecclesiastica per Deum est. Ista præcepta dirigunt, & regulant operationes humanas in finem. Recessus ergo a tali regula, peccatum est, non tamen quicunq; recessus; ob id additur quarta particula, *voluntarius*. Vt aliquid dicatur voluntarij, tria sunt necessaria.

Alterum est, vt à voluntate procedat, siue quoniam in ipsa voluntate est velle, & nolle, siue quia à voluntate imperatur: omnis enim operatio, etiam exterior, quæ nobis volentibus fit, voluntaria dicitur. Vnde vesci, voluntarium est, cùm volentes vescimur: similiter ambulare, occidere actualiter, & similia. Vt ergo sit peccatum, debet esse recessus voluntatis, siue à voluntate procedens. Vnde, regula generalis sit: Quicquid in nobis fit, quod nec in voluntate est, nec à nostra voluntate est peccatum non est. Vnde quantumcumque occurrant imaginationes turpes, & contra fidem cogitationes, motus etiam carnis, vsque ad effusionem seminis procedentes, nisi voluntas acceptet, aut consentiat, peccatum non est.

Alterum est necessarium, vt aliquid dicatur voluntarium, putà, quòd sit ex deliberatione procedens, liberum, id est, quod in nostra sit potestate, vt sit, vel nō sit, vt quamuis sit actus voluntatis, si tamen necessarius est, ita vt non sit in nostra potestate non velle, tunc non dicitur voluntarius. Ex quo fit, quòd cùm ex aliqua vehementi passione accidit, vt in voluntate insurgat volitio vindictæ, aut alicuius mali, si talis est, vt non sit pro tunc in nostra potestate, non velle, non sit peccatum, donec iam induat rationem voluntatis, & in manu nostra sit prorsus expellere talem volitionem. Dico autem prorsus, quia

aliquando aliqua ex parte est in manu nostra, licèt non totaliter. Et tunc grauius, vel leuius peccatum est, quo magis, vel minùs est voluntarius actus, vel recessus Vide igitur quid peccatum sit: est enim recessus voluntarius à diuino præcepto, cui conformare tenemur vitam. & operationes nostras. Tertium est, vt homo sciat, vel scire teneatur se agere contra regulam, vnde ignorantia efficit inuoluntarium, & excusat à peccato, quando non est crassa.

De peccatorum differentijs in communi.

CAPVT II.

ALiquot peccatorum diuisiones, si non omnes, saltem quæ ad nostrum faciunt institutum, prosequi oportet.

Et primo, peccatum diuiditur in mortale ex genere suo, & veniale ex genere suo. Pro quo notandum est, quòd bifariam contingit à regula diuina recedere: Vno modo agendo contra ipsam regulam: altero, non agendo secundum regulam, sed præter eam. Ab vna enim via recedere possumus, aut contrariam sequendo viam, aut diuersam. Ille agit cõtra præceptum, qui oppositum præcepti facit; ille verò præter, qui aliquid facit, quod licèt non sit contra præceptum, non tamen tendit in finem præcepti, qui Deus est: ver. gra. qui occidit, agit contra præceptum, *Non occides*: qui verbum otiosum. aut mendacium iocosum dicit, non omnino contra præceptum facit, tamen facit aliquid, quod in Deum non est ordinatum. Id totum, quod contra præceptum est, dicitur mortale ex genere suo, quia ex se inductiuum est mortis spiritualis, quæ est ablatio gratiæ, si esset. Id verò quod est extra præceptum, veniale ex genere suo dicitur: peccatum quidem est, quia est recessus à regula, sed ex se gratiæ ablatiuum non est: Deus enim gloriosus non obligauit omnes actiones nostras sub præcepto, sed quasdam: alias multas reliquit; sed nos debemus eas secundum nostrum finem exequi, quod non facientes, peccamus venialiter. Notandum tamen est, quòd non omne mortale ex genere vere est mortale, id est, auferre gratiam sufficiens est: sicut etiam non omne veniale ex genere, verè est veniale; nam gratiam auferre sufficit aliquando. Explico primum; Mortale ex genere duplici ex causa non est verè mortale, sed fit veniale per accidens.

Prima

Prima est, ex leuitate materiæ: vnde furari, ex genere mortale est, tamen furari quid minimi valoris, non est mortale, nisi sit maior quantitas materiæ.

Altera causa est ex actus imperfectione, quando non perfectè deliberatus, & voluntarius, licèt aliquid sit voluntarij, vt in subito motu volendi vindictam, vel aliquod malum committendi contra præceptum, cùm non adest plena libertatis potestas: si tamen aliqua sit, quia intercedit mora aliqua breuis, vnde aliqua negligentia est, licèt non notabilis, tùc est veniale. Si tamen plena esset potestas, esset mortale. Explico secundum: Multis enim casibus, quod ex genere suo est venia-le, potest per accidens fieri mortale.

Primò, si vltimus finis in veniali cõstituitur, quod fit, cùm quis ita actum venialem exequitur, quod paratus est, etiam si mortalis esset, exequi, tũc mortale est, licèt sit verbũ otiosum, vel vanum.

Secundò, cùm ordinatur in peccatum mortale ratione finis, fit tunc mortale: vt qui mendacium dicit leue propter adulterium, mortaliter peccat.

Tertiò, quãdo sequitur aliquod peccatum mortale, de quo constat, licèt non ordinetur in ipsum, vt si quis sciens scandalum graue sequi, si mendacium leue dicat, & dicit, mortaliter peccat.

Quartò, si est conscientia erronea. Qui enim putat se peccare mortaliter in verbo otioso, si id proferat, mortaliter peccat: iam enim iste animum habet peccandi mortaliter, licèt ille actus non erat verè peccatum mortale, Non solùm hoc fit in actu veniali, sed etiam in actu bono. Si quis enim putaret se peccare mortaliter, audiendo sacrum in die festo, mortaliter peccat, si audiat: etiam mortaliter peccat, si non audiat: nam tenetur deponere conscientiam erroneam, & scire non esse peccatum, sed præceptum. His igitur causis veniale ex genere, fit mortale per accidens.

Iterum diuiditur peccatum in commune in peccatum omissionis, & commissionis.

Præcepta enim hominibus imposita quædam sunt affirmatiua, ipsos ad operandum obligantia, vt præceptum de diligendo Deum, & proximum, sacroq; audiendo, & alia huiusmodi: quædam sunt ab aliquo actu retrahentia, & prohibentia, vt, *non occides, non mœchaberis*, & alia multa. Cùm peccatum est contra negatiuum præceptum, commissio est: cùm verò

contra affirmatiuum, aliquando omissio, aliquando commissio est. Omissio est, cùm non operamur, quod præceptum iniunxit, vt, non diligendo Deum, cùm tenemur : commissio, cùm actum contrarium habemus, vt si quis Deum odio habeat. Vt plurimum tamen affirmatiuorum præceptorum sunt omissiones. In venialibus etiam aliquando est commissio, aliquando omissio. Commissio, cùm actus reperitur inordinatus extra diuinum præceptum, vt mentiri iocosè, otiosum verbum dicere. Omissio, cùm operationis conuenientis defectus est, vt, aliquibus diuinis inspirationibus non respondere, nec operari aliquod bonum, cùm possit quis operari, licet nō obligetur ex præcepto. Attendere autem hic oportet, quòd aliquando in peccato omissionis est aliquis actus voluntatis, qui fertur in ipsam omissionem ; vt qui nollet audire sacrum die festo. Aliquando est actus voluntatis, qui fertur in id, vnde sequitur omissio, vt qui voluit tota die dormire, vnde sequitur, vt sacrum non audiat. Aliquando nullus reperitur actus talis, vt qui oblato tempore confessionis, ad quam tenetur, prorsus non vellet confiteri, nec nollet, sed relinqueret. Sæpe tamen omissio cum aliquo actu est ; siue tamen sit, siue non sit, nisi aliunde ignorantia, vel alia causa excuset, peccatum est.

Tertiò, diuiditur peccatum, in peccatum cordis, & peccatū oris, & peccatum operis. Non est ista distinctio variorum peccatorum, quasi vnum peccatum sit cordis, aliud oris, sed vnum est peccatum varios habens augmenti gradus.

Primò enim peccatum committitur, cùm est voluntatis deliberatæ consensus, vt qui vult hominem occidere, committit peccatum, sed aggrauatur, cùm ad opus peruenit. Similiter, qui verbo maledicit, prius in voluntate peccat, post in verbo peccatum auget. Aliquando sunt peccata diuersa ista tria, cum diuersorum peccatorum materiæ sumuntur, vt maledicentia, quæ in verbo consistit, superbia interius concepta in corde, & homicidium in opere, sunt quidem tria peccata diuersa, sed cùm eadem est materia, tunc vnum peccatum est, sed plures augmenti gradus. Hæ distinctiones peccatorum sufficiant : quamuis enim aliæ sint multæ, tamen ad propositum præsens non attinent, ob id relinquuntur.

De partibus essentialibus peccatorum, & effectibus.

CAPVT III.

SIcut in re artificiali duas partes consideramus, & materiam, & formam: ver. gra. in domo, lapides, & ligna locum obtinent materiæ, at dispositio, & constructio eorundem locum tenent formæ. ita in peccato etiam suo modo duo insunt, vnum est velut materia, alterum est velut forma. Materia est actus & operatio ipsa, quæ reperitur commissionis. Sed effectus ipsius operationis reperitur in peccato omissionis: verbi gratia, occisio hominis est materia in peccato commissionis non audire sacrum est materia in peccato omissionis circa præceptum Ecclesiæ; recessus verò a regula diuina, siue contra faciendo, siue extrà, est forma: propterea enim occisio est peccatum, quia contra diuinum præceptum est. Similiter, non audire sacrum, ob id peccatum est, quia contra præceptum est. Forma ergo peccati non est quid positiuum, sed solùm carentia rectitudinis, & conformitatis ad regulam.

In ista deordinatione, seu carentia rectitudinis, præcipuè cùm peccatum est mortale, duo considerantur, & auersio a Deo, & conuersio ad creaturam: qui enim peccat, regulam Dei spernit, ob id à Deo auertit se, & allectus aliquo apparenti bono peccat, ob id conuerti dicitur ad bonum creatum. Vnde in omni peccato mortali, homo propter creaturam relinquit Deum, & dicitur auerti à bono incommutabili, scilicet Deo, & conuerti ad bonum commutabile, scilicet creaturam, ob idque peccatum grauissima est Deo illata iniuria ab homine. Quamuis autem in veniali aliquo modo ista sint, sed imperfectè valde, non enim Deum integrè relinquit, ob id non destruit gratiam, nec incurrit homo pœnam propter veniale, quam incurrit ob mortale.

Cuius effectus duo sunt præcipui, macula, & reatus. Macula est priuatio gratiæ, quæ pulchritudo est animæ, & ornamentum. Reatus est obligatio ad pœnam æternam, quæ peccato debetur. Est autem duplex, iuxta duas peccati partes: ratione enim auersionis huiusmodi debetur pœna damni, quæ est, non videre Deum in æternum. Qui enim auertit se a Deo, iuste Dei visione priuatur. Ratione verò conuersionis ad creaturam,

ram, debetur pœna sensus: iustè enim à creatura torquetur, qui propter ipsam auctorem Deum relinquit. Vtraque autem pœna æterna est, quia peccatum est perfectæ auersionis, & conuersionis. In veniali etiam ista duplex est pœna, at non perfecta, sed temporalis: ad tempus enim non videt Deum in purgatorio, & ibidem torquetur. Sed in veniali non est macula propriè, quia non expellit gratiam, sed feruorem charitatis, & deuotionem aliqua ex parte extinguit, & infrigidat. Post actũ igitur peccati, stabilis manet reatus, & macula, nisi pœnitentia deleantur. Hæc sunt igitur peccati partes, & effectus. Oportet autem hic notare, quòd peccata omnia, siue mortalia, siue venialia, materia sunt sacramenti huius pœnitentiæ, sed non eodem modo. Mortalia etenim sunt necessitatis materia, id est, non possunt alio modo deleri, nisi per pœnitentiæ sacramentum, saltem in voto susceptum, cùm non potest in re suscipi. At venialia, sunt quidem materia confessionis, vnde quis cum solo veniali potest recipere sacramentum pœnitentiæ, Concil. Trident. sess. 14 cap. 5. tamen non sunt necessaria materia, quoniam homo non tenetur confiteri, si tantùm veniale habeat, quamuis sit tempus Quadragesimæ, sed debet sumere Sacramentum Eucharistiæ, nisi sequatur scandalum aliquod. Tunc enim deberet accedere ad confessionem, saltem vt diceret se non habere conscientiam peccati mortalis vllius. Aliqui tenent esse necessariam materiam in tempore præcepti, sed probabilius est oppositum: nam præceptum confessionis tantùm est de mortalibus. ita D. Thom. 3. p. q. 84. art. 2. Scot. in 4. d. 17. q. 11. Dur. ibid. q. 9. Quandò verò esset dubium de veniali, an esset mortale, tunc necessaria esset materia. Quamuis hoc ita sit, tamen maximè accedere quis debet confessioni, cum solo etiam veniali, saltem propter gratiam, quæ in ipso sacramento datur, & per actum humilitatis, qui exercetur. Veniale autem potest, præter pœnitentiam, alijs vijs remitti, scilicet oratione dominica, aqua benedicta, pectoris tunsione, benedictione Episcopali, feruenti charitatis actu. Hæc igitur est materia huius Sacramenti remota, scilicet peccatum.

Quid sit contritio, quid attritio.

CAPVT IV.

SIcut in baptismo duplex erat materia, remota, scilicet aqua ipsa, & propinqua, scilicet ablutio, quæ aqua fit: ita in hoc sacramento, materia remota peccatum est, propinqua verò est contritio, confessio, satisfactio. Itaq: peccatum contritum, confessum, satisfactum, est materia propinqua confessionis. Primùm igitur de contritione agamus. Videtur autem posse sic describi: *Contritio est, præteriti peccati, vt est Dei offensa voluntaria supra omnia detestatio, cum proposito futura supra omnia vitandi, & commissa confitendi.* In qua descriptione sex sunt partes.

Prima est, *præteriti peccati detestatio.* Peccatum detestari, ad actum voluntatis pertinet, quæ ex peccati commissi consideratione in hunc actum prorumpit, nollens peccasse, nihilisque actus est detestatio peccati elicitus à virtute pœnitentiæ.

Secunda pars est, *vt est Dei offensa:* non sufficit nolle peccasse, quia peccatum malum aliquid secum fert, sed hac ratione, quia offensa Dei est.

Tertia pars, *supra omnia.* Vt homo habeat contritionem, debet detestari peccatum sic, vt potiùs velit quodcumq; malum subijsse, quàm peccasse, nihilq; magis debet abhorrere, quàm Deum offendisse, & hoc est detestari peccatum supra omnia, seu supra omne detestabile, vt alij dicunt. Nec opus est in particulari facere istas collationes: mallem hoc, vel illud subijsse, quàm peccasse: sunt enim periculosæ, & aliquando possent demon hominem his illaqueare: si tamen homo eas faciat, bonæ sunt. Non tamen debet quiuis se his periculis exponere: sufficit enim in generali ita detestari, vt nihil magis detestemur, quàm Dei offensam, velitque non offendisse, potiùs autem subijsse quodcumq; malum.

Quarta pars est, *voluntaria*, id est, spontanea. Non enim contritio debet esse actus necessitatis, sed spontaneus, & liber, qui in nostra sit potestate, posito tamen auxilio diuino.

Quinta pars est, *cum proposito vitandi futura supra omnia*, id est, proponere debet, in posterùm se non offensurum Deum, potiùs passurum quodcumque malum, etiam mortem: quamuis etiam hoc in generali sufficit. Non debet autem quis, suo in ar-

tem

tens robori, hoc proponere, sed semper sperans in diuino fauore, quo possumus proponere talem emendationem vitæ, & hoc propositum debet esse expressum. Et hoc est probabilius, Alens. 4.p.q.69.m.9.art.2.S.Thom.3,p.q.90.art.4. quamuis aliqui dicant sufficere primum actum; sed quod diximus, securius est. Et ita habet Concilium Florentinum.

Hactenus erat contritionis descriptio, quæ erat ante legem gratiæ, quia tunc propositum confitendi non erat necessariũ, vt modò est.

Sexta particula, *propositum confitendi*, quamuis sufficeret hoc propositum virtuale, Sot. in 4.d.17.q.2.art.1. Hæc igitur est natura contritionis. Vnde sequitur, quòd contritio non est dolor, aut tristitia, sed actus, cuius comes est dolor, & tristitia. Essentialiter enim contritio est actus, quo homo nollet peccare, quatenus peccatum est Dei offensa; at intellectu considerans non posse non esse factum, peccatum apprehendit vt malum, quod vitare non potest. Et hinc sequitur tristitia in voluntate, quæ mouet etiam sensum, fitq; tristitia in sensu, vnde prorumpit in lachrymas, & gemitus: ex apprehensione enim mali, quod vitari non potest: tristitia sequitur. Ista tamen quãuis sequantur ex contritione, & bona sint, non contritio, sed contritionis effectus sunt. Dicitur autem per metaphoram contritio: est enim propriè actus, quo corpus aliquod durum in minutas diuiditur partes, fitq: nullius resistentiæ, quod antea multùm resistebat: sic hominis cor, quod per peccatũ obduratum erat, resistensq; motioni ad bonum, emollescit per pœnitentiam, fitq; diuinæ obediens voluntati. Potest etiam cõtritio dici ab effectu, quia causa est doloris, tristitiæ, actuũq; pœnalium, qui naturam sensitiuam consumunt, & conterũt. Aduertendum tamen est, quoties aliqua pars ex prædictis deest, tunc non contritio, sed quædam alia imperfecta species fit, quæ attritio dicitur, quasi imperfecta contritio: quæ maxime modis his contingere potest.

Primò ex parte obiecti, quando detestatur peccatum cum reliquis conditionibus, sed non quia offensa, verum aut quia est quoddam malum animam fœdans, & deturpans, faciensque seruam diaboli, aut quia ei debetur pœna æterna, aut quia ex eo sequutum est malum aliquod temporale; quacumq; ratione harum detestatur peccatum, attritio est.

Secundò contingit ex parte modi, cùm quis detestatur peccatum, vt Dei quædam offensa est, sed non detestatur supra

omne detestabile: non enim verè mallet quodcumq; malum subijsse, quàm peccasse: talis enim detestatio, attritio est.

Tertio modo potest contingere, quando quis detestatur peccatum supra omnia, vt Dei est offensa, non tamen habet propositum firmum vitandi omne futurum: & talis detestatio attritio est.

Quarto modo potest contingere, cùm quis desiderat habere contritionem de peccato, & detestari supra omnia, quàmuis verè non habeat ipsam contritionem. His quatuor modis contingit attritio.

Est autem grandis differentia inter omnes has attritiones, & contritiones.

Contritio enim per se, absque sacramento susceptо in re, sed tantùm in voto, est causa remissionis peccati mortalis, & gratiæ conseruationis: & si statim moriatur homo, causa est salutis æternæ. At verò attritio nulla per se est sufficiens causa remissionis peccati mortalis; quamuis sit cum voto sacramenti: immò qui in peccato existens, cum sola recederet attritione absq; sacramento, damnaretur.

Est etiam alia differentia.

Contritio sufficit, vt quis accedat sacramento pœnitentiæ, & impleat præceptum ipsius, & consequatur etiam effectum eiusdem: Contrito enim, seu habenti iam per contritionem gratiam, sacramentum hoc dat gratiam maiorem: & qui sic accedit, verè implet præceptum confitendi, si tempus est præcepti. At verò non omnis attritio sufficit ad consequendum effectum huius sacramenti; immò, si sic accederet, peccaret: quamuis aliqua attritio sufficiens sit, quòd per illas quatuor discurrendo explico.

Prima quidem attritio, si talis sit, vt cognoscat pœnitens, se non detestari peccatum, vt est Dei offensa, sed tantùm vt est alicuius mali temporalis causa, quamuis bonus actus ille sit, tamen non sufficit ad sacramentum; immò qui sic accederet, peccaret denuò, & non impleret præceptum, sed esset recipiendum sacramentum. Aliquando quoq; talis attritio etiam secundùm se mala esset, quãdo quis peccatum detestaretur propter malum, vt vltimum finem: cum autem talis est, quòd nõ detestaretur, nisi esset propter malum, tamen actus malus est: at absolutè detestari peccatum propter malum illatum, bonus actus est, sed, vt diximus, insufficiens.

Secunda attritio illa indiget distinctione. Aut enim pœni-

tens

tens cognoscit se non detestari peccatum supra omne detestabile, at tunc talis est insufficiens sicut prior; aut non cognoscit id, quamuis verè non sit supra omne detestabile, tunc talis attritio putata contritio dicitur, & sufficit, vt præceptum quis impleat, & gratiam ex ipso consequatur.

Tertia attritio non est sufficiens, immò peccaret, qui sic accederet, nec impleret præceptum.

Quarta sufficeret ad gratiam in sacramento recipiendam, si pœnitenti non constaret, se non esse verè contritum: cùm verò constat, insufficiens est, quia cùm sibi constat non esse verè contritum, debet priùs verè conteri, vt aliqui dicunt, quāuis opposita sententia sit probabilior, vt infra cap. 10. rursus dicam. Vnde Confessores maximè debent considerare, qualitet pœnitentes admittant ad cōfessionem: non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur, vt offensa Dei sunt, & propositum habent non peccandi in posterum, etsi non sunt examinandi, an supra omne malum detestentur, sed ne aliquid magis detestentur. Vnde ante confessionem mihi videtur de tali dispositione fore interrogandos.

De quibusdam dubijs circa contritionem.

CAPVT V.

ALiquot dubia circa contritionem possunt alicui occurrere.

Primum est, quorum peccatorum sit habenda contritio. Ad quod respondeo, non esse necessariam venialiū: hæc enim diximus absq; contritione remitti posse, sed mortalium commissorum est necessaria, adeò quòd sine contritione extra sacramentum non possunt remitti. Non autem est necessaria omnium peccatorum, sed eorum tantùm, quæ contritione alia remissa non sunt: quorum enim homo putat se habuisse contritionem, & confessionem, non est necessaria contritio noua. Quòd si quis de talibus de nouo conteratur, benè facit. Tamen aliquot sunt peccata, quorum melius est non repetere memoriam, postquam semel contrita sunt, qualia sunt, quæ secum delectationem afferunt aliquam: potest enim eorum memoria plus obesse, quàm prodesse, nisi esset homo perfectus, & multæ mortificationis.

Alterum dubium est, an singulorum mortalium commis-

forum sit necessaria particularis contritio. Ad quod aliqui, quamuis aliter dicunt, probabilius tamen cum alijs respondeo, non esse necessarias contritiones singulorum peccatorū, sed satis esse vnam generalem omnium, siue fiat, cùm homo incipit singula peccata sua cogitare, siue cùm in medio est cogitationis, siue in fine. Si enim singulorum contritiones in particulari essent necessariæ, non posset homo consequi gratiam, & pœnitere quocumque momento, sed opus esset longo tempore. Sufficit ergo generalis detestatio peccatorum supra omnia. Per hoc tamen non tollitur eorum peccatorum in particulari discussio, quæ necessaria est ad confessionem. Et quamuis non esset confessio, sicut non erat ante legem gratiæ, esset tamen necessaria ista discussio, licet non tam minuta, sed saltem quantum ad species peccatorum, ad vitæ emendationem, quamuis ad gratiæ consecutionem saltem sufficeret prædicta generalis contritio, quæ post cadit in particulari supra quodlibet, cùm confessio fit, vel cùm homo in particulari se examinare tenetur.

Tertium dubium occurrit, an homo statim post peccatū teneatur de ipso conteri: & quamuis aliqui dicunt, quod teneatur quoties practicè subit in memoriā, id est, cùm recordatur eius, tanquam alicuius, quod operandū proponitur, probabilius dico cum alijs, quod non teneatur statim, etiamsi recordetur sæpius commissi peccati. Solùm enim tenetur tunc non in ipso cōplacere, tamen non tenetur pœnitere, sed potest mentē alio diuertere. Est enim generaliter verū, vt quoties quis non tenetur confiteri, aut aliquis extra statutū præce pti facere, non teneatur cōteri; cùm tamen est tēpus periculi, tunc cōfiteri tenetur, vt in infirmitate acuta, vel cūm est periculū naufragij, aut belli, aut similis, non existente copia Confessoris, cōteri tenetur. Similiter in casu, quo administrare debet sacramentū, vel recipere, tūc cōteri tenetur, maximè in administratione: aliter non statim tenetur, nisi solū à peccato desistere. Puto etiā, cùm aliqua grādis tentatio paratur, cui existēti in peccato probabile est succumbere, tūc teneri saltem de admisso cōteri peccato.

Quartum dubium est, quantus dolor esse debeat de peccato commisso, vt remittatur, seu vt vera sit contritio. Ad quod respondeo, solùm esse necessariam peccati detestationem, supra detestabile omne, vt diximus; quę, si sit, peccatū delet, quāuis non sit tam intensa, quàm potest esse detestatio alicuius mali temporalis. Non enim est determinata intentio actus

necessa-

necessaria: imò contritio vna vel remissa, potest delere quodcumque peccatum, quamuis grauissimum: nec homo tenetur magis conteri de peccato vno, quàm de alio, dummodò conteratur: quamuis sit vtile magis conteri, & de peccato grauiori plus dolere: hoc enim valet ad pœnæ maioris remissionem, & maioris etiam gratiæ consequutionem. Nam contritio non aufert totam pœnam debitam peccato: ob id, sunt indulgentiæ, quæ in remissionem pœnæ temporalis debitæ in purgatorio adhibentur. Posset tamen tanta esse contritio, vt etiam totam auferat pœnam; immò ipsa attritio putata contritio, prout maior, vel minor fuerit, ita cum Sacramento maiorem gratiæ infusionem, atque pœnæ remissionem consequitur. Ratio autem, quare quælibet contritio quodlibet peccatum aufert, est, quia cùm contritio est, gratia ipsa est. Minimus autem gratiæ gradus sufficit omnia peccata à recipiente expellere, ipsumque Dei amicum facere, iusque ad gloriam æternam habere.

Quid sit Confessio.

CAPVT VI.

DE prima parte materiæ huius Sacramenti propinqua, nempè de contritione, diximus, nunc de secunda parte putà, confessione, agendum est. Videtur autem sic describi posse. *Confessio est actus homini exterior, propriorum peccatorum cum sui accusatione, in foro spirituali, & secreto manifestatio.* In qua descriptione sunt quinque partes.

Prima est, *Actus hominis exterior*: ad denotandum, quòd, cùm homo nullum exteriorem actum, vel verbo, vel nutu facit, vel alio modo, sed immobilis manet, non confitetur, & sic absolutio non est illi danda, quia deficit materia sensibilis in Sacramento necessaria.

Secunda pars est, *Manifestatio peccatorum.* Non enim quilibet actus exterior confessio est, sed ille, quo homo peccata manifestat. Aduertendum tamen, quòd multis modis potest contingere, actum exteriorem peccatorum esse manifestatiuum.

Primò, per verbum ipsius pœnitentis, aut confitentis, & ad idem actum tenetur qui potest: debet enim verbo proprio exprimere peccata.

Secundò, signo, cùm non potest verbo: tenetur enim signo, vel nutu confiteri, vt in mutis cõtingit. Tenetur enim tali modo confiteri, & vera est confessio.

Tertiò potest esse per interpretem, cùm ignarus est linguæ Confessor. Et talis est vera confessio, præsente pœnitente, & signo annuente, vt poterit, se velle significare, quæ dicit interpres. Quamuis autem ista vera sit confessio, tamen nullus obligatur ad sic confitendum: non enim tenetur reuelare alteri suam confessionem.

Quartò, potest esse scripto, vt scribat, & Confessor legat, annuente pœnitente; quod in muto, aut alio impedito posset contingere: & est vera confessio; quamuis ad hanc nec teneatur pœnitens, quia ex se est publica. Nam quod scripto mandatur, ex se permanens est. Per nuncium verò, aut per literas, absente pœnitente, confessio non est: non est enim vere ibi actus pœnitentis certus: potest enim intermedio tempore animum mutare, potest esse fraus, potest abijsse: denique, non est pœnitentiæ propinqua materia, quæ actus est pœnitentis. Debet igitur esse actus præsens ipsius pœnitentis, animum, vt tunc se habet, manifestans.

Tertia pars est, *Propriorum*, vt intelligant pœnitẽtes, in confessione peccata propria manifestanda esse, non autem aliorum. In quo abusus est multorum: vt enim aliquod detegant peccatum, simul multa impertinentia narrant peccata, viz vxoris, vxores virorum, domini seruorum, & serui dominorum, alij denique aliorum. Non sic debet esse confessio, sed propriorum peccatorum manifestatiua sit, & aliena relinquat, cum absque illis confiteri potest.

Quarta pars est, *Cum sui accusatione*. Non enim simplex per modum historiæ debet esse peccatorum manifestatio, sed cum accusatione sui, id est, vt homo culpam suam in illis peccatis recognoscat. Vnde mirabilis est abusus peccata confiteri, sed excusando, imputando culpam dæmoni, vel forti alicui, vel socijs, vel Deo, necessitatem peccati accusantes; quod impium est; cùm sit certissimum, nullum esse peccatum, quod propria hominis voluntate non sit perpetratum. Debet igitur homo humiliter culpam suam cognoscere, & sibi imputare, ac dicere cum Propheta Dauid simpliciter, *peccaui*, cum a Nathan argueretur. Reprehendendus est etiam abusus eorum, qui, vt vnum proferant peccatum, impertinentem historiam, & prolixam enarrant, vel inutilia multiplicant verba, quæ

omnia,

omnia, si finis consideretur, in excusationem peccati tendunt, cùm tamen peccata nuda, & aperta sint proferenda, aliàs non est cum vera accusatione confessio, sed cum rethorica excusatione. Quando verò ad peccati manifestationem perfectam opus esset historiam narrare, bonum est, & fieri debet, sed solum quæ necessaria sunt ad talem finem debent exprimi. Quòd si oppositum fiat horum, ob id confessio suum non perdit valorem.

Quintò pars est, *in foro spirituali, & secreto*. Dico, *spirituali*, ad excludendas confessiones, quæ fiunt coram judicibus, siue sæcularibus, siue Ecclesiasticis: non enim tales sunt materiæ huius Sacramenti. Dico, *secreto*, ad ad excludendam confessionem spiritualem, quæ fit publicè, vt in Missa fit non enim illa est pars Sacramenti. Vnde Sacerdos maximè aduertat, cùm aliqui communicare volunt, &, vt moris est, confessionem generalem præmittunt, ne det absolutionem, dicendo, *Ego te absolvo*; esset enim sacrilegium, quia talis confessio non est pars huius Sacramenti: dicat tamen verba deprecatoria, id est, *Misereatur tui: Indulgentiam, &c.* Confessio enim, quæ Sacramenti est pars, est manifestatio, quæ fit ex se secreto, & in occulto Confessori. Est igitur confessio actus hominis exterior, propriorum peccatorum, cum sui accusatione, in spirituali, & secreto foro manifestatio.

Qualis debet esse Confessio.

CAPVT VII.

MVltas conditiones bonæ confessionis Doctores assignant. Sexdecim enim multiplicant, quas profectò recensere inutile est. Maior enim illarum pars necessaria non est, ob id non sunt hominum mentes obruendæ. Attingam necessarias. Nam alias partim in definitione antecedenti dixi, partim etiam suo ordine dicemus. Conditiones, seu qualitates confessionis necessariæ, sine quibus, aut omnibus, aut vna earum confessio non est, sunt quatuor, integra, diligens, fidelis, & obediens.

Debet primum esse integra quantum ad aliqua.

Primò, vt peccata ita exprimantur, vt Confessor intelligere possit grauitatem: oppositum enim, potius est celare, & occultare peccata.

Secun-

Secundò, vt numerum exprimat peccatorum, quantum fieri possit: non enim sat est dicere, multoties hoc commisi, nisi dicat, quoties. Quòd si præcisè non recordetur, dicat plus, minusve numerum, vt recordatur. Quòd si peccatum est nimis frequens, dicat saltem tempus, vt, quod per annum habetin consuetudine blasphemare, vel falso iurare, vel se polluere. Et si etiam est in statu peccandi, sufficit exprimere tempus, vt dicere, si meretrix est, se per duos, aut per tres annos fuisse expositam cuicumq; accedenti. Aduertendum autem hic est, quod, cùm cõfitetur quis peccatum, non est opus exprimere omnes actus, qui illud comitantur, vt qui cõfitetur actum venereum, non est opus confiteri amplexus, & tactus similes, qui actum mortaliter comitantur: &, qui occidit, non est opus confiteri, quòd gladium præparauit, vel inquisiuerit inimicum: sat est præcipuum actuum confiteri, nisi aliquis actus insolitus fuit annexus. Huic annectendum puto cum Marsi. 4. q. 12. Gabr. d. 19. & Maio. quòd tenetur dicere tempus continuationis vnius peccati, vt qui per mensem integrum fuit cum voluntate occidendi, tenetur tempus dicere: nam virtualiter est numerus, & multitudo peccatorum.

Tertiò, qui dubius est de aliquo, an sit mortale, debet confiteri, alias confessio non est integra.

Tandem quartò, confessio debet esse integra, vt non solum pœnitens exprimat peccata, sed etiam peccatorum circumstantias. Circunstantiæ dicuntur, quæ non pertinent ad actus peccati substantiam, sed ipsam comitantur, qualia sunt contenta in hoc versiculo.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Præcipuæ circumstantię sunt finis, propter quem peccatur, tempus, locus, in quibus peccatur, & persona peccans, vel cum qua peccatur. Non tamen necesse est semper confiteri has circumstantias, nisi in quibusdam casibus notandis.

Primus est, quando circũstantia facit actum peccatũ mortale, quod alias erat veniale: ver. g. qui dicit mendacium iocosum vt alter occidatur, vel ob fornicationem, tenetur confiteri hũc finem: nam propter eum fit peccatum mortale, quod, sine illo, veniale tantũ erat. Rursus, qui furatur aliquid paruæ quantitatis, vt socium faciat blasphemare, est etiam obligatus eadem ratione confiteri circumstantiam. Similiter qui fecit, aliquid, quod ex se non est mortale, putabat tamen, cum fecit, esse peccatum mortale, tenetur illam circumstantiam confiteri,

quæ

quæ ad personam pertinet. Secundus casus est, cum circumstantia mutat speciem peccati, ita vt ex vnius speciei, mortale faciat alterius speciei; tunc tenetur confiteri: verb. gratia, qui furatur in ecclesia, tenetur dicere locum: nam extra ecclesiam est simplex furtum, in ecclesia est sacrilegium. Similiter, qui fornicatur in ecclesia, vel sanguinem fundit. His tribus casibus locus est manifestandus. Similiter, qui fornicatur cum coniugata, tenetur dicere circumstantiam personæ, quia est adulteriū, & si cum religiosa, quia sacrilegium, &, si cū matre, vel sorore, vel propinqua, quia incestus. Similiter quæ fornicatur, tenetur dicere, si ipsa, quæ fornicatur, est coniugata, eadem ratione.

Tertius casus est, quando ex circumstantia multiplicatur peccatum, quia etiam circumstantia, nimirum, est contra præceptum aliquod; vt qui furatur, vt adulteretur, tenetur finem exprimere, quia duo sunt peccata, furtum, & adulterium: actus enim interiores sunt manifestandi. Similiter, qui fornicatur, si religiosus est ex voto, tenetur manifestare, quia, vltra fornicationem, agit contra votum. Obseruandum autem maximè in omnibus, hoc idem, quod modò dicebam, esse faciendum in actibus interioribus. Vnde, qui consentit interius fornicationi, tenetur dicere, licèt actus non sequatur, circumstantias, an fuerit cum coniugata, an cum virgine: vnde, isti, qui peccatum mollitiei patiuntur, proprijs se polluentes manibus, tenentur exprimere personam, quam mente concipiebant, si aliquam tenebant mente mutantem speciem; & tenetur etiam exprimere in vno actu successiuè, si plures intendebāt, & Confessor debet ista exigere.

Quartus est, Circumstantia, quæ secum fert excommunicationem, est exprimenda, vt qui percussit clericum, debet personam manifestare dicendo, se percussisse clericum: vel, si in tempore prohibitio sub excommunicatione aliquid fecit.

Quintus casus casus est, cùm circumstantia est necessaria restitutioni, vel satisfactioni, annexa tertiæ personæ: vnde, qui furatus est centum, tenetur exprimere, & si mille, similiter, vt Confessor intelligat, & prouideat de restitutionis modo. Extra hos casus non sunt circunstantiæ necessario exprimendæ, quamuis peccatum aggrauetur: vnde, non est opus, qui fornicatus est die dominico, aut festo, qui periurat in ecclesia, tempus, & locum confiteri, vel alias circumstantias, vltra dictas. Hæc igitur est prima conditio confessionis, vt sit integra.

Quibus

Quibus casibus confessio non integra est valida.

CAPVT VIII.

QVamuis debeat esse confessio, vniuersaliter loquendo, integra, aliqui tamen sunt casus, quibus confessio non integra est valida.

Primus est, cùm quis, post sufficientem diligentiam factam, non recordatur alicuius, vel aliquorum peccatorum, & ob id non confitetur, illa talis confessio valida est, licèt verè non sit integra. Dico tamen post diligentiam sufficientem, quia, qui non prius conatur peccata in memoriam reuocare, si obliuiscitur aliquorum, non est valida confessio, vt dicemus infra: si tamen diligentia est præmissa est confessio, & consequitur remissionem peccatorum, etiam quorum oblitus est. Quod si memoriæ posteà occurrant, debet confiteri, vel eidem, vel alteri Sacerdori, vt liberetur, habenti tamen facultatem audiendi confessiones. Nec tenetur, si post Pascha in mentem occurrant, statim confiteri, sed potest in alium annum reseruare, sicut peccata post communionem commissa, vt tenet Syluester, verbo confessio. 1. §. 3.

Alius casus est, cùm mors imminet: si enim infirmus non habet tempus confitendi omnia peccata, sed aliqua tantùm, poterit absolui. Idem intelligendum est de eo, qui omnia peccata proferre non potest, vt mutus, qui nutu solùm potest aliqua exprimere, non omnia: talis absoluendus est. Est autem hic notandum circa mortis articulum, quòd vt penitus talis absoluatur, sufficit motus, vel signum aliquod, quo peccatum aliquo modo manifestetur, vel se velle peccatorum absolutionem: non solùm hoc, sed etiam si ante aduentum Confessoris petijt confessionem, illo autem aduenient iam perdidit sensum, tunc, si adstantes confirmant illum petijsse confessionem, potest absolui. Ita tenet Sanct. Anton. in summ. de pecca. & Sacerdotale Romanum. Immò hoc expresè docent canones 26. quæst. 6. can. 15. qui infirmitate, & can. ægrotantes, de consecrat. d. 4. quicquid velit Sotus, qui id negat. 4. d. 18: quæ. 2. art. 5.

Tertius casus est, quando pœnitens habet casus aliquos reseruatos superiori. Et quamuis in hoc multæ sententiæ sint Doctorum, dicâm, quid probabilius tenendum. Casus, à quibus Confessarius inferior non potest absoluere, sunt in duplici differ-

ci differentia. Quidam reseruati sunt ratione excommunicationis: quidam ratione ipsorum peccatorũ, propter aliquam ipsorum grauitatem. Omnes conueniunt in hoc, quòd cùm pœnitens habet aliquod peccatum reseruatum cum excommunicatione, non potest ab vllo peccato absolui ab inferiore, nisi prius per superiorem ab excommunicatione liberetur. Cùm verò nulla excommunicatione est reseruatum, tunc esse dico probabilius, quòd vel pœnitens adeat primò inferiorem, vel superiorem. Si primò inferiorem, debet omnia peccata confiteri, etiam reseruata, & tunc ille inferior absoluere ab his debet, à quibus potest, & remittere ad superiorem, vt absoluatur à solis reseruatis. Ita tenet Siluester, verbo confessio. 1. §. 20. & Soto, loco allegato, & alij. Et hoc non est dimidiare confessionem, quia facta est integra, sed potius absolutionem. Hoc dico fieri posse; tamen consilium est, prius intentare aliquam viã, putà, vel vt prius pœnitens petat talẽ facultatẽ, à superiore, vt à quouis inferiore absoluatur, vel q̃ ipse inferior petat talẽ facultatẽ q̃. profectò superior debet dare, nisi id aliquãdo nõ expedire cõuenienter iudicauerit. Quòd si pœnitẽs primò adeat superiorẽ, q̃uis melius esset, vt omnia audiret superior, tamen si non vacat, potest tantùm reseruata audire, & absoluere ab his, & remittere ad inferiorem, vt à reliquis absoluatur: & talis videtur iam non integra, quamuis inferiori integrè debeat confiteri etiam reseruata. Hoc tenet Soto loco allegato, Dur. 4. distinct. 17. quæst. 1. & Caietan. verbo absolutio. Hic autem aduertendum est, quòd cùm Episcopus, vel superior absoluit à sibi reseruatis, datur gratia, qua omnia alia consequenter remittuntur. Similiter quando inferior absoluit ab ijs, à quibus potest, datur gratia, qua reseruata remittuntur, sed non ob id eximitur obligatio confitendi, vel superiori reseruata, vel inferiori omnia: sicut cum sola contritione datur gratia, qua peccata remittuntur; sed non ob id obligatio confessionis aufertur.

Quartus casus est, quando ex peccato aliquo, vel circumstantia manifestata in confessione, sequeretur vel pœnitenti, vel Confessario, vel tertiæ personæ damnum graue, vel in vita vel in fama, vel in pecunia, vel aliquod damnum speciale: tunc enim alius est quærendus Confessarius, vel petenda facultas a superiore confitendi alteri: vel confiteri potest occulte, non manifestando quis sit. Quando verò nihil ex his fieri potest, confiteri debet alia peccata, tali peccato,

vel

vel tali circumstantia dissimulata, donec commodè possit confiteri.

Ita tenet Nauarr. cap. 7. & Caietanus verbo confessio, & Soto loco allegato, & communis sententia: quamuis aliqui velint, quòd tunc est relinquenda cõfessio, sed probabilius reputamus quod dictum est. Exemplis declaramus. Si quis occidit fratrem Confessarij, & timet, si illi cõfiteatur, tale homicidium, quòd statim conijciet, illud esse fratris sui, & probabiliter cognoscet, illum facturum vindictam, non tenetur tale confiteri, sed dissimulare, cùm non potest alteri confiteri, & instat necessitas confitendi. Rursus, commisit quis peccatum carnale, probabiliter cognoscit, quòd ex illius confessione, Confessarius peccabit mortaliter, maximè si est fœmina, quæ confitetur, quia nimirum Confessarius illam sollicitabit, debet dissimulare tale peccatum. Ita tenet etiam Silu. verb. o confess. 1. §. 19.

Rursus, si cognosci Confessarium reuelaturum peccatum aliquod, est etiam tacendum. Quando verò ex hoc non sequitur nisi sola infama occulta tertiæ personæ, non autem mors, aut publica infamia, vel aliud graue malum, vt si quis fornicaretur cum matre, si diceret talem circumstantiam, tunc mater diffamata esset apud Confessarium, crederem esse necessariò confitendam cum Soto, Bonauen. 4. distinct. 21. & Gabriel. distinct. 17. quæst. 1. concl. 5. & Siluestr. verb. confessar. 1. §. 28. quamuis Nauarr. capit. 7. oppositum teneat. Nobis tamen id non videtur; nam non est vera ratio infamiæ in confessione sola, alias idem se diffamaret: cùm tamen non pertinet tertia persona ad peccati pœnitentis manifestationem, nullo modo est in confessione exiprimenda nominatim. His modis, potest dici confessio non integra. Simpliciter tamen non dicitur dimidiata, sed integra, scilicet voluntate pœnitentis, quia est paratus integram facere, nisi impedimentum occurreret.

Quintus casus est, cùm sunt peccata venialia, vel mortalia alias confessa: nam quia ista non sunt de necessitate confessionis, potest aliquis aliquot peccata confiteri, alijs prætermissis.

De

De alijs confessionis qualitatibus.

CAPVT IX.

CONfessio etiam debet esse *diligens*, id est, qui confiteri vult, debet prius diligentiam aliquam facere, vt peccata omnia in memoriam reducat. Qui enim, nulla præmissa diligentia, confessioni accederet, non est à Confessore admittendus: &, si peccata aliqua ex obliuione relinqueret, quæ tamen posteà subirent in memoriam, propter negligentiam, esset confessio denuò ex integro facienda. Non debet esse ista diligentia æqualis in omnibus, sed pro ratione vitę, & temporis, ex quo homo non confessus est, & pro ratione etiam memoriæ cuiusque. Vnde, qui pluribus negotijs, in quibus frequens est periculum peccandi, inuolutus est, maiorem diligẽtiam adhibere tenetur, quàm qui non tot negotijs inuoluitur. Similiter, qui plus temporis à confessione vacauit, quàm qui minus. Similiter, qui non tam fœlici memoria pollet, quàm qui facili. Rursus ista diligentia debet esse moralis, pro recto iudicio cuiusque, vt mediocre aliquod adhibeatur studium, quantum humano, & communi modo sufficiat ad peccatorum recordationem, vt ipsemet secundum rectum iudicium, quod in se est, cognoscat fecisse.

Debet etiam confessio esse *fidelis*, id est, vera.

Primò, vt pœnitens nihil neget ex his, quæ commisit, & aliquid non imponat sibi scienter ex his, quæ non commisit. Mentiri enim in confessione, graue peccatum est, quamuis nõ semper sit mortale, nisi cùm peccatum negatum, vel falsò affirmatum est mortale: quando verò est veniale, mendacium non est mortale, quamuis id velit Caietan. 2. 2. in materia de mendacio: sed oppositum est tenendum cum communi sententia. Non enim veniale est materia necessaria confessionis. Ang. verb. confessio §. 6. quod intellige; quando veniale non fit necessaria materia confessionis, vt si nõ haberet aliud peccatum. Armilla verb confessio. §. 5.

Debet etiam esse vera, vt, quod dubitat fecisse, cum tali dubio confiteatur, & non affirmando omninò; sicut nec, quòd certò scit fecisse, cum dubio est confitendum. Debet esse vera etiam, vt circumstantias minuentes peccatum, saltem quantũ ad speciem, dicat pœnitens. Vnde, si quis vescatur carnib. diebus Quadragesimæ, propter aliquam causam excusantem à

mortali, non debet absolutè in confessione dicere, se comedisse carnes tempore prohibito, nisi causam exprimat. Similiter de alijs circumstantijs aliquo modo minuentibus peccatum, licèt non mutantibus speciem, non tenetur exprimere: quamuis melius semper est, quantùm exprimi potest, manifestare; cùm non sit excusandi causa, sed purgandi se desiderio.

Quarta conditio confessionis est, *vt sit obedire parata*, id est, vt pœnitens habeat animum, & propositum exequendi quod Confessor iudicauerit necessarium erga ipsius conscientiam, scilicet, paratus restituere tertiæ personæ, si Confessor iudicauerit: paratus etiam fugere occasiones peccatorum, & remedia acceptare, quia etiam Confessor iudicauerit. Rursus, acceptare pœnitentiam, quam Confessarius iniunxerit. Et in hoc nō est audiendus Caiet. verb. absol. qui tenet, quòd potest pœnitens non acceptare pœnitentiam à Confessario, & dicere, se velle eam in purgatorio à Deo accipere: sed oppositum est tenendum cum Palud. 4. d. 17. q. 2. art. 1. & cum communi sententia: tenetur enim acceptare. Nam Confessor est iudex, vt habetur Concil. Trid. sess. 4. Iudex autem pœnitentem & reum potest obligare ad impositam satisfactionem. Propter hæc igitur confessio dicitur etiam obedire parata: necesse opus, quod pœnitens cum isto proposito obediendi actualiter veniat; satis est, quod non habet contrarium propositum: tunc enim ineptus est omnino confessioni, & absolutioni recipiendæ. Hæ sunt conditiones necessariæ confessioni, vt valida sit.

Quibus in casibus confessio sit denuò facienda.

CAPVT X.

ALiquando homo talem facit confessionem, vt præcepto confessionis semel in anno faciendæ non satisfaciat, nisi iterum peccata confessa manifestet, immò vt confessio illa facta nulla sit. Hi autem casus multi sunt. Sumuntur autem ex parte pœnitentis, ex parte Confessarij, & ex parte contritionis, vel confessionis, vel satisfactionis. Ex parte pœnitentis vnus est casus, quando excommunicatus est, siue maiori, siue minori, si confessioni accedat, & absolutionem recipiat, nō ablata prius excōmunicatione, confessio nulla est: nō enim capax est subiectum tale huius Sacramenti, vt tenet

S. Tho.

S.Tho.in 4.d.18.q.2.art.5.quæstiuncula 1.ad 2.Tabie. verb. Absol.1.§.10.Palu.d.17.q.5.art.3.Sylu verb confess.§ 6.& Sot. 4.dis. 16.q.3. & Fumus, verb.absolutio.§.5.quod est intelligendum de eo,qui accedit scienter,vel cum ignorantia crassa : nam si habeat ignorantiam inuincibilem iuris,vel facti , hoc est, quia vel nescit se esse excommunicatum,vel ignorat excommunicarum non posse confiteri,valida erit confessio, & verum sacramentum.ita habet Adrian.qu.2.de confess.Palud. d. 18. q.4. Led.2.p.q.23.art.1. & ratio est,quia Ecclesia non intendit priuare sacramento excommunicatum in huiusmodi ignorantia positum,quod patet ex c.Apostolicæ de cler. excom. min. vbi ait Papa excommunicatum celebrantem cum huiusmodi ignorantia,non incurrere pœnas iuris.

Secundus casus est ex parte Confessarij, in quo sunt tres casus,in quibus confessio iteranda est.

Primus,quando Confessarius non habet facultatẽ,vel ordinariã,vel delegatam confitendi:tunc enim deficit iurisdictio; & in hac parte,perinde est ei cõfiteri ac laico:iteranda enim est confessio,nec sufficit ratihabitio,id est,ante iurisdictionẽ confiteri cum proposito impetrãdi post confessionem facultatẽ: hoc,inquam,non sufficit:ratihabitio enim , non habet virtutem faciendi Sacramentum,quod non fuit Sacramentũ.Secus si esset facultas probabilis,& tunc esset verè confessio:v.g.cùm Episcopus scit aliquẽ audire confessiones, & non prohibet,vius est probabiliter dare facultatem,modò verò Concil. Trid. sess.23.c.15. statuit esse necessariam approbationem Episcopi expressam,quæ gratis, & sine pecunia danda est.

Alter casus ex parte Confessarij est,cùm est excommunicatus,vel nominatus, vel publicus percussor clerici. In hoc enim casu vterque vitandus est excommunicatus: & qui confiteatur vni eorum extra necessitatem extremam, tenetur iterare confessionem,cùm primum scit ipsum fuisse excommunicatum:si enim ignorabat excommunicatum, non peccauit accedendo,quamuis confessio sit nulla: si autem sciebat, peccauit accedendo. Alios excommunicatos, vt superius diximus, non tenemur vitare,sed possumus illi confiteri, quamuis ipsi peccent audiendo confessionem : vnde,si Curati non sunt, quibus ex officio incumbit audire confessiones, vel non sunt expositi audiendis confessionibus,nullus debet extra necessitatem excommunicatum ad confessionem audiendam inuitare,vt alibi declarauimus.

Tertius casus est ex parte etiam Confessarij, cùm ità est ignarus, vt nesciat inter peccatum veniale, & mortale discernere, nec conscientiam pœnitentis iudicare: Vnde, si quis cõfessus fuit alicui peccata sua, & postea per colloquia, vel per confessiones cognoscat ignorantiam illius Confessarij, nimirum quia quod apertè est peccatum mortale, ille putabat non fuisse peccatum, vel contra, tunc confessio esset iteranda. Et aduerte istam ignorantiam considerandam esse respectu pœnitentis in peccato mortali. Potest enim esse Confessarius aptus, & doctus respectu vnius, non tamen respectu alterius: quia hic habet casus multum difficiles, qui talis Confessarij capacitatem multum excedunt: vnde mercatores, qui sibi quærunt Confessarios, qui suas negotiationes non intelligunt, ne restitutioni obligentur, tenentur iterum confiteri, debent etiam quærere Confessarios intelligentes. Similiter, iteranda esset confessio, si fuit tam ignarus Confessarius, vt debitam absolutionis formam ignorauerit: quod superioribus diebus de quodam audiuimus, qui absoluendo dicebat, Pater noster, qui tales fuerãt cõfessi, cùm id resciuerint, tenentur iterũ peccata confiteri. His modis ex parte Confessoris est iteranda confessio.

TERTIVS principalis casus est ex parte contritionis, qui triplex esse potest.

Primus, cùm quis accedit sine vllo dolore, & peccati detestatione: confessio enim sic facta iteranda est: nec enim confessio, sed historia est.

Secundus est, cùm quis accedit cum proposito non cauendi à peccato: si talis enim esset, accuset se de isto peccato. Qui non habet propositum vitandi peccatum aliquod, tenetur rerum confiteri, & absolutio nullo modo ei danda est cum tali dispositione, nec data aufert obligationem confitendi.

Tertius casus est, cum habet conscientiam, se non accedere contritum: peccat enim sic accipiendo absolutionem, nec valida est confessio: quod intelligendum est de attritione, quæ est imperfectus dolor præteriti, & imperfectum propositum futuri: nam si sit vera detestatio culpæ præteritæ, & propositum cauendi ob pœnas inferni, puto, quod licet sciat homo, se esse attritum, est vera confessio, & accedentibus hoc modo absolutio dat gratiam, vt colligitur ex Concil. Trid. sess. 13. cap. 4. Cùm tamen aliquis existimat se sufficienter dispositum, quamuis non verè sit, immò quamuis sit taliter dispositus, quod nõ consequatur gratiam ex absolutione, immò si peccabit accedendo

dendo, si tamen ipse putet illam attritionem sufficiētem esse, confessio non est iteranda, vt tenet Soto loco allegato. Sed cùm illi constiterit malè accessisse, quia dolebat de peccato, & habebat propositum, sed imperfectè, & insufficienter, tunc sufficiet hoc confiteri, sed non est opus peccata iterum exprimere.

Quartus casus est ex parte confessionis: cùm enim non est integra, extra illos casus superius expressos, iteranda est, siue proueniat, quia scienter occultauerit aliquod peccatum mortale, siue quia ignorabat esse mortale, tamen ignorantia nimis crassa: nam si ignorasset ex alia ignorantia excusabili, reiterare non teneretur, sed solum illud peccatum confiteri. Siue etiam oblitus fuerit, tamen obliuio processit ex eo, quòd non præmisit vllam diligentiam: tunc enim tota esset iteranda, & negligentia accusanda.

Quintus casus est ex parte satisfactionis, cùm quis accedit cū animo non satisfaciendi id, quod Confessor expedire iudicauerit quantum ad illa, in quibus pœnitens obedire tenetur, vt diximus in capite antecedenti: tunc enim facta confessio nulla est, licet nihil Confessor præcepit faciendum; quia pœnitens habebat peccatum illud, scilicet voluntatem non obediendi, quod non manifestauit: quia si manifestasset, absoluēdus non erat: & confessio valida non erat, stante illo proposito, quamuis absolutio ei impenderetur, quam dare, peccatum esset graue danti, & recipienti. Nota tamen, quòd si quis acceptat pœnitentiam à Confessore, si postea oblitus est, non tenetur iterare confessionem, vt putat non benè Sylu. verb. confess. 1. immò neque tenetur, licèt nolit voluntariè implere, vel in peccato impleat, quamuis illud sit peccatum, vt tenet Nauarr. c. 9. Vnum tamen hic est aduertendum, cùm iteranda est confessio, si alteri fiat Confessori, ex integro sunt omnia peccata iterum exprimenda; si verò eidem fiat, non est opus in particula repetere, sed in communi tantùm, exprimendo aliud, si superest: dummodò tamen Confessor, aut peccatorum recordetur, aut saltem pœnitentiæ à se impositæ, aut saltem status, & vitæ hominis in communi. Cum autem nihil horum sciuerit, oportet iterum omnia repetere, ac si nouo confiteretur Sacerdoti. Hi sunt casus, in quibus est confessio iteranda.

De *satisfactione.*

CAPVT XI.

TErtia pars materiæ huius sacramenti, est satisfactio. Circa quam aliqua consideranda occurrunt.

Primum est, quid ipsa sit. Est autem satisfactio, vt in præsenti sumitur, offensæ præteritæ quoad pœnam recõpensatio. In cuius declaratione aduertendum est, cùm culpa remittitur in sacramento Pœnitentiæ, non semper deleri totã pœnam. Sunt enim in mortali peccato duo, scilicet macula, & reatus pœnæ æternæ. Per sacramentum generaliter abstergitur macula: per gratiæ infusionem etiam aufertur pœna, sed non semper tota; sed manet pœna temporalis in hoc mundo, aut in purgatorio soluenda. Et hoc determinatur in Concil. Trid. sess. 4. sub Iulio 3. c. 8. Hinc fit, vt post confessionẽ, & absolutionem, quibus culpa quoad maculam remittitur, sequatur satisfactio.

Secundò aduertendum est tria esse, per quæ potest fieri hæc recompensatio, vt oẽs communiter tenẽt, ieiunia, orationes, eleemosynas. Per ieiunium, non solum oportet intelligere laborum abstinentiam, sed etiã omnia opera pœnalia corporis, & disciplinas, corporis castigationes, peregrinationes, & alia huiusmodi. Per orationes etiã, non solum meditationes, aut preces vocales, sed etiam opera spiritualia intelligimus, & missarum celebrationes, per prædicationes, lectiones, & alia huiusmodi. Per eleemosynas etiã intelligimus non tantũ pecuniarũ largitiões, sed alia opera misericordiæ corporalia, vt visitare infirmos, incarceratos, consolari pupillos, & alia huiusmodi. His omnibus fit satisfactio Deo pro pœna debita peccatorum.

Tertiò aduertendũ est, esse duplicem satisfactionẽ, alteram, quæ fit per opera imposita a Cõfessario pro satisfactione: alteram, quæ fit per ea opera, quæ voluntariè quisq; assumit sibi. Est autem duplex discrimen inter vtramque satisfactionem.

Primum est, cæteris paribus, maioris efficaciæ est illa, quæ a Confessario imponitur, quam quæ voluntariè assumitur. v. g. ieiunas semel pro imposita pœnitentia, maior pœna, cæteris paribus, remittitur tibi, quàm si semel voluntariè ieiunas, quia illa est ex satisfactione, quæ pars est sacramenti, & ratione huius sacramenti magis applicatur virtus Christi in hoc ieiunio im-

posi-

posito Dixi, cæteris paribus, quia tanto feruore & deuotione posses illud facere voluntariũ, & tam tepidè impositũ, vt plus esset q̃ ex deuotione maiori das, quã quod ratione sacramẽti.

Alterum discrimen est, satisfactio voluntaria, cùm in peccato mortali sit, nihil prodest ad pœnam tunc, nec etiã quando homo cõsequitur gratiã: v.g. est in peccato mortali aliquis, & vult satisfacere pro pœnis, ad quas ex alijs peccatis remissis tenetur, verè per talia opera, nec tunc, nec post satisfacit: at verò per ea, quæ imposita sunt à Confessario, tunc, cùm fiunt, non satisfacit: at verò, cùm homo consequitur gratiam, illa præcedens satisfactio consequitur suum effectum, vt dicit benè Caiet. verb satisfactio, quia erat pars sacramenti. Sacramẽtum autem; vt alias diximus, quandoq; post tempus aliquod consequitur effectum: vt fit in accedente fictè. Scotus putat quòd satisfacit etiam tunc, licèt sit in peccato; sed oppositum est probabilius cum communi sententia: solùm enim satisfacit tunc quoad confessionem, ita quòd non peccat denuò non implendo pœnitentiam, nec tenetur confessionẽ iterare, sed non quoad Deum. Qui ergo pœnitentiam impositam implet in mortali, non tenetur illam reiterare, quia satisfacit Confessario; sed Deo non satisfacit, nisi gratia accedente.

Quartò aduertendum est, quòd pœnitenti debet, & tenetur Confessarius imponere pro peccatis pœnitentiam satisfactoriam, nisi in casu, quo pœnitens non posset acceptare, & adimplere, quale est tempus mortis vrgentis, vel cùm pœnitens nõ habet actuale iudiciũ in articulo mortis, sed absoluitur ex præcedenti confessione, vt diximus. Cùm vero moriens tempus habet, & possibilitatẽ acceptandi, imponi debet, vt, si fortè vixerit, impleatur. Tenetur etiam pœnitens acceptare pœnitentiam, si iusta est à Confessario imposita, aliter non est absoluẽdus, vt diximus capite præcedenti. In imponenda autem pœnitentia Confessarius debet considerare grauitatem peccatorum, & ipsorum qualitatem, & personam pœnitentis. Grauitatem quidem, vt non leues pœnitentias, & pro arbitrio imponat, sed grauitatem peccatorum considerando, vt habetur in Concilio, loco allegato: qualitatem autẽ, vt pœnitentiæ, quãtum fieri potest, peccatis contrariæ sint: carnis peccatum, carnis maceratione castigetur: Auaritia, eleemosynis: periuria, & blasphemiæ, diuinis laudibus, & maximè sacrorũ frequentatione, pro omnib. peccatis. Personam quidem pœnitentis, vt consideretur quantum persona possit exequi, & quæ: nec

enim pauperibus eleemosynas, nec famulis peregrinationes, nec etiam quæ statui, aut viribus, aut dispositioni pœnitentis repugnent, imponere debet. Quamuis autem, quantum fieri potest, satisfactio iusta, & æqualis imponi debeat, tamen multis de causis Confessor potest diminuere pœnitentiam.

Primò, quando pœnitens accedit nimis contritus. Contritio enim grandis multum de pœna debita aufert.

Secundò, quando est tempus indulgentiæ, vel Iubilei alicuius, quod etiam remittit magnam partem pœnæ, & aliquando totam, adhuc tamen imponenda est aliqua pœnitētia propter consuetudinem.

Tertiò, quando pœnitens est ita imperfectus, vt timor sit, ipsum non acceptaturum pœnitentiam, vel si accipit, non impleturum.

Quartò, quando pœnitens impedimentum habet, vel quia senex, vel quia debilis, vel quia aliis modis non ita potest facilè tantam implere pœnitentiam.

Quintò, quando alia via iuuantur pœnitentia, & satisfactio scilicet, imponendo illi omnia, quæ facturus est bona, & quæ passurus est patienter mala, loco pœnitentiæ. Est enim sciendum, quòd opera aliàs debita Deo, si imponantur à Confessario, vel si à pœnitente Deo in satisfactionem offerantur, valēt vltra obligationem, cui etiam satisfaciunt. Vnde optimo consilio, in forma absoluendi adiungitur illud, *Quicquid boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, & in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.*

Imò quilibet benè faciet, si actus vitæ suæ bonos Deo offerat, in satisfactionem præcedentium peccatorum: tanta enim est Dei benignitas, vt opus vnum multis de causis debitum, etiam acceptet in remissionem peccatorum. Vnde posset Confessor pro pœnitentia imponere opera aliàs debita, vt quòd ieiunet tres dies Quadragesimæ, duos tamen tenebatur ieiunare, aliàs pœnitens: nō tamen id semper est faciendū. Quandoq; aūt Confessarius absolutè imponit pœnitentiam, intelligitur de opere aliàs indebito, vt cum dicit, ieiuna duos dies, non debēt esse nisi dies, in quibus non est præceptum ieiunandi; vt si dicat pœnitenti, ieiuna tali hebdomada duos dies, si ex necessitate aliqua pœnitens non potuit, debet in alia implere, vt tenet Caiet verb. satisfactio Idē etiam de tēpore in alijs pœnitētijs dicēdum est. Aduertendum est verò, quod vnus Cōfessarius

non debet mutare pœnitẽtiam impositam ab altero sine causa: cùm verò causa est, vel quando videt pœnitentem non impleuisse, & timet etiam non impleturum, vel videt pœnitenti non esse aptam, vel alia iusta de causa, potest eam commutare in aliam prout expedire melius iudicauerit, vel illam etiam minuere: nec opus est ad hoc, vt pœnitens repetat, pro quibus talem accepit pœnitentiam.

Aduertendum sextò, quòd potest vnus satisfacere pro altero: verbi gratia, in ieiunio sunt duo, vnum est meritum ieiunantis: si enim est in gratia, meretur per ieiunium. Alterum est satisfactio: nam vltra meritum, consequitur, qui ieiunat, remissionem pœnæ pro peccatis debitæ. Potest vnus pro altero ieiunare, vel alia bona opera facere, sed quòd est meriti, sibi, non alteri dare potest; quod verò satisfactionis, alteri potest dari. Vnde vnus pro alio satisfacit, dummodo tamen vterque sit in gratia. Potest ergo Confessarius imponere pœnitẽtiam pœnitenti, per se, vel per alium implendam, licèt non debet facere absq; rationabili causa. Quòd si Confessor non id facit, non habet pœnitens facultatem, vt quod à se implendum est impositum, per alterum impleat, nisi necessitas sit, vt propter infirmitatẽ, vel impossibilitatẽ aliquã: semper tamẽ est maioris efficaciæ pœnitentia facta ab eodẽ, quia prodest ad meritum, & ad satisfactionem; facta verò ab alio, ad solam satisfactionem. Hoc tamen vnum aduertendum est, quòd pœnitentia imposita à Confessore, quamuis, vt diximus, magis prosit, quàm voluntariè assumpta, non tamen semper adhuc delet totam pœnam, sed partem aliquam, nisi tam grandis sit, vt totam auferat. Sed humana fragilitas non patitur tales pœnitentias. Ob id, meritò indulgentijs, & omnibus bonis operibus vitæ iuuamur, & adhuc in purgatorio soluenda post obitum ferimus.

De Absolutione.

CAPVT XII.

HActenus de materia tam remota, quàm propinqua Sacramenti huius loquuti sumus, sequitur, vt de eius forma nonnihil dicamus. Est autem forma, *Ego te absoluo à peccatis tuis*. Nec omnia verba necessaria sunt huius formæ ad necessitatem sacramenti. Quamuis enim solùm Confessarius

dicat, *Te absoluo*, sufficeret : tamen graue peccatum esset, aliquod ex illis verbis scienter prætermittere. Solent autē aliqua verba ex consuetudine, & decentia præmitti, vt, *Misereatur tui omnipotens Deus. &c*: & alia etiam postponi, vt, *Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita*, quæ absq; causa ab vllo non sunt prætermittenda.

Notandum tamen est.

Primò circa istam formam, non esse addenda alia verba, præter ista prædicta, quæ sunt in communi omnium vsu. Vnde ridendi sunt illi, qui dicunt, *Ego te absoluo ab omnibus peccatis confessis, contritis, & oblitis* : sunt enim superflua duo verba addita, primum, & tertium: secundum autem malè ponitur: nam absolutio est peccatorum non solùm contritorum, sed etiam attritorum. Et multò magis ridendi sunt, qui cum quadam auctoritate Pontificali dicunt, *Absoluo te ab omnibus peccatis confessis, & non confessis, contritis, & non contritis, oblitis, & non oblitis, & restituo te sanctæ Romanæ Ecclesiæ*; nam omnia huiusmodi verba ad libitum confecta, remouenda sunt à forma sacramēti, quamuis addita ipsam non mutent.

Notandum secundò, quòd, cùm excommunicatione aliqua tenetur pœnitens, à qua soluendus est à Confessario, prius absolutio fiat ab excommunicatione, siue maiori, siue minori, quàm à peccatis absolutio impendatur: immò melius esset, ante ipsam confessionem peccatorum, absolui ab excommunicatione, licèt non sit necessarium.

Tertiò aduertendum est, quòd absolutio non debet impēdi cum conditione, aut ratihabitione.

In cuius gratiam nota, quòd triplex conditio potest apponi absolutioni.

Vna est de præterito, vt, *Si feciſti hoc, ego te absoluo.*

Altera est de præsenti, vt, *si ita est, ego te absoluo.*

Tertia de futuro, vt, *Ego te absoluo, si hoc feceris.*

Cum verò dependens est à tertia persona, scilicet, *Ego te absoluo, si Episcopus posteà consenserit*, sic dicitur absolutio cum ratihabitione, Nulla ergo conditio est apponenda, nisi ratione dubij alicuius, vt cùm dubitat, an dederit absolutionem, potest dicere ratione dubij, *Si non es absolutus, ego te absoluo*: tamē aliæ conditiones apponendæ non sunt; differenter tamen: nam si dictæ priores apponātur, valet absolutio, stāte cōditione posita, sed malè facit Cōfessarius; tamē si tertia persona ponatur, nihil valet. Nam effectus deberet expectare impletionem cōditionis,

quod

quod esse non potest: non enim Sacerdos potest differre effectum positæ absolutionis. Vnde Confessarius non debet talē apponere conditionem, intendendo sic conditionaliter absoluere: cūm tamen conditio aliqua est ponēda, non debet esse in forma ipsa, sed debet pœnitenti iniungi, quam si recipiat, absolutè est absoluendus. Immò, cùm Episcopus dat facultatē absoluēdi aliquem alicui Confessario, ea conditione, vt eum mittat posteà ad ipsum, tunc Confessarius non debet apponere conditionem in forma, sed obligare pœnitētem, vt adeat superiorem: quòd si receperit, absolutè est absoluendus. Et, si posteà fortè pœnitens non impleuerit, non tenetur repetere confessionem illam, sed solùm confiteri illud peccatum, quòd non impleuit, quod promisit.

Quartò, aduerte non esse dandam absolutionem, nisi post impositam, & acceptam pœnitentiam. Cum tamen probabiliter scit Confessarius, pœnitentem accepturum, non est incōueniens præcedere absolutionem. Semper tamen melius est, quòd pœnitentiæ impositio præcedat, nisi Confessarij obliuio aliquando id prætermittat. Aduertendum verò, quòd semel est adhibenda absolutio in vna peccatorum confessione: quòd si multæ sint, licet sint eorundem peccatorum, multiplex potest esse absolutio. Nam eadem peccata sæpe possunt pœnitentes confiteri, & in varijs confessionibus alias etiam, & alias absolutiones recipere; & sæpe generaliter multi confiteri solent: non tamen esse debet tam assidua repetitio eorundem, vt sit iam res ridicula, præsertim cùm simus tam imperfecti, vt noua numquam deficiant, quæ possimus confiteri. Quòd si quis intentaret bis absoluere in eadem confessione, grauiter peccaret, nullam tamen inde contraheret irregularitatem, quia talis non est expressa in iure.

De Confessario.

CAPVT XIII.

Circa Confessarium sunt considerandæ duo.

Quædam, quæ ad rationem Confessarij pertinent, adeò quod absq; eis absolutio data nulla esset.

Quædam sunt, quę ad rectitudinē sui officij pertinēt, quamuis, ipsis prætermissis, absolutio non impediatur. De prioribus oportet nunc tractare, quæ sunt quatuor. Ordinis

pote-

potestas non impedita, iurisdictio non impedita, proprietas scientiæ, facultas.

In primis est necessarius ordo, non quicumque, sed Sacerdotalis, vt sit Sacerdos: vnde laico, aut alium habenti ordinem absq; Sacerdotio, nulla fit confessio sacramentalis. Solent aliqui in mortis articulo, Sacerdote deficiente, laico confiteri, sed in primis ad talem confessionem nullus tenetur: potest tamen, si putat aliquam aliam consolationem ex tali manifestatione peccatorum facere, maximè in satisfactionem, & meritum, quæ ex actu illo, quo sua crimina alteri humiliter ostendit, proueniant: cùm tamen nullum tale sperat, vel timet ipsum reuelaturum, non debet confiteri; & quantum puto, meliùs esset, si non faceret, sed illo tempore ad Deum per contritionem se conuerteret. Quod si fiat, nullo modo laicus debet absolutionis verba impendere, & si impendat, peccat, & nihil facit quamuis non contrahat irregularitatem: posset tamen verba deprecatoria dicere. Est igitur necessaria ad Confessarium potestas ordinis.

Debet autem esse non impedita: nam suspensus ab ordine nominatim, non potest absoluere, quamuis sit Sacerdos. Similiter nec depositus, nec degradatus, nisi in mortis articulo, vt diximus lib. 1.

Necessaria est secundò iurisdictio aliqua, saltem in foro exteriori. In cuius gratiam aduerte, esse triplicem iurisdictionē, ordinariam, delegatam, iure concessam. Ille habet iurisdictionem ordinariam, cui ex officio incumbit animarum cura, vt Parochus, Episcopus, & alij huiusmodi. Ille verò delegatam habet, qui ex commissione eorum, quibus ex officio incumbit habet. Et hæc dupliciter haberi potest.

Vno modo expressè, cùm ordinarius manifestè concedit alteri, vt possit confessiones audire.

Altero tacitè, vt cùm Episcopus, vel Curatus videns aliquē confiteri, tacet, & non prohibet, tacitè iurisdictionem dat. Ille verò habet iurisdictionem iure concessam, qui habet confitēdi facultatē ex eo, quòd pœnitens habet licentiam à iure, vel a priuilegio aliquo, vel alia causa ipsum in Confessarium eligēdi. ver. gra. Prælati possunt sibi Confessarios eligere, vt dicemus postea. Similiter, qui habet Apostolicum diploma. Tales Confessarij dicuntur habere iurisdictionem iure concessam. Hæ iurisdictiones sunt, quibus, saltem vna earum debet non arere; si enim nullam earum habet, non potest absoluere, nisi

in mor-

in mortis articulo: immò tunc Sacerdos dici posset habere iurisdictionem iure concessam aliquo modo. Extra casum tamē istum, aliqua prædictarum iurisdictionum est necessaria simpliciter ad Confessarium. Debet autem iurisdictio non esse impedita per nominatam excommunicationem, aut clerici publica percussione, aut aliquo impedimento, de quib. suprà, lib. 1. satis diximus.

Vltra has duas conditiones, tertia est necessaria, scilicet proprietas, vt Confessarius sit proprius pœnitenti. Ad quod sunt duæ conditiones necessariæ.

Altera est, vt habeat iurisdictionem in ordine ad pœnitentem, id est, non sat est habere iurisdictionem, sed ea debet esse in ordine ad pœnitentem, vt sit ei subiectus. Qui enim habet iurisdictionem Romæ, non potest audire eos, qui sunt Mediolani, quia talis iurisdictio non extenditur ad eos: & hoc est necessarium in iurisdictione delegata, & iure concessa.

Altera est, quòd talis iurisdictio sit ordinaria in ratione officij. Talis Confessarius dicitur proprius, cæteri verò Confessarij habentes iurisdictionem delegatam, vel iure concessam non dicuntur proprij Confessarij, nisi largè sumpto vocabulo, sed dicuntur legitimi Confessarij: debet igitur Confessarius esse proprius. Hoc autem non est sic intelligendum, quasi sit necessarium confiteri proprio Sacerdoti simpliciter: potest enim quis confiteri alteri habenti iurisdictionem alijs duobus modis: sed dicitur necessarium sic, quod cum non est alius habens iurisdictionem delegatam, vel iure concessam, tenentur pœnitētes ad proprium recurrere Confessarium. Sunt autem proprij quatuor, Parochus in sua parochia, Episcopi in sua diœcesi, & Archiepiscopus in diœcesi etiam Episcoporum, qui ei subsunt; solo tamen tempore visitationis, vt habetur cap. vlt. de cens. lib. 6. Rursus Papa in toto mundo, & superiores Religiosorum in suis conuentibus. Hi dicuntur Sacerdotes proprij, qui ex officio iurisdictionem habent. Quia verò diximus, omnes teneri proprio Sacerdoti confiteri, nisi confitean tur ei, qui ex commissione habet iurisdictionem, vel iure concessam, notare oportet, omnes Prælatos habere facultatem à iure eligendi sibi Confessarium: ob in, non est opus solicitos esse in quærendis proprijs Confessarijs Prælatorum. Ista concessio habetur à Gregor. IX. cap. pro dilatione, de pœnit & remiss. Per Prælatos autem oportet intelligere eos, qui iurisdictionem habent etiam exteriorem, vt Episcopi, Abbates, &

supe-

superiores Religiosorum, Priores, Guardiani, Prouinciales, & cæteri, hi possunt eligere sibi Confessarium: at ante omnes ipse Papa: Cardinales verò, qui Episcopi non sunt, quia nō sunt Prælati, nisi Legati sint, non habent hanc potestatem à iure: vnde Papam, vel summum pœnitentiarium habent pro confessario proprio, sicut & familia commensalis Papæ: tamē ex consuetudine iam omnes solent à Pontifice habere similem licentiam; immò eorum familiæ commensales substant ipsis, & possunt confiteri cum his, quos Cardinales signauerint, vel quibus commiserint. Aliqui affirmant, etiām Sacerdotes inter se posse mutuò confiteri, ex quadam consuetudine, tacita Episcopi, seu proprij Sacerdotis licentia: sed iam hæc opinio locum non habet: nam in Conc. Trid. sess. 23. c. 15. determinatur oppositum, ne vllus habeat auctoritatem audiendi confessionem, etiam Sacerdotum, nisi fuerit per Episcopum approbatus, & idoneus iudicatus, non obstante quacumq; consuetudine, aut priuilegio: & hoc quamuis sit regularis, nisi aliquod habeat beneficium parochiale. Debent ergò Sacerdotes suo Curato confiteri, aut alteri habenti facultatem: similiter Curatus Episcopo, vel habenti facultatem.

Sunt autem aliqui casus, in quibus potest aliquis non confiteri proprio Sacerdoti.

Primus est, quando est de licentia proprij Sacerdotis, vt alteri confiteatur. Hoc autem aliter est intelligēdum modò post Concil. Trid. quam antè intelligebatur: antè enim, de licentia Curati, poterat quis confiteri cuilibet Sacerdoti idonco, & nō habenti alias iurisdictionem: poterat enim Curatus alijs suam delegare auctoritatem, & iurisdictionem; modò tamen non licèt; quia nullus sine licentia Episcopi potest audire confessiones, nisi parochiale habeat beneficium. Habet ergo modò facultatem hanc Curatus, vt conferat suis subditis facultatem confitendi alijs, qui tamen per Episcopum licentiam habeant, & approbati sint, vt in aliqua saltem parochia confessionem audire possint: similiter, vt alijs Parochis confiteantur. Episcopus autem absolutè potest dare licentiam subdito, vt cuiuis, etiam alias non habenti iurisdictionem, confiteri possit.

Secundus casus est, cùm quis habet bullas, aut diplomata Apostolica, quamuis hactenus derogata sunt præterita, quantū ad hoc; tamen si qua in posterum dantur iuxta præcedentium tenorem, tunc per ea homo habet facultatem confitendi cuili-

bet

bet Sacerdoti apto ad confessiones audiendas, etiam nulla habita licentia ipsius proprij.

Tertius casus est, cùm homines sunt vagabundi nullum habentes fixum domicilium: tales enim non vlli tenentur proprio sacerdoti cōfiteri, sed illi, in cuius iurisdictione sunt, quādo confiteri debent. Et simile est de peregrinis & viatoribus, qui tenentur confiteri illi proprio Sacerdoti, in cuius iurisdictione sunt, tempore suscipiendi Sacramenta. Nauar. de pæn. d.6.c.placuit, nu 80. putat vagabundos posse confessarios eligere, etiam alias non habentes iurisdictiones, quod non credo, & talis confessarius potest absoluere illos pœnitentes, etiam à casibus reseruatis ab illorum Episcopis proprijs, nisi etiam reseruati sint per Episcopum loci illius, in quo tunc morantur. Ita tenet Caiet. ver. absol. c.3. & dicit Eugenium Papam ita ore expressisse, quamuis tales viatores absq; licentia proprij Sacerdotis viam fecerint. Aliqui dicunt Episcopum loci, in quo morantur, debere à reseruatis absoluere, si pœnitens commisit illa in loco, vbi reseruata erant: sed probabilius est, quod dicit Caiet. Idem dicendum est de Scholasticis, qui studij causa propria relinquunt domicilia. Isti enim non sui domicilij Sacerdoti proprio tenentur confiteri, sed Curato, in cuius parochia sunt.

Quartus casus est, cùm quis confitetur illis, qui constituti sunt Confessarij in religionibus, quamuis absq; Episcopi approbatione. Religiosis seculares confiteri nequeunt; tamen post approbationem possent omnes illius diœcesis confiteri: & tunc nullus tenetur proprio confiteri, nec ab eo licentiam capere. Idem etiam dicendum de Pœnitentiarijs Romæ constitutis.

Quintus casus est, culpa proprij Sacerdos: cùm enim ignarus est, vel sollicitator ad malum, vel reuelator confessionum, vel aliquod malum ab eo timetur, tunc pœnitens debet petere licentiam ab eo alteri confitendi, vel à superiore, qua non obtenta, potest cuiuis idoneo confiteri, iuxta Siluest. ver. confess. or.1, §.6. Adr q.2. de confess. dub.3. Palud. Ricar Nauarr. de pæn. d.6.c.placuit. nu.144. quamuis S. Thomas in Add. q.5. art. 4 ad 5. & Soto, d 1.18. q.4. art 2. teneant contrariū, licentes esse tunc reputandum, ac si non esset copia Sacerdotis. In contrarium est ille Canon, placuit, ex Vrba.2. vbi dicitur, quòd est habendus consensus proprij sacerdotis, nisi sit ignarus. Et sub ignorantia, etiam intelligenda sunt alia similia impe-

dimenta.

dimenta. Ob id securior est sententia prior; hoc vno addito post Conc. Trid. vt confiteatur non cuiuis, sed habenti facultatem aliquam confitendi. Aduertendum tamen est, non esse causam sufficientem eligendi alium à proprio, propter verecundiam, vel timorem, quòd scilicet proprius non habeat bonam opinionem de illo.

Sextus casus est iam sæpè dictus, mortis articulus, vel periculum mortis. Tunc enim cuilibet Sacerdoti potest confiteri, vt aliàs diximus. Vnum est hic notandum, quòd qui habet iurisdictionem in aliquos, potest in quacumq; diœcesi illos audire, & absoluere; potest enim suos subditos Episcopus, vel ratus cõfiteri, etiam in aliena diœcesi, vt si fortè ipsum contantur, vel ipsis iter facientibus occurrit, vt omnes tenent communiter.

De his, à quibus proprius Confessarius potest absoluere.

CAPVT XIV.

PRoprius Confessarius potest absoluere ab omnibus peccatis, quantumuis grauibus, nisi à superiore fuerint reseruata. Vnde Episcopus potest absoluere ab omnibus peccatis, præter reseruata à Papa; Curatus potest absoluere ab omnibus, exceptis reseruatis Papæ. Quòd autem dico de Curato, intelligere oportet de alijs ab Episcopo constitutis, vel exceptis in conuentibus Religiosorum, nisi aliquod habeant particulare priuilegium. Est enim obseruandum, cùm Episcopus constituit aliquem Confessarium, non ob id dat facultatem absoluendi à reseruatis, nisi id explicet. Similiter, cum quis habet priuilegium eligendi Confessarium; solum ab ijs potest absolui, quæ exprimit priuilegium, & bulla.

Circa casus Papæ reseruatos, id primò est considerandum communiter loquendo, nullum casum, nullumque peccatum esse Papæ reseruatum, nisi ratione alicuius censuræ reseruatæ.

Vnde sequitur primò cùm Papa priuilegium dat absoluendi à casibus Papalibus, intelligitur dare facultatem absoluendi à censuris impedientibus talem absolutionem peccatorum: nam ratione harum tantùm sunt Papales casus.

Sequi-

Sequitur secundò, quòd ablata censura per Papam, ipsa peccata, propter quæ erant censuræ, possunt absolui à quolibet Confessario, vel Curato, nisi fortè ista talia sint reseruata Episcopo. Nauar. in summa, cap. 27. n. 254. vult in tali casu, posse etiam à reseruatis ab Episcopo absolui; quia, cùm Papa relaxat censuram, ex consuetudine aufertur reseruatio inferioris: & hoc probabile est, & fieri potest.

Circa casus reseruatos Episcopo, scito, non solùm ratione censuræ aliqua reseruari, sed etiam ratione ipsorum peccatorum, nulla existente censura.

Sunt autem isti casus reseruati Episcopo in triplici differentia, quidam de iure, quidam de consuetudine communi, quidam de particulari consuetudine in propriis Episcopatibus. De his regula certa dari non potest, quia quisq; Episcopus reseruat ea, quæ suo Episcopatui conuenire videntur.

Ea, quæ iure reseruantur, tria videntur esse præcipua, quamuis alij plura ponant, sed sunt incerta, nec auctores concordant.

Primum propriè inter peccata reseruata computatur, cùm peccatum non sit, tamen inter reseruata est, quia ad Episcopũ pertinet, pura votorum dispensatio, omissis Papalibus, à quibus Papa solus dispensat, iuramentorum relaxatio: Irregularitatum non Papalium absolutio, & excommunicationum maiorum reseruatarum Episcopo etiam absolutio: hæc ad Episcopum pertinent.

Secundum est peccatum incendiariorum. Qui enim domos, vicos, agros dolosè incendunt, excommunicandi sunt, vt dicit Caiet. ver. incendium; &, si excommunicantur, ad Papam absolutio pertinet. Ante istam tamen excommunicationem, vt dicit Sylu. verb. casus, ad Episcopum pertinet absolutio, vt habetur 23. q. 8. cap pessimam.

Tertium est peccatum graue, & scandalosum, propter quod olim pœnitentia publica iniungebatur, vt concubinatus notorius, peccata blasphemiæ, & alia: hæc ad Episcopum pertinent, vt loco allegato dicit Syl. quamuis alij negent, cùm iam pœnitentia publica non sit in vsu. Potest Confessarius pro prudentia sua vti vtraque opinione, prout visum fuerit magis expedire aliquando: quamuis sint iam tot priuilegia Confessorum, vt pauca, aut nulla sint Episcopo reseruata. Ea autem, quæ ex communi consuetudine in omnibus Episcopatibus reseruantur, ista sunt, homicidium, aut mutilatio actualis,

crimen falsariorum, vt qui in iudicio falsò iurauit contra aliquem, vel tacendo verum, vel dicendo falsum, qui etiam scripturas falsas faciunt. Non intendimus dicere de literarum Apostolicarum falsarijs: tales enim excommunicationem habent annexam. Rursus sacrilegia, aut rapinæ rerum Ecclesiasticarum, homicidia, vel vulnerationes in loco sacro. Rursus diuinationes, & incantationes; inuocationesque dæmonum. Hæc quatuor reseruata sunt ex consuetudine communi Episcopis. Aduertendum tamen est, Romanos pœnitentiarios inferiores omnes ex quocumq; loco ad se venientes posse ab omnibus his absoluere, & ab omnibus excommunicationibus reseruatis etiam Episcopis. Possunt enim quæcunq; Episcopi possunt, immò plus: possunt enim ab aliquibus excommunicationibus, ac votis absoluere, à quibus non possunt Episcopi.

De scientia confessarij.

CAPVT XV.

VLtra illas conditiones tres prædictas, quarta necessaria est confessario, nempe scientia. Hæc autem quanta futura sit, ratio ipsa naturalis dictat: cùm enim confessarius iudex sit fori interioris, necessarium est, vt eorum, quæ sub suo foro accidunt, peritiam habeat.

Ex quo fit, vt teneatur scire, primò, quæ mortalia sint peccata, quæ venialia, saltem ex suo genere.

Secundò, circumstantias peccatorum necessarias.

Tertiò, casus, & excommunicationes, à quibus non potest absoluere, peccata etiam, quæ excommunicationem habent annexam; non enim peccatum, nisi excommunicatione ablata, absolui potest.

Quartò, quæ peccata sunt annexa restitutioni, aut famæ, aut pecuniæ, aut damni illati.

Quintò, qui contractus liciti, qui illiciti, vsurarij, simoniaci, aut iniusti sint.

Sextò, quæ impedimenta sint absolutioni dandæ, quibus casibus confessiones præcedentes sint repetendæ. Quamuis autem non sit opus hæc omnia exactè & sigillatim scire, debet tamen saltem confessarius scire dubitare, & dignoscere casus dubios, & difficultatem habentes, vt possit consulere peritos secreto non reuelata confessione, vt postea dicetur.

Aduer-

Aduertendum tamen est circa hanc prædictam scientiam, primò quòd est regulanda iuxta qualitatem subditorum, & pœnitentium, quos vt plurimùm talis confessarius habet cõfitentes. Vnde fit, vt qui in villis & pagis confitentur, non teneantur tam exactè scire omnia, sicut qui in ciuitatibus. Rursus non ita tenentur confessarij simplicium ciuium, sicut mercatorum, negotiatorum, Iudicum. Debet igitur scientia maior esse pro pœnitentium qualitate.

Aduertendum secundò, esse aliquos casus, in quibus scientia cõfessarij suppleri potest, aut ferè tota, aut magna ex parte.

Primò, quando pœnitens est satis peritus, & fidelis, qui optimè conscientiam suam confessario exponet, & facienda dicet: sed iste casus non nisi in tali confessione excusat confessarium ignarum.

Secundò, quando pœnitentes ordinarij nullos habent casus difficiles.

Tertiò est articulus mortis, cùm alterius confessarij docti copia deest. Et idem dicendum de his, qui in terris Gentilium & Infidelium degunt, in quibus, propter confessariorũ inopiam, tanta scientia non est necessaria, sed tantum debet esse mediocris.

Quartò, quando in illo loco sunt multi docti, quos cõfessarius consulere possit. Sed isti casus duo vltimi, præter mortis articulum, non excusant, vt diximus, ab aliqua mediocri sufficientia scientiæ. Cùm verò ignarus est omninò confessarius, habita ratione ad pœnitentes, vt supra diximus, peccatum graue committit, si hoc officium exerceat extra mortis articulũ, & confessio nulla est. Cùm verò non habet sufficientem scientiam, iuxta qualitatem pœnitentium, graue est periculum, vt multis erroribus, & grauibus sacrilegijs expositus sit.

Huic scientiæ debet accedere prudentia, tam in remedijs circa peccata futura adhibendis, quàm in medicina præsentiũ applicanda, in modo etiam tractandi pœnitẽtes: modò enim suauiter, modò seuerè sunt arguendi, modò instruendi de aliquibus, modò ad alia incitandi.

Debet etiam sanctitas adnecti his; non quòd necessaria sit simpliciter, sed de bene esse: qui enim extra gratiam cõfessionem audit, peccat mortaliter, vt aliàs declarauimus, si ei de habitu constat. Vnde sequitur, difficile esse officium hoc confessarij, & arduum: sed, si benè fiat, Deo nimis acceptum.

De sigillo obseruando à Confessario.

CAPVT XVI.

DIximus de his, quæ necessaria sunt Confessario, ita vt aliter absolutio ab eo impensa nulla sit. Nunc de aliis quæ Confessario etiam necessaria sunt, quamuis non tanta necessitate, vt impensa absolutio impediatur. Hæc autem duo sunt, sigillum secreti, & examen.

Circa sigillum id primum tractandum occurrit, quid ipsum sit. Dico sigillum esse obligationem occultandi ea, quæ in confessione cognita sunt. Dicitur enim metaphoricè ista obligatio, sigillum: vt enim sigillum prohibet ea, quæ sub ipso sunt, manifestari, ita obligatio: quam habet Sacerdos cælandi ea, quæ in confessione audiuit, sigillum dicitur.

Aduertendum secundò, ea, quæ cælari debent, esse peccata tam mortalia, quàm venialia, peccatorum etiam circumstantias, sed differenter. Mortalia enim, nec in genere, nec in particulari sunt manifestanda: non enim dici potest, illè confessus est mihi mortalia. Venialia autem in specie non possunt manifestari, in genere autem reuelare non est contra sigillum: nam qui confitetur, manifestè ostendit, se habere saltem venialia, aliter non esset confessio. Item defectus, qui ad famam pœnitentis pertinent, sub sigillo sunt, vt, si quis diceret se in confessione illegitimum, vel ignobilibus parentibus natũ, & similia. Omnia hæc sub sigillo cadunt: reliqua tamen, quæ ad peccatum non faciunt, vel ad infamiam pœnitentis, non cadunt sub sigillo. quamuis semper Confessarius debeat cauere, ne, quod in confessione tantum audiuit, dicat, manifestando personam, cum circumstantes intelligunt illum ex confessione habuisse. Non est autem contra sigillum peccata manifestare absolutè, sed ita vt pœnitens manifestetur. Vnde, qui de peccatis in confessione auditis consulunt doctos, non agunt contra sigillum; nisi ita peccata manifestent, vt possit alius facilè in cognitionem pœnitentis venire. Vnde, si quis audiens aliquem in confessione surgat à loco, vt consulat doctum, qui videbat vtrumque, pœnitentem, & Confessarium, & statim reuertitur ad absoluendum coram illo, iste reuelauit confessionem. Similiter ille reuelat, qui manifestat alteri, pœnitentem habuisse aliquem casum reseruatum: tunc enim indicat illum habuisse mortale. Qui tamen diceret, se absoluisse

pœni-

pœnitentem, non reuelat confessionem, quia non reuelat peccatum veniale in specie, vel in genere mortale, sed solùm indicat, pœnitentem fuisse confessum : hoc autem non cadit sub sigillo.

Aduertendum tertiò, obligationem sigilli esse tantam, vt nullà prorsus causa, neque etiam propter saluandam vitam propriam, nec propter salutem totius Reipublicæ, possit confessarius peccatum pœnitentis reuelare, immò neq; in alia cõfessione: adeoq; si Sacerdos non posset aliquod suum peccatũ confiteri, nisi manifestando peccatum alterius, quod in confessione cognouit, ita vt Confessarius ille veniat in cogniti-onem personæ determinatæ, tunc debet silere tale peccatum, donec possit confiteri alicui, qui ignoret personam, vt tenet Syl. verb. confessio, 3. §. 8. & communis opinio.

Vnus est solus casus, in quo Confessarius potest alteri manifestare peccatum confessionis, cùm nimirum id fit ex licentia & confessione pœnitentis, & tunc illi tantum poterit manifestare, scilicet, cui pœnitens dederit facultatem. Qui autem alio casu reuelat, grauissimè peccat mortaliter, atque pœnam exteriorem incurrit, impositam in capitulo, omnis vtriusque sexus, de pœnitentia, & remissione. Quòd si aliquando acciderit, Confessarium ab iniquo iudice compelli, vt reuelet, & sub iuramento, potest Confessarius dicere, se nescire tale peccatum: quamuis etenim sciat, non tamen scit vt reuelet. Venumtamen aliquando posset accidere, vt Confessarius non tantum ex confessione sciret pœnitentis peccatum, sed etiam extra confessionem, quia forsan publicum est, vel saltem ipsi notum; & quamuis numquam possit Confessarius dicere pœnitentem confessum fuisse tale peccatum, potest tamen dicere, hominem illum tale commisisse, & in iudicio illum accusare, ac si non sciuisset in confessione; dummodò nihil dicat ex his, quæ in confessione audiuit : dummodò etiam non sequatur scandalum apud multos, qui cognouerunt fuisse illo tempore pœnitentis Confessarium, ac putabant reuelare confessionẽ. Similiter Iudex, qui cognoscere confitentis crimen, extra confessionem illud etiam cognosceret, non reuelat, si puniret ob tale crimen pœnitentem: secus autem, si ex-tra confessionem nesciret: tunc enim non posset, Vnde Præ-lati, qui subditorum peccata tantùm in confessione cognoscunt, pœnas publicas non debent imponere, ac si extra confessionem scirent, vt priuare dignitate, vel in exilium mittere,

vel alia simili castigatione punire, aut pœna. Est autem tanta ista sigilli obligatio, vt Confessarius non possit pœnitentem ipsum extra confessionem alloqui de peccatis, quæ in confessione audiuit. Vnde, si acciderit Sacerdotem absoluisse alibuem malè, quia verè non potuit, nempè quia velocius erat reseruatus, vel tenebatur restitutioni, & Confessarius non obligauit, vel quid simile, non potest pœnitentem extra confessionem dicere: sed dicunt omnes, vt adeat ipsum, & dicat, precor te, vt iterum mecum confitearis, quia ego deceptus fui in confessione tua, & tunc tenetur pœnitens obedire. In confessione autem tunc dicere potest impedimenta. Quod si scandalum sequatur, non debet Confessarius adire ipsum pœnitentem. Et hoc idem est, si pœnitens nolit repetere confessionem. Sicut autem non potest Confessarius, quod in confessione cognouit, extra eam pœnitenti dicere, ita nec quod extra illius confessionem cognouit, si pœnitens non dicat cui tenetur dicere, sed cautè interrogare, & stare responsis eius. Aliquando nec debet interrogare, D. Ant. 3. p. tit. 15. cap. 18. §. 13. Armil. verb. confessio, §. vide Syluest. verb. confessio 3. §. 10. si pœnitens inde cognoscit Confessarium non aliter scisse, quàm ex confessione alterius consortis in crimine; quamuis semper debeat præmonere, vt videat, si aliquid aliud commisit.

Aduertendum est quartò, multas esse personas, quæ hoc sigillo teneantur. Quicumq; enim mediatè, vel immediatè, licitè, vel illicitè aliquid non aliter, quàm ex confessione cognouit, sigillo tenetur Dixi, immediatè, vt comprehendam ipsum Confessarium, & interpretem, cùm per talem fit confessio. Dixi, mediatè, vt comprehendam ipsum, cui ex licentia pœnitentis reuelatur confessio. Dixi, licitè, vel illicitè, quia non illum tenentur sigillo, qui via licita audierunt, aut cognouerunt peccatum confessionis mediatè, vel immediatè, vt præfati, sed etiam, qui via illicita, siue ex parte sua, siue ex parte reuelantis. Vnde, sigillo tenentur omnes illi, qui cognouerunt peccatum, quod aliquis malus Confessarius reuelauit. Tenentur etiam illi, quibus iterum reuelauerunt. Similiter, qui, dum aliquis confessus est, curiosè voluit audire peccatum pœnitentis, vel casu aliquo nolens audiuit: tales enim etiam sigillo tenentur. Rursus, qui se finxit Sacerdotem, aut Confessarium, vt pœnitentem posset sollicitare, vel aliquo malo fine. Notandum etiam est, quòd nō solùm ex sacramentali con-

fessio

fessione facta Sacerdoti oritur obligatio ista secreti, sed etiam ex facta laico ad modum sacramentalis. Rursus etiam oritur ex confessione sacramentali infirma, & non obtinente absolutionem, quamuis enim peccata quis sit confessus, & propter impedimẽtum aliquod non obtinuerit absolutionem, adhuc tamen sigillo obligatur: quamuis ille pœnitens sit hæreticus, & habeat animũ nocendi multis, immò toti Reipublicæ, non potest Confessarius talis personas tertias promonere, reuelãdo peccatum alterius; quãuis in confuso posset in casu aliquo graui admonere, vt prouideant sibi, dummodò non posset pœnitens ex illo agnosci. Circa hoc tamen vnum est aduertẽdum: quamuis omnes istæ præfatæ personę sigillo teneantur, vt absq; mortali peccato non possint reuelare peccatum, tamẽ sigillo sacramenti confessionis propriè tenẽtur solùm hi, qui ex sacramẽtali confessione formata, vel informi peccatũ cognouerunt. Alij autẽ qui ex confessione non sacramentali, qualis est ea, quę facta est laico licitè audiente, vel illicitè, quia finxit se Sacerdotem, tenentur quidẽ celare, verùm non propriè ratione sigilli sacramentalis, veluti tenet Soto, d. 18. q. 4. art. 5. quamuis etiam possit cum alijs multis probabiliter dici, in hoc etiam esse sigillum sacramentale, quia ad modum sacramenti facta fuit confessio. Illud tamen, secundùm omnium sententiam, non cadit sub sigillo, quod aliqui dicunt, alijs extra confessionem, petentes ab eis, vt teneant sub sigillo confessionis. Quamuis enim in his seruandum sit secretum, non tamen id, quod sigillo debetur: hoc enim in nullo casu, sine licentia pœnitentis: potest manifestari alteri.

De examine faciendo à Confessario.

CAPVT XVII.

QVia non omnes pœnitentes periti sunt, nec sciunt omnia, quæ ad perfectam & integram confessionem pertinent, ob id, Confessarij debent ipsos examinare, & supplere, quod deficit.

Sunt ergo tria à Confessario exequenda, quædam ante confessionem, quædam in ipsa confessione, quædam verò post.

Ante confessionem, debet statim post generalẽ confessionẽ pœnitentis ab ipso petere aliqua, quæ ipsam absolutionem, vel confessionem possunt impedire, aut difficilem facere: statim enim ista sunt petenda, ne post confessionẽ peccatorum,

aut in toto, aut ex maiori parte factam, cogatur pœnitès absq; absolutione recedere. Hæc autem sunt ista.

Primum est, an sciat se habere aliquam excommunicationem, aut cum aliquo excommunicato fuisse loquutum: inde enim contrahitur excommunicatio. Quòd si est excōmunicatus, videat Confessarius, an possit ab ea absoluere: si enim potest, statim absoluat; si verò non, mittat ad eum, qui possit, vel ipse obtineat absoluendi facultatem, si potest obtinere, a superiore. Similiter petat, an habeat aliquod peccatum, quod ipse putet esse superiori reseruatum: si enim habet, mittendus est ad superiorem, vel ab eo facultas obtineatur absolutionis: quatuis, vrgente necessitate, posset absoluere, & mittere pro reseruato illo ad superiorem, cùm tale peccatum non habet censuram, vt suprà diximus.

Secundum est, petat, an habeat debitum aliquod, sitque in mora solutionis, siue sit pecunia restituenda, siue fama reparanda, siue votum implendum, sin tale existit debitum, considerare debet Confessarius, an possit pœnitens implere: quòd si non possit, sufficit propositum implendi, si verò possit, videndum est, an vrgeat necessitas confessionis, & illud faciat, & breui impleri possit: tūc enim deberet priùs facere, vt impleat, maximè cùm restitutio est pecuniæ, aut votum dandi aliquas eleemosynas. Quòd si pœnitens est fidelis, & homo, cui fides probabiliter est adhibenda, sufficiet propositum, quamprimùm vacauerit, implendi: dummodò pœnitens non proposuerit similè in alia vna, aut duabus confessionibus, & illud non impleuerit: tunc enim non est absoluendus: debet enim Confessarius id interrogare, an puta, in alijs confessionibus dixerit illud debitum, & promiserit se facturum, & non fecit.

Tertium est, petat de statu, an solutus, an coniugatus, an Ecclesiasticus. Si solutus, examine, an promiserit alicui se ducturum esse vxorem, vt videat; an ex hac parte aliquod habeat impedimentum: si coniugatus est, an communem agat vitam cum vxore. Quòd si non, examinet, an causa sit legitima, alioquin non est absoluendus, nisi saltem proponat, communem cum vxore vitam acturum. Si Ecclesiasticus est, an plura habeat beneficia. Quòd si habeat, si curata sunt, cogendus est multitudinem relinquere: non enim potest nisi vnū retinere, vt habetur ex Concilio Tridentino. Et similiter tenetur residere, aliter non est absoluendus. Si verò simplicia sunt, petendum, an ex dispensatione Papæ ea habet: aliter enim nullus plura

habe

habere potest. Quòd si ita habeat, adhuc videndum est, an sint redditus immoderati pro qualitate suæ personæ, & conditione: si enim immoderati sunt, non est absoluendus, nisi rectè velit dispensare. Est autem habenda ratio personæ: Nobilis enim, aut docta persona, sancta, aut de Ecclesia benemerita plures potest redditus retinere, quàm non talis. Similiter, qui benè eos expendit, vel in seruitio Ecclesiarum, vel in vtilitate pauperum. Absoluendi tamen non sunt ignorantes, & nullius vtilitatis viri, qui viginti, aut triginta beneficia in suã perniciem deuorant, donec illa euomant.

Quartum est, quamdiu est, ex quo non est confessus, & si plus anno fuit, accuset se peccati transgressionis præcepti, quo in singulis annis confiteri, & communicare tenebatur: petat etiam, si fecerit sibi impositam pœnitentiam, quam si negligenter prætermisit implere, accuset se idem pœnitẽs talis peccati, videatq; Confessarius, an expediat illam commutare, vel relaxare. Rursus petat, si aliquod peccatum in aliqua confessione scienter occultauerit: tunc enim omnes sequentes confessiones sunt repetendæ, & peccata etiam, quæ commissa sunt in singulis, in quibus celauit, & peccata contra præceptũ confessionis, quod vere non impleuit.

Quintum est, si fecit diligentiã, & examen ante, circa peccata sua: quòd si non fecit, dimittendus est, vt saltem per aliquam horam faciat, plus minusue, iuxta rationem status, & temporis, ex quo confessus non est.

Sextum est, si doleat de peccato, velletq; non offendisse Deũ, proponatq;, cum diuina gratia, se deinceps non peccaturũ; aliter namque non est absoluendus.

Septimum, an sciat fidem, & diuina mandata, quamuis non ordinata, saltem vt interrogatus de singulis articulis, & mandatis sciat respondere esse mandatum, vel articulum, quę sunt; non aũt esse, quæ non sunt. Similiter sciat Sacramentum confessionis, cui accedit, quid sibi velit, & quare fiat: oẽs enim sub mortali ista tenentur scire. In quo deplorandus est abusus, & ignorantia plurimorum, qui summam insciti̇am habent, non scientes quid sit Christus, nec quid Deus, nec quæ sint mandata obseruanda, cùm tamen mille astutias, & res inutiles obscuriores calleant. Tales non sunt absoluendi, quin ponatur eis grandis obligatio illa in futurum sciendi, & pro tunc, de principalibus saltem, vno verbo instruantur: aliter, eos audire in sua ignorantia perseuerantes ego non auderem, nec vllus au-

dere debet. Hæc sunt præcipua, quæ aut ipsam peccatorũ confessionem, habita ratione personarum, interroganda sunt.

De his, quæ in confessione petenda sunt.

CAPVT XVIII.

VIx potest excusari abusus, & negligentia multorum, qui confessioni accedentes, nullum peccatum manifestant, sed statim Confessario dicunt, vt interroget eorum peccata; cùm tamen postea, non mediocris appareat peccatorum copia. Circa hos Confessarius' sic se debet gerere, vt nullo modo interroget, quin ipsi prius ea, quæ memoria tenent, exprimant. Si enim nullam fecerunt diligentiam, audiendi non sunt: si autem fecerunt, fieri nõ potest, quin memoria teneant aliqua, de quibus se accusare possint. Confessarius autem, quia multi ignorant multa, quæ ad confessionem pertinent, debet in tali peccatorum accusatione aliqua interrogare, quando pœnitens omiserit.

Primum enim est circumstantia speciem peccati mutans, vt si pœnitens dicat, se quendam percussisse, interrogetur, an fuerit clericus, an laicus: nam in clerici percussione est excommunicatio maior: an in loco sacro, nec ne; illud enim sacrilegium est. Rursus, an animo occidendi; quamuis enim non occiderit, si animo occidendi percussit, peccatum est homicidij interiùs. Similiter si dicit se fornicatum esse, exprimatur persona, an fuerit consanguinea, an virgo, an coniugata, an religiosa, & an in loco sacro: omnes enim hæ circumstantiæ mutant speciem peccati.

Secundum est, numerus. Interroget enim Confessarius circa singula peccata mortalia de numero, de quo supra diximus.

Tertium est, actus interior. Sæpè enim actus exteriores, aut venialia, aut leuia peccata sunt: & si actus interior consideretur, graue est peccatum, cum maximè ex erronea conscientia procedit: vt si accusat se, quòd rem leuis momenti surripuerit, petat, an tunc pœnitens existimauerit illud esse mortale: si enim ita putabat, & fecit, mortaliter peccauit. Similiter petat, quo animo rem fecerit, de qua se accusat, cùm res per se non appareat peccatum mortale.

Quartum est, petat occasiones peccatorum. In multis enim

pecca-

peccatis, maximè in carnalibus, examinandum est, an maneat occasio peccati: an, verbi gratia, habeat domi concubinam: an sit in societate eius, vnde ad peccandū prouocatur: tales enim, & similes probabiles occasiones peccandi, sunt omninò extirpandæ.

Quintum est, tempus peccati. Si enim sunt peccata nimia consuetudine inueterata, & præsertim carnalia, debet Cōfessarius tempus illius peccati petere, & frequentiam considerare, & an tempore aliquo ante confessionem abstinuerit. In his enim vtile consilium est, cum necessitas non vrget, vel periculum non amplius confitendi, differri absolutionem, integra audita confessione, donec appareat emēdatio aliqua. Vniuersaliter debet Confessarius vti vno generalissimo, & vtilissimo remedio pro his omnibus, scilicet frequēti confessione, & cōmunione, non quòd imponat pœnitenti, nec obliget ipsum, sed aperiat delicti grauitatem, & periculum, & difficultatem liberandi se ab illo: similiterque dicat pœnitenti ipsi, hoc est vnum ferè remedium, vt, vel in singulis hebdomadis, vel intra singulos 15. dies, vel menses singulos Confessario accedat. Ego non te obligo, sed solùm doceo, quòd tu alias facere teneris: & sic Confessarij conscientia manebit tuta: difficilè enim est profectò, rectè se gerere erga similia peccata.

Sextum est, poterit Confessarius breuitati etiam studens, cùm pœnitens peccatum aliquod exprimit, quod contra aliquod præceptum est, si velit ad aliud contra distinctum præceptum transire, prius ipsum examinare in his, in quibus contra tale præceptum, vel in tali genere peccati videt probabiliter deliquisse posse; ne ad idem cogatur post confessionem pœnitentis redire. Hæc sunt, quæ maximè in confessione videntur obseruanda.

De his, quæ post confessionem petenda sunt.

CAPVT XIX.

POstquam pœnitens ea, quæ discussit, manifestauit, poterit Confessarius aliqua petere, si forsan vel memoria exciderunt, vel ignorantia aliqua omisit.

Primum est, an aliquo malo fine fecerit: quę enim in se bona sunt, si malo fiant fine, peccata sunt, & mortalia, iuxta finis rationem. Qui enim conciones adit, gratia solicitandi fœmi-

nas,

nas, quamuis non solicitet postea, quia forsan non erant, peccatum est mortale. Similiter in alijs.

Secundum est, an aliqua mala voluerit committere, quae omisit, quia non potuit exequi. Non enim tales voluntates excusantur à peccato, licet opus exterius non sequatur.

Tertium est, an induxerit alios secum ad peccandum. Est enim nouum peccatum, alios ad peccatum inducere; potentes Confessarius, iuxta qualitatem pœnitentis, aliquibus peccatis particularibus interrogationes applicare.

Quartum est, vt discurrat per præcepta, quæ à pœnitente prætermissa videntur. Nec debet iterum, quæ pœnitens dixit, interrogare. In his tamē omnibus interrogationibus, tam quę ante, & in confessione, quam, quæ post ipsam fiant, debet maximè Confessarius vti prudentia. Primùm, vt personas consideret: cùm enim videntur intelligentes, non est opus, vt absq; petat, an fidei articulos sciant, vel alia, quæ non videntur eis competere: nec pueros interroget ea, in quę probabiliter videt pœnitentes nō potuisse incurrere. Caueat etiam nimias circūstantias peccatorum petere, maximè cùm carnalia sunt, & fœminas audit: prouocare enim possunt ad malum; vel in eo instruere pœnitentes: sicut etiam negotiatores non sunt interrogandi multas contractuum iniquas species, ne potius male agere discant: sed attendat Confessarius ea, de quibus probabilitas aliqua est, pœnitentes cōmisisse. Post integrum examen, & impositam pœnitentiam, absolutiq præstetur.

De Pœnitente.

CAPVT XX.

NVllus ante rationis vsum accedere potest Sacramento pœnitentiæ. Post vsum verò rationis, quando iam peccare contingit, omnes tenentur semel in anno confiteri, vt habetur extra c. omnis vtriusq; sexus, de pœnit. & remiss. Nec est tempus in anno statutum, dummodò semel in anno fiat confessio; quamuis propter communionem, quæ debet esse in Paschate, ad quam nullus cum conscientia mortalis potest accedere, nisi confessione præmissa, solet tunc obligare confessionis præceptum: si tamen aliquis confessus esset illo anno ante Quadragesimam, nec vllum haberet mortale, non temeretur de rigore confiteri, sed solum propter scan-

dalum,

dalum, & indecentiam Sanctissimi Sacramenti percipiendi. Sed præter vsum rationis est necessarium baptismum suscepisse, sine quo nullum habet valorem vllum aliud sacramentum. Rursus, confessio non debet esse peccatorum ante baptismum commissorum: hæc enim per baptismum omninò delentur, sed peccata post baptismum sola ad confessionem pertinent.

Erga, pœnitentem autem aliqua notanda sunt.

Primum est, quòd ipse non tenetur sigillo confessionis, sed potest sua peccata confessa alijs manifestare: similiter etiam pœnitentiam impositam: dummodò non se infamet absque causa; similiter etiam infamet Confessarium apud alios, dum arduam aliquam pœnitentiam dicit, & tacet causam pœnitentiæ: in tali enim casu non licebit manifestare: sed hoc non est propter sigillum, sed alia causa; quia nullus se, vel alium sine causa infamare potest.

Secundum est, quòd nec ipse pœnitens, tenetur confessionē suam secretam facere, imò potest peccata voce sua manifestare coram multis Confessarijs, cùm non sequitur scandalum audientium, nec aliqua vera infamia. Et hoc erit, cum coram hominibus sanctis id facit: imò in necessitate vrgente possunt multi simul vni confiteri, vt vnus audiat alterum, & cùm periculum inest mortis, vel belli, vel subuersionis, vel alicuius similis; potestq; Cōfessarius illos simul absoluere, vt tenet Silu. verb. Confessio 1. §. 22. Tamen extra necessitatem graue esset peccatum Sacerdotis, plurimorum simul confessiones audire. Vnde sacrilegus est abusus quorundam, qui simul multos pueros audiunt, & vnus alterius cognoscit peccata.

Notandum est tertiò, cum aliquid est sub opinione: sunt enim, qui dicāt esse licitum contractum, sunt etiam qui dicunt esse illicitum: si casu accidit Confessarium esse opinionis eorum, qui tenent esse illicitum, & pœnitens esse licitum, potest pœnitens obligare Confessarium, vt ipsum absoluat in sua opinione, & ita debet facere Confessarius: dummodò tamen vtraque opinio sit probabilis, aliàs non: & hoc sæpè accidit in multis contractibus, de quibus contrariæ probabiles existunt opiniones, quarum vtramque, in conscientia, potest sequi Confessarius, quamuis ipse vnam illarum probet.

De effectu huius Sacramenti.

CAPVT XXI.

EFfectus huius Sacramenti, remissio est culpæ, & collatio gratiæ, per quam homo fit Deo amicus. Quòd si homo in gratia erat, augmentum confert gratiæ: pœnam autem totam non remittit, nisi vehemens accedat contritio, aut peccata pauca sint, sed æternam pœnam, debitam mortali, in temporalem commutat, & huius etiam partem remittit, cum peccata remissa confessioni subduntur iterum. Hæc sunt igitur, quæ ad materiam remotam in generali, & propinquam formamet iam huius sacramenti, Confessarium, pœnitentem, & effectum pertinent. Reliquum est, vt de materia remota in speciali tractemus.

Laus Deo. Finis libri Tertij.

INSTRVCTIONIS SACERDOTVM,

LIBER IV.

Quid sit Fides, quæ eius sit materia.

CAPVT I.

HACTENVS in libro præcedenti, de Sacramento pœnitentiæ disseruimus, materiam tamen ipsius remotam in communi tantũ explicauimus. At quia non sufficit Sacerdoti ea sola cognitio, opꝰ est in hoc libro præsenti, quem à præcedenti, ne vnius vltrà modum prolixius continuatio conficeretur, distinximus, de eadẽ materia in particulari tractare. Cùm autem peccata sint transgressiones diuinorum mandatorum, congruum visum est de ipsis mandatis, tam Decalogi, quàm Ecclesiæ ordine suo agere, simul explicando particularia peccata, quæ ipsis opponuntur. Quia verò fundamentum horum mandatorum, virtutes Theologicæ sunt, Fides, Spes, Charitas, de his primùm dicendum est. Inter has igitur, quæ ob id Theologicæ dicuntur, quia Deum habent pro obiecto, primò occurrit Fides, quippẽ quæ ad intellectum spectat, cuius operatio prior est, quàm voluntatis, in qua Spes, & Charitas collocantur.

Vt igitur à fidei definitione exordium sumamus, sic posse definiri videtur. *Fides est assensus eorum, quæ per Spiritum sanctum Ecclesiæ reuelata sunt, quatenus à Spiritu sancto sunt.* In qua definitione quatuor partes continentur.

Prima est, *assensus*. Est autem assensus, operatio quædam intellectus, qua acquiescimus, & credimus rebus propositis, & apprehensis intellectu, siue veræ sint, sine falsæ. Fides igitur quidam est assensus, licèt sit rerum verarum.

Secun-

Secunda pars est, *eorum, quæ per Spiritum sanctum reuelata sunt.* Non enim quarumcumq; veritatū fides est, sed earū, quæ Spiritus sancti reuelatione manifestatæ sunt. Vnde veritates, quæ in scientijs traduntur, vel propria experientia habentur, non credūtur fide; sed eæ, quas non experientia, non ratio naturalis dictat, sed lumen supernaturale Spiritus sancti.

Tertia pars est, *Ecclesiæ.* Aliqua enim Spiritus sanctus reuelat, quæ tamen nō credimus fide. Sunt enim reuelationes dare. Quædam quæ fiunt singularibus personis, vt sunt multa, quæ Sanctis Deus reuelat, vt S. Brigidę multa reuelata sunt, & similia Deus alijs multis indicat: nos, talia non credimus fide, sed opinione humana. Quædam alia sunt, quæ Deus toti manifestat Ecclesiæ, qualia sunt quę per Scripturas Sanctas habentur, & per Apostolicas traditiones, Concilia, & Pontificum determinationes. Talium assensus fides est.

Quarta pars est, *quatenus à Spiritu sancto sunt.* Ea, quæ reuelata sunt, multipliciter credi possunt: aut enim ratione aliqua probabili, aut quia confirmata sunt miraculis, aut propter testium veritatem, aut aliqua alia causa. Inter oēs autem hos assensus, ille solus fides est, quo credimus reuelata esse vera, quia Deus dicit: vt, credo Deum esse trinum & vnum, credo esse Saluatorem, &c. non quia ratio ista conuincat, aut quia cæteri ita dicunt, sed quia ita dicit Deus per Ecclesiam; ita vt medium, seu ratio prima credendi sit, quia sic Deus dicit per Ecclesiam suam. Hoc autem etiam credimus, at absq; vllo medio, sed lumine Spiritus sancti supernaturali inclinante nostram voluntatem, vt velimus credere, & eleuante intellectum, vt credamus. Ex his igitur partibus nota est Fidei definitio, quam obscuritatem sic definiuimus. Ex hac definitione sequitur, materiam Fidei esse omnia ea, quæ in scripturis Canonicis continentur, & quæ per traditiones Apostolicas vniuersales conseruantur, & quæ in Concilijs generalibus, vel particularibus, sed tamen Apostolica confirmatis, determinantur, & quæ a Romano Pōtifice, vt tali, definiuntur: est enim vniuersalis Ecclesiæ caput. Similiter quod vnanimi consensu omnes sancti Doctores dicunt, & omnia etiam, quæ ex aliquo horum per argumentum infallibile deducuntur. Hæc sex fide creduntur. sunt enim per Spiritum sanctum reuelata Ecclesiæ, quamuis varijs reuelationum modis, & omni talia recipit Ecclesia.

De

De modo, & necessitate fidei.

CAPVT II.

HAEc fides, quę definita est, omni homini necessaria est, non solùm ad finem, id est, beatitudinem, sed etiam ad media ipsa, ideſt, opera meritoria ipsius finis exercenda: nullum enim opus existens sine fide meritorium est vitæ æternæ: ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*: neque rursus vllus, absque fide, vitam æternam consequitur: Marci vltimo: *Qui non crediderit, condemnabitur*. Vnde fit, vt extra Ecclesiam nostram Catholicam nullus saluetur infidelis, in quacumque secta, sed omnes discedentes sine fide in sempiternum damnãtur: non quidem omnes propter peccatum infidelitatis, sed propter alia sua peccata, in quibus sunt. Non enim omnes peccant in non recipiendo fidem Christi: multi enim ignorant inuicibiliter Christi fidem, & hi excusantur à peccato, quod committere poterant in non recipiendo fidem Christi, tamen propter alia damnantur. Illi verò ad quos notitia nostrę fidei peruenit sufficienter promulgata, nouũ committunt peccatum, non credentes; nullus tamen absolutè saluatur, nisi fidelis. Quamuis tamen fides dicatur necessaria ad meritum, & finem, non ob id intelligi debet, quòd sola sufficiat; sed opus est opera cum charitate adiungere. quibus deficientibus, etiam fidelis & credens damnatur. Non enim omne quod necessarium dicitur ad aliquid, ob id sufficiens est. Aliquando enim sanguinis emissio necessaria est ad sanitatem, sed non sufficiens, nisi alia simul adhibeantur remedia. Aduertendum tamen est, non solùm fidem interiorem esse necessariam, sed etiam ipsius exteriorem confessionem, & manifestationem; quamuis non eodem modo: interior enim omni tempore necessaria est: si enim quis absque ea recedit, damnatur: siue sit fides in actu, siue habitu, vna harum sufficiat exterior confessio, non semper est necessaria, sed aliquando: nam affirmatiua præcepta non pro omni obligant tempore.

Hæc autem confessio est necessaria, maximè in duobus casibus, vt habet S. Thomas 2.2. quæst. 3. art. 2. & omnes communiter docent.

Primo est, cùm honor Dei aufertur. Hoc autem accidit, cùm aliquis interrogatus, aut probatus ab aliquo infideli circa suã

fidem, aut verbo, aut opere aliquo negat, aut tacet; in taciturnitate consentire videatur. In hoc enim casu, aperienda manifestanda fides, etiam cum detrimento vitę tẽporalis: dictum enim est: *Qui negauerit me coram hominibus, negabo eum coram Angelis Dei.* Vnde, iter facientes per terras hęreticorum, aut infideliũ, cogentibus aliquid facere in fidei detrimẽtum, vt occidi, idololatrare, vel carnibus vesci in diebus prohibitis, nullo modo est acquiescendum, & mortaliter peccant, qui acquiescunt, etiam ob temporalem fugiendam mortem: tunc enim est aperienda fides.

Posterior casus est, cùm impeditur vtilitas proximi. Cum enim aliquis videt, ex sua taciturnitate alios fideles trahi in errorem, quia putant fidem Christi non esse veram, ille tainen tenetur, etiam cum vitæ periculo, veram manifestare fidem. Quando etiam aliquos videt errore teneri, qui fidem amplecterentur, si illis fieret manifestatio, tunc tenetur confiteri fidem: cùm verò nec de fide examinatur, nec aliqua speratur vtilitas proximi, temerarium est, exponere se istis periculis confessionis fidei inter infideles: solùm enim est eos turbare. Extra hos casus, non est obligatio. Vnde, licet fugere persequutionem tyrannorum iuxta illud Matthæi decimo: *Cum persequuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*: & ita fecerunt multi Sancti: sed hæc fuga licet, dummodò non auferatur honor Dei, aut vtilitas proximi nimirum quia iudicat fidem non esse veram, aut propter id multi à fide auertuntur; tunc enim non liceret. Quamuis autem non semper sit necessaria fidei exterior confessio, tamen semper est necessarium, non manifestare aliquam sectam. Non enim idem est, non ostendere se esse Christianum, & ostendere se esse infidelem: illud etiam, non semper est illicitum, sed tantum in duobus casibus positis; hoc autem semper illicitum. Vnde, qui transiens per infidelium terras, vestiret se vestibus, quibus soli infideles vuntur, vt ab alijs non distingueretur, peccaret mortaliter, secundum communem sententiam, vt qui in terris Turcarum ligaret caput tobalia alba, ne à Turcis occideretur, vel comprehenderetur.

Similiter, qui Romæ, vel in alijs similibus locis Iudæorum pileo vteretur, vt occultari posset. Qui etiam alijs similibus vterentur, consuetudine, & vsu communi, vel lege solis infidelibus deputatis. Si verò vestes essent communes infidelibus, & fidelib⁹, tunc quidẽ liceret vti, cùm necessitas postularet, secus

non

non. Durum tamen semper mihi visum est, tale esse peccatum mortale; tamen cōmunis sententia ita tenet, quæ in moralib. validum est argumentū. Hoc igitur modo fidei necessitas intelligenda est. Sed aduertendum est, non quocumq; modo esse fidem necessariam. Est enim fides duobus modis, & implicita, & explicita. Fides implicita est, qua creduntur fidei veritates non distinctæ in se ipsis, sed in aliquo communi principio: qui enim credit hoc modo; credo quæcumque tenet Ecclesia, implicitè credit veritatem articulorum, & aliorum ad fidem spectantiū. Explicita verò est, cùm iam in particulari creduntur ipsæ veritates fidei in se, & non in communi. Nullus tenetur ad explicitam fidem omnium, quæ credenda sunt, habendam: sic enim oporteret distinctè cognoscere omnes Scripturas Sanctas traditiones, Concilia, & alia quæ diximus. Sicut autem nullus tenetur hāc fidem ita explicitam tenere, ita nullus satisfacit præcepto fidei per solam implicitam illam fidē, tenendo quicquid tenet Ecclesia; sed opus est media fide, partim implicita, partim explicita. Implicita quidem, eorum, quæ tenet Ecclesia, præter fidei articulos ad humanitatem, & diuinitatem pertinentes. quos omnes explicitè credere debēt, quamuis non omnes teneantur difficultates, & sublimitates eorum penetrare. Omnes ergo, etiam rustici, tenentur scire, Deum vnum in essentia, trinum in personis, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, creatorem, saluatorem, & glorificatorem, Christi incarnationem, natiuitatem, mortem, resurrectionem, ascensionem, aduentum iudicij: & est mortale peccatum ista ignorare, secundum communem sententiam, nec ignorantia excusantur: non enim Christianè viuere possunt absque illorum cognitione. Vnde aduertant maximè Curati suam negligentiam, & Confessarij examinent pœnitentes. Hæc enim fides modò omnibus est necessaria; quamuis in Episcopis, & sapientioribus explicatior fides requirantur, vt fidei defensoribus, & declaratoribus.

Quid sit hæresis, quare sic dicatur.

CAPVT III.

OPortet modò de peccatis contra fidem tractare. Fidei autem opponuntur tria, putà hæresis, apostasia, infidelitas, de quibus singulis dicendū: ac primò de hæresi.

De qua primò tractandum occurrit, quid hæresis sit. Videtur autē sic posse describi: *Hæresis est error pertinax hominis Christiani, fidei Catholicæ ex parte contrarius*: in qua descriptione quinque sunt, quæ ad hæresim pertinent.

Primum est, *error*. est autem error existimatio veri pro falso, aut falsi pro vero: errat enim, qui falsum putat verum esse, & quod est verum, putat esse falsum. Hæresis igitur est quidam error, & quædam existimatio, aut veri pro falso, aut falsi pro vero. Ex quo generaliter tenendum est, vbi non est error intellectus, non est hæresis, quamuis factum ipsum sit contra factum fidei. Verbi gratia, conculcat quis hostiam consecratam, (quod absit;) vescitur carnibus tempore prohibito; spernit imagines: omnia ista sunt mortalia peccata, sed nondum hæresis: videndum est, an qui facit hæc, existimet sibi licere ea, quia putat Christum abesse à Sacramento, nec esse validam prohibitionem Ecclesiæ circa esum carnium certis temporibus: nam enim est error & hæresis Quod si non sic existimat, sed potius credit omnia, tamen aliquo metu, vel ira correptus illa facit, non est hæreticus, quamuis præsumatur exterius talis, sed interius non est, quia non errat.

Secundùm est, *fidei contrarius*: Non enim quilibet error, est hæresis. Errare enim in scientijs, & opinionibus, non est hæresis. Errare tamen in his, quæ fidei sunt, hæresis est. Verbi gratia, tenere, & existimare falsum aliquid, quod recipit Ecclesia, vel existimare verum, quod est contrarium ei, quod tenet Ecclesia, vt de fide, hoc iam ad hæresim spectat.

Adhuc tamen error iste non est hæresis, sed opus est tertio scilicet, *ex parte*. Dupliciter enim potest quis errare in fide, aut negando totam fidem Christi, & hoc non est hæresis, vel apostasia, vel infidelitas, vt post dicemus, aut negando aliquā, vel aliquas veritates fidei Christianę, & hæc est hęresis. Non enim hæretici totam negant religionem Christianam, sed vnū, aut alterum articulum Ecclesiæ: ob id, dicitur hæresis contraria fidei, non quidem in toto, sed ex parte.

Adhuc opus est quarto, nempè, *hominis Christiani*, id est, baptizati: qui enim numquam baptizati fuerunt, quantumuis errent, non dicuntur hæretici: hæresis enim est hominis Christiani.

Adhuc tamen ista quatuor non sufficiunt, sed necessarium est maximè quintum, nempè, *pertinacia*: & vt hoc vno verbo explicem, quæ dicatur pertinacia, sciro esse pertinacem, qui

sciens esse illud, quod affirmat, contra Ecclesiam, adhuc vult illud sustinere. Errare igitur cum pertinacia, non est nimis adhærere suis dictis, sed cognoscendo esse contra Ecclesiam, id recipere, putà falsum pro vero, aut verum, pro falso. Talis pertinacia est necessaria in hæresi, ita, vt, quãuis quis teneat contra ipsos articulos, aut contra scripturam, si ignorabat esse contra Ecclesiam, vel scripturam, non sit hæreticus. Ex his omnibus definitio hæresis nota est.

In summa ergo duo aduertenda sunt præcipuè in hæresi, & quòd sit error contra fidem, & quòd sit cum pertinacia assertus à cognoscente illum esse contra Ecclesiam. Est autem tam necessaria ista pertinacia, vt sine illa error numquã sit hęresis, sed aliquando sit peccatum mortale, aliquando actus meritorius, aliquando neutrum. Verbi gratia: si quis erret in his, quæ tenebatur scire, tamen sine pertinacia, quia nescit esse contra Ecclesiam, paratusq; est credere, quod tenet Ecclesia, licèt non sit hæreticus, mortaliter peccat, quia errat in his, quæ scire tenebatur de necessitate. Vnde, multi rustici habentes errores contra articulos fidei excusantur ab hæresi, quia ignorant articulos, & sunt parati obedire Ecclesiæ; sed à peccato mortali non excusantur quia tenentur scire articulos: & hoc aduertant Confessarij. Rursus, si rusticus circa articulos credat suo Episcopo proponenti aliquod dogma hæreticum, meretur in credendo, licet sit error; quia tenetur credere, donec ei constet esse contra Ecclesiam. Rursus aliqui putant aliqua, quæ verè sunt contra ipsas Scripturas, sed ipsi ignorant, nec scire tenentur, nec peccant, nec merentur. In his omnibus, defectu pertinaciæ, non est hæresis. Maximè tamen notandum est, latiorem inueniri pertinaciam in homine docto, quàm in rustico, & indocto. Rusticus solum forsan est pertinax, quando tenet aliquid, quod scit esse contra Ecclesiam, quia hæc est ratio illi credendi, vt credat, quod credit Ecclesia. Quòd si teneat aliquid, quod scit esse contra traditiones Apostolicas, vel cõtra determinationem Papæ, non est pertinax adhuc; quia iste non tenetur scire istas esse regulas fidei, nisi sciat, illa etiam esse contra Ecclesiam, vel traditiones, vel quamlibet canonicam scripturam, vel communem Sanctorum sententiam, vel determinationes Pontificum, vel Concilia; statim enim atque hæc scit est pertinax. Et aliquis posset esse rusticus indoctus, qui pertinax esset, si sciret aliquid contra scripturam veterem, & teneret contra: verum est, quòd pro maiori, vel minori

captu, potest esse latior pertinacia aliquando. Generaliter autem id verum est, quòd quoties contra Ecclesiam aliquid esse dignoscitur, & tenetur, pertinacia est. Ex his omnibus, quid hæresis sit, perspici potest. αἵρεσις autem Græcè, idem est, quod Latinè, electio, quasi fides ex propria voluntate hominis habita. Et aduerte, quia homo ex se errat, & ex proprio defectu suo, ob id error ille ex electione dicitur, & hæresis. Quia verò veritati non credit supernaturali, nisi adiutus à Deo, qui homines eligit ad finem, iuxta illud: *Non me elegistis, sed ego elegi vos*: propterea credere, & tenere fidem, quamuis voluntarium sit, non tamen dicitur hæresis.

Quibus modis peccetur peccato hæresis.

CAPVT IV.

ADuertendum est, tripliciter posse aliquem peccare peccato hæresis.

Primò, tantum interius, cùm in corde habet aliquem errorem cum pertinacia erga materiam fidei, tamen actu aliquo exteriori non manifestauit talem interiorem errorem.

Altero modo, tantùm exterius, cùm aliquis in corde retinens veritatem fidei, exterius facit, vel metu, vel ira, vel aliquo alio motiuo aliquem actum contra fidem, vt vesci carne diebus prohibitis, illudere imaginibus, conculcare Sacramentum, vel verbo aliquid affirmare cõtra fidem, vel nutu aliquid concedere alteri contra fidem.

Tertio modò, interius, & exterius aliquid facit contra fidem, siue coram alijs, siue solus, & nullo præsente. Omnia ista sunt grauissima peccata mortalia, sed cum magna differentia. Primum, & tertium faciunt hominem verè hæreticum, quia per talia peccata amittitur fides interior. Secundum non facit hominem simpliciter hæreticum, quia verè ibi non est error, qui necessarius est in hæresi; ob idque non propriè est peccatum contra fidem, sed contra fidei confessionem, nec ob tale peccatum fides interior amittitur; quamuis in foro exteriori, qui de exterioribus maximè cõsiderat, ille homo sic peccans præsumatur hæreticus, & interiùs etiam errare.

Altera etiam existit differentia. Primum peccatum hæresis interius tantùm nulli subiacet excommunicationi, ita Anton.

3.p.tit.25.c.4.Palud.in 4.d.13.q.3. Sylu. excommunicatio.9.§.3. Non etenim Ecclesia, quantum ad exterius forum, intromittit se in iudicando actus solos interiores: ob id, ab habente auctoritatem audire confessiones absolui potest, quoniam non habet vllam reseruationem.

Tertium autem peccatum, quod non solum interiùs, sed etiam exteriùs committitur contra fidem, quamuis sit occultissimum, ita vt nulli hoc sit cognitum, sed soli committenti, excommuuicationem habet annexam latæ sententiæ, & est prima excommunicatio in Bulla Cœnæ Domini fulminata. Vnde ipsius absolutio ad Papam spectat, vel ad Inquisitores, qui habent à Papa facultatem absoluendi. Cùm autem tale peccatum occultum est, debent Inquisitores in solo cõscientiæ foro audire, & absoluere. Modò autem pòst Concilium Tridẽtinum. iam Episcopis est talis facultas in foro interiori cõcessa, ipsis quidem, non autem ipsorum Vicarijs, quod profectò sanctissimè est institutum, & multos abusus auferendi causa erit. Hoc habetur determinatum in prædicto Concilio, sess. 24 c 6. At secundùm peccatum, quod tantùm exterius committitur, quamuis in foro exteriori reputetur pro excommunicato quia reputatur pro hæretico etiã interiùs, tamen verè in foro exteriori nullam habet excommunicationẽ, sicut nec primũ: potestque à Confessario quolibet absolui. Ita tenet Sylu. verb. Apost. §. 4. & Nauar. c 11. num. 24. Et ratio aperta est, quia excõmunicatio fulminata est contra hæreticos, at ille non est hæreticus, cum fidem retineat veram, nec contra eam peccauit, sed solùm contra confessionem: nec sunt pœnæ iuris ampliandæ. Vnde non est audiendus Caiet. 2.2.q.94. art.1. qui tenet illud peccatum subiacere excommunicationi. Vide igitur quãta sit differentia inter ista peccata. Aduerte autem circa illam Cœnæ excommunicationem, quòd non solùm hæreticus est excommunicatus, sed etiam fautores, receptores, defensores hæreticorum, ipsorumque libros legentes, quamuis isti tales hæretici non sint. Sunt autem ista intelligenda, vt benè dicit Caiet. verb. excommunicatio de defensoribus, & receptoribus, & fautoribus hæreticorum, vt hæretici sunt, id est, de tuentib. ipsos, ipsa ratione, quia sunt hæretici. Vnde, si quis aliquẽ reciperet hæreticum, & domi retineret, quia infirmus erat, nõ excommunicatur in cœna Domini, nisi alia feratur ab Inquisitoribus excõmunicatio generalior. Vnum circa hoc est adnotandum, dubium in fide reduci ad hæresim. Est autem dubius

in fide, qui nec credit articulis, & rebus fidei, nec discredit, sed est suspensus omninò, & hoc, quia non reputat talia esse certissima, iste talis dubius est. Sunt autem duo necessaria, vt dubium hoc faciat hominem hæreticum. Vnum est, vt sit cum pertinacia, sicut in ipsa hæresi, scilicet, qui dubitat, sciat illud esse de fide, & dici ab Ecclesia. Alterum est, vt sit voluntarium dubium, quod sua sponte habet. Hoc dixerim propter scrupulosos, qui patiuntur innumera dubia contra res fidei, sed non voluntariè, at ex dæmonum suggestione, quæ verè dubia non sunt, sed apprehensiones eorum, quæ sunt contra fidem. Hæc autem tam longè distant ab hæresi, vt si patienter propter Deum ferantur, materia sint magni, & continui meriti. Sunt enim caminus ardens, in quo Deus aliquando suos fideles probari permittit. Dubia autem voluntaria contra fidem sunt, & hæreses reputantur; fundantur enim in quodam iudicio & hæretico virtuali, putà, res fidei non sunt omninò certæ & infallibiles, quod quidem iudicium, error, & hæresis aperta est.

De excommunicationibus aliorum circa hæreticos.

CAPVT V.

QVatuor genera personarum innodãtur aut peccato, aut excommunicatione circa negotium hæresis, quamuis tales personæ non sint hæreticæ.

Primi sunt testes. Qui enim sciunt, aliquem esse hæreticum pertinacem, siue secretum, siue publicum, sub mortali secreto tenentur reuelare, & denunciare Inquisitoribus: immò non denuncians incurrit excommunicationem sæpè ab Inquisitoribus impositam. Dixi tamen *pertinacem*: cum enim constat, aut probabile est, non esse pertinaciam, sed talem hominem errare ex ignorantia, non est statim denunciandus, sed est semel admonendus: quã admonitionem si spernit, iam visus est pertinax, & denunciandus, de qua denunciatione differit doctè Alphonsus de Castro 6. lib. de hæreticorum punitione, cap. 25. Idem credo dicendum de eo, qui facit actum contra fidem, tamen probabile est metu, vel alia passione fecisse, mentem tamen retinere sanam: talis enim nõ est denunciandus statim absque admonitione, in qua ipsius mens constet:

simi-

similiter quando firmiter credit aliquis sua admonitione corrigendum, vt habet S. Thom. 2. 2. quæst. 35. art. 7. & Dur. 4. dist. 19. quæst. 4.

Secundæ personæ sunt Inquisitores, vel substituti ab ipsis, aut ab Episcopo, vel ad executionem inquisitionis. Tales enim, cùm contra conscientiam, vel iustitiam imponunt labē hæresis alicui, quam non habent; vel omittunt procedere contra aliquem, contra quem verè est procedendum; & hoc, vel odio, vel amore, vel alicuius spe lucri, ipso facto sunt excommunicati tali excommunicatione, vt eius absolutio ad solum spectet Papam, quod quidem habetur in Clementina, cap. multorum, de hæreticis.

Tertiæ personæ sunt Iudices, Domini, Potestates, Balliui, & alij huiusmodi rectores locorum, prouinciarum, vel similiū: hi enim incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, ob vnam harum causarum.

Prima est, cùm requisiti ab Inquisitoribus, vel Episcopo circa inuestigationem, vel custodiam sufficientem hæretici alicuius, non obediunt illi.

Secundò, cùm requisiti ab eisdem Inquisitoribus, non tradunt ad carcerem ab eisdem deputatum.

Tertiò, cūm hæreticos, ipsis tamquam brachio sæculari relictos, non statim debita puniunt pœna, non obstantibus ipsorum hæreticorum appellationibus.

Quartò, cùm captos hæreticos absq; Inquisitorum, vel Episcoporum licentia, è carcere liberant.

Quintò, cùm se immiscent ad cognoscendum de causis hæreticorum.

Sextò, cùm directè, vel indirectè impediunt processum, vel sententiam contra hæreticos.

Septimò, cùm se opponūt Inquisitori, vel Episcopo in causa hæreticorum, ipsos impedientes. Hæc excommunicatio habetur cap. vt inquisitio. de hæreticis in 6. & est Episcopalis; dummodo tales potestates non hoc faciant in hæreticorum defensionem formaliter, id est, vt hæretici sunt: tunc enim tenentur fautores hæreticorum excommunicati in Cœna Domini.

Quartum genus personarum sunt hi, qui consilium, vel auxilium dant huiusmodi Potestatibus, & Dominis ad tales actus, & est similis excommunicatio, & in eodem cap. continetur, & eodem est modo intelligenda; dummodò non id fa-

ciant gratia hæresis, aliàs sunt in Cœna Domini excommunicati. Notandum tamen est, quòd Episcopi non incurrunt excommunicationem scientes, sicuti Inquisitores, & substituti ab ipsis, sed manent suspensi per tres annos, vt in eodem capite habetur.

De apostasia, & infidelitate.

CAPVT VI.

ALterum peccatum contra fidem est Apostasia, quæ sic describi posse videtur *Est error hominis baptizati, fidei catholicæ ex toto contrarius.* In qua quidem descriptione quatuor sunt partes.

Prima est, *error*, id est, existimatio veri pro falso, aut falsi pro vero: vbi enim non est talis error intellectu, sicut non est hæresis, vt suprà diximus, ita nec apostasia.

Secunda est, *hominis baptizati*. Nullus enim non baptizatus, quamuis erret, dicitur apostata, sic nec hæreticus.

Tertia est, *fidei contrarius*: non enim quicumq; error est apostasia, sed ille, qui est contrarius fidei Christianæ, putà, cum quis existimat eam esse falsam, aut pro vera recipit sectam cõtrariam fidei.

Quarta pars est, *ex toto*: in hac enim parte differt apostasia ab hæresi. Hæresis est error contrarius fidei, non quidem toti fidei Christianæ, sed vni, aut aliquibus articulis fidei: at apostasia est error toti fidei contrarius, vt, cùm quis negat Christum & conuertitur ad sectam aliquam infidelium, vel manet absq; vlla fide, & secta talis dicitur apostata. Vnde apparet esse grauius crimen & peccatum, quàm sit hæresis. Ex his igitur apparet, quid sit apostasia, & apostata. Dicitur autem apostasia, quasi retrocessio; & apostata, quasi retrocedens, seu deserens. Vnde, meritò, qui fidem, quam habebat, & per baptismum professus erat, abijcit, dicitur apostata. Solent etiam Doctores, eũ, qui obedientiam Ecclesiæ deserit, appellare apostatam, qui idem est cum schismatico; & qui clericatum similiter deserit, quem professus est: similiter qui deserit religionem. Sed tales apostasiæ non sunt contra fidem, ob id ad locum præsentem non spectant: dicemus inferius, in primo, vel in secundo mandato Decalogi.

Apostasia, sicut & hæresis, tripliciter committitur.

Vno

Vno modo, tantùm in corde, & interiùs, cùm quis deserit mente fidem Christianam, nullum tamen actum exteriorem emittit contra fidem, nec verbo, nec nutu, nec opere.

Secundò, tantum exteriùs, cùm quis mente retineus Christianam fidem, metu, vel alia passione aliqua facit aliquid cõtra Christianam religionem, vt circumcidi, adorare idola, approbare verbo, vel scripto, vel nutu sectam infidelium, vel aliquid simile.

Tertio modo, interiùs & exteriùs, cùm non solùm actu exteriori sectam profitetur contra fidem, sed nec interius eam retinuit, abiecitq; fidẽ. Hæc tria peccata sunt grauissima mortalia, tamen cum differentia. Primum enim, tantùm interiùs, nulli substat censuræ, nec excommunicationi, & potest absolui à proprio Confessario. Tertium non cuicumq; subiacet excommunicationi, sed Cœnæ Domini. Est enim apostata sub hæretico inclusus, quantum ad pœnas omnes iuris, vt tenet communis opinio. Innoc. cap. 1. de apostasia, & Hostien. ibid. & Syl. ver. Apostasia, § 2. Vnde, nomine hæretici includitur apostata, quamuis non è contra; cuius absolutio est, sicut de hæretico, vt superius diximus. At secundum, tantùm exterius, nulli substat excommunicationi in foro interiori, licèt subsistet in foro exteriori, quia reputatur pro apostata etiam inferiori. Nec in hoc est audiendus Caietanus, vt supra etiam diximus de hæretico.

Reducitur etiam ad apostasiam dubium voluntarium contra fidem Christianam, sicut dubium de vno, vel pluribus articulis fidei reducitur ad hæresim. Iuxta enim ea, quæ diximus de hæresi, oportet procedere in his, quæ diximus de apostasia modo proportionali.

Post apostasiam tertium peccatum contra fidem est infidelitas, quæ sic describi potest: *Est error hominis non baptizati fidei catholicæ, siue ex toto, siue ex parte contrarius.* Infidelitas enim concludit hæresim, & apostasiam; in hoc differens ab eis, quòd infidelitas est error hominis, qui nunquam baptismum suscepit: talis enim, siue erret in tota nostra fide, quia abijcit Christum, vel tenet aliquid contra Christum, siue erret in parte, quia aliquos recipit articulos, aliquos non, dicitur infidelis, & ipsius error dicitur infidelitas. Notandum tamen, quòd omnis talis error non est peccatum, nisi in duobus casibus.

Vnùs est, cùm talis infidelis sufficientem habet notitiam

fidei

fidei Christianæ: qui enim eam haberet, & adhuc in suo persisteret errore, mortaliter peccaret. Vnde isti nostri ludæi & infideles, qui prope nos sunt, qui de nostra religione notitiam habent magnam, non excusantur à peccato in suo errore. Qui verò nullam penitus notitiam habent, etsi aliquid teneant contra fidem, vt Deum non esse tres personas, Deum non esse incarnatum, non peccant.

Alter casus est, cū ratione naturali tenere possunt id, quod nostræ fidei est. Vnde dicti homines infideles, qui plures tenēt Deos, peccant: nam licèt nihil audierint de fide nostra, tamen ratio naturalis id probat; licèt non sit tam graue peccatum, sicut eius, qui per fidem haberet, vnum Deum esse, & plures coleret. Rursus, qui solem, lunam, & creaturas putant Deos, non excusantur, quia quisq; naturali iudicio comperire potest non esse. Vnde idololatræ non habent à peccato excusationem, sicut non excusantur etiam à transgressione præceptorum Decalogi, quamuis nesciāt esse à Deo, quia etiam naturalia sunt. Sufficit hoc de infidelitate, quia tale peccatum ad confessionē non spectat.

De Spe, & peccatis contra Spem.

CAPVT VII.

POst Fidem, & peccata ipsi opposita, sequitur vt de Spe, & peccatis ipsi oppositis agam.

Primum autem, quid sit Spes, examinandum est. Spes igitur, vt ad præsens pertinet, *est inclinatio ad futuram beatitudinem Dei auxilio consequendam.* In declarationem aduerte, in Spe communiter loquendo, duo considerari.

Vnum est actus ipse, quo quis dicitur sperare, & hic non est alius, quam voluntatis, vel appetitus quædam inclinatio, seu propensio in aliud. Est enim superare operatio voluntatis, vel appetitus. Alterum est obiectum ipsum, id est, id quod speramus, hoc autem est bonum: speramus enim bona, non tamen quæcumq;, sed cum triplici conditione.

Prima est, vt bonum, quod speramus, non sit præsens, sed futurum: quæ enim habemus, non speramus.

Rursus secunda, vt sit arduum ad consequendum. Bona enim futura, sed absque arduitate & difficultate non speramus, sed desideramus. Sunt enim tres actus voluntatis, seu appeti-

tus,

tus, qui in bonum ferunt, amor, desiderium, spes, sed cum differentia. Amor fertur in bonum secundum se, siue præsens sit, siue absens. Desiderium in bonum futurum, & absens, sed absq; difficultate. At spes in bonum absens difficile. Cum amore igitur conuenit in eo, quod in bonum fertur; sed differt in eo, quod in absens, & nondum habitum fertur. Cum desiderio autem in eo conuenit, quod in bonum nondum habitū fertur; sed differt, quia circa difficile versatur.

Tertia conditio, vt sit bonum possibile obtineri: quæ enim nullo modo posse consequi scimus, non speramus. Est igitur spes, qua voluntas, vel appetitus fertur in bonum aliquod difficile, quod tamen obtineri potest. Applicemus igitur ista spei Christianæ, quæ est voluntatis inclinatio, & propensio in quoddam bonum nondum habitum, puta, beatitudinem, quę est Dei fruitio, quæ quidem, cùm sit finis noster vltimus, & supernaturalis, bonum est difficile, & arduum ad consequēdum; est tamen obtinendum, cum Dei auxilio, & fauore. Sperare igitur tale bonum, Dei fauore, & auxilio, est quod facit spes nostra. Hinc sequitur, spem hanc nostram esse in voluntate: nam inclinari in bonum tale, non est intellectus, sed voluntatis. Ob id, Spes est virtus in voluntate existens. Rursus sequitur, Spem supponere Fidem, quæ est in intellectu: si enim non credimus esse beatitudinem ex diuino auxilio consequendam, non vtiq; speramus. Rursus etiam sequitur, Spem esse virtutem Theologicam, nam versatur circa Deum, quæ est nostra beatitudo. Virtus autem, quæ est circa Deum, Theologica dicitur. Ex his patet, quid Spes sit. Nunc autem de peccatis contra ipsam tractemus, quæ duo sunt, Desperatio, & Præsumptio.

Dicamus primò de desperatione.

Desperatio est quidam voluntatis recessus à beatitudine futura: vt enim spes inclinat, ita desperatio auertit voluntatē à tali bono, quæ quidem desperatio aliquando est cum hæresi & amissione fidei, aliquando autem est cum fide: potest enim perdi spes, manente fide. Vt autem hoc cognoscatur, examinandus est actus intellectus, vnde procedit illa desperatio: si enim est error contra fidem, amittitur etiam fides, & est duplex peccatum: si verò non, manet fides, & est vnum peccatum desperationis. Verbi gratia, si quis desperat, quia non putat esse talem beatitudinem, est tunc etiam hæreticus, & perdit fidem: similiter si desperat, quia putat Deum non solere parcere pec-

cata,

cata, aut quia putat non posse parcere ipsius peccata, tunc etiã errat contra fidem. At verò si non est talis error contra fidem, non perditur fides, vt, si desperat, quia putat Deum ipsi non parciturum, aut se nunquam benefacturum: non enim est hæreticum, & contra fidem, putare, & dicere, Deus non parcet mihi: ego non faciam bona opera: vtroque modo, desperatio est peccatum mortale, tamen multò grauius, cùm fides perditur simul cum spe, quia iam est nouum peccatum hæresis, præter desperationem. Desperatio autem ipsa sola minus est peccatum, quàm hæresis, licèt sit periculosior: cuius rationem dat S. Thomas 2,2. quæst. 21. nam fides versatur erga Deũ secundum se, quia credit esse veracem: vnde hæresis opposita lædit Deum secundum seipsum: spes verò versatur erga Deum, non secundùm se, sed prout à nobis est per beatitudinem habendus: vnde desperatio lædit Deum in ordine ad nos consideratum, quod minus graue est, quàm lædere Deum secundùm se: at periculosius est, quia homo desperans in plura crimina prorumpit, quàm hæreticus, quia nullo fertur fræno.

Præsumptio autem peccatum est, non tamen sicut desperatio: hæc enim desperatio auertit à beatitudine, & à bono sperato hominem, vt dictum est: at præsumptio inclinat in beatitudinem, sed non eo modo, quo speranda est. Sperari enim debet beatitudo, non per nostras vires naturales solas, sed Dei auxilio consequenda: vnde duplex est præsumptio.

Vna, qua quis vult beatitudinem, tamquam debitam suis naturalibus meritis, absque Dei gratia, & suis viribus consequendam, vt qui sperat beatitudinem, quia doctus est, vel quia nobilis, vel quia potens, vel ob aliam naturalem dotem habendam.

Altera est presumptio, qua quis vult beatitudinem sola diuina misericordia consequendam, absque suo vllo bono opere, & cooperatione, cùm tamen non sit, nisi diuina misericordia & auxilio, nobis cooperantibus, obtinenda. Vtraque præsumptio est peccatum mortale, grauius tamen est ista posterior: cuius rationem dat S. Tho. loco allegato: nam ista præsumptio facit Deum iniustum, qui absque vllo bono opere nostro vult nos saluare, & non habere rationem mali operis. At prior præsumptio facit hominem maiorem quàm sit, minus autem malum est, se maiorem quàm sit facere, quã Deum minorem quam sit facere. Vtraque autem præsum-

ptio aliquando est cum hęresi, si error intellectus accedat. Vnde, qui vellet beatitudinem per solam Dei misericordiam, absq; suo bono opere simul, & existimaret intellectu beatitudinem sic esse habendam, esset non solùm præsumptuosus, sed hæreticus, quales sunt modo Lutherani. Rursus, qui propriis meritis, absq; Dei gratia, vellet beatitudinem, & sic iudicaret esse habendam, esset hæreticus, quales fuerunt Pelagianistis tamē peiores sunt Lutherani, ob causam dictam. Cùm verò non est talis error contra fidem in intellectu, sed iudiciū, quo videtur sibi Deus sic cum ipso facturus, solùm est præsumptuosus, non hæreticus; peccatum tamen est mortale. Et hæc sunt contra spem peccata.

Quid sit Charitas, & quàm necessaria sit.

CAPVT VIII.

POst Fidem, & Spem, de Charitate est agendum. Sic autem definiri posse videtur, *Charitas est amicitia hominis ad Deum supernaturalis.*

In qua definitione tres sunt partes.

Prima est, *Amicitia.* Est autem aduertendum, ad amicitiam quatuor esse necessaria.

Primum est, vt sit amor Dei; vbi enim nullus amatur, nulla est amicitia.

Secundò, vt sit amor beneuolentiæ. Est amor beneuolētiæ, quo bonum volumus alicui. Velle enim sibi, vel alteri bonum aliquod, est amare se, vel alterum amore beneuolentiæ: ipsum verò bonum, quod est volitum, dicitur amatum amore concupiscentiæ: vt igitur sit amicitia, debet esse amor beneuolentiæ, quo alicui bonum quis velit.

Tertiò, vt sit amor mutuus, quo sic amat aliquem, vt redametur: alias enim amor non tenet rationem amicitiæ, cùm talis est, nec redamantem habet.

Quartò, vt sit aliqua conuersatio inter se mutuò amātes: vbi enim nullum colloquiū mutuum, nec cōuersatio vlla, nec aliquid vtriq; cōmune, non est amicitia. Ista quatuor in Charitate sunt, ob id Charitas amicitia dicitur.

Secunda pars est, *Hominis ad Deum.* Non enim quælibet

amici-

amicitia Charitas est, sed quæ est hominis ad Deum ipsum: intercedunt enim ista quatuor prædicta.

Primò quidem, Deum homo amat.

Secundò, amat amore beneuolentiæ: vult enim Deo bonū. Dices, quod bonum homo Deo vult? Dico duplex esse tale bonum: Quod in ipso est, putà cùm volumus esse iustum, sicut est; bonum, sicut est; potentem, sicut est, & alia. Alterum est externum, putà, cum volumus suam voluntatem in omnibus rebus impleri; omnes ad ipsum conuerti; & suum nomen semper exaltari. Ista talia ipsi vult, qui eum Charitate diligit.

Tertius est mutuus amor: non enim homo Deum diligit, quasi ob hoc à Deo diligatur. Immò Deus est, qui prior dilexit nos, & cuius amor est nostri amoris causa. Est autem discrimē notandum inter amorem Dei, & nostrum versus ipsum. Non enim ei volumus bonum, sed non damus ei tale bonum, quod ei volumus: nec enim iustum, vel bonum, vel quid tale ipsum facimus: nec similiter absq; ipso bona externa ei dari possunt: at ipse suo amore dat bonum; quod amando vult, dumque amat, bonos nos, & amabiles facit. Sicut, si aliquis oculus esset, qui, quò se conuertit, colores dat corporibus, quibus videri possint: talis enim visibilia corpora facit, vt videt. Sic est amor diuinus.

Quartò, est mutua conuersatio, in eo quidem, quòd ipse est finis nostri, nos autem ad ipsum tendimus. In eo etiam, quòd ipse suam naturam nobis manifestauit, & suam voluntatem; nos verò, quæ vult, implemus. Ob quam conuersationem dixit Christus Ioann. 15. *Non dicam vos iam seruos, sed amicos, quia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Rectè igitur dicitur Charitas amicitia hominis ad Deum: est enim amor amicitiæ.

Tertia pars est, *supernaturalis*, Deus enim dupliciter ad hominem comparatur.

Vno modo, sicut finis naturalis, ad quem est factus, sicut etiam aliæ res omnes sunt propter Deum factæ, & ex hac parte homo debet amorem naturalem Deo, cui cuncta suo modo debent.

Altero modo comparatur, vt finis supernaturalis habēdus ab homine per visionem & fruitionem. Sic igitur Deum amare, Charitatis est, ob id dicitur amicitia supernaturalis. Similiter etiam, quia talis amor est tam eleuatus, vt nullus eum

possit

possit habere, absq; auxilio Dei supernaturali. Est igitur Charitas amicitia hominis, seu creaturæ rationalis (vt etiam comprehendatur Angelus) ad Deum. Charitas enim necessaria est maximè ad duo.

Primùm, ad finem: nullus enim intrare potest in regnum cœleste sine Charitate, quæ vestis est nuptialis: vnde prima Io. 3. dicitur, *Qui non diligit, manet in morte*, Est autem necessaria, vt opera nostra bona efficiantur meritoria vitæ æternæ. Sine charitate nullum est opus ita bonum, quod dignum sit vita æterna. Vnde 1. Corinth. 13. dicitur; *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Charitas enim est, quæ bona opera facit meritoria vitæ æternæ. Non tamen ob id, qui in peccato mortali est, deserere debet omnia bona opera moralia, licèt per ea non mereatur vitam æternã. Prosunt enim ad multa.

Primum quidem, vt homo minus peccet, minusq; Deo displiceat, & propterea minus puniatur.

Secundò, vt consequatur à Deo bona temporalia, sanitatẽ, honorem, diuitias, filios, & alia, quamuis hæc non mereatur, sed solùm est quædam congruentia diuina, qua Deus secundũ suam bonitatem non despicit vllum bonum opus.

Tertiò, vt citò etiam ad Dominum conuertatur, & à peccato liberetur.

Quartò, vt homo sit assuetus bonis operibus, vt cùm postea ad charitatem peruenit, non tantam in bono agendo difficultatem patiatur.

Quintò, vt in gloria posteà existens, si per pœnitentiã conuertatur, gaudeat in æternum de tali bono opere. Vtilia igitur sunt talia opera, vtiliora tamen per charitatem.

De peccatis contra Charitatem.

CAPVT IX.

QVatuor sunt præcipuè peccata, quę Charitati per se formaliter opponuntur.

Primum est contra ipsius substãtiam, & hoc est odiũ omnium peccatorum grauissimum. In cuius declaratione aduerte, Deum dupliciter considerari posse,

Vno modo, secundum se, vt est quoddam bonum infini-

tum, & sic à nullo potest odio haberi, quia nulla in eo inest mali species.

Altero modo, ratione alicuius effectus, putà vt castiget & punit, vt aliquando pœnam infligit, & sic potest odio haberi, & habetur aliquando. Pueri enim odio habent magistrum ratione, qua ab ipso plagis afficiuntur, licèt secundum seipsum odio non haberent. Cum igitur quis in tantum malum prorumpit, vt Deum considerans sibi aliquid mali pœnæ infligere, ipsi malum vult, talis odio habet Deum, & odium hoc peccatum est mortale grauissimumm omnium, vtpotè contrariũ summæ omnium virtuti, quæ Charitas est.

Alterum peccatum est oppositum Charitati, cùm quis amat quidem Deum, sed non eo modo, quo amandus est. In cuius gratiam aduerte, Deum amandum esse propter seipsum, quia bonus est, & amore dignus, non autem præcipuè propter aliquod creatum, nec propter beatitudinem, nec propter aliud bonum, quod ab ipso speramus. Est enim Charitas amicitia honesta, qua amicus amatur propter se: cùm enim propter aliud amatur, non est vera amicitia: vnde Arist. 16. Ethicorum, senes, & iuuenes docet nõ habere veras amicitias. Senes enim amant ob suam vtilitatem, iuuenes ob suam delectationem, quibus cessantibus, cessat amicitia. At vera amicitia est propter se: tali enim amicitia est Deus amandus. Cùm igitur Deus amatur propter aliud præcipuè, talis amor peccatũ est mortale, contra Charitatis modum. Dixi autẽ, præcipuè, quia Deus potest amari etiam propter retributiones, sed minus principaliter. Cùm sic amatur ob eas, vt quamuis non essent illo retributiones, adhuc tamen Deus amaretur, talis amor bonus est. Sic enim dicit Dauid: *Inclinaui cor meum, ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem.* At verò cùm quis sic amat, vt finem in alio ponat, putà, tota causa amandi est bonum speratum, nec amaret Deum, si illud non esset, peccatum est. Non igitur in Deum affectio ponenda est sic, bonum aliud à Deo respiciendo.

Tertium peccatum est circa quantitatem, cùm non amamus, quantum debemus. Debemus autem amare Deum supra omnia, vt nihil plus æstimemus, quàm Deum, nec etiã nos ipsos. Cùm igitur aliquis sic amat aliquid, vt plus velit ipsum, quàm Deum, & vellet priuari potiùs Deo, quam tali re temporali, talis affectus est peccatum mortale; Deus enim est omnibus rebus anteponendus.

Aduer-

Aduertendum tamen est, duplicem esse quantitatem in dilectione & amore.

Vna dicitur intensionis, quæ consistit in feruore, & vehementia quadam ipsius actus.

Altera est appretiationis, quæ consistit in eo, quòd amatū pluribus, vel paucioribus præfertur in ipso amore; & hoc dicitur plus amari quantum ad appretiationem. Has duas quantitates inæquales aliquando experimur in patribus erga filios. Solent enim maiori intensione amare natos minimos, quia feruentius, & vehementiori conatu ipsos diligunt, quàm natu maiores, & primogenitos; sed multò magis appretiant ipsos maiores, & primogenitos: cuius signum est, quod si priuandi essent vno filiorum, potiùs vellent minori, quàm primogenito priuari. Deus à nobis supra omnia amandus est, quantum ad appretiationem, & intensionem, sed non eodem modo. Nam quantum ad appretiationem, obligamur amare ipsum plus omnibus, sub mortali peccato: ipse enim omnibus præferendus est. Nec opus est facere ipsas appretiationes in particulari, scilicet, plus velle mori, pati hoc, vel aliud, quàm Deum offendere: sunt enim periculosæ, & potiùs virorum perfectorum: sed cùm faciendæ sunt, Deus est præferendus omnibus, nihilque ipsi præferendum. Quantum ad intensionem verò, non tenemur sub præcepto ipsum plus diligere; imò aliquando feruentius amamus res sensibiles, & creaturas. Sanctissimū tamen est. Deum etiam summa intensione diligere, cùm omni sit amore dignissimus.

Quartum peccatum contra Charitatem est ratione temporis, cum non diligimus Deum, quando diligendus est. Est autem aduertendum inter præcepta affirmatiua, & negatiua, quantum ad tēporis obligationem, hoc esse discrimen, quòd negatiua omni tempore obligant: omni enim tempore tenemur non occidere, non furari, non mœchari. Affirmatiua verò non obligant omni tempore, sed quando oportet, vt suis in locis dicemus. Præceptum igitur diligendi Deum, cùm affirmatiuum est, non omni tempore obligat: tunc enim oporteret perpetuo actu, absque intermissione diligere, quod in ista vita impleri non potest: non igitur obligat, nisi certis temporibus.

Primum est, in quo oēs obligantur, siue sint in gratia, siue extra gratiam, cùm primū ad annos discretionis peruenerint, vtiam possint de actibus suis deliberare, ipsosque ordinare,

tunc tenentur actu se,& omnia sua dirigere in finem vltimũ, qui est Deus:Christiani quidem in Deum, vt in finem spiritualem:alij in Deum,saltem vt finem naturam. Quæ ordinatio non fit,nisi per actum charitatis, quo Deum omnibus anteponunt:& oppositum facere committendo,aut omittendo, est peccatum mortale contra istud præceptum diligendi: cuiuis hoc probabile sit,& non omnibus receptum, secutus est ita facere.

Secundum tempus est, in quo homines obligantur solum, quando mortalis peccati conscientia est, putà quando tenentur habere cõtritionem de peccato suo,quod maximè fit,cum est mortis periculum,& cùm sunt administraturi sacramentũ aliquod,vel aliquid facturi. quod non debet fieri absq; gratia, vt cantare Euangelium,epistolam in altari. In his casibus,deficiente copia Confessariorum,opus est ad contritionem confugere,quæ non habetur sine Dei dilectione. In hoc tempore omnes conueniunt.

Tertium ponit Soto lib.2.de iustitia & iure q.3.art.10.quando aliquis recipit aliquod notabile beneficium à Deo,vel liberatur ab aliquo grauissimo malo, vel quando incœpturus est aliquod opus arduum,quod multum indiget gratia, tunc tenetur,si in conscientia peccati est,conteri,& conuerti ad Deũ per dilectionem:hoc profectò videtur probabile; & salubertimum est consilium,frequentes actus dilectionis in Deum ipsum facere.Ista sunt contra charitatem peccata. Vt tamen intelligas quomodo sunt omnia hæc contra charitatem. Aduerte,dupliciter contingere Deum diligere.

Vno modo,quantum ad actum amoris, putà, cùm ipsum amamus.

Altero modo,quantum ad executionẽ operum, id est,cum quæ ipse vult,facimus.Mandata enim Dei seruare & implere, est ipsum diligere. Si primo modo sumatur dilectio & charitas,sic quatuor prædicta peccata sunt contra charitatem:si autem contra obseruationem præceptorum, quæ dicitur charitas & dilectio, quantum ad executionem, & effectum, cùnc omnia peccata sunt contra charitatem posteriori modo.

De amplitudine Charitatis, quæ est erga proximum.

CAPVT X.

ISta charitas non solùm erga Deum est, sed etiam propter ipsum erga proximum. Omnis autē ille dicitur proximus noster, qui nobiscum potest esse particeps eiusdem finis & beatitudinis, qualis est omnis homo in hac vita degens, siue fidelis, siue infidelis sit; siue iustus, siue peccator; siue amicus, siue inimicus: omnes enim hi, diuina gratia, ordinati sunt ad æternam beatitudinem, nisi culpa sua amiserint. Omnes igitur hi diligendi sunt ex charitate. Sunt autem diligendi, quantum ad quatuor.

Primum & præcipuum est, quantum ad finem vltimum. Debemus enim velle omnibus beatitudinem æternam, ad hūc sensum, vt nullum excludamus ab hac volūtate, nulli velimus beatitudinis priuationem: talis enim voluntas est peccatum mortale contra istud præceptum. Hoc igitur est diligere proximum sicut se, non quidem quantum se; quia plus tenemur nos diligere, sed modó eodem, vt eundem finem, quem nobis volumus, alijs velimus, nullum vnquam excludentes à voluntate ista.

Secundum est, quantum ad bonum spirituale gratiæ, & fidei, vt omnibus velimus, & curemus salutem ipsorum spiritualem. Quod quidem per dicta tria hæc intelligitur.

Primò, si quis proximus est in necessitate extrema constitutus, vel probabiliter vergit in extremam necessitatem fidei, aut gratiæ spiritualem, quilibet tenetur ei succurrere, etiam cū dispendio vitæ propriæ temporalis, si sibi probabile est profuturum. Verbi gratia, est aliquis in mortis articulo, quē probabiliter scio non habere contritionem, nec esse confessum, tamen Sacerdos abest, solus ego illic adsum, cognosco illum probabiliter confessurum, & saltem illum atterendum, teneor illum audire, etiam cum periculo vitæ meæ temporalis, puta, si forte inimici insequuntur, quia tempus est belli, vel si forte ille laborat peste, vnde contraham, si accessero, vel si aliud ineſt periculum. Rursus, est aliquis inter hæreticos, vel infideles, qui in suo errore est, quia non habet docentem veritatem, si alicui sit probabile profuturum, si necessitas sit extrema, quia est summa docentium inopia, tenetur etiam cum

vitæ periculo docere. Rursus, si scio mea correctione profuturum alicui, vt à peccato diuturno liberetur, nec sunt alij, qui faciant, aut velint facere, teneor corrigere, non obstante periculo vitæ. Per hos, facilè est de alijs casibus iudicare.

Secundò, extra extremam necessitatem, si quis sine detrimento vitæ, honoris, aut rei, aut cum paruo detrimento potest alium iuuare, tenetur sub mortali: si verò absque notabili prædictorum detrimento non potest, non tenetur. Verbi gratia, est homo dives in ciuitate, qui scit aliquem pauperem ob inopiam velle exponere filias, si ipse potest absque detrimento notabili subuenire, tenetur sub mortali, licet alij diuites sint in ciuitate eadem, qui possint id facere. Si tamen non potest sine graui detrimento familiæ suæ, non tenetur, nisi sit extrema necessitas; vt si illi constaret, nullum alium velle succurrere, & iam illum patrem omninò propensum ad exponendas filias: tunc enim tenetur etiam cum notabili detrimẽto succurrere.

Tertiò, quibus ex officio incumbit saluti speciali aliorum prouidere, quales Curati, & Episcopi, & pastores sunt, tenentur cum periculo vitæ, etiam extra extremam necessitatem succurrere; & non solùm hoc, sed etiam inquirere eos, qui in suo grege similibus necessitatibus laborant. Alij enim, quibus ex officio non incumbit, non tenentur inquirere, sed oblatis necessitatibus succurrere: vnde curatus tempore pestis nõ potest fugere, & relinquere oues absque sacramentis, licèt se sciat peste inficiendum: & Episcopus tempore etiam hæresis non potest fugere, & relinquere oues decipi, sed ponere animã pro ouibus, nisi in vtroque casu alia ratione sufficienter ouibus prouideretur aliorum ministerio, &c. Ita igitur intelligendũ est illud secundum, quod diximus erga modum, quo diligendus est proximus. Tertium est, quantum ad vitam temporalem, vt non solùm velimus vitam, sed etiam curemus: quod dicta explicandum est.

Primò, si quis est in extrema necessitate vitæ tẽporalis constitutus, & alius potest cum dispendio rei temporalis etiã graui, succurrere, tenetur sub mortali succurrere: v. g. si quis iuster infideles esset occidendus, quia non reddit centum aureos, si quis adsit, qui eos possit dare, tenetur dare, vel gratis, vel mutuo, vt ipsum liberet à morte temporali.

Secundò, extra necessitatem extremam, si quis potest sine notabili detrimento succurrere ipsorum necessitatibus, tene-

tur,

tur,& in hoc casu est præceptum de eleemosyna. Cum notabili verò detrimento non tenetur,putà,non debet statum suũ mutare,nec conuenientem familiam amittere.

Tertiò, vitam alterius temporalem non tenetur saluare cum dispendio propriæ vitæ;si tamen velit,potest,& est actus bonus,& meritorius:v g.Sunt duo in mari,vnus est absque tabula,vnde necesse est submergi,alter habet, potest hic dare alteri,sed non tenetur.Idem in extrema cibi necessitate duorum vno habente cibum,potest hic alteri dare.

Rursus,periculo imminenti vni duorum potest vnus illud subire,vt alter saluetur. Aduertendum tamen est in hoc casu,quòd cùm talis persona est multæ vtilitatis erga rempublicam,vel erga familiam,alter verò non est, non licet illi ita vtilem vitam commutare pro homine inutili, nisi fortè talis inutilis versetur in periculo æternæ dãnationis. Liceret enim in tali casu vitam commutare propriam pro illius vita, ne in æternum periret;si tamen esset probabilitas emendationis & resipiscentiæ talis hominis.

Quartum est,quantum ad officia communia,quæ alijs hominibus exhibentur: dicitur hoc maximè propter inimicos, quibus non sunt subtrahenda beneficia communia. Voco autem communia ea,quæ multis exhibentur propter causam aliquam in eis contentam, putà, quia pauperes, quia homines, quia consanguinei,&c. Cùm igitur inimicus in eadem ratione conuenit,non sunt ei subtrahenda communia beneficia. Vnde,si quis fundens orationes generales ad Deum pro omnibus,inimicũ subtraheret,peccaret.Rursus,si quis in eadẽ domo manentes alloquitur,si inimicus in eadem domo manet, tenetur alloqui:similiter,si in eodem Collegio. Rursus,si quis eleemosynas largitur alicui communitati,non potest absque peccato subtrahere eam inimico. Similiter non salutare, si ante salutabat,aut salutantem resalutare. Ista,& similia communia beneficia non sunt subtrahenda: liceret tamen in vno casu subtrahere,dummodò scandalum non esset,putà,si ex tali subtractione speretur probabiliter inimici correctio, & resipiscentia spiritualis. Particularia autem beneficia, qualia sunt,quæ amicis solent exhiberi, vt familiares colloquutiones,non tenetur homo inimicis exhibere, quamuis ante exhibuisset,dummodò tamen non sequatur scandalum. Rursus, tenetur homo officia illa etiã inimicis exhibere, quæ sunt secundũ quandã iustitiam.Pater enim filijs debet sua officia ex-

hibere,& filij reuerentiam patribus, quamuis intercedat inimicitia.Similiter serui dominis,& domini seruis: maiores inferioribus,& è contrà. Aliquando tamen licet ex parte superiorum,patrum, dominorum, negare sua officia ad tempus inferioribus,in pœnam peccati eorum; potestq; pater filium inobedientem,vel qui commisit aliquid in ipsum, domo expellere ad tempus,in pœnam; dummodò malum spirituale non sequatur,vel alia grauia mala,aut scandalum. Rursus,omnes tenentur inimicis iniuriam remittere quantum ad odium & voluntatem mali; sed non tenentur remittere debitam satisfactionem:immò aliquando melius est remittere. Vnde vidua pauper,filios habens,quos sustentare non valet, non tenetur viro homicidæ remittere, nisi iustum alimentum subministret,cùm possit. Similiter cum homicida litigans, quia homo ille est iniquus,non tenetur desistere à causa;immò ipsam sequi,donec suspendatur;deposito tamen odio ipsius personæ,& solùm ob iustitiæ zelum. In componendis igitur pacibus,& litibus odij depositio curanda est, sed non est petenda satisfactionis remissio,nisi iusta sit.

De modis,quibus proximo possumus velle malum temporale,& de schismate.

CAPVT XI.

QVamuis vnusquisque teneatur proximum diligere, nulli malum volendo, vt dictum est; sunt tamen aliqui casus,in quibus licet malum velle, seu odio habere aliquem.

Quorum primus est,ratione ipsorum peccatorum:Licet enim odio habere aliquos,ratione iniquitatis, iuxta illud psalmi:*Iniquos odio habui.*

Secundus est: Licet etiam velle,& desiderare malum temporale alicui, solùm ob spiritualem emendationem ipsius, vt si quis esset superbus,& incorrigibilis, liceret desiderare illi infirmitatem,vel pecuniarum amissionem, vel aliud malum temporale, per quod probabiliter sperari possit ipsius correctio.

Tertius est,ob bonum spirituale contritionis,& aliorum: Licet enim hæreticis alios peruertentibus,& incorrigibilibus

bus desiderare mortem temporalem à Domino, vt de medio tollantur, ne alios perdant secum.

Quartus est, ob iustitiam: licet enim peruersis hominibus comprehensis à Iudice desiderare suspensionem, ob zelum iustitiæ; & vt à Iudice comprehendantur, & castigentur, vt compleatur iustitia. In omnibus his casibus, semper obseruandum est, ne desiderium hoc mali sit ob ipsam personam: tunc enim malum esset contra proximi dilectionem: bonum est, si tantùm sit propter prædictos fines. Contra hanc charitatem proximi vnum est peccatum, putà scandalum, de quo inferiùs discutiemus: nunc tantùm de schismate dicendum est.

Est autem schisma contra charitatem, qua parte est vnio fidelium inter se in ordine ad vnum caput. Est enim amoris, & charitatis vnire voluntates aliàs diuersas. Shisma igitur, vt ad præsens spectat, est rebellis, & spontanea separatio ab vnitate Ecclesiæ. Cùm enim quis non vult obedire Ecclesiæ, aut Pontifici, spontanea rebellione, dicitur schismaticus, & tale peccatum schisma est, quasi scindens, & diuidens homines à communione charitatis.

Schisma, vt hæresis, aliquando interiùs committitur, absq; opere exteriori, aut verbo, & tunc peccatum mortale est, sed nulli censuræ subditum.

Aliquando interius, simul & exteriùs est: & aduerte, quòd aliquando est cum hæresi, aliquando sine illa. Cùm enim est error in intellectu contra fidem, est hæresis, & schisma, vt qui se separat ab obedientia Papæ, quia non credit eius potestatem, talis schismaticus reputatur pro hæretico, & eisdem substat pœnis.

Aliquando tamen est schisma, cùm non est talis error in intellectu, vt, qui credens quidem potestatem Papæ, tamen passione aliqua motus ab illius obedientia se subtrahit, iste est pure schismaticus: nam schisma est contra vnitatem charitatis, non contra fidem, & tale schisma subsistat excommunicationi Papali, non quidem in Cœna Domini, nisi sit cum hæresi, sed à iure, quod habetur c. licèt, de electionibus, & c. nulli, dist. 19.

De primo Decalogi præcepto.

CAPVT XII.

ANtequam ad singula Decalogi præcepta explicãda descendamus, aliqua sunt notanda.

Primò, ista decem præcepta in duas esse diuisa partes: quædam versantur circa diuinum honorem immediatè, qualia sunt tria priora, quæ dicuntur primæ tabulæ: quædam circa vtilitatem proximi, qualia septem posteriora, quæ dicuntur secũdæ tabulæ. Fuerunt enim in duabus tabulis Moysis digito Dei descripta: licet alij plura ponant in prima tabula sed quod diximus videtur probabilius.

Secundò est notandum, omnia, quæ sunt contra aliquod mandatorum horum, esse peccata mortalia, nisi vna trium causarum excusetur: tunc enim erũt tantum venialia. Prima est, leuitas materiæ. Cùm enim parua est materia, non est mortale, Vnde qui imponit falsum alicui leue, contra præceptum facit, sed ob leuitatem maximam non est mortale. Non tamen leuitas materiæ semper excusat: nam falsum iuramentum, etiam in leui materia, est mortale. Dicemus tamen de hoc in singulis. Secunda est, defectus deliberationis: tunc enim actus dicitur deliberatus, cum in nostra est potestate, vt possimus facere, & non facere. Ista deliberatio plena est necessaria in mortali peccato. Cùm autem est semiplena, nec integra, fit veniale: vt, qui alterius vxorem concupiscit, sed motu repentino, & non ex pleno voluntatis consensu. Similiter, qui occidere vult, sed non actu deliberato perfectè. Tertia causa est, defectus pleni vsus rationis, qualis est in semidormientibus, quibus pollutiones accidunt, sed non est perfectus vsus rationis. Similiter in aliquibus infirmitatibus, in quibus homo aliquando percutit alios, sed quia non est integer vsus rationis, non est mortale. His igitur tribus causis, opus, aut actus contra præceptum solet fieri veniale, cum tamen ex genere mortale sit.

Tertiò est notandum, ista præcepta non obligare homines ad finem præceptorum, qui est Charitas, sed solum ad actum inclusum in præcepto: verb. grat. non occidere, obligat hominem, vt non occidat, non tamen ne occidat ex Charitate. Similiter in alijs omnibus: sicut ieiunium non obligat ad finem qui est maceratio carnis, & eleuatio mentis, sed tantùm ad ipsum

sum actum : vnde impletur præceptum extra Charitatem, licet nõ sit meritoria talis impletio, nisi sit cum Charitate, quæ dicitur finis, & modus præceptorũ. Et hoc est, quod alij dicunt, impleri præceptum posse, quoad substantiam sine Charitate, non tamen quoad modum.

In primo igitur præcepto, quòd est, *vnum: cole Deum*, præcipitur latria, seu adoratio Dei. Pro cuius explicatione aduerte, in adoratione esse tres actus.

Vnus est intellectus, quo cognoscimus excellentiam, & superioritatem alicuius, qui adorandus est.

Secundus est voluntatis, quo nos ei subijcimus, & substernimus.

Tertius exterior, quo talem subiectionem significamus, vt genuflexio, capitis nudatio, & similia.

Primus non est adoratio: Dæmones enim cognoscunt Deũ esse supra omnia, non tamen adorant. Est enim talis actus in adoratione necessarius ; quia voluntas non se subdit, nisi excellentiam cognoscat eius, cui se subdit. Secundus est ipsa adoratio, quia est actus religionis. Tertius est effectus adorationis: in tantum enim iste tertius ad adorationem pertinet, in quantum ab interiori procedit, aliàs est illusio, & irrisio. Vt igitur Deus adoretur, iste actus necessarij sunt. Primus est, intellectus, quo debemus Deum cognoscere vt summum Dominum, ac totius esse principium. Secundus voluntatis, quo illi, vt tali, nos debemus subijcere. Tertius est, quo istam prosternationem exprimimus, quod maximè fit per Missę sacrificium: totus enim populus Christianus missam offert per Sacerdotem: & per sacrificium, quod soli Deo debetur, suam exprimit internam adorationem. Similiter per alias humiliationes exteriores. Sic igitur Deus est adorandus: actus primus est fidei, nec ad hoc pertinet præceptum, sed supponitur: actus secundus est, vera adoratio, & hæc præcipitur : similiter & exterior hunc exprimens, quæ duo ad religionem pertinent. Hoc præcepto, non solum adoratio, sed inuocatio, honor, laus Dei, & alia, quæ ad religionem spectant, continentur.

De blasphemia, & impietate.

CAPVT XIII.

NVnc de peccatis, quæ contra istud præceptum sunt, agere oportet. Cumque in hoc præcepto Religio Christiana contineatur, peccata contra Religionem sub ista continentur præcepto prohibita: quorum vnum est Blasphemia. Est blasphemia contra Dei laudem, contra S. Thom. 2.2. q. 13. qui putat contra confessionem fidei esse. Hoc autem notum fiet, si primum, quid laus sit, intelligatur. Laus est manifestatio alicuius excellētiæ cum affectu voluntatis: cum enim excellentias, & perfectiones alicuius notificamus, & dicimus, tunc laudamus ipsum, & notificatur cordis affectio, quæ nos prouocat ad talem notificationem. Est igitur laudare Deum, excellentias, & perfectiones eius manifestare cùm voluntatis affectu. Est autem duplex laus, & interior, quæ sit solo corde, quæ à nobis, & ab Angelis fit Deo: & exterior, cùm voce profertur: vtraque multipliciter fit.

Primò, per modum enunciationis, cùm propositionibus laudamus, dicentes, *Deus magnus, & sanctus, & Dominus.*

Secundò, per modum deprecantis, cùm orationes fundimus.

Tertiò, per modum imperatiui, cum dicimus, *Benedictus sit Deus. Gloria in excelsis Deo.*

Quartò, per modum admirantis, vt, *Quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?* His modis contingit laus. Cum huic igitur opponatur blasphemia, hæc erit quædam maledicentia contra Deum, ex malo voluntatis affectu. Ille autem dicit malum Deo, qui aufert bonum, quod habet negando; vel imponit malum, quod non habet, affirmando: vt, qui dicit, Deus non est bonus, non iustus est Deus. Fit autem dupliciter, sicut & laus, corde interius, & oratione etiam exterius, quæ est consummata blasphemia, & vtroque modo tripliciter fit.

Per modum enunciationis, vt in dictis exemplis.

Per modum detestantis, vt qui dicit, sit Deus maledictus, pereat Deus: & per modum irridentis, vt illi dicebant, *Vah, qui destruis templum Dei.*

Est autem maximè hic aduertendum, dupliciter contingere per blasphemiam Deo maledicere: vno modo formaliter,

cùm

cùm expresè,& apertè mala damus Deo, vt in omnibus exẽplis propositis. Altero modo virtualiter, cùm occultè damus Deo malum, licèt non id omninò exprimant verba, vt, qui dicit, ad despectum, blasphemat, quia facit Deum impotentem: dicit enim se aliquid facturum, velit nolit Deus. Similiter, qui dicit, ad corpus Dei, &, *al sangue de Dio*, vel iniuriosè nominat aliquas partes, tunc si per modum spernentis dicat, est blasphemia, quia ponit in Deo ista, tamquam contemptibilia, & vituperatione digna, quòd non est. Si tamen dicat tantùm per modum iuramenti, non est blasphemia: vtroque autem modo, siue formaliter, siue virtualiter, blasphemia est. Ex his ergo facilè habetur, quid sit blasphemia, & quot modis contingat.

Circa peccatum autem blasphemiæ notandum est, nõ semper esse mortale, quamuis sit ex genere suo: aliquando tamen fit cùm aduertentia, & deliberatione, vt cum homo cognoscit, & aduertit esse blasphemiam, tamen eam profert. Aliquando fit sine aduertentia, vt, cùm homo ira, aliqua, vel alia motus passione, non aduertens verba, quæ proferebat, protulit blasphemiam Priori modo est peccatum mortale, posteriori verò non semper, nisi cùm homo est assuetus blasphemare, nec vult emendarionem. Talis enim peccaret mortaliter tunc quia est in culpa præcedenti, quia non abstulit occasionem peccati. Qui verò non habet talem assuetudinem, vel, si habet, iam emendare se curat, & desiderat, non peccat mortaliter, sed venialiter.

Blasphemia autem aliquando est cum hæresi, aliquando sine hæresi. Quando quis assentit intellectu his, quæ corde, vel ore dicit, est hæreticus, & blasphemus: vt, si dicens Deum improuidum, ita assentit, hæreticus simul est, & tunc incidit in censuras hæreticorum, de quibus diximus iam: si verò non ita credit, nec assentit, vt dicit, non enim idem est credere, & dicere, etiam corde, tunc est tantum blasphemia. Quamuis autem blasphemia sit sine hæresi, est tamen horrendum peccatum, ideo vt Dominus dixerit, esse irremissibile, non quod non remittatur, sed quia vix, aut nimis est indignum, vt remittatur: & blasphemis, si sit publica blasphemia, est seuera pœnitentia imposita, cap. statuimus, de maleficijs, quæ tripliciter est.

Prima, vt septem diebus dominicis maneat in foribus templi, dum solennia celebrantur; & septima dominica, vt absque

pallio,

pallio,& calceamentis,& cum corrigia in collo.

Secunda, vt septem diebus veneris ieiunet in pane,& aqua, & non intret in Ecclesiam.

Tertia,vt alat tres pauperes singulis illis diebus, &, si non potest,saltem duos: aut si non duos, vnum : & si non vnum, saltem in aliam pœnitentiam commutetur:& vlterius,si dives est,soluat quadraginta solidos:si non hoc potest, triginta: si non hæc,viginti;si non,quinque. Vbi vides rigorem iuris ostendere grauitatem peccati. Hoc etiam est officium damnatorum, sicut beatorum, laudare semper Deum. Non autem existimes blasphemiam solùm esse contra Deum: extenditur etiam ad Sanctos : vt enim laudare sanctos,est virtus,ita peccatum est & blasphemia illis malum dicere: vnde eodem modo est mortale,& sub censura canonum contentum. Præcipuè autem grauissimum est inter omnia peccata,quæ contra sanctos sunt,contra beatam Virginem blasphemare. Committitur etiam cõtra aliàs creaturas blasphemare, eis maledicendo, vel imprecando. Et hic est aduertentia adhibenda. Creaturæ enim hæ rationabiles sũt , aut irrationabiles:si rationabiles,dupliciter possunt maledici.

Vno modo interius, desiderãdo malum,quod imprecamur, vel exterius, volendo illas iniuria afficere:& tunc,cum malum est graue,est mortale : vt,qui dicit,suspendaris, mortaris,cum interius ista desideramus proximo euenire: cùm non, sed solùm in exteriori est blasphemia,est veniale.Si verò irrationabiles sunt,non semper est mortale : vt maledicere pani, vino, libris, vineis, & alijs.

Quadrupliciter possumus his maledicere.

Vno modo, considerando vt creaturæ sunt Dei , & hac intentione maledicendo,& sic est mortale , & blasphemia, siue rationabiles,siue irrationabiles sint.

Altero modo,ratione creaturæ rationalis,cuius sunt vt maledicere vineis,quia illius sunt,vel huius : & tunc,si interius malè desideramus propter dominum talis rei,mortale est,sicut diximus de ipsa creatura rationabili.

Tertiò possunt considerari secundum se,& tunc maledicere his,vt dixit Caiet. verb. Maledictio, est actus otiosus,atque peccatum veniale.

Quartò possunt considerari ratione mali illati ab ipsis , & sic possunt maledici,& est actus licitus: non enim est hoc tam maledicere creaturæ,quàm malo. Sic Iob dici, & Dauid mon-

tibus

tibus maledicebat. Idem esse dicendum de bestijs. Ex his habes, quid de blasphemia sentiendum est. Aliud est peccatū contra hoc præceptum, quod impietatis dicitur, & est oppositum honori, quem debemus Sanctis, & Deo, sicut blasphemia est opposita laudi. Pietas enim est, qua Deum, & Sanctos reueremur: cùm igitur ipsos inhonoramus, dicitur peccatum impietatis: vnde, imagines conculcare, reliquias Sanctorum spernere, opera in Deum iniurioſa facere ad hoc spectant peccatum, cui si error accedat intellectus, est etiam hæresis: secùs non, vt suprà.

De Superstitione.

CAPVT XIV.

ALiud est tertium peccatum superstitionis. Est autem superstitio, vana, seu falsa religio. Religio enim virtus est debitum cultum Deo exhibens: contra quam est superstitio, indebitum cultum exhibens.

Huius duplex est genus iuxta duos modos, quibus indebitè cultus exhiberi potest.

Vnus est, cùm Deo vero cultum exhibemus, non eo modo, quo exhibendus est. Alter, cum cultus exhibetur Deo falso, cui exhibendus non est. Prior superstitio duas habet species. Altera est, cum Deo exhibetur cultus falsus, vt qui Deo modò vellet offerre sacrificia veteris legis: nunc enim sunt falsa, quia tunc significabant futuram mortem Christi, quæ iam non est futura. Similiter, quia alicuius sectæ infidelium cæremonias vellet exhibere Deo, talis Deo exhiberet cultum, sed non eo modo, quo debet, & dicitur cultus pernicioſus, & est mortale peccatū. Ad hoc peccatum reducitur illud, quo quis falsas reliquias supponit pro veris, decipiens alios; & qui falsò dicit imagines has, vel illas feciſſe miracula, vt eleemosynas suscipiat à populo. Altera species est, cùm Deo exhibetur cultus superfluus, qui dicitur ille, qui non ordinatur ad Spiritum, & qui additur vltra consuetudines Ecclesiarum: vnde, qui multiplicat Alleluia, cùm dicendum est vnum, additque super ea, quæ in cæremonijs sunt, cultum exhibet superfluum: talis tamen superstitio non est mortale, sed veniale tantùm, nisi ex contemptu fiat. Superstitio autem ea, quæ cultum quidem exhibet, sed non cui exhibendus est, quinque sub se includit

spe-

ſpecies, Idololatriam, Magiam, Diuinationem, Vanam obſeruantiam, & Maleficium. De ſingulis agere oportet.

Eſt igitur Idololatria, diuini cultus erga falſum Deum exhibitio. Colere enim pro Deo eum, qui non eſt Deus, aut ei ſacrificando, aut ei laudando, aut inuocando, aut ei aliquo modo ſe proſternendo, idololatrare eſt. Eſt autem idololatria per ſe oppoſita religioni; tamen ex adiuncto, & concomitantia opponitur fidei. Sicut enim vera adoratio non eſt, niſi fides præcedat in intellectu, qua illius excellentiam recognoſcamus, cui nos ſubijcimus, ita etiam adoratio falſa, quæ eſt idololatria, non eſt, niſi error in intellectu præcedat, quo dignum honore iudicamus Deum falſum, cui idololatra ſe proſternit. Vnde fit, vt idololatria ſit peccatum ſubiectum excommunicationi in Cœna Domini, vt hæreſis. Cùm verò non ſit error in intellectu, ſi verè iudicat homo, illud, quod adorat, non eſſe tali honore dignum, ſed timore, vel alia passione motus adorat, & colit, tunc non eſt propriè idololatria, ſed dicitur exterior idololatria: & quamuis ſit in foro exterior ſubiecta excommunicationi, quia præſumitur etiam interior, & cum errore, tamen in foro interiori non habet annexam excommunicationem, vt ſuperiùs diximus de hæreſi. Vtroque tamen modo eſt peccatum mortale.

Altera ſpecies eſt Magia. Videtur autem ſic poſſe deſcribi. Eſt poteſtas inordinata faciendi quod ſuprà naturam eſt. Dupliciter fieri poteſt aliquid ſuprà naturam: vno modo diuino auxilio ſupernaturali adiutis; & hoc ad poteſtatem miraculorum ſpectat: altero verò, auxilio dæmonis: & hoc ad Magiam ſpectat. Et aduerte, quòd Magia per finem diſtinguitur ab alijs ſuperſtitionis ſpeciebus dicendis: nam Magia eſt, qua homo facit mirabiles effectus, & ſupra ſuam naturalem poteſtatem, hoc ſolo animo, vt potens videatur, & magna, & mirabilia faciens.

Aduertendum vlterius, quòd licet homo videatur iſta magna facere, aliqua poteſtate in ſe exiſtente, verè non facit, ſed dæmon eſt, qui iſta ad ſuum imperiū facit: nec Magia habet aliquam poteſtatem ſuper dæmones, vt cogat eos iſta facere, ſed fingunt ipſi ſe cogi imperio eius, vt magis recipiant: quamuis aliquando, poteſtate alterius dæmonis ſuperioris, cogantur, vt homini alicui pareant. Dæmones autem nullam per ſe habent efficaciam faciendi effectus hos, qui in Magia videntur, ſed tripliciter tantum dæmon operatur.

Vno

Vno modo, iam effectus per naturam, aut artem factos aliunde transumendo: habet enim potestatem super omnia ista inferiora, quantum ad motum localem. Vnde, si facit hic serpentem, vel aliud apparere, alijs ex locis portat: est enim ei mirabilis agilitas, vt ictu oculi innumera milliaria peragat.

Altero modo, ista facit, de nouo faciendo, non per se, sed occultè applicando causas naturales, & accelerando actiones earum. Est etenim peritissimus: cognoscit enim omnes naturas omnium lapidum, herbarum, animalium, & rerum vniuersi, & proprietates earum, & vbi inueniantur. Vnde sæpè facit arborem nasci breuissimo tempore, applicando semen, & omnes causas alias; sæpè fructus, sæpè animalia, Sæpè sanat etiam dæmon, occulta medicamenta adhibēdo, vel intra corpus se immiscendo, & humores expellendo.

Tertio modo, operatur ista, sensus deludendo, & hoc dupliciter.

Vno modo, proponendo sensibus vera obiecta, non qualia apparent, sed ex aëre condensato: vnde sic aliquando facit apparere serpentes, dracones, animalia etiam multa, quæ non sunt vera, sed ex aëre condensato confecta, & per ipsum dæmonem mota.

Altero modo, ipsosmet sensus impediendo, ne videantur exteriora, & imaginationem hominum mouendo, vt appareat illis, res illas illic esse, quæ verè non sunt, sicut fit, cùm homo somniat. His modis dæmon multa operatur ad vocem & petitionem Magorum.

Aduertendum tertiò, quod frequenter est pactum dæmonis cū Mago. Explico. Pactum est promissio facta ab homine dæmoni, & a dæmone homini: promittit enim homo obediētiam dæmoni, & negationem diuinorum præceptorum, & Sacramentorum: promittit dæmon, se omnia illa facturam; & quò magis promittit homo, eò etiam dæmon. Hoc autem pactum dupliciter fit. Aliquando cum ipsomet dæmone, qui visibiliter apparet, & fœdus init. Aliquando fit medio aliquo homine: vt cū quis per aliquē Magum tale facit pactū. Pactum autē cum dæmone dupliciter solet fieri. Vno modo solēniter, vt cùm dæmon apparet visibiliter in solio suo sedēs, cum caterua aliorum dæmonum, coram quibus fit tale pactū. Altero modo, priuatim, vt, cùm fit pactum absque solennitate: sola enim tacita inuocatione fit, cùm homo vtitur illis me-

dijs, quibus Magi solent vti, ad faciendo effectus tales, sed tamen nouum intercedit pactum.

Est autem generaliter obseruandum, tacitam dæmonis inuocationem esse, cùm homo intentat aliquid facere per res, quæ nec ex se, nec ex virtute supernaturali tales possint producere effectus. Vnde his modis maximè ista inuocatio contingit.

Primò, cùm verba dicuntur, in quibus voces aliquæ non significatiuæ sunt.

Secundò, cum characteres, & figuræ aliæ à signo Crucis, vt figuræ ouales, quadrangulæ, vel similes fiunt.

Tertiò, cùm miscetur aliquod falsum: vt, quòd Christus habuit febres, vel alia; vel apocripha, vt fictæ alicuius historiæ,

Quartò, cùm apponuntur conditiones inutiles ad tales effectus: vt, cum feruntur verba sacra scripta in carta tali vel tales herbæ, tali, vel tali die, & hora decerptæ, & alia huiusmodi.

Quintò, cùm effectus excedunt virtutem illius medij: vt, quando quis promittit alios recessuros in gratia; non posse lædi ab inimicis, & alia huiusmodi. His modis est inuocatio tacita dæmonis: & Magia aliquando (licèt rarò) sit cum tali inuocatione, absque pacto.

Aduertendum quartò circa huiusmodi peccati grauitatem. Magia sæpè est hæresi coniuncta, aliquando autem sine hæresi est. Tunc est coniuncta hæresi, cùm error contra fidem est in intellectu, accedente pertinacia. Vnde magus examinandus est, quid credat, an credat dæmones dignos esse aliquo honore, posse aliquid facere absque diuina permissione, in alia vera se bonum ab eis recepturum, semper vera dicere, & alia huiusmodi. Cùm enim aliquod horū esse creditur cum pertinacia, id est, cognoscendo esse contra Ecclesiam, est hæresis, & tunc est Magus excommunicatus. Cùm verò non est error talis in intellectu, est absq; hæresi; sed est horrendum peccatum mortale, cùm intercedit dæmonis pactum: non autem excommunicationi latæ expositum est, licèt Magus sit excommunicandus, vt habetur 26. q. 5. At qui ipsos magos consulit, & eum petit opera eorum, excommunicatus est, vt habetur ibi. Et quis etiam. Ista excommunicatio nulli reseruatur. Cùm verò est magia cum sola tacita inuocatione, est etiam mortale. Cùm tamen est ignorantia, quia homo nescit ibi inuocari dæmonem,

nem, veniale est, donec ab aliquo aduertatur, vel per se cognoscat: tunc enim esset mortale.

De Diuinatione.

CAPVT XV.

TERtia species est diuinatio : est autem hæc, enunciatio inordinata eorum, quæ per naturam cognosci non possunt, id est scire ea, quæ homo naturaliter cognoscere non potest. Tamen per diuinam reuelationem, non est diuinatio. Ea tamen scire modo inordinato, & dæmonis inuocatione, ad diuinationem spectat. Maximè autem hæc hominis naturam excedunt. Primum, ea, quæ à Diuina voluntate solà pendent, qualia sunt mysteria gratiæ, quod hic saluetur, ille condemnetur, & alia huiusmodi. Secundò, quæ pendent ex libertate hominis, & nondū futura sunt. Tertiò, quę sunt futura contingentia, & ita possunt non euenire, vt euenire. Quartò, quæ sunt occulta, vel absentia, vt homo per se cognoscere nequeat. Velle aliquid horum scire modo inordinato, pertinet ad diuinationem.

Aduertendum tamen, quòd nec dæmon scit certò ista, sed primò, coniectura quadam, ex longa experientia, quam habet, & ex subtilitate ingenij sui, qua conditiones singulorum & inclinationes cognoscit, & plus minusve cōijcit, quid sint facturi. Secundò, ex reuelatione Angeli boni: permittit enim Deus ipsi dæmoni aliqua manifestari. Tertiò, aliquando res, quas prænunciat, erant naturaliter euenturę, vel certæ futuræ, non tamen videntur euenire nisi contingenter, & sic videtur etiā enunciare contingentia. Nam sæpè dæmon secretum morbū alicuius intuetur, & cognoscit naturale tempus mortis, quod alteri prænuncians, videtur contingens dicere. Sæpè etiam nunciat ruinas domorum, quia occultas causas ruinę operantes vider. Sæpè etiam annunciat quæ ipse facturus est. Quartò, ex naturalibus multa scit, propter magnam scientiam naturalem suam, & Astrologiam, qua pluuias, pestes, eclipses, & alia potest prædicere. Hoc modò diuinatores suos decipit. Est aūt duplex genus diuinationis. Alterum est, in quo inuocatur aperte dæmon, vt dicat occulta: quæ inuocatio solet esse multiplex, iuxta modos multos, quibus solet dæmon respōdere. Aliquando per fictas, & apparentes figuras, & dicitur Præstigiū.

Aliquando per somnia,& est diuinatio somniorum,cum homo à dæmone responsum expectat per somnia. Aliquando per mortuorum susciationem , & dicitur,Necromantia,esi dæmon nullam animam reuocare possit ad mundum hunc, tamen fingit esse mortuum , assumendo corpus, ac si anima esset.Licèt aliqui dicant,diuina permissione dæmonem id facere,sicut fecit de Samuele. Alij dicunt Deum id fecisse,non dæmonem,nec Pythonissa id poterat. Aliquando id fit per viuos, &arrepticios homines,qui dicũtur Pythones. Aliquando fit per statuas,& corpora terrestria,& dicitur Geomantia.Aliquando per figuras apparentes in aquis,&dicitur Hydromantia.Aliquando per figuras aëreas,& dicitur, Aëromantia. Aliquando per ignes,& dicitur Pyromantia. Aliquando per interiora animalium,& dicitur Aruspicium. Hæ omnes species sunt grauissima peccata mortalia ; in quibus expresè inuocatur dæmon, & colitur , & est maximè peccatum hoc hæresi coniunctum,si error fit in intellectu. Qui consulit hos aruolos,& diuinos,excommunicatus est , vt diximus suprà de Magis.

Alterum genus est,in quo noninuocatur expresè dæmon, sed tacitè,putà,cum medijs vtitur quis ad cognoscendum res: quæ media nullam habent virtutem indicandi res. Et hoc diuiditur in duo genera. Aliud,cum media non sunt aliqua operafacta ab ipso homine. Alterum, cum sunt actiones aliquæ humanæ.Primum genus multas habet species , putà Astrologiam,quæ fit per situs,& motus astrorum: Augurium, quod fit per garritus animalium,seu auium: Auspicium,per volatus auium:Omen,per verba alicuius hominis casu aliquo,vel aliqua intentione prolata, vt quia miles dixit socio:sistamus, dux decreuit exercitum non mouere: Chiromantiam,quæ fit per signa,& figuras corporis humani . Circa Astrologiam notandum est,quòd non negamus posse naturales effectus fieri, vt eclipses,pluuias futuras,& alia huiusmodi,& similiter complexiones,& inclinationes hominum , nam cæli influunt in humana corpora:tamen triplici casu vti Astrologia est peccatum mortale.

Vno modo , ad cognoscendum mysteria gratiæ,& ea, quæ à sola Diuina voluntate dependent. Secundò, ad cognoscendum ea,quæ ex libera voluntate hominis pendent, quasi certa euentura sint,quod quidem falsum est : nam nec complexio hominis , nec cælum , nec vlla creatura cogit voluntatem;

tatem;& contingentia multis causis impediri possunt. Quòd si quis vellet cognoscere aliquãdo contingens, vel liberũ, iudicando esse incerta, & posse nõ euenire, nõ est mortale, nisi tantùm in tertio casu. Tertius aũt casus est, cùm quis in suis actionib. vtitur istis iudicijs Astrologorum, tanq̃ regula, nec quicq̃ vult facere, nisi cælum consulendo, iste talis iam certam putat regulam. Semel autem, vel bis consulere, & iudicando esse rem incertam, & posse non euenire, veniale esset, & actus omninò otiosus, quia nihil prorsus certitudinis tale habet iudicium. In his igitur casibus, tacitè inuocatur dæmon, dum sumitur pro medio cognoscendi, qui ex se talem efficaciam non habet, vt per ipsum res tales cognoscantur, ob id peccatum est.

Circa augurium, & auspicium, notandum est, aliquando esse licita, cùm solùm prænunciare intendimus ea, quæ naturaliter solent aliqua animalia pænunciare: Deus enim instinctus sæpè aliquorum futurorum animalibus indidit: vt Mergi mare linquentes, signant tempestatem futuram. Vespertiliones longè volantes a domibus, significant serenitatem, & alia huiusmodi multa. At verò alia, quorum animalia nullos habẽt instinctus, prædicere, peccatum est mortale, quia est tacita dæmonis inuocatio, qualia sunt coniungentia, & quæ à libertate hominis pendent, vel à solo diuina voluntate.

Genus alterum diuinationis, quod in aliquibus actibus humanis consistit, dicitur sortilegium, siue fiat taxillorum emissione, siue aliquarum chartularum descriptione, siue plumbi liquefactione, siue ceræ, vel alio simili modo. Est autem aduertendum, esse triplex genus sortium.

Quædam sunt diuinatoriæ, quæ emittuntur ad aliquod occultum, vel futurum sciendum.

Quædam diuisoriæ, quæ emittuntur ad cognoscendum, quid cuique eueniat.

Quædam consultoriæ, quæ emittuntur ad cognoscendum quid in aliquo casu sit agendum. Et quidem prima diuinatio fere semper est peccatum mortale, quia ibi tacitè inuocatur dæmon, nisi in aliquo casu expectaretur responsum, seu iudicium à Deo, quo modo Saul emisit sortem super Ionatham, & naurę super Ionam.

Diuisoria autem licita est, cum triplici tamen conditione. Primo, ne in ea committatur aliquid contra Iustitiam, putà, cum res, quæ in sorte mittitur, vnius est, nec ad eam par ius

habent alij, inter quos mittitur sors, tunc non esset licita, quia iniustitia sit domino: similiter non excluduntur, qui pauciores habent. Secundò, ne sit contra publicum bonum Reip. vt, cùm dignitates sortiuntur inter homines, etiam ineptos admittant dignitates. Simile est de dignitatibus alijs alicuius communitatis, cùm inepti admittuntur ad sortes. Tertiò, ne sit in dignitatibus Ecclesiasticis, & beneficijs, talia enim sortiri non licet stantibus conditionibus.

Diuisoria licèt, dummodò iudicium non expectetur à dæmone, sed fortuitum sit.

Consultoria, cùm iudicium expectatur à dæmone, peccatum est mortale; cùm verò à Deo, licet, sed cum triplici conditione. Prima, vt sit cùm necessitate: cùm enim media humana facilè haberi possunt, non est Deus tentandus. S. Tho. 2. 2. q. 95. art. 8. Vnde, liceret vti sortibus in hoc casu, cùm tempore pestis aliqui Curati essent mansuri, tamen duo sufficerent, ipsi autem multi essent, Episcopus non potest eos concordare, nescitq; quos constituat, posset iudicium à Deo expetere per sortes. Similiter, cùm duo essent in equali necessitate extrema, quorum vni aliquis subuenire posset, tunc sorte consulendus esset Deus, vter illorum esset. Hi duo casus sunt Augustini. Secunda est, vt sit cum reuerentia: accedere enim Deo irreuerenter, peccatum est, & quidem veniale, nisi irreuerentia notabilis sit. Tertia est, ne sit in rebus prophanis: Deus enim non est in his rebus consulendus. Tales conditiones in diuinatione, cùm licita est, seruari debent; cùm autem aliter fit, peccatum est: & in his omnibus, cum à dæmone iudicium expectatur mortale est, & sortilegium. In diuinatoria autem, nisi expresè Deus inuocetur, tacitè inuocatur dæmon: ob id, ex se mortale est.

De vana obseruantia, & maleficio.

CAPVT XVI.

QVarta superstitionis species est, Vana obseruantia: in qua tacitè dæmon inuocatur, cùm in ea, media quædam assumantur, quæ non habent virtutem vllam ad tales effectus.

Huius quatuor sunt species infimæ.

Prima est, ars notoria, quæ continet orationes quasdam, & icta-

ieiunia, ad consequendas scientias absque vllo labore, ad modum infusarum scientiarum. Quæ quidem obseruantia, mortale peccatum est.

Secunda est, obseruantia sanitatum, cùm homo ad sanitatem obtinendam, vana media, & inutilia assumit, vt hi, qui quibusdam orationibus sanant dolorem capitis, & aliorum morborum, retinent sanguinis fluxum, sanant etiam alias infirmitates, etiam animalium. In his frequenter accidunt vanæ quædam circumstantiæ, & verba quædam ridicula, aut non significantia, quæ tacitè continent dæmonis inuocationem. Talis obseruantia veniale est peccatum, cùm personæ ignorātia accidit; cùm verò admonita est de vanitate, mortale peccatum est: iam enim dæmonem sciēter inuocat. Cùm autem tales orationes puræ sunt ab omni mala circumstantia, & ex deuotione dicuntur, non est peccatum, melius tamen est ab ipsis abstinere. Sufficit Euangelium à Sacerdote aliquo prolatum, vel alia oratio Ecclesiæ ex deuotione Deo fusa. Ad hanc speciem reducitur decerptio herbarum die Ascensionis, & D. Ioannis ante solis ortum, & alia similia, vt de Carlino primo in die Parasceues.

Tertia est, obseruantia futurorum euentuum. Aliqui enim, ex quorundam impertinentium obseruatione, mala futura sibi, vel alijs coniciunt; vt si læuo pedè domo quis egressus est: si statim lapidem offendit: si somniat in aliquo loco malum sibi euenturum: si, postquam euigilauit, statim sternutauit: tūc enim dicunt esse iterum dormiendum. Omnia ista, & similia vana sunt, & plerumque venialia, nisi quis pertinaciter istis adhæreat post admonitionem, si ignorans sit.

Quarta est obseruantia reliquiarum, cum aliqui portant aut vanas reliquias, aut veras cum aliqua vana circumstantia, vt Euangelia, si scripta sunt in charta virgine, & cum certis cęremonijs. Similiter, cùm, promittuntur effectus falsi, vt, quòd morietur in bello, in peccato, & huiusmodi: talia sunt mortalia, nisi grandis ignorantia excuset; quia isti nimis fidunt suis reliquijs erga istos effectus. Cùm autem sunt veræ reliquiæ, absque vlla vana circumstantia, aut verba sacra pura, licitum est, & vtile. Sed admonendi sunt qui talia portant, ne istis solis fidant, quasi sufficiant sine vllo bono opere, & vitæ rectitudine.

Vltima species superstitionis est maleficiū, de quo multa dicenda sunt. Et primum est, quid sit. Potest autem sic describi.

Est ars nocendi alijs dæmonis potestate. Aduerte Magum, & Maleficū differre penes finem: Magus enim vtitur arte dæmonis, ad ostentationem potentiæ diuinæ, ad sciendum abscondita : Maleficus autem, ad nocendum alijs: ipsa autem opera, quibus alijs noceat, solent dici maleficia. Aduertendum secundò, esse duplex maleficium, quoddam dicitur amatorium, quoddam veneficium. Amatorium est, quo malefici vtuntur, ad flectendos animos hominum ad amorem carnalem, inclinando ad vnos, vel diuertendo ab alijs : & hi malefici solent rixas, & odia inter coniugatos efficere , & animos vtriusque ad aliam personam deflectere. Veneficium est, quo solent nocere hominibus, & duplex est. Vnum, quo nocent in propria persona, aut occidendo, aut infirmitates, vel dolores causando, aut sterilitatem sexus inducendo. Alterum, quo nocere solent in rebus, aut destruere vineas, arbores, animalia, subuertere ædificia. Et isti solent excitare ventos , grandines, ingentesque tempestates. Non est autem existimādum, istos maleficos per se, aut potestate sibi insita ista facere , sed aut venena arte dæmonis conquisita ministrando, aut ipsis dæmonibus ad ipsorum voces, & figmenta operantibus erga ea, quibus nocent. In primis circa amatorium notandum est , dæmones nullius hominis voluntatem posse cogere ad amandum, solùm persuadet mouendo phantasmata, & hominis imaginationē, qua voluntas afficiatur ad rem amandam, faciendo apparere amabiliorem. Rursus incitat carnis appetitum, semper tamen manet libera voluntas. Vnde, non excusantur isti à peccato, quamuis dicant se trahi inuitos ad amorem, vel odium; hoc enim falsum est: solùm enim tentātur, sed non coguntur. Circa personas, Deo permittente, aliquando dæmon potestatem exercet, inducendo dolores, & infirmitates, quas nulla medicina sanet. Applicat ad hoc venena, aliasque virtutes naturales, quæ causa sunt talium, & similem habet potestatem super res ipsas irrationales, quas destruunt per se occidendo, vel grandines, tempestates, aliasque destructionis causas, Deo permittente, applicando. In his dæmon est, qui operatur. Vnde, quando malefici faciunt aliquas imagines cereas, vel ex alia materia, & illis nocent, aut partes, & membra acubus pingunt , & tunc personæ statim patiuntur in illa parte, quæ pungitur in imagine, non est existimandum illud nocumentum imagines peruenire ad personam, sed dæmon operatur erga personam, dum malefi-
cus erga imaginem. Simile est, quādo cōfingunt alia quædam

figmen-

fgmenta,& apponunt in partibus eius,cui nocent, vel alijs in locis.Dæmon enim ipsos decipit maleficos. His igitur modis contingit maleficium.

Ad peccati verò grauitatem,nimis est aduertendum. Est enim aliquando maleficium hæresi coniunctum,multaq; grauissima peccata inuoluit:ob id Confessarius quatuor debet inquirere maximè in maleficio.

Primò,pactum ipsum,quod ferè semper intercedit cum dęmone,in quo promittunt se negaturos fidem Christi, sacramenta,& alias cæremonias Ecclesiæ,

Secundò inquirendus est maleficus,an in isto pacto aliquē habuerit errorem contra fidem: putà,existimando eam non esse veram,aut aliquid illius; sacramenta non esse sancta,nec sanctificare. Cùm enim aliquis talis error intercedit,iam est hæresis:quòd si non intercedit,sed sola malitia voluntatis, relinquitur peccatum ipsum pacti,quod mortale grauissimū est, & est ipsa inuocatio dæmonis.Cùm enim intercedit adoratio quædam,examinare oportet, an maleficus errorem in hoc habuerit,putans dæmoni aliquam deberi reuerentiam. Similiter,cùm petat ea sæpè, quæ dæmon non potest præstare,an existimauerit dæmonem habere potestatē supra hominis voluntatem, vel habere potestatem supra res absque diuina permissione. Quòd si ista existimat,si ignorans est,& post admonitionem adhuc retinet opinionem est hæreticus.Quòd si nihil horū intercedit, vel post admonitionē non credit, ea,quæ credebat,cùm ignorans erat, relinquitur ipsum peccatum inuocationis mortale.

Tertium est,ipsum maleficium. Solent enim isti sæpe res sacras miscere in suis maleficijs:puta aquam benedictam,oleū sanctum,& ceram benedictam,&,quod magis est, Sacramentum sanctissimum.Dæmon enim inimicissimus rerum sacrarum conatur animas hominum ab istis auerrere, & persuadet eis abuti,& eis vim ad ista maleficia inesse. Similiter sæpè interponunt verba sacra,& verba consecrationis. Faciunt etiam sacra dæmoni,& alia multa nefanda:tunc examinādus est maleficus,an crediderit istis sacris talem inesse virtutem, ad effectus ipsorum nefandos:qui enim istud pertinaciter credit, absque dubio hæreticus est,& incurrit hæreticorū pœnas. D.Ant. 2.p.tit.12.c.5.§.1.Quòd si sola malitia voluntatis,absque errore intercedit,quod vix fieri potest,peccatum est mortale horrendum sine hæresi.

Quartum est damnum, quod committunt circa personam, & res: aliquando enim sunt homicidæ; immò, cùm nocent in rebus, tenentur restituere damna, sicut latrones. Hæc sunt igitur circa istorum peccata aduertenda.

Est autem quintò aduertendum, quòd isti non solùm peccant, cum vtuntur suis maleficijs ad nocendum, sed etiã cum vtuntur eadem arte ad auferendum, quod intulerunt dæmonis: nam est inuocatio dæmonis. Immò nulli licèt petere à malefico aliquo, vt maleficium altero maleficio dissoluat, vt tenent Caiet. ver. maleficium, Sylu. eod ver. & Alf. de Castr. lib. de hæret. punit. & alij, sed orationibus, & Sanctorũ intercessione, & piorum deuotione, & sacramentorum susceptione ista dissolui debent. Ad hoc peccatum reducũtur peccata lamiarum, seu strigum: nam hæ potius carnalem quærunt delectationem: feruntur enim à dæmonibus per aëra corporaliter, & cum ipsis corpora sumentibus committunt rem veneream, & innumeras luxurias: quamuis non semper corporaliter ferantur, sed aliquando per imaginationem. In his intercedit pactum. Etiam istæ nocere solent, & multa alia committere peccata, & vix absque hæresi reperiuntur. Vnum autem notandum est, quòd quamuis videantur corpora transmutare humana in bestias, id non fit verè, sed dæmone oculos inspicientium deludente, intrant autem domos reseratas, dæmone aperiente tanuas, & obstacula remouente. Solent etiam pueros occidere, alijs nocere, & maxima pars est fœminarum. Hæc autem omnia sunt horrenda peccata, & in foro interiori grauissima digna pœnitentia: exterius enim forum grauissime punit. Hæ sunt species huius peccati superstitionis.

Quid votum, quæ eius materia; quanta sit eius obligatio.

CAPVT XVII.

HActenus de blasphemia, impietate, superstitione quæ diximus, nunc de apostasia à Religione, ratione voti dicendum est. In cuius gratiam de voto oportet tractare, ac primum quid sit. Sic autem describi potest: *Votum est deliberata promissio, ex voluntatis proposito, Deo facta.* In qua descriptione, quatuor continentur, quæ ad voti rationem sunt necessaria.

Pri-

Primum est, deliberatio, quæ quidem in multis consistit.

Primò in vsu rationis, vt, qui vouet, sit particeps vsus rationis: vnde pueri, ante septimum annũ, nullum possunt votum facere, quia tempus rationis nondum aduenit.

Secundo, vt iste vsus rationis sit tunc, cùm votum emittitur, vnde, ebrij amentes, licèt sint adulti, quia tunc in tali passione ratione non vtuntur, non possunt vouere. Rursus hi, qui passione aliqua moti ita celeriter, & inconsideratè vouent, vt tunc non habuerint vsum rationis, cùm talem actum emiserunt, non verè vouent.

Tertiò, debet esse talis vsus rationis, vt sufficiat ad peccatum mortale. Ita Palu. 4. d. 38. q. 1.

In cuius gratiam aduerte, in homine esse tres motus voluntatis.

Primus est ita celer, vt nullo modo sit in potestate hominis cohibere. Aliquando enim viso aliquo malo, voluntas ita cito in odium mouetur, vt homo nullo modo potuerit cohibere, & iste dicitur motus primò primus, in quo nec est peccatum nec meritum.

Alter est ita celer, vt homo ferè non possit cohibere, licèt aliqua ex parte possit, imperfectè tamen, & non plenè: & in isto actu potest esse ratio meriti, & peccati, sed non plena: non enim sufficit ad peccatum mortale, sed solùm ad veniale. Et dicitur iste motus secundò primus. Neuter sufficit ad votum faciendum.

Sed tertius est, in quo est verè libertas, vt homo possit emittere, & non emittere: in quo solet peccatum mortale esse. Talis libertas, & deliberatio est necessaria, vt votum sit, putà, vt sic homo promittat, vt possit non promittere, quia cognoscit, quid faciat.

Rursus quartò, ista deliberatio non debet esse coacta. Cùm enim quis metu notabili mortis, aut grauis mali, coactus est ad emissionem voti, non vouet, nec votum est validum. Intelligè autem, cùm cogitur ad vouendum: vnde, qui metu mortis cogitur ad professionem emittendam, vel Religionem vouendam, non vouet. Similiter, si filia à patre sub pœnis cogitur ad monachatum amplectendum, quamuis promittat, si metu tali id facit, votum non est, vt dicit Sot. lib. 8. de iustit. & iure, quæst. 2. art. 1. ad 2. Hoc igitur est primum in voto necessarium, scilicet deliberatio, vt declaratum est.

ALTE-

ALTERVM in voto necessarium est, Propositum. Est autem Propositum voluntatis determinatio ad aliquid faciendum: quod in voto est necessariũ, adeò, vt, qui promitteret Deo etiam Religionem, tamen interius non haberet propositum promittendi, nullum votum faceret, immò peccaret mortaliter, sic deludendo. Aduerte tamen, quòd duplex est propositum, alterum faciendi, quod promittitur; alterum promittendi. Si quis promittit Deo sine priori, mortaliter peccat, tamen votum tenet; nam posterius tantum est necessarium, vt sit votum, putà, vt quis promittendi propositum habeat.

TERTIVM in voto necessarium est, Promissio, ideſt ipsa traditio & obligatio. Est autem in tantum necessaria promissio, vt quamuis quis proponat ex toto animo aliquid facere, adhuc non teneatur, nec sub veniali, facere, nisi id promiserit. Imò propositum, etiam cum ingressũ Religionis, non obligat, vt falsò quidam putarunt. Est enim semper in voto ipsa promissio necessaria, sine qua votum est nullum.

QVARTVM est necessarium, vt ista promissio Deo fiat: promissio enim hominibus facta, non dicitur votum, nisi ipsi fiat Deo immediatè, aut mediatè in Sanctis suis. Ex his igitur patet, quid Votum sit. Deficiente autem vno modo ex his, non est votum. Deficiente quarto, ex promissio & obligatio: at si desit vnum ex alijs tribus, nec circa homines, nec circa Deum vlla est obligatio. Non enim existimare debes, ista tria esse necessaria tempore distingui, vt prius homo deliberet pro tempore, & post proponat, & tandem promittat, Hoc quidem bonum est, & magis obligat; tamen sufficit simul ista facere, promittendo liberè, & spontaneè Deo: nam in hoc omnia concluduntur. Ex natura hac voti descripta multi casus dignosci poterunt.

Oportet tamen secundo loco de materia voti agere: in cuius explicatione multorum resolutio consistit. Sunt autem quatuor conditiones necessariæ. Debet enim esse materia possibilis, non vana, bona, meliori non contraria.

In primis debet esse possibilis, vt homo promittat, qd possit fieri. Promittere enim impossibile, non est votum, nec obligatio; imò peccatum est ex se veniale.

Est autem multiplex impossibile.

Primum est, quod est omnibus impossibile: vt, per totum vitæ tempus abstinere se à peccato veniali omni: hoc enim

nullus

nullus viator potest, citra speciale priuilegium. Siquis igitur hoc vouet, votum nullum est: secus de mortali: Dei enim gratia potest quis se abstinere ab omni mortali: vnde votum obligaret, sed tale non est faciendum.

Alterum impossibile est, quod à principio fuit possibile, tamen posteà factum est impossibile: vnde cessat votum pro tempore impossibilitatis: Verbi gratia, quis vouit virginitatem, tamen posteà illam amisit, mortaliter quidem peccauit contra votum, tamen iam non est votum, quia non est res possibilis: vnde, quamuis secundò, & tertiò, fornicetur, non peccat contra votum: secùs, si voueret continentiam, nam adhuc potest seruari. Si quis tamen continentiam hanc voueret, & posteà vxorem duceret, non tenetur iam eam seruare, quamuis peccauit mortaliter ducendo eam. Dico autem non teneri ea parte, qua non potest, cùm vxor debitum petit: nam ipse potest seruare, & tenetur, non petendo, nisi, cùm vxor nō vellet petere, expectando ipsius viri petitionem. Mortua tamen vxore, iterum tenetur seruare continentiam.

Rursus, vouit quis ingressum Religionis, posteà tamen nō recipitur, aut expellitur, non amplius tenetur, nec ad continentiam. Vbi nota, quòd si quis vouit Religionem, in quodā loco determinato, puta, vouit ingredi hunc conuentum Religiosorum, si non recipitur in isto, non amplius tenetur. Si verò vouit Religionem quandam absolutè, putà Religionem Dominicanorum, tenetur adire plures domos illius ordinis, si forte sunt illa ciuitate, aut propè, si in nulla recipitur, non tenetur, quia iam impossibile est mortaliter, nec oportet peragrare prouinciam. Si verò vniuersaliter Religionem vouerit, tenetur plures domos diuersorum ordinū in illa ciuitate adire: si verò non reciperetur, non tenetur, quia moraliter iam impossibile est. Idem dicendum, quando iusta causa, postquam est receptus, expellitur, aut egreditur ante professionem, dummodò non sit ob culpam suam: tunc enim tenetur emendare, si per ipsum non stet.

Tertium est impossibile, quod est tali personæ impossibile: vnde fit, vt subditus, in eo, in quo est subditus, non possit vouere, nisi superiorum approbatione. Filius, ante decimūquartum annum, non potest vouere Religionem, nec ante vigesimumquintum vouere circa rem, nisi patris approbatione, nec subditus, nisi superiorum licentia, nec seruus siue Domino, nec maritus absque vxore, vel econtrà. Dixi autem in eo, in

quo

quo est subditus; nam filius potest vouere orationes, ieiunia, & seruus, & vxor, & alia. Similiter Religiosus potest aliquas vouere deuotiones, quæ non impediunt obedientiam, & similiter ingressum arctioris Religionis: omnes hi casus ad hoc spectant, quòd materia voti debet esse possibilis, secus, votum nullum est, ob id, quod nulla est obligatio.

SECVNDO, debet esse materia non vana, seu indifferens. Dicitur autem id vanum, quod nec ad Dei honorem, nec ad salutem animæ ordinatur, nec contra ista est: nec enim est bonum, nec malum est. Talia igitur promittere, nullum est votum, immò peccatum est, saltem veniale: Verbi gratia, si quis, quia passus est tempestatem, vouet nunquam ingredi mare: vel quia cecidit à mula, vouet se nunquam ascensurum supra mulam; vel quia S. Ioanni Baptistæ abscissum est caput, vouet se nunquam manducaturum capita animalium: hæc & similia, non sufficiunt, nec obligant, quia res vanæ sunt. Tamen attendendum est, aliquando esse rem vanam ex se, tamen ex aliquo adiuncto esse bonam; vt qui vouet se non ambulaturum talem viam, si id sit, quia in tali via solet ab aliqua mala fœmina sollicitari tunc est bona res, & votum verum est.

Tertiò, materia debet esse bona: cum enim mala est, nullum est votum. Hinc fit primò, quòd vouere aliquid, quod est mortale, non est votum, imò peccatum mortale.

Secundò, vouere aliquid, quod est veniale, nullum est votum, imò peccatum veniale, vt multis exemplis ista possunt exprimi.

Tertiò, vouere propter malum finem, quamuis res sit bona, nullum est votum, imò peccatum. Tabien. verb. votum, §. fin. Ang. verb. votum, §. 3. Caietan. verb. votum, & Nauar. capit. 12. numer. 43 ac si peccatum vouere, quia votum debet esse actus bonus; & malus finis actum facit malum: vnde fit, vt, qui vouet Deo eleemosynam, vt occidat inimicum, vt consequatur rem iniustam, vt veniat in duello, vel bello iniusto, peccet mortaliter, & votum sit nullum, etsi Religionem vouerat: secus, si ista vouerat, vt incolumus maneret in duello, & in bello non esset victus; vt filium haberet, quamuis esset mulier adultera: hoc enim votum obligaret, quia ista in se bona sunt. Tamen aduertendum est, quod aliud est vouere ob malum finem, aliud vouere spe mali; aliquando enim potest quis vouere spe hac, vt consequatur aliquem malum finem,

tamen

tamen non ob eum vouet: hoc enim votum obligat.

Quartò, vouere pro re mala, votum est nullum: vt quia adulteram consequutus est, quis vouet in gratiarũ actionem aliquid tale, non est votum, sed mortaliter peccat. Simile est, vouere cum conditione mala, vt vouere aliquid, si occidat aduersarium, & alia huiusmodi: omnia ista mala sunt, ob id non obligant; imò ista sic promittere, peccatum est mortale. Si verò finis est veniale, etiam votum est veniale.

Quintò, debet esse materia meliori non contraria: non enim sat est, esse bonam, sed talem, vt non sit incompossibilis diuinis consilijs: vnde, si quis voueret ducere vxorem, nõ esset votum, quia non compatitur Religionem, quæ est status perfectionis, & consilij. In aliquo casu esset votum, vt, si alicui magis expediret talis status, quàm Religio, quia nimis est incontinens, tunc votum obligaret, quia illi est materia melior. Ita tenet Caiet. 2.2. q 88. art. 2. & Nauar. c. 12. num. 43. Aduerte autem, quòd materia dicitur contraria melioti, quando ex illa non potest fieri trãsitus ad melius, vt est matrimonium: cùm verò potest, votum esset; vt, si quis se obligaret perpetuò seruire in Xenodochio: quia in hoc positus, non ob id priuatur, quo minus fieri possit Religiosus. Ex his omnibus materiam voti habet, qualis esse debeat, ex qua multorum casuum resolutio pendet.

Circa voti obligationem, illud primò obseruandum est, intentionem vouentis inspiciendam esse potius, quàm verba: ad ea enim obligatur, ad quæ se extendebat intentio: vnde, qui vouet tres dies ieiunij, examinandus est, quo modo intenderat ieiunium hoc: nam iuxta intentionem votum est.

Aduertendum est secundò, voti materiam esse duplicem.

Quædam est, quæ aliàs non erat præcepta a Deo, sed tamen est bona, vt, qui vouet eleemosynam, peregrinationem, & alia ad quæ non tenebatur ante votum, & tale votum obligat sub mortali, adeo vt, qui agit contra votum, etiam in re ante non debita, vel minima, peccet mort.

Quædam est alia materia aliàs præcepta, vt, qui vouet se nõ fornicaturum, non occisurum, & alia, quæ diuino præcepto continentur: & qui contra tale votum agit, bis peccat mortaliter, & contra præceptum, & cõtra votum; vel est vnum mortale duobus æquiualens, & penitus in confessione tenetur dicere, non tantum peccatum, sed etiam ipsam voti circum-

stantiam:

ſtantiam: vnde, clericus in maioribus, qui votum habet continentiæ, ſi fornicetur, tenetur non ſolùm in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum, ſed etiam ſimul, ſe eſſe clericum, ſi Confeſſarius ignoret.

Aduertendum tertiò, eſſe tantam voti obligationem, vt qui ſuadet contra votum aliquid agere, mortaliter peccet. Cum autem votum eſt Relgionis, multa peccata concurrunt. Qui enim habenti propoſitum ingrediendi Religionem, id diſſuadet ſine cauſa rationabili, puta, quia ille ineptus eſt Religioni, vel vtilior extrà, vel alia iuſta cauſa, mortaliter peccat. Rurſus, qui habenti votum Religionis ſimplex, vel ſolenne, ingreſſo Religionem, vel nondum ingreſſo diſſuadet ipſam Religionem, abſque eadem cauſa rationabili, & ſine diſpenſatione relinquenda, mortaliter peccat. Sot. 4. d. 15. qu. 3 putat obligari, vt ipſe ingrediatur Religionem, quam ille ſua perſuaſione reliquit, ſed oppoſitum eſt tenendum. Numquam enim obligatur homo ad Religionem, quamuis ipſius cauſa multi deſerant eam; obligatur tamen ad reſtitutionem, cùm ille Religio ſus vtilis erat conuentui, ita, vt conuentus detrimentum paſſus fuerit ex illius amiſſione.

De votorum differentijs, & ipſorum relaxatione.

CAPVT XVIII.

VOtum multiplex eſt.

Primò enim diuiditur in ſimplex, & ſolenne. Eſt autem votum ſimplex, quod in ſola promiſſione, & traditione ex parte viuentis conſiſtit. Solenne autem, vltra talem promiſſionem, conſiſtit in acceptione ex parte Dei, cui fit ipſa promiſſio. Votum enim eſt ſolennizatum per acceptationem Dei, cùm fit per ſuperiores, & Prælatos ipſius nomine. Eſt autem inter votum vtrumque quadruplex differentia notanda.

Prima, Votum ſimplex eſt generale, comprehendens multam materiam. Fit enim de caſtitate, Religione, eleemoſynis, peregrinationibus, & multis alijs. Et ſolenne particulare eſt, non enim fit niſi de caſtitate, in clericatus ordinibus maioribus, & de Religione per profeſſionem.

Secun-

Secunda, votum simplex castitatis, & Religionis, impedit matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractū id est, qui vouit castitatem, aut Religionem simplici voto, nō potest vxorem ducere: si ducat, mortaliter peccat, tamen tenet matrimonium (exceptis votis simplicibus Societatis) sed non potest exigere debitum, post votum castitatis, sed reddere, sine Pontificis dispensatione: At verò solenne, non solùm impedit, sed contractum dirimit, quia tale matrimonium nullum est, sed & sunt separandi.

Tertia, si quis vouit simplici voto Religionem, si non recipiatur in monasterium, vel si non ex sua culpa expellatur, amplius non tenetur voto, vel etiam, si ingrediatur, & in anno probationis videt sibi non conuenire Religionem, & iusta causa egreditur, non etiam tenetur: at verò, qui solenne habet votum, quacumque causa egrediatur, vel expellatur, tenetur seruare castitatem perpetuam, nisi ei dispensatio fiat, non tamen obedientiam, vel paupertatem. Si autem sua culpa Religionem deseruit, tenetur iterum regredi ad monasterium, nisi expellatur.

Quarta, transgressio voti simplicis, etiam cum culpa, nō facit hominem apostatam (exceptis votis simplicibus Societatis) at transgressio solennis voti, facit apostatam. Est autem aduertendum, duplicem esse apostatam in voto; vnum in voto Religionis, alterum in voto castitatis solennizato in clericatu. Erga priorem, aduerte dupliciter contingere.

Vno modo, cùm est apostata in corde, & vita, quia verè non viuit, nec vult viuere iuxta votū, & hoc est mortale peccatum satis graue.

Altero modo, cùm habitum Religionis deserit, & laicum sumit, vel multo tempore, & absque necessitate, & hoc mortale est peccatum, & subiectum excomunicationi latæ sententiæ, iuxta habetur in sext. ne cleric. vel mona cap. secundo. In quo etiam excōmunicatur doctor qui talib. exponit medicinā, aut ciuile scienter. Excommunicatio tamen ista nulli reseruatur, vnde à Confessario proprio absolui potest, sed non deber, quousque habitum reassumat. Aduerte tamen, cùm, necessitate aliqua, dimittitur, animo reassumendi, putà, vt securus per terras infidelium transeat, non est apostata: esset tamen, si per horam dimitteret, animo laicaliter viuendi. Circa priorem apostata à clericatu aduerte esse duplicem.

Alter est, qui in maioribus constitutus erat ordinibus.

Alter, qui in minoribus. Qui in maioribus potest esse apostata, sicut & monachus, quoad vitam, & quoad habitum: & vtroque modo peccat mortaliter; non tamen vllam à iure incurrit excõmunicationem. Qui in minoribus verò est, quamuis intendat ducere vxorem, immò de facto ducat, non ob id mortaliter peccat, aut venialiter, nisi ex contemptu faciat, vt dicit Sylu. verb. apostasia. Imò quamuis habeat beneficium, & illud relinquat: nam si retineat, mortaliter peccat, & censetur apostata. Immò cùm est beneficium habens curam animarũ, dum non sit collegiatum, tenetur ipso facto omnes reditus beneficij restituere, quos in suam vtilitatẽ accepit, à tempore, quo voluntatem habuit non retinendi clericatum. Et hoc habetur in cap. commissa, de elect. in sext. In alijs autem beneficijs solùm mortaliter peccat, nec est absoluendus, donec aut animum mutet, aut beneficium dimittat.

De habitu verò, qui in minoribus est, potest laicaliter incedere, dummodò tonsuram non habeat, aut beneficium: aliter enim tenetur proprio incedere habitu. Hæc igitur est quarta differentia inter hæc vota. Est etiam vna differentia inter votum solenne Religionis, & clericatus. Religionis, dirimit matrimonium ratum, non consummatum. Si quis duxit vxorem de præsenti, tamen nondum copulam habuit, potest ingredi Religionem, & per professionem dissoluitur matrimonium: at clericatus matrimonium non dissoluit. Est enim efficacius votum Religionis: ob id, quamuis à Papa possit dispensari, tamen non debet, nec dispensat, nisi in grauissima causa, & vrgentissima.

Hæc igitur est prima voti diuisio.

Iterum diuiditur votum in personale, & reale.

Personale est, quod ad personam vouentis spectat, vt per eam impleatur: vt, qui vouit castitatem, Religionem, ieiunia, orationes, & similia. Reale, quod ad rem pertinet: vt, qui vouet eleëmosynam, & ea, quæ absque rei dispendio non fiunt. Est autem differentia; pater enim potest vsque ad decimum quartum annum annullare vota personalia filiorum, non tamen post decimum quartum annum: Realia verò potest vsq; ad vigesimum quintum inclusiuè.

Iterum tertiò diuiditur votum in conditionale, pœnale, & absolutum.

Conditionale est, quod sub conditione ponitur, & hoc obligat posita conditione, nisi mala sit: aliàs non est votum, vt sa-

prà diximus : vnde, qui vouet Religionem, vel peregrinationem, si à Deo sanetur, vel ab aliquo liberetur periculo, si ista impleantur, tenetur implere votum.

Pœnale est, quod in pœnam alicuius ponitur, quod quidē, cùm sit fine bono, est votum obligans : vt, qui dicit, si non me abstinuero hodie à ludo, vel fornicatione, voueo centum, vel tot dies ieiunij, vel Religionem, vel quid aliud, si post non ita abstinet, obligatur voto.

Absolutum est, quod simpliciter fit, absque conditione, & pœna. Quanta autem sit differentia inter ista, paulò post dicecemus in votorum dispensatione. Circa quam aduertendum est, ista inter se differre, irritare votum, commutare, dispensare, absoluere voti transgressionem.

Irritare enim est annullare votum factum, & facere, vt non sit obligatorium, nec verum votum: quo modo pater filiorum vota irritare potest, vt superiùs diximus, & prælatus vota inferiorum, dominus seruorum, & vir vxoris, & è contra. Tamen attende, cùm materia est contraria eis, in quibus subditus tenetur parere, statim vota sunt irrita, nisi approbetur à superiore: vt, votum filij ante decimum quartum annum: circa mutationem status, vota Religiosi de peregrinatione, & similia. Cùm verò non sunt contraria, possunt etiam irritari, sed non sunt irrita, sed obligatoria, quousque à Superiore irritentur: vnde, sit filius vouet ieiunia, tenetur donec pater irritet: in irritatione autem non est necessaria causa, sed voluntas irritantis.

Commutare verò, est materiam voti in aliam mutare : & quidem in meliorem potest ipse vouens, absque alia licentia; mutare verò in æquiualentem, aut in paulò inferiorem, non potest : hoc enim est prælatorum, & Episcoporum, qui non debent commutare absque causa rationabili, nec commutare in leues materias, sed in ferè æquiualentes proportionaliter.

Dispensare autem, est relaxare voti obligationem: & cuius est commutare, est etiam dispensare; sed non potest fieri sine iusta causa: & oppositum facere, peccatum est, nec vouens coram Deo liber manet. Possunt autem Episcopi, & Prælati, circa subditos, omnia vota commutare, & dispensare, iusta excusante causa, præter quinque, quæ soli Papæ reseruantur. Putà, votum simplex Religionis, castitatis perpetuæ (cùm enim temporalis est, potest Episcopus) sancti Iacobi, Hierusalem,

sancti Petri Romæ. Reseruantur etiam vota solennia Pontifici. Est autem notandum vnum, quod notauit Victoria, ista quinque vota tunc reseruari Pontifici, cùm absoluta sunt: cùm verò conditionata, vel penalia, pertinent ad Episcopum: cùm autem peccatum committitur contra votum, tunc potest à quolibet proprio Confessario absolui, sicut & peccata alia: sed manet voti obligatio in posterum: vt, qui vouet continentiam, si fornicetur, potest à proprio Confessario absolui à peccato, sed pœnitens manet, etiam post hanc absolutionem, obligatus adhuc voto.

De tentatione Dei.

CAPVT XIX.

VLtimum peccatum ex his, quæ proposuimus contra primum præceptum Decalogi, est Tentatio Dei, per quã homo Deum tentat: in cuius gratiam primò inquirendum est, quid tentatio sit: potest autem sic describi: *Tentatio est dictum, vel factum ad capiendum alicuius experientiam*: cùm enim alicuius scientiam, vel potentiam, vel patientiam, vel quid simile exploratum habere volumus, aliquid dicimus, vel facimus, vt in eo ille scientiam, vel potentiam suam ostendat, dicimur ipsum tentare: vnde qui in scholis aliquas interrogationes tentatiuè faciunt, vt ex responsionibus cognoscãt sapientiam eorum, quos interrogant, dicuntur tentare, & tales interrogationes tentatiuæ. Ille igitur Deum tentat, qui aliquid dicit, vel facit, vt Dei potentiam, vel sapientiam, vel bonitatem, vel aliud attributum exploret.

Notandum tamen, non solùm tentationem esse, vt is qui tentat, experimentum accipiat tentati, sed etiam, vt tentatum notum faciat alijs: qui experientiam haberet alicuius sapientiæ, si tamen aliquid diceret, aut faceret, vt ex illius facto sapientia esset alijs manifesta, diceretur ipsum tentare: & vtroque modo homo Deum tentare potest, vt homo tentans Dei experimentum capiat: & vt alijs etiam ipsum manifestum faciat, vt dicemus inferius: Deus autem hominem secundo modo tantum tentat, vt illius virtutes alijs notas faciat.

Aduertendum secundò, dupliciter cõtingere, vt quis Deum tentet. Vno modo expressè, altero tacitè, quod alij vocant interpretatiue.

Ten-

Tentat expresè, qui dicit, aut facit aliquid hac intentione, vt experimentum faciat Dei bonitatis, vel potentiæ, siue pro se, siue pro alijs: vt, qui à Deo petit miraculum, siue pro se, siue pro alijs; qui subdit periculum, à quo non potest liberari, nisi à solo Deo, hac intentione, vt, vel pro se, vel pro alijs Deus exploratus sit.

Tentat autem tacitè, qui, quamuis non habeat talem intentionem Deum tentandi, tamen id facit, quod ex se tendit in hoc, putà, vt Deus exploretur, & probetur, quod quidem contingit dupliciter.

Vno modo, cùm quis, relictis medijs naturalibus, & à Deo ordinatis ad effectus proprios, quærit tales effectus: vt, qui infirmus existens, volensque sanari, nollet naturale remedium adhibere.

Altero modo, qui quærit sponte periculum, à quo, non nisi à Deo solo liberari, aut vix liberari possit: qui relicta scala, vellet è turri, per aëra descendere, quamuis non haberet animum tentandi Deum.

Aduertendum tertiò circa peccatum; Tentare Deum expresè, & per se non licet, nisi ex diuina inspiratione, sicut fecit Abraham Gen. 15. qui dicenti Deo se daturum terram illam, dixit, *Vnde sciam quod possessurus sim terram hanc?* in hoc non peccauit, quia ex diuina inspiratione fecit. Similiter Achaz, Isai. 7. non peccasset petendo signum, quia præcepit Deus, *pete tibi signum*, immò peccauit non petendo, quia non obediuit præcepto diuino. Cùm verò talis inspiratio, aut diuinum mandatum non est, non licet signa petere à Deo, ipsum tentando pro se: nam tunc ista tentatio procedit aut ex dubio & ignorantia, quàm habet homo de diuina potentia, aut sapientia, aut perfectione, & tunc est peccatum mortale, nisi dubium sit leue, & & non omnino deliberatũ, tunc enim esset veniale, & sic peccauit Zacharias venialiter, Luc. 1. cùm dixisset Angelo, *Vnde sciam hoc, cùm sim senex &c.* Aut nascitur ex curiositate, qua homo vult opera aliqua supernaturalia videre, & tunc ex genere suo est peccatum mortale, quia est irreuerentia notabilis Diuinæ maiestati illata. Cum tamen materia leuis esset, peccatum fieret veniale. Rursus, tentare Deum expresè pro alijs non licet, nisi duplici accedente conditione.

Altera est, necessitas, cùm, putà, nõ apparet facultas viã Dei aliter manifestandi, quo modo Elias Deũ tentauit, vt populus incredulus eum reciperet, & Prophetas Baal occideret.

Altera est vtilitas, cùm, putà, speratur probabiliter fructus in his, in quibus Deum manifestare volumus. Cùm autem aliqua harum deest, graue peccatum est, & mortale, cùm materia adest grauis: vnde, qui modò vellet miraculis vti ad cõfirmandam fidem, habentibus cognitionem ipsius sufficientem, peteretque à Deo miracula coram hæreticis, grauiter peccaret, cùm non sit necessitas: sufficit enim eis Ecclesiæ testimonium. Similiter, si non esset vtilitas: vnde, qui apud gentes externas vellet in fidei confirmationem ignis fornacem subire, si nulla inde speraretur conuersio, peccatum esset mortale. Rursus, Deum tentare tacitè, peccatum est ex genere suo mortale, nisi, vltra necessitatem, & vtilitatem, sit res iusta, supra quam Deus tentatur: Vnde, qui forte vellet futurum secretum alicuius cognoscere; vel similiter, ignis probatione cognoscere, peccaret, quamuis diuinum iudicium expectaret. Nam si mediis naturalibus potest id cognoscere, non est necessitas: si verò non potest, hoc modo velle id scire, iniustum est: nam secreta ad tribunal tantùm Dei spectant. Liceret hoc ex aliqua diuina inspiratione. Peccaret etiam, qui absque necessitate, & vtilitate, pericula mortis, vel mali grauis subiret; vel qui in malo graui remedia naturalia spernaret: tentatio enim Dei esset.

De Secundo præcepto.

Quid iuramentum, quot eius species.

CAPVT XX.

SEcundum Decalogi præceptum habetur Deuteron. 5. & Exod. 20. in hæc verba, *Non assumes nomen Dei tui frustra*, seu, *in vanum*. In quibus verbis prohibetur iuramenti abusus. Vt igitur quid prohibitum sit plenè cognoscatur, oportet de iuramento tractare, in quo primùm inquirendum est, quid ipsum sit. Videtur autem sic posse describi. *Iuramentum est inuocatio diuini testimonij, in dicti alicuius confirmationem.* Explico homines non semper fidem adhibent dictis, & promissionibus aliorum hominum simplici verbo affirmantium, negantium, aut promittentium: ob id, si Deum in testem eorum, quæ affirmant, vel negant, & in fidei iussorem eorum, quæ pro-

promittunt: adducunt per ipsius inuocationem, talis inuocatio iuramentum dicitur. Fuit autem iuramentum hoc homini necessarium, propter malum pœnæ, quod per peccatum incurrit: quia enim peccauit homo: perdidit creditum, & fidē, quæ simplicibus dictis suis adhiberi debebat: ob id, Deus prouidit illi iuramenti remedium, vt, quod ei ablatum erat per peccatum, suppleretur per iuramentum, in quo vnà cum homine Deus inuocatur in testimonium veritatis eius, quæ profertur, & ita intelligitur illud Matth. 5. *Sit sermo vester, est, est, non, non, quod his abundantius est, à malo est*, scilicet, quod additur simplici affirmationi, vel negationi, putà, iuramentum, à malo pœnæ est, quàm homo per peccatū incurrit, vt ibi Aug. interpretatur. Meritò autem Deus inuocatur in iuramento; nam ipse summa veritas est, quæ nec fallit, nec falli potest. Ad confirmādum autem dicti veritatem, nihil potuit accommodatius ipsa summa veritate inuocari.

Aduertendum est tamen, Deum inuocari dupliciter in iuramento.

Vno modo explicitè, cùm nomine suo nominatur, dicendo per Deum, per Christum, per summam veritatem, testis sit Deus, & similia.

Altero modo implicitè, cùm in creaturis inuocatur, in quibus ipsius sapientia, potentia, & bonitas splendet. Qui enim iurat per sanctos, per cælum, per terram, per aliasque creaturas, Deum in eis relucentem inuocat. Si enim ipsas per se inuocat, cùm non sint rationis capaces illarum multæ, non est iuramentum. Si tamen iuramentum est, Deus in ipsis inuocatur, estque maius iuramentum, quò magis Deus in creatura relucet: Vnde maius est iurare per beatissimam Virginem quàm per alios sanctos, magis per istos, quàm per cælum, magis per cælum, quàm per terram, & sic consequenter. Habes igitur ex his, quid sit iuramentum: pertinet enim ad Religionem, cum benè fit, cùm sit inuocatio Dei. Huius quatuor sunt species. Est enim iuramentum assertorium, promissorium, comminatorium, execratorium. Assertorium est, in quo affirmatur, aut negatur aliquid præsens, aut præteritum: vt, per Deum iste occidit hominem, per Deum non occidit. Promissoriū, in quo futurum affirmatur, vel negatur promittendo: vt, faciā hoc per Deum. Cōminatorium, in quo promittitur malum pœnæ: vt, per Deū castigabo te, percutiam te, &c. Execratoriū, in quo, siue promittendo, siue asserendo, aliquid

affirmatur, vel negatur, sibi apponendo pœnam, vt Deus me destruat, nisi hoc ita sit, aut, nisi hoc faciam: similiter cum dicitur per vitam, per caput meum, per filios, per vxorem: nam sensus est, ita Deum inuoco; vt, nisi hoc ita sit, me vita priues, capite, aut filijs. Hæ sunt species iuramenti: quamuis comminatorium ad promissorium reducatur; execratorium ad promissorium, & assertorium: tamen, maioris distinctionis gratia, melius est ita distinguere.

An liceat iurare, & quomodo.

CAPVT XXI.

IVramentum, si debito non fiat, licitum esse adeò verum est, vt hoc negare sit hæreticum contra scripturam. Habetur enim Deuter. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, & per nomen illius iurabis.* Psal. 69. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* idem definitur in bulla Martini V. in Concil. Constant. est enim actus religionis, cùm sit inuocatio quædã Dei, seu diuinæ veritatis. Vnde in hoc secundo præcepto, non prohibetur iurare, sed malo modo iurare, puta, frustra, aut in vanum. Dupliciter autem contingit malè iurare, & consequenter peccare in iuramento.

Vno modo, cùm in iuramento non inuocatur verus Deus, sed dij falsi, aut dæmon. Tale enim iuramentum est peccatum mortale. Vnde peccant Gentiles, & Pagani, iurantes per suos falsos Deos; ineſt enim quædam inuocatio ipsorum. Peccaret etiam mortaliter Christianus, qui seriò sic iuraret: atque hæc est causa, cur non liceat Christiano inducere Paganum ad iurandum, vt docet S. Thom. 2.2. qu. 98. art. 4. quia est illos inducere ad peccatum: licèt tamen ipsorum iuramenta accepiare, cùm ipsi se obligare volunt; non tamen ad tale iuramentum eos inducere.

Altero modo contingit malè iurare, cùm nõ seruantur tres conditiones in iuramento, putà, veritas, iustitia, & necessitas, quas colligunt Doctores ex illo Hieremiæ 4. *Iurabis, viuit Dominus, in veritate, iudicio, & iustitia.* De quibus tractare oportet in particulari per singulas species iuramenti, & ab assertorio incipiendum est.

Vt ergo assertorium iuramentum licitum sit, debent illa tria ineſſe.

Quo-

Quorum primum est, veritas, in cuius explicatione tria sunt notanda.

Primum est, esse veritatem triplicem.

Prima est, quando, quod dicitur, conformatur rei, id est, ita est, sicut dicitur; vt, si quis dixerit: frater est mortuus, & ita sit, veritas est.

Altera est, cùm quod dicitur, sic esse ille existimat, licèt non ita sit in re: vt, cùm quis existimat fratrem mortuum, dicit, frater est mortuus, quamuis ille viuat, tamen verum dicit.

Tertia est, cùm, quod dicitur, ita est, sicut existimat, & sicut in re est, & ista est veritas perfecta: vt, si frater verè est mortuus, & hoc idem ita esse existimans aliquis diceret, frater est mortuus. Sicut igitur triplex est veritas, ita per oppositum triplex est falsitas.

Prima, quando quod dicitur non conformatur rei.

Altera, quando non conformatur menti, & ei, quod existimatur, quamuis conformetur rei.

Tertia, quando nulli conformatur. Primum falsum, non est mendacium, secundum, & tertium sunt. Est enim mendaciũ, cum homo dicit aliter quàm existimat in corde, quamuis à parte rei ita sit, vt dicit. Et verum oppositum mendacio est, cùm homo dicit quòd sentit, siue ita sit, siue non in re. Aduerte igitur, veritatem in iuramento requisitam, esse istam, qua homo dicit, sicut in corde sentit: quando autem dicit aliter quàm putat, iuramentum est falsum, licet ita sit in re. Iurare igitur falsum, id est, affirmare, vel negare res, aliter quàm homo in corde credit, est mortale peccatum semper, quamuis materia sit leuissima; vt, iurare mendacium otiosum, & iocosum: ita in citata bulla Martini V. immò propter quemcumque finem.

Homo enim nec propter vitam propriam, nec propter proximi vtilitatem, aut totius reipublicæ debet iurare mendacium, & hoc faciendo, peccat mortaliter: & in vno tantum casu excusatur, cùm inaduertenter iurauit, non considerando iurare falsum: tunc enim veniale tantùm est peccatum. Iurare tamen falsum, id est, quòd ita sit, dummodo, cui iurat, existimauit ita esse, non est mortale, nec veniale, nisi in tribus casibus.

Primus est, cùm non fecit vllam diligentiam cognoscendi quod iurabat, sed leui coniectura credens statim iurauit.

Qui enim absque diligentia iurat, quod in re non ita sit, mortaliter peccat; non tamen, si diligentiam conuenientem adhibet.

Secundus est, cùm dubius est de re, an ita sit, & ipse vt certam iurat: in hoc enim casu etiam mortaliter peccat.

Tertius casus est, cùm paratus est iurare, quamuis sciret rem non ita esse: in hoc casu etiam mortaliter peccaret. Hoc est primum notabile contra veritatem iuramenti assertorij.

SECVNDO est notandum, aliquando teneri hominem, non solùm secundùm mentem propriam iurare, sed etiam secundum mentem aliorum, id est, vti verborum significationem communi, quam qui audit, mente concipit: quamuis nō semper teneatur ad hoc, sed aliquando licet vti æquiuocatione, & decipere audientem. Vt autem hæc omnia cognoscantur, sunt aduertenda tria puncta.

Primum est, cùm quis non petitus iurat, sed sua sponte, tenetur vti vocabulo secundum communem significationem, & oppositum facere, est mortale peccatum. Ita tenet Sylu. verb. iuram. 3. §. 2. Vnde negotiatores, qui, vt res suas cōficiant, vtuntur iuramento supra verba contra cōmunem sensum & modum intelligendi, nō excusantur à mortali: v.g. iurant, se tanti emisse rem illam, quam vendunt, & tamen non est ita: nam minoris emerunt, illi tamen intelligunt illam rem simul cum alijs emptis, illi mortaliter peccant, quia sponte iurant contra mentem alterius.

Secundum est, qui petitus à superiore iurat, tunc, si superior iuridicè & iustè iuramentum petit, tenetur iste iurare absque æquiuocatione, ad mentem iudicis, licèt vita priuetur: si verò contra iustitiam petit, potest vti æquiuocatione, & iurare suam propriam mentem, contra mentem iudicis. Verbi gratia, iudex petit iuramentum ab aliquo, vt dicat crimen, vel proprium, vel alienum, si iudex habet criminis testem vnum fide dignum, aut semiplenam probationem, aut infamia est talis criminis, quia reus habetur iam huius criminis infamatus, tunc tenetur iurare verum, secundum mentem iudicis: si verò omninò est occultum, non debet iurare; & si cogatur, vtatur æquiuocatione, putà, nescio, intelligendo intra se, vt dicam tibi, vel non feci, intelligendo, nunc non feci, vel quid simile. Cùm verò crimen est pernitiosum reipub. aut hæresis pertinax, licèt occultum sit tale crimen, debet iurare, & respondere secundum mentem iudi-

cis, cum

...,cum de alio petitur, nõ cum de se: non enim tenetur se manifestare tunc.

Tertium est, cùm, qui petit, non est superior, aut iudex, tunc tripliciter potest petere.

Primò, cum violentia, & cautione iniusta, & tũc, qui iurat, potest vti æquiuocatione: vt, si vir vxorem petat, an sit adultera, ista potest dicere, non sum, quamuis verum fuerit, intelligendo, vt tibi reuelem. Similiter, qui cogitur iurare se accepturum aliquam in sponsam, potest iurare se accepturum, intelligendo, si postea placuerit.

Secundò, sine violentia, sed cum iustitia, vt qui emit, petit iuramentum à vendente veritatis rei, & tunc non licet vti æquiuocatione. In hoc casu notat vnum Sylu. verb. iurament. 3. §. 2. posse responderi ad intentionem petentis remotam, id est iuxta id, quod primò intendit: verbi gratia, cùm ciuitas aliqua non admittit ciues alterius, quia peste infectos putat, tunc custos petit ab aliquo veniente iuramentum, an veniat ex illa ciuitate, tunc si talis ciuitas verè non est infecta, potest iurare non venio, intelligendo, modò, quamuis veniat verè, iuxta mentem custodis. Similiter, quamuis sit infecta peste, si tamen ipse non sit infectus, potest vti æquiuocatione, nam non fecit contra præcipuam intẽtionem custodis, seu ciuium illorum. Denique potest iurare æquiuocè, cùm iuramentum petitur ex ignorantia veritatis, quæ si sciretur, non prohiberetur talis, cui petitur.

Tertiò, potest petere rogando, & qui rogatus iurat, potest vti æquiuocatione, maximè cum non est reuelanda res, & importunus est qui rogat, & precibus iuramentum petit.

Aduerte tertiò circa veritatem iuramenti, quòd non solùm peccat mortaliter qui cum mendacio iurat, sed omnis, qui alios ad sic iurandum inducit; imò, qui iuramẽtum petit ab eo, quem probabiliter scit falsò iuraturum, dummodò qui petit non sit publica persona, vt iudex; hic enim, ratione officij, debet obseruare ordinem statutum, potestque petere iuramentũ ab his, quos cognoscit falsum iuraturos, vt tenet S. Thom. 2. 2. q. 98. art. 4, Hæc igitur sunt circa veritatem iuramenti assertorij notanda.

Circa iustitiam aduerte, non sat est verum iurare, vt iuramentum sit licitum, sed cum iustitia iurare, id est, non debet homo iurare illud verum, quod reuelare peccatum est. Si enim quis occultum crimen reuelaret alicuius, ipsum infa-

mando peccaret, quamuis verum diceret, quia contra iustitiam facit; si hoc verum iuraret, iterum peccaret. Est autem hoc peccatum iuramenti mortale, cùm iniustitia, supra quam iurat, mortalis est: est autem veniale, cùm iniustitia venialis est.

Rursus non satis est cum veritate, & iustitia iurare, nisi necessitas, vel vtilitas est, nempè, cùm res, quæ iuratur, alicuius est momenti, & cùm aliter non creditur, nisi iuretur. Qui vero iurat res nullius momenti, aut ea, quæ absque iuramento crederentur, absq; necessitate iurat, peccat. Hoc autem peccatum non est mortale, nisi tantùm veniale, nisi adsit contemptus, aut periculum sit falsum iurandi ex mala consuetudine, secus veniale esset. Hoc habet Sylvestr. verb. iuram. 2. §. 8. vbi dicit, hoc esse secundum omnes dicendum. Idem Soto lib. 6. de iust. quæst. 4. art. 3. vbi dicit, si quis per Deum iurat pluere, cum pluit, vbi nulla necessitas apparet, nec est, solùm venialiter peccat. Idem Nauarr. c. 12. nu. 3, & Caiet. verbo, periurium, in fine. Hæc sunt de iuramento assertorio.

Hæc eadem tria seruanda sunt in iuramento promissorio. Est enim seruanda veritas: vt, qui sub iuramẽto promittit, non intendens adimplere, est periurus contra veritatem iuramenti; & in omni casu, & materia, & propter quemcumque finem mortaliter peccat, sicut in assertorio; nec excusatura mortali, nisi ex imperfectione actus, vt suprà diximus. Est etiam seruanda iustitia cum veritate. Iustitia autem in hoc iuramento est, ne id, quod promittit sub iuramento, sit peccatum adimplere. Qui enim se facturum aliquod peccatum iurat, peccat si quidem non intendit facere, iam est mortale, quia sine veritate iurat. Si facere intendit, tunc is peccat, & ex intentione, quam habet peccandi, & ex iuramento supra rem iniustam: & si quod iurat est mortale, mortaliter peccat: vt qui iurat se occisurum inimicum, aut non auditurum sacrum die festo, vel quid simile: si vero est veniale, tantum venialiter peccat, vt refert communis opinio. Ita dicit Caiet. verb. periurium. Sylue. verb. iuram. 3 §. 7. & Soto lib. 2. de iustit. q. 4. & alij. Qui enim iuraret, se mendacium otiosum dicturum, aut se non facturũ aliquid, quod ad consilium spectat, non ad præceptum, intendens ita adimplere, tam ex intentione, quam ex iuramento, venialiter tantùm peccaret.

Est etiam seruanda necessitas, seu vtilitas; iis enim deficientibus, si adsint veritas, & iustitia, solùm est veniale peccatum,

tum, vt diximus de assertorio. Hæc dicta sint de promissorio.

De comminatorio eadem prorsus dicenda sunt: nam quantum adhoc, non distinguitur à promissorio, & assertorio. Sed quæ de his diximus, etiam dicenda sunt de execratorio: nam hoc aliquando incidit cum assertorio, cùm tali iuramento vtimur, ad confirmandam aliquam veritatem præsentem, aut præteritam: aliquando etiam coincidit cum promissorio, cum iuramus futura. Quæ igitur de duobus prioribus dicta sunt, de alijs duobus intelligi debent.

De obligatione iuramenti.

CAPVT XXII.

OBligatio iuramenti in his iuramentis est consideranda quæ supra aliquod futurum fiunt: ibi enim manet homo obligatus, post iuramentum, adimplere quod iurauit: modo igitur de assertorio nihil dicendum est, sed de alijs tribus. Est igitur tanta obligatio horum; vt, qui iurauit quocũque modo aliquid, quod iurare fuit licitum, & cum intentione se obligandi iurauit, teneatur adimplere sub mortali peccato, quamuis sit res leuis, & parui momenti. Ponam duo exempla, per quæ alia intelligentur.

Primum est, si quis fuit à latronibus in via comprehensus, qui noluerunt dimittere ipsum, quin prius iuraret, se posteà daturum centum aureos, tunc hic iurauit se daturum, si, cùm iurauit, intendit verè dare, tenetur sub mortali dare postea. Ita tenet Soto lib. 8. de iust. q. 2. art. 3. Verum est, quo iste potuit æquiuocè iurare, ratione coactionis, dicendo, iuro me daturum, intra se dicere, si mihi libuerit, & tunc non tenetur, quia ablatè non iurauit daturum.

Alterum est, si quis in carcere detentus à custode, vel iudice mittitur, cum iuramento redeundi, iste talis tenetur posteà ire, etiam cum periculo mortis: si tamen carcer erat iniustus illi, quia non secundum iustitiam illic detinebatur, potuit æquiuocatione vti; si tamen intendit se obligare, & redire verè tenetur. Ita tenet Sylu. verb. iuram. 4. §. 26. & est communis doctrina. Vide Couar. lib. 1. variar. resol. c. 2. qui tenet cũ multis, nõ teneri obseruare iuramentum, etiã cum inten-

tione

tione redeundi factum. Obligatur deniq; homo ad veritatem iuramenti implendam, sub mortali. Sunt tamen aliqui casus, in quibus iuramentum non tenetur adimpleri, sed absque peccato non impletur.

Primus est, ratione materiæ. Cùm enim quod iuratum est mortale, peccauit quidem mortaliter, sed non debet adimplere, alias mortaliter peccabit implendo, Similiter si fuit veniale, non debet ad implere: vt, qui iurauit, se non mutuaturum alicui aliquid, vel nunquam fidei iussurum, vel alia similia, peccatum fuit veniale iurare, non tamen debet implere, nec vllo modo peccat non implendo. Idem est iudicium de re indifferenti, nec bona, nec mala; veniale enim est iurare, nec homo implere tenetur.

Secundus casus est, ratione euentus, in quo multa considerantur.

Primum, quando iurauit quis aliquid, sed postea, cum implendum est, euenit aliquid, quod impossibile facit illud, tunc non implere, nō est peccatum: vt, qui iurauit, se tali die ieiunaturum, & accidit tali die, male habere, vt abstinere non possit absque malo. Rursus, qui iurauit se conuenturum aliquem tali die, & post ipse comprehensus detinetur in carcere, vel ille alius longè discessit, non tenetur implere promissum. Hic tamen obseruandum est, quòd si, cùm iurauit, probabiliter cognouit, se posteà non valiturum implere, peccauit iurando, quia tunc defuit intentio, aut fuit dubius in implendo, & ita tunc mortale. Non enim dubium pro certo iuramento firmandum est. Loquitur autem de certitudine morali, quæ semper Dei voluntatem supponit; aliàs nullus potest fructuose iurare.

Secundò, si iurauit aliquid bona quidem intentione, & bonum, tamen posteà accidit aliquid, quod impletionem facit malam, & peccatum, tunc non est promissum implendum: verbi gratia, iurasti te daturum ensem alicui, tamen postea, cùm dandus erat, factus est ille mente captus, tunc non est dandus. Rursus, iurasti te facturum quod alter vellet, aut peteret, tunc ille petit à te aliquod peccatum, non teneris implere; sic Herodes nō tenebatur implere promissum, cùm illa petijt caput Ioannis.

Tertiò, si posteà euenit aliquid, quod est inductiuum alicuius notabilis mali temporalis: vt, si quis iurauit ire Laurentum tali die, si posteà accidat, in via esse inimicorum exercitum,

qui

qui omnes transeuntes occidit, aut capit, nō tenetur cum isto periculo implere quod iurauit.

Quartò, si posteà euenit aliquid, quod est in præiudiciū maioris boni: vt, si iurauit quis, se conuenturum aliquē tali tēpore, & accidit tunc infirmum indigere illius præsentia, non tenetur. Similiter, si accidat aliud maius bonum, ad quod homo tenetur, seu quod tunc omittere malum esset.

Quintò, si aufertur ratio iuramenti: vt, si seruus iurauit se obediturum Domino, & clericus Episcopo, si posteà desinit esse Dominus, vel ab Episcopatu deponitur, non obligat iuramentū. In his omnibus iuramenti obligatio cessat ratione euentus.

Tertius casus est, ratione modi iurandi: nam ex interpretatione ipsius iuramenti, homo aliquando simpliciter non obligatur ad seruandum promissum: vt, si duo honoris gratia contendunt de primo ingressu, neuter vult primus esse, sed alteri cedere, si dicat vnus, per Deum non ingrediar, tamen posteà ab altero victus ingrediatur, non est periurus, quia iuramentum sic intelligitur, quantum est ex me, non ingrediar primus.

Quartus casus est, ratione relaxationis ab eo, cui promittitur. Si enim iurauī, me tibi daturum pecunias, si posteà dimittis, non teneor dare. In his omnibus non obligat iuramentum promissorium.

Circa comminatorium autem idem ferè dicēdum est. Cùm enim sit cōminatorium, quoties malum aliquod pœnæ promittitur, quoties ipsum inferre malum est, cessat obligatio. Sunt etiam aliqui casus, in quibus, licèt à principio bonū fuerit, tamen posteà non obligat.

Primus est, quando interuenit aliquid, quod facit melius non implere promissum, quàm implere, sicut fuit in iuramēto Dauid, quo mortem Nabal iurauit, tamen, precibus Abigail interuenientibus, melius fuit illi acquiescere, quàm implere iuramentum.

Secundus est, quando mutatur status rei: vt, qui iurat se castigaturum seruum, vel filium, si posteà supplex veniam petat, & corrigi paratus, non tenetur implere, quia iuramentum obligabat, seruato statu eodē, in quo seruus, seu filius non erat correctus, nec animum mutauerat.

Tertius est, cùm malum illatum inutile speratur, aut maioris boni impedimentum. Si enim constet, aut creditur posse,

talem

talem pœnam fore inutilem seruo, aut filio, aut exilium illatione pax domus perturbatur, eò quòd insurgat rixa cum vxore, vel familia, non debet iuramentum implere: peccaret autem, qui ista præuidens iurauit: nam tunc est iurare malum culpæ. De execratorio idem dicendum est quod de istis: atque hinc patet, quando, & quomodo liceat iuramentum in quouis genere.

De iuramenti dispensatione.

CAPVT XXIII.

QVemadmodum circa votum considerantur quatuor, annullatio, dispensatio, commutatio, & absolutio, sic etiam circa iuramentum. Annullatio, seu relaxatio, est ipsum iuramentum pro nullo declarare.

Pertinet autem ad superiores, in eo, quo superiores sunt, vt ad patrem respectu filiorum, ad Dominum respectu seruorum, ad maritum respectu vxoris, sicut de voto: ad Pontificem respectu cleri, vt habet S Thom. 2.2.q.89.art.9. est enim Dominus rerum Ecclesiasticarum. Vnde, qui iurauit se collaturum alicui beneficium Ecclesiasticum, vel aliquid aliud Ecclesiasticum, se habet ad Papam, vt seruus ad Dominum, potestque Papa relaxare absque vlla causa pro sua voluntate, huiusmodi iuramenta: dispensare verò, & commutare, ad Episcopum, & Papam pertinet, cùm tamen est causa talis dispensationis: potestque Episcopus dispensare, & commutare in illis tantum iuramentis, quæ, si vota essent, posset dispensare, vt Caietan. 4.2. quæst.89.art.9. Vnde, illa quinque iuramenta Papa reseruantur, quæ, si vota essent, ipse solus posset: vt, iuramentum castitatis, religionis, peregrinationis Compostellæ, sancti Petri Romæ. Quando autem est iuramentum in alicuius tertij vtilitatem, non potest, absque voluntate tertij, etiam à Papa dispensari, sicut nec Papa potest auferre rem alterius: vnde, qui alteri promittit sub iuramento pecunias tenetur adimplere, nisi ille, cui promissæ sunt, relaxet. Duo casus sunt, in quibus posset tale iuramentum dispensari, aut commutari, aut relaxari.

Vnus est, in pœnam illius, cui factum est iuramentum: vt enim potest pecunia mulctare, ita potest iuramentum

illis

illi factum relaxare; & sic relaxat excõmunicato factum iuramentum, in eius pœnam, 15.q.6.c.nos Sanctorum, & c. iuratos.

Alter est, cùm tale iuramentum factum est vi, aut metu, aut fraude alterius. Cùm autem iuramentum non est in vtilitatẽ alterius factum, tunc ipsemet, qui iurauit, potest in id, quod apertè melius est, commutare: cùm autem in vtilitatem alterius est, non potest, sed quod promisit, tenetur implere, nisi ab altero acceptetur, vt diximus de voto. Confessarius aũt ordinarius potest absoluere à peccatis contra iuramenta factis, nõ tamen absque aliquo priuilegio iuramẽti facti obligationem auferre. Hæc sunt, quę maximè de iuramẽto spectant ad Confessariũ; & etiam hæc sunt, per quæ hoc præceptũ declaratur.

De tertio præcepto Decalogi.

CAPVT XXIV.

TErtium hoc præceptum habetur Exod. 20. in hæc verba, *Memento, vt diem Sabbati sanctifices:* vnde communiter desumptum est carmen, *Sabbata sanctifices.*

Primum igitur, quid sit Sabbatum oportet exprimere. Si autem nomen attendamus, Sabbatum idem est, quòd quies, vt Sabbatum non sit aliud, quam dies vacationis ab his operibus, in quibus homo se exercere solet, vt Dei operibus intendat. Dominus Deus hoc præceptum Sabbati primùm per Moysen Iudęis dedit, eratque illa septimi dies, incipiendo à Dominica inclusiuè.

Fuit autem eis hoc præceptum datum, ob tres causas.

Prima est, ob memoriam illi⁹ beneficij insignis, purà, creationis. Sex enim diebus operatus est cuncta, & die septima quieuit ab omni opere facto: quam diem præcepit obseruandam Iudæis, ne tantum beneficium ab ipsorum mentibus excederet, & ne errore Gentilium tenerentur obcæcati, qui mundum putabant æternum.

Secunda causa fuit, ob figuram Christi Domini in lege prolati. Christus enim integro Sabbato quieturus erat per mortem in sepulchro: Ob id, Iudæi in figura Sabbato quiescebant ab omni opere non necessario vitæ.

Tertiò, ad quietem corporũ. Est enim homo animal mortale, cui vires deficiunt labore continuo, voluit Deus diem imponere, in quo homines, & iumenta quiescerent, laboriq; futuro vires reficerent. Aduerte tamen, quòd quamuis Sab-

batum principali significatione illam diem septimam significet, tamen nomine eius comprehenduntur aliæ Iudæorũ festiuitates, quas Iudæi obseruare tenebãtur: Ecclesia nostra modò post Christum etiã Sabbatum custodit, sed non diẽ septimã vt Iudæi, at octauam, quæ Dominica dicitur. Ratio hæc est, quia Iudæi nõ receperunt maius beneficium aliquod creatione, ob id, ipsum beneficium creationis ante omnia obseruabant. At Christiani, aliud maius beneficium receperunt, quod est recreationis, & redemptionis, quod consummatum est in resurrectione Christi facta octaua die, ob id diẽ octauam, in huius tanti beneficij memoriam, obseruant, vocantque Dominicam, quia noster Dominus Christus in ipsa totum opus redẽptionis perfecit. Est etiã alia causa huius: nobis promissiones factæ sunt regni cælestis, quales Iudæis non erant factæ: bona enim terræ illis promittebat Deus, & nobis bona cælestia. Cùm autem ista perficienda sint octaua ætate mundi, in qua generalis erit resurrectio, ob id ad promissionis certitudinem, nos diem octauum celebramus. Quamuis aũt hoc festum præcipuum sit, tamẽ etiam nomine Sabbati in hoc præcepto alia festa intelliguntur, quæ ab Ecclesia celebrantur, de quibus habetur vlti. c. de ferijs: quorũ quædam sunt obseruanda in vniuersali Ecclesia de præcepto, quædam in particularibus Ecclesijs, ob peculiarem earũ deuotionem. Sunt autem particularia, cùm de præcepto sunt ita obseruanda ab omnibus illius Ecclesiæ, sicut festa vniuersalia ab omnibus. Ecce ignoratur quid per Sabbatum intelligere oportet.

Aduertendum tamen, quòd standum est consuetudini locorum circa quantitatem festi. Vbi enim consuetudo est celebrare festum à nocte diei præcedentis, ita obseruandum est: vbi aũt à media nocte, similiter: vbi à diei principio, similiter. tione. Inquirendum tamen est modò, quo pacto sit festum sanctificandum: in cuius gratiam aduerte, festum posse sanctificari, & posse benè sanctificari. Ad sanctificandũ duo sunt necessaria, vnum facere, ab altero abstinere. Quod faciendum est, id est sacrum audire, de quo dicemus inferius in præceptis Ecclesiæ. Abstinendum autem est à duplici opere, & ab opere seruili, & ab opere ab Ecclesia prohibito.

Pro declaratione operis seruilis, aduerte, esse tria operum genera.

Quoddam est genus operum, quæ dicuntur animę. Hæc autem sunt opera, quæ ipsius animæ sunt; vt, intelligere, orare, medi-

meditari, studere, videre: aut etiam ad talia animæ opera ordinantur; vt, disputare, docere, legere, scribere, pertinentia ad studium. Omnia etiam ista hoc comprehendimus, scilicet, opus animæ. Hæc opera non prohibentur in festo: vnde, licèt studere, legere publicè, etiam pro pecunia, disputare, exhortari, & concionari: non enim talia prohibentur opera. Hinc fit, vt liceat aduocato studere in festo super lites, & quæ studet, scribere, & informare etiam iudices scripto, & propter pecuniam, quia sunt ista animi opera ita Soto lib. 2. q. 4. ar. 4. & Nauar. c. 13. num. 12. Caiet. 22. q. 122. art. 4.

Alia sunt opera corporis, sed communia quidem omnibus ex se, tam potentibus, quàm ignobilibus, dominis, & famulis: vt, iter facere, venari, saltare, vti musicis instrumentis. Et hæc etiam non sunt prohibita in die festo. Vnde, licet iter facere, audito tamen sacro, licet venari & alia huiusmodi facere. Tamen aduerte, cum venatio, & iter ex officio fit, ex se nō licet, vt dicit Sylu. verb. venatio; & tamen cōsuetudo iam obtinet ista nō esse illicita, & ita tenet Nauar. loco citato, quamuis pecunia fiant. Licita etiā sunt exercitia artium quarundā: vt, gladiandi, saltandi, pulsandi instrumenta, licèt pecunia fiant.

Tertia opera sunt, quæ ex se famulatum quendam habent, quo homo homini seruit, & famulatur: vt fuere, arare, & alia mechanica: & talia sunt prohibita, dicunturq; seruilia, quia ad famulatum quendam pertinent. Non licet igitur hæc opera exercere diebus festis. Atque hoc opus est seruile, à quo abstinendum est. Opus autem ab Ecclesia prohibitum, habetur c. 1. de ferijs, vbi quædam prohibentur operā, quæ non omninò mechanica videntur.

Primum est, mercatus. Sunt autem tres mercatus.

Primus, qui bis in anno, aut ter singulis fit annis, dicunturque nundinæ: & hæ non sunt prohibitæ; aut si sunt, cōsuetudo obtinet, licitas esse diebus festis, nisi in aliquo loco consuetudo contrarium obtinuerit; dum tamen factum audiatur.

Secundus est mercatus, qui singulis fit hebdomadibus, & hoc non licet diebus festis, nisi in aliquo loco consuetudo contrarium obtinuerit.

Tertius mercatus est, emptiones, & venditiones particulares, quæ fiunt quotidiè, & hæ etiam prohibentur in isto genere.

Secundum opus est placitum, id est, sententia ciuilis, & strepitus iudicialis Iudicium, & Notariorum, & aliorum in ral-

iudicium concurrentiũ,& hoc est prohibitum. Vide,nõ licet iudicibus sententiam ferrè:imo in foro etiam exterior, nulla est.Nec licet Notarijs scribere;nec ipsis transcribere scriptoribus. In quo maximè apparet Notariorum peccatũ,qui seruant pro festis implere chartas,quas reliquis diebus in breui notarunt. Nec licet dicta testium examinare, nisi ob necessitatem aliquã,putà,quia alio tempore commodè testes, vel personæ haberi non possunt.Licet autẽ iudicibus, ex concessione Pontificis,non omnibus,sed ruralibus,in diebus festis vti iudicio, quando homines illius pagi alijs diebus suis sunt operibus intenti,quæ non possunt absque incommoditate dimitterè.Nauarr.c.19.num.13.

Tertium est,sentẽtia mortis,aut in causa criminali: hæc enim fieri nõ potest,nisi vrgente necessitate,quia nõ potest liter cõmodè fieri:vt in belli tẽpore fit,aut quando periculum est non exequendi iustitiam,nisi tunc sententia feratur.

Quartum est prohibitum iuramentum iudiciale:hoc enim non licet:imò nullum est in foro exteriori,cùm in festo sumitur.Hoc opus igitur est,à quo abstinere debemus in die festo, illudq; sufficit ad festi sanctificationẽ.Ad benè aũt sanctificandum,vltra hoc,aliud est necessarium, putà, vt qui est in mortali,tunc conteratur,& ad Dominũ conuerti studeat: qui verò est in gratia,diuinæ vacet contemplationi, & bonis operibus, vterq; aũt à nouo peccato abstineat.Aduerte tamen, quòd homo tenetur sub mortali ad sanctificãdum festũ; sed non tenetur sub mortali ad benè sanctificandum:vnde,non est audiendus Scot.3. sent. dist.27.qui dicit, in die festo peccantẽ mortaliter,bis peccare,quia ratione temporis est nouum peccatum mortale, & necessaria est circumstantia cõfessionis. Similiter, cum,qui de peccato non conteritur,peccare mortaliter:hoc enim est falsum,nec vllo modo populo prædicandum. Licet enim grauius peccet,qui peccat in die festo, tamen nõ ob grauitas mortalis,nec circumstantia necessaria confessionis. Et ratio est,quia finis festorum est sanctitas ipsa, quomodo dicit Scotus.Ad finem aũt nullus obligatur alia obligatione quàm mediorũ.Non enim obligor ad carnis macerationem, quæ finis est ieiunij,sed ad ipsum ieiunium. Ità solum obligor ad illa duo in festo præstanda,non ad finem, quamuis consilium sit optimum,omnia ista exequi in die festo. Vide Soto,& Nauarr.loco citato,& Caiet.verb.festũ,qui nobiscum sentiunt.

De

De peccato non sanctificantis festa.

CAPVT XXV.

NOn sanctificare festa, ex genere suo mortale est, cùm sit contra diuinum præceptum. Excusatur tamen ob materiæ leuitatem. Cùm enim aliquod opus paruum est, non est mortale: vnde tonsori, vnum in die festo tondere ob aliquam commoditatem, quia non illi vacauit, vel nullum est peccatum, aut ad summum veniale. Cùm tamen materia est magna, vel continua, quia singulis diebus fit, tunc mortale est, nisi excusetur in sequentibus casibus, in quibus licèt absque peccato in die festo operari seruilia.

Primus est, in Dei cultum: cùm enim opera seruilia immediatè in Dei cultum ordinantur: nec nisi in festo fieri possunt, licita sunt, vt sonare campanas, portare cruces, & similia. Dixi, quæ immediatè ordinantur: nam remota opera, vt colere agros ecclesiarum, aut ædificare ipsorum domos non licet, nisi alicuius ecclesiæ pauperis nimis, cui aliter vix subueniri potest. Dixi etiam, quæ in festo fieri debent: nam coquere hostias, ornare templorum parietes non licet in die festo, cùm fieri possunt ante festum; secùs, quando non ita fieri poterunt: quamuis quocumque modò ista facere, etiam cùm ante fieri potuissent, ex se non sit mortale peccatum.

Secundus casus est, ob necessitatem. Est autem multiplex necessitas.

Prima corporalis propria. Ob hanc enim licet operari. Vnde, licet pauperi, qui aliter non potest ali, nisi manuum labore diurno, etiam in festo laborare secretè ratione scandali, dum tamen sacrum audiat prius. Altera necessitas est corporalis proximi, putà, infirmitas, ratione cuius licet omnia opera ad hanc necessaria admouere. Vnde, excusantur medici, tonsores pharmacopolæ, & alij suam ad hoc operam exhibentes: Excusantur etiam notarij testamenta conficientes: Est etiam necessitas proximi, corporalis victus; ratione cui° excusantur qui carnes vendunt, occidunt animalia, & vendunt necessaria illis diebus festiuis ad victum.

Tertia necessitas est rei propriæ, vel proximi. Vnde, licet, ne damnum aliquod homo patiatur in re, operari in die festo, cùm probabiliter pateretur damnum, nisi illa opera fierent. Vnde, licet in tempore messis metere, & tempore autumni se-

rere, cùm timetur periculum aliquod temporis non opportuni; & ratione huius excusantur operarij, quorum opera intermitti non possunt absque damno : vt, qui vitrum fundunt, & qui nauigant, & similes.

Quarta est, ad euitandum damnum corporis. Vnde, tempore belli aggeres necessarios struere, muros ædificare, & similia.

Quinta necessitas est, cùm perditur occasio magni lucri, vt in piscatione alecum, & thynnorum, qui nonnisi certis diebus veniunt, tunc licet piscari in die festo, & licèt de feriis.

Sexta est vis, seu violentia: vt, cùm famuli, vel serui, laborare in die festo coguntur à dominis. Nauarr. c. 13. nu. 7. quod intellige de obligatis ad seruiendum, dummodò non coguntur à dominis in fidei contemptum: tunc enim mors potius est obeunda. In his omnibus necessitas excusat.

Tertius casus est pietas, in bonum, & vtilitatem proximi indigentis. Vnde, licet sepelire mortuos. Licet etiam progenies laborare, dummodò in graui necessitate sit, aliàs non. Vnde, dicit Caietanus, non licere vias sternere publicas pro viatoribus, aut pontes erigere, nisi vrgeat necessitas, cùm alio tempore fieri possunt.

Quartus est, bonum Reipublicę, vnde, licet istis viatoribus publicis, in Reipublicæ vtilitatem, iter conficere. Licet etiam in publicis solennitatibus præparare vias, & construere loca pro spectaculis, quando non possunt fieri nisi in ipso festo.

Quintus casus est, Pontificis, aut Episcopi licentia expressa, cùm id concedit; aut virtualis, cùm aliqua opera videt, & dissimulat. In his casibus licet in festo operari, extra quos non licet, sed seruanda sunt modo prædicto.

(.·.)

Laus Deo. Finis libri Quarti.

INSTRVCTIONIS SACERDOTVM,

LIBER V.

De quarto præcepto Decalogi, Honora parentes.

CAPVT I.

ABSOLVTIS præceptis primæ tabulæ, quę ad Dei honorem pertinebant, nunc de præceptis secundæ tabulæ tractare oportet: vndę meritò hunc librum, maioris distinctionis gratia, separauimus. Hæc autem pertinent ad dilectionem proximi, sicut illa primæ tabulæ ad dilectionem Dei pertinebant. Inter hæc, primum, quod ordine quartum est, ponitur præceptum honorādi patrem, & matrem, quod habetur Exodi 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* In cuius explicatione duo perpendenda sunt. Alterum est, qui vocentur hic pater, & mater. Alterum, quomdo sint pater, & mater honorandi.

Circa primum, vt benè aduertit Concil. Coloni. & Doctores in explicatione huius, quatuor genera personarum sub his nominibus comprehenduntur, saltem sub patris nomine. Primum est parentum, qui nos secundum carnem genuerunt. Alterum est superiorum potestatem spiritualem habentium, vt sunt Episcopi, Curati, Pastores. Tertium est, potestatem secularem habentium, quales sunt Reges, Principes, Duces, Domini. Quartum est aliorum, qui aliquam supra nos potestatem habent, quales sunt Magistri, tutores, & alij huiusmodi: omnes isti sub hoc præcepto includuntur; quamuis primum locum obtineant patres primo modo considerati: ordine tamen suo de omnibus oportet dicere, non solùm quomodo inferiores erga superiores, sed etiam superiores

erga minores se habere debeant, quodque sit singulorum officium.

Circa secundum, aduerrendum, omnia Decalogi præcepta esse fundata in iustitia. Est enim iustitia quædam virtus, qua reddimus cuique, quod suum est: huius quatuor sunt partes. Prima est, qua Deo reddimus, quod suum est, illique debemus; & hæc dicitur Religio. Hæc enim nos inclinat, vt Deo exhibeamus debitum cultum, & honorem. In qua virtute, tria præcepta primæ tabulæ fundantur. Altera est, qua parentibus secundum carnem impendimus, quod eis hoc titulo debemus; & hæc dicitur pietas: & hæc in isto præcepto fundatur. Tertia est, qua alijs superioribus exhibemus ea, quę ratione superioritatis debemus; & hæc dicitur obseruantia: & ista etiam isto præcepto continetur. Quarta est, qua alijs proximis generaliter impendimus ea, quæ debemus, & hæc dicitur propriè iustitia: & hæc alijs sequentibus sex mandatis comprehenditur: est igitur hoc præceptum pietatis, & obseruantiæ. Oportet ergo incipere à pietate, quæ erga parentes secundum carnem versatur.

Filij tria tenentur exhibere parentibus (& in his honor, ad quem obligantur, consistit) puta amorem, obedientiam, & reuerentiam.

Circa amorem aduerte, obligari filios erga patrem, & matrem ad amorem internum; adeo vt, qui odio habet patrē, vel matrem, desiderando eis aliquod notabile malum deliberatè, siue malum animę, siue corporis, mortaliter peccet, & grauius quam si istud odium esset erga alterum; adeò vt teneatur in confessione istam circumstantiam exprimere, vt tenet Nauarra. ca. 14. num. 11 sicut, qui patrem occideret, teneretur exprimere circumstantiam.

Rursus secundò, non sufficit amor internus, sed debet esse signo exteriori aliquādo manifestus, adeo vt, qui exteriùs durè & asperè tractat patrem, ipsumque contristat, si id sæpè faciat, aut multo tempore, mortaliter peccet, iuxta Alexa. p. 3. q. 33. & Sylu. verb. filius, §. 25.

Rursus tertiò, tenentur necessitati patris spirituali, in quantum possunt, subuenire: vnde, qui in mortis articulo nō curāt, vt pater cōfiteatur, vt faciat testamentū, imò arcent illum a testameto, ne rei aliquid imminuatur, peccant mortaliter.

Ad hanc necessitatem spiritualem reducitur, post mortem pia opera testamētis patrum ordinata implere, cum primùm

fieri

ri potest;eaq; differre,absque iusta causa & graui, est peccatum mortale.

Rursus quartò, tenentur etiam corporalibus necessitatibus,inquantum possunt,subuenire:vt,si infirmi sint,visitare, & attendere si quid desit,quod præstare possint; si in carcere detinentur,adhibere operam quantum possunt,vt liberentur; si mentè capti sunt,vt eis debitè prouideatur.

Rursus quintò,tenentur eis in paupertate subuenire, cùm possunt,aut in vitæ periculo. In cuius gratiam aduerte,necessitatem posse duplicem esse,aut extremam vitæ, vt si pater Ver.gra. esset adeò pauper,& impotens, vt nec haberet victũ, nec posset conquirere,aut si esset morti obnoxius, nisi summam pecuniæ daret,quam nec habet,nec est,qui det: Altera necessitas non est extrema,sed multùm grauis.Vtraq; obligat filium,vt,si possit,succurrat:adeò autem obligat, vt,si filius qui possit iuuare patrem,ipsum relinquat, iingrediaturq; Religionem mortaliter peccet, vt tenet S,Thom.2.2.q.101.art.4. ad quartum:obligatur enim succurrere,& non intrare. Si verò iam est professus,aliqui putant in vtraq; necessitate teneri egredi,at verò Caietan.loco allegato: 2.2.& Nauar.cap.14.nu. 14.dicunt non teneri,nisi in extrema necessitate; in graui autem non licet:huic consentit S.Thomas. Addit Nauarr. nisi cùm intrauit Relligionem,pater erat in illa graui necessitate; nam tunc tenetur egredi, quia iniustè intrauit. Conueniunt autem isti in omni casu posse egredi,petita tamen priùs facultate,licet non obtenta a superiore. Ista intelliguntur iuxta Alex.p.3.q.33.annot.2.m.4. quando non est necessitas spiritualis filij:nam tunc non tenentur,cùm peccati mortalis graui periculo necessitati illius corporali subuenire, Vide quanta sit obligatio filiorum.

Rursus est tanta, vt in necessitate extrema filiorum & patris, filius teneatur potiùs subuenire patri quàm filijs; vt tenet Sylu.verb.filius.§.26.& S.Thom.2.2.q.26.ar.9.ad 3. Nam in necessitate maior est obligatio ad patrem quàm ad filium, licet nõ extra extremam. Aliqui contrarium putant, & vtrũq; probabile est. Probabilius est primum.Hoc igitur modo exhibendus est amor patri.

Est etiam obedientia exhibenda: hæc autem est quantum ad multa.

Primò tenetur filius obedire patri in his, quæ ad gubernationem domus pertinent; & non obedire in his,cùm res est

grauis,& maximè si ex contemptu & animi obstinatione faciat,peccatum est mortale.

Rursus,secundò tenetur obedire in his quæ ad bonos mores pertinent. Non igitur acquiescere præceptis patris circa mores,conantis filios à peccato mortali, vel horum occasionibus arcere,est peccatum mortale,cùm præsertim periculum adest.

Rursus, ducere vxorem indignam contra voluntatem patris,peccatum mortale est;secus,si sit digna, non est mortale, nisi cùm multum refert patri aliam ducere. Cùm inimicitiæ paternæ componuntur ex matrimonio, si filius nolit ducere vxorem,quam dat pater,si digna sit,est mortale, licet ducat aliam dignam. Aduertendum tamen, quòd in rebus iniustis & malis non tenentur filij obedire parentibus: & in his intelligitur illud, *Qui non negauerit patrem suum, non est me dignus.* Nec tenetur obedire, quando est extra patris potestatem, vt in statu Religionis. D. Thom. 2.2.q 101.art.4.

Est etiam reuerentia exhibenda parentibus.

Primò, qui percutit patrem, vel minatur iniuriosè, mortaliter peccat Exod.2. reus erat propter hoc mortis. Secundò, qui maledicit patri ex deliberatione, mortaliter peccat, & qui etiam verba in eũ profert, quæ ex se sunt prouocatiua in magnam iram: secùs, si verba ex se non sunt talia, sed quia pater est extra modum cholericus, tunc non est mortale.

Rursus, qui dedignatur patrem, quia ipse in dignitate est, pater verò in paupertate, peccat mortaliter: eũ tamen aliquod damnum filio obueniret notabile in vita, vel in honore, vel pecunia, si pater eius nosceretur, non esset mortale negare patrem, dummodò in animo non neget patrem, & subueniat in necessarijs.

Rursus, accusando patrem coram iudice in criminali foro peccat mortaliter; nec auditur filius. Non enim filius accusator debet esse criminis paterni. Licet tamen coram iudice petere alimenta, quando ei iniustè à patre negantur, vt dicit Syl. verb. filius. §. 28. in duobus casibus filius debet accusare patrem, vt: in crimine læsæ maiestatis, & in crimine hæresis. At Alex. 3. p. q. 33 dicit, quòd non in omni hæresi, nisi quando est pernitiosa, quòd alios infecit, si tamen secreta sit, & solum ipsi patri nociua, non tenetur. Hæc sunt igitur, ad quæ filij tenentur erga parentes.

At parentes erga filios ad tria tenentur.

Primò

Primò subuenire in corporalibus: debent enim non negare alimenta, nisi aliquando ad tempus, in pœnam alicuius peccati grauis, & dum non incurrat filius notabile detrimentum. Hinc fit, vt exponere filios in templis extra necessitatem sit mortale. Similiter, non subuenire in alijs necessitatibus corporis.

Secundò, subuenire in spiritualibus: Debent enim attẽdere, vt filij bonos imbibant mores; vt seruent præcepta Dei; vt abstineant à malis; non permittere esse sibi inobedientes, superbos, ociosos.

Tertiò, tenentur nõ retrahere à bono statu: vnde qui filium à Religione extrahit, mortaliter peccat; &, qui volentẽ ingredi sine iusta causa impedit; similiter qui coercet à bonis, à confessione, à concione.

Rursus, tenentur non cogere ad statum aliquem: Vnde patentes, qui inuitos filios aut filias matrimonio iungunt, peccant grauissimè: tùm etiam, qui inuitas filias in monasteriũ trahunt, ibiq; profiteri compellunt. Circa quod vide Concil. Trid. sess. 25. c. 17. & 18. Hæc sunt, quæ circa patres & filios præcipuè sunt aduertenda.

De obligatione viri, & vxoris.

CAPVT II.

NOn solùm est obligatio patrum, & matrum in ordine ad filios, sed etiam inter virum & mulierem.

Vir tenetur primò non impedire absq; causa legitima, vxorem suam ab impletione diuinorum præceptorum, vt ab audiendo sacrum in diebus festis, à confessione & communione tempore Paschatis, & ab alijs præceptis. Atque impedire absque legitima causa, peccatum est mortale. Ab alijs autem, quæ ex deuotione sunt, vt audire sacrum diebus profestis, confiteri alijs temporibus, impedire, non esset mortale; est tamen veniale, si sine causa rationabili fiat, cùm deuotiones moderatæ sunt. Et aliquando esset mortale, cùm vxori multum conuenit confessio, aut communio, idque viro constat.

Secundò, tenetur eam non percutere grauiter, dico grauiter, quia non semper est peccatum mortale percutere, cùm sit inferior viro, possitque ob culpam castigari ab eo; tamen

extra

extra modum percutere, non habita ratione personæ, & conditionis illius, quia vxor, non serua est, peccatum est.

Tertiò, tenetur non afficere iniuria, animo afficiendi iniuria: quamuis enim aliquando liceat verbum iniuriæ dicere ob correctionem, tamen animo iniuriandi est peccatum, & iuxta iniuriæ quantitatem peccati grauitas pensanda est.

Quartò, tenetur attendere domus gubernationi, quantum ad rem, & mores. Si enim quis bonorum dissipator est, nec vult laborare, cùm labor illius necessarius est pro vxore & domus sustentatione, peccat. Similiter cùm peccare vxori permittit, nec ipsam, vt potest, corrigit. Ipsi enim incumbit morosa solicitudo, quia caput est.

Quintò, tenetur cohabitare cum illa. Nolle enim cohabitare absq; causa multo tempore, peccatum est graue, dico absq; causa: aliquando enim causa est legitima ad tempus non cohabitandi; vt, cùm negotia aliquot in domus vtilitatem tractat, vel cũ ad tẽpus exulat, vel cùm inimicitias habet, quas sperat cõponendas breui. Dico, ad tẽpus, quia, cũ spes reditus abiuta est, tenetur, si, potest, vxorem extrahere ab illo loco, vt secum cohabitet.

Vxor etiam ad aliqua tenetur ergo virum suum.

Primò, obedire in his, quæ ad bonos mores, & domus gubernationem spectant: est enim vir caput, cuius est vtrumque dirigere. Velle autem, viro spreto, gubernare, mortale est.

Secundò, si cùm morosa sit, & rixosa, cognoscat ex co viri sæpè in blasphemiam prorumpere, tenetur in quantum potest mutare se, & non dare similes viro occasiones; aliter mortale esset, velle sic perseuerare.

Tertiò, tenetur sequi virum suum ad cohabitandum in loco, in quem ipse vult eam ducere. Sunt tamen aliquot casus in quibus non tenetur sequi virum.

Primus casus, si ex tali mutatione illi immineret vitæ discrimen: non enim cum suæ vitæ probabili discrimine tenetur ipsum sequi.

Secundus est, si imminet periculum peccati mortalis.

Tertius, si vir vagabundus est, nec in eodem permanet loco; dummodo non fuerit talis, cùm ei nupsit: si enim tali nupsit viro, tenetur ipsum sequi: si verò post matrimonium factus est, non tenetur sequi.

Quartus casus est, si in matrimonio interceſſit pactum non mutandi locum, tunc non tenetur ipsum sequi, volentem lo-

cum

um mutare: quod solùm veritatem habet cùm necessitas non rget virum. Interueniente necessitate, vt vir locum mutet, redo, etiam stante pacto, teneri.

De Episcopo.

CAPVT III.

SEcundum locum inter patres tenent hi, qui in dignitate Ecclesiastica sunt constituti. Horum autem primi sunt Episcopi, de quibus aliquid dicendum est. Episcopus, nomẽ est Græcum; idem Latinè significat, quòd speculator superintendens: est enim officium eius, attendere gregi, & hominibus, qui sub eo sunt; studere spirituali eorum saluti. Multa sunt in quibus peccare contingit erga Episcopatum, quæ ad quatuor capita redigi possunt. Quædam enim committuntur ante Episcoparus collationem, quædam in collatione ipsa, quædam ante consecrationem & post collationem quædam, postquam iam Episcopus consecratus est.

Ante collationem Episcopatus homo dupliciter peccare potest in appetendo & procurando Episcopatum. In declaratione peccatorum, quæ in hoc appetendo committi possunt, aduerte tria in Episcopatu posse cõsiderari. Primum est ipsius officium, in quod omnia ordinantur, hoc autem est antecedere, & prodesse vniuerso gregi. Alterum est ipsa prælatura & gradus, qui est perfectior monachatu, vide S. Tho. 2.2.q 185. & 8.q.1 cap. qui Episcopatum. Tertium est, redditus temporalis, & honor, qui Episcopo exhibentur.

Sunt igitur istæ regulæ.

Prima est. Qui existens indignus Episcopatu, & insufficiens appetit (appetitu deliberato) ipsum habere, nec cogitat se dignum exhibere, mortaliter peccat, quia appetit id, quod habere mortale est, Idem dicendum de quocumq; beneficio & dignitate Ecclesiastica.

Secunda Quamuis se dignum probabiliter credat, si tamen appetit Episcopatum, ita vt paratus sit, si posset, etiam via iniqua, & per peccati mortalis commissionem habere, mortaliter peccat, hoc etiam de alijs dicendum est.

Tertia. Qui appetit Episcopatum (quamuis dignus) propter redditus temporales, tamquam finem, mortaliter peccat, secundum Sylu. verb. Episcopus. §. 4. quia est cupiditas pericu-

losa, & bono communi repugnans. Dixi tamen tamquam finem, quia moueri ad appetendum Episcopatum à redditibus, non est mortale, dum non faciat homo ipsos finem; sicut aliquis potest licitè moueri ad amandum Deum à retributione, quam sperat, licèt non amet propter eam vt finem.

Quarta. Idem est dicendum de eo, qui Episcopatum propter honores appetit vt finem: est enim ambitio nimis bono communi repugnans, vt tenet idem Sylu.

Quinta. Qui appetit Episcopatum propter gradum præcipuè, peccat, vt dicit S. Tho. 2. 2. q 185. ar. 1. peccato præsumptionis, quia cùm sit altus status, & perfectionis, præsumptuosum est, hominem appetere talem gradum: licèt licitum esset appetere, vt Deus ei tantam perfectionem daret, vt tali gradu dignus esset. Illo tamen modo appetere, credo non esse mortale, sed veniale; quia non inest tanta peruersio, quanta est in appetitu propter honores & redditus.

Sexta. Qui appetit Episcopatum propter officium, vt aliis prosit, ex se quidem non peccat, quia licitè potest id aliquando fieri; tamen peccatum est, nisi fiat cum necessitate, puta, quando non est, qui dignè Episcopatum talem habeat, vel cũ reuelatione aliqua, vel Spiritus sancti inspiratione. Hæc S. Thom. loco allegato: & ratio est, quia illud, prodesse alijs est coniunctum cum præesse, quod est difficile, vnde videtur esse præsumptio tale appetere officium. Puto tamen, quòd, qui solùm propter vtilitatem aliorum moueretur ad desiderandum non peccaret, licèt periculosum sit, quia facilè moueri potest appetitus præsidendi & honorandi ab alijs. Hæc sunt circa appetitum, nec est ista doctrina contra illud, ad Timoth. 3. qui *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: nam Paulus non dicit, benè desiderare semper, qui Episcopatum desiderat, sed bonum opus desiderare; quod statim explicat, narrans perfectionem Episcopi. Potest autem bonum non benè aliquando desiderari in procurando Episcopatum, & committi potest peccatum. Sylu. verb. Episcopus, putat in quocumq; casu, etiam in necessitate, peccatum esse procurare; sed ego non credo puto enim licere, cùm necessitas vrget: in quo casu dicit S. Tho. licitum esse appetere. His modis coutingit peccare ante Episcopatus collationem.

In ipsa collatione tripliciter potest esse peccatum.

Primò, si, cùm ineptus sit, Episcopatum recipit. Verbi gratia: si ignorans sit: si peccator est publicus, nec se emendare

intendit: si inutilis & ineptus gubernationi; non enim potest recipere, quod non potest retinere.

Secundò ex parte ipsius collationis, si per simoniam fit, si per intrusionem, si per fraudem: est autem fraus, dissimulare id, quod exprimendum est, quia necessarium est in Episcopatu. Hæc autem habentur in Concil. Trid. sess. 22. cap. 2. de reformatione: est necessaria ætas, vita bona, ordo sacer, ad minus subdiaconatus per sex menses antè susceptus, & doctrina: hæc autem debet esse notabilis, vt sit doctor, vel licentiatus in Theologia, vel in iure Canonico, ab vniuersitate aliqua meritus approbatus, aut à tali vniuersitate testimonium huius doctrinæ habens. Qui autem aliquid horum fingit, peccat grauiter.

Tertiò, etiam contingit peccatum in recusando finaliter Episcopatum. Cùm enim ex obedientia Papa obligat aliquem, vt suscipiat Episcopatum, non potest absque peccato finaliter recusare, sed debet acceptare: &, si habet impedimentum, quod ipsemet potest auferre, vt, si peccator est, tenetur auferre, vt dicit S. Thom. loco citato: si autem est impedimentum, quod Papa potest, debet manifestare: si neuter potest auferre, putà, quia est ignatus vel inutilis, prorsus non debet acceptare, nec hoc licitè potest Papa præcipere. Tenetur etiam acceptare, cùm necessitas vrget boni Episcopi, quamuis sine præcepto ei offeratur: hæc autem sunt in collatione.

Post collationem verò, ad vnum obligatur Episcopus, ex Concil. Trid. sess 23. c. 2. de reformatione, vt intra tres menses proximos suscipiat consecrationem, quam nisi susceperit, omnes redditus pro rata illius temporis restituere tenetur. Quòd si intra tres alios non susceperit, ipso iure sit Episcopa- priuatus. Hic tamen non credo obligari Episcopum ad mortale, nisi contemptus adsit, sed ad solam pœnam. Si quis men multo tempore consecrationem non suscipiat, cùm alit, non excusatur à mortali, cùm suscipiat redditus, non exercens officium, pro quo ipsi dantur. Hic canon comprehendit etiam Cardinales Episcopos.

De Episcopo post Consecrationem.

CAPVT IV.

POstquam iam Episcopus constitutus est, & consecratus, vt suum possit exercere munus, ad multa tenetur.

Quorum primum est, in propria Ecclesia personaliter residere: in cuius gratiam declarandum est caput primũ Concil. Trid. sess. 13. de residentia, in quo tria continentur. Primũ est peccatum nolentium residere. Secundum est, pœna tali peccato imposita. Tertium est, causæ, propter quas potest ad tempus non residere in Ecclesia propria.

In primis peccatum est nimis graue mortale, non residere in Ecclesia propria absq; causa. siue enim residentia sit de iure diuino, siue humano, quod nos non intendimus modò definire, omnes conueniunt esse mortale, & magnæ damnationis. Per Episcopos hic intelligere oportet, non tantùm Episcopos, sed Archiepiscopos, Patriarchas, & superiores, etiam Cardinales Episcopos.

Pœna autem à Concilio imposita est, vt totò tempore, quo non residerint, oẽs integros redditus pro rata perdant, sintq; reddendi, vel Ecclesiæ fabricæ, vel pauperibus, & absq; vlla alia declaratione vel sententia, sed ipso facto teneantur in conscientia ipsos reddere.

Circa autem causas non residendi, aduerte esse duplicem absentiam.

Altera, quæ ad modicum sit tempus, & reputatur pro non absentia, & hanc permittit Concilium cum quatuor conditionibus.

Prima est, vt sit rationabilis aliqua causa absentiæ; vt grauis est recuperandæ valetudinis gratia, vel conseruandæ, vel excipiendi aliquem magnatem, vel alicuius negotij causa, vel quid simile. Nulla enim rationabili causa existente, nulla permittitur absentia.

Secunda est, vt inde non patiatur grex detrimentum: debet enim prouidere, vt talis absentia detrimenti non sit causa omnibus.

Tertia est, vt ipsa absentia sit, ad summum, duorum, aut trium mensium, siue continuè fiat, siue interpolatè: omnes enim absentiæ, si multæ fiant, simul sumptæ, non debent tale spatium excedere.

Quar-

Quarta, vt, quantum fieri potest, ista absentia non sit temporibus Aduentus, Natiuitatis, Quadragesimæ, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi : his enim temporibus oues maximè delectantur præsentia pastoris.

Altera absentia est longa, quæ verò pro absentia reputatur quæ fit per annum, aut duos vel tres, vel plures; etiam quæ fit, per plures tribus prædictis mensibus.

Talis absentia debet fieri tribus conditionibus existentibus.

Prima est, vt sit cum aliqua harum quinq; causarum, quæ sunt, Christiana Charitas; vrgens necessitas, euidens reipubl. vtilitas, euidens etiam Ecclesiæ vtilitas & debita obedientia.

Secunda, vt talis causa approbetur priùs Papa, vel à Metropolitano, & hoc deficiente Suffraganeo seniore residente: & talis approbatio in scripto contineatur, nisi sit causa publicè manifesta, qualis est Ecclesiæ vel Reipublicæ euidens vtilitas.

Tertia est, vt in tali absentia maximè prouideat, vt Ecclesia ex ea nullum detrimentum patiatur. His omnibus stantibus, absentia licita erit, licèt longa sit. Superest nunc causas illas quinq; declarare.

Per Christianam Charitatem oportet intelligere proximorum vtilitatem : cùm enim proximus laborat, potest, vt illi succurratur, aliqua fieri absentia. Verbi gratia, est Ecclesia aliqua, quæ versatur in periculo hæresis magno; potestq; multum Episcopus alterius diœcesis eis prodesse sua prædicatione, tunc, relicta propria potest ad tempus in aliena morari ob proximorum vtilitatem. Tamen ista causa intelligenda est, dum in propria non sequatur notabile detrimentum spirituale: tunc enim abesse non potest, sed propriæ attendere debet, licèt minùs indigeat : potest etiam ob paces magnatum componendas abesse; sed semper intelligenda est causa hæc: dum non sit maius detrimentum; aut minus, sed notabile, quod sequetur in propria Ecclesia: tunc enim relinquere eam, contra Charitatis ordinẽ, quod plus sibi quàm alteri quis petat.

Altera causa est vrgens necessitas, cùm nimirum periculum imminet Episcopo vitæ, nisi discedat ab Ecclesia, vel ob infirmitatem, vel ob persecutionem alicuius tyranni, vel aliqua simili causa : tunc enim potest ad tempus recedere, dummodò inde non sequatur spirituale detrimentum gregis: tunc enim

debet mortem appetere potiùs: in hoc enim casu illud verificatur, *Bonus Pastor ponit animam suam pro ouibus suis.* Cum igitur tyrannus, vel hæreticus nocere ouibus studet spiritualibus, potiùs debet pastor mori, quàm oues deserere.

Tertia causa est, euidens reipublicæ vtilitas: in vtilitatem enim totius Regni, vel Prouinciæ temporalem potest enim Episcopus abesse: Debet tamen ista causa esse cum necessitate: cùm enim aliter quàm per Episcopum potest id fieri, non debet Episcopus abesse: vnde isti Episcopi, qui curâ rerũ secularium regni gerunt, cùm id ex necessitate fit, licitè abesse possunt: cùm verò extra necessitatem, quia æquè per non Episcopos fieri res potest, non videntur excusari. Debet autem ista vtilitas esse euidens; nam cùm non ita nota est melius est, vt Episcopus maneat in sua Ecclesia, immò manere tenetur.

Quarta causa est, euidens Ecclesiæ vtilitas: cùm enim propria indiget Episcopi absentia, ad aliquid pro ea procurandũ, abesse potest. Similiter in vtilitatem vniuersalis Ecclesiæ, vt cùm Concilium generale, vel prouinciale congregatur. Semiliter cùm legatione aliqua fungitur in beneficium totius Ecclesiæ, quæ non ita benè, nisi per Episcopum fieri potest: cùm enim aliter potest, non licet abesse.

Vltima causa est, debita obedientia: cùm enim Papa imponit aliquod negotium Episcopo, quod requirit ad tempus absentiam, abesse potest. Sed attende, quòd non sufficit obedientia tantum, sed debita, quia cum absq; causa rationabili aliquid præcipitur, non debemus audire, nec Papa pro solo libito excusat à præsentia suæ Ecclesiæ Episcopum, nisi cum necessitate aliqua. Maximè igitur causa attendenda est, ne sit inferioris momenti, quàm vtilitas propriæ Ecclesiæ, & sit cum necessitate aliqua. Hæ sunt causæ, ob quas Episcopus potest ad tempus non residere, sine quibus abesse, vti diximus, mortale est peccatum: cuius grauitas ex quibusdam malis, quę sequuntur, percipi potest. Sunt enim seculares irreuerentes, Clerici irreligiosi, perit doctrinæ puritas, & pauperes nimis patiuntur, & multa alia sequuntur incommoda. Hoc igitur primum est, ad quod Episcopus tenetur.

Secundò, tenetur ordines per se ipsum conferre, vt habetur eadem sess. cap. 3. Quòd si aliquo legitimo impedimento detentus non potest, mittat suos, probatos & examinatos prius ad alium Episcopum. Adde etiam, quod tenetur Confirma-

tionis

tionis sacramentum adhibere, quod non nisi per Episcopum administrari potest: in quo mirabilis est abusus: multi enim sunt senes non cõfirmati, defectu Episcopi non ministrantis. Debet etiam singulis annis chrisma conficere vt baptizandis nouum detur: vt habetur de consecr. dist 4. c. omni tempore. Hæc igitur, quæ non nisi per Episcopum ministrari debent, tenetur sedulò & diligenter, pro necessitate exhibere.

Tertiò tenetur ordines non nisi dignis conferre: vnde, admittere ignorantes, & homines malæ vitæ ad sacros ordines, nullãq; it hoc, aut paruam facere diligentiam, & examẽ, mortale peccatum est. Rursus non sunt admittendi, qui nullam victus rationem habent ad sacros ordines; &, si Episcopus admittat, tenetur ipsis alimenta præstare.

Quartò, tenetur beneficia conferre dignis, & ijs, qui tale possint beneficium exercere: est autem sufficientia maior vel minor, pro beneficiorum qualitate petenda: Nam maius est officium Curati, quam simplicis. Qui autem relicto digno, confert indigno, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem secundum omnes. Ista autem restitutio est Ecclesiæ illi facienda, cuius est beneficium, vt tenet Sylu. verb. restitutio. 3. §. 5. & Sot. lib. 4. de iust. & iur. q. 6. ar. 3. contra Caiet. qui dixit esse digno faciendam. Non solùm autem est digno conferendũ beneficium, sed digniori: si enim relicto digniori, conferat digno, mortaliter peccat Episcopus (non tamen tenetur ad restitutionem vllam) dum tamen sit apertè dignior, & in notabili excessu. Cùm enim res est dubia, vel excessus est paruus, vel probabiliter tantum maior ab aliquo speratur futurus excessus, non esset mortale, non digniori conferre.

Quintò, tenetur cõcionari, & seminare verbum Dei per se, vt habet Concilium Tridentinum sess. 5. cap. 1. nisi legitimo detentus impedimento sit. Tunc tamen debet prouidere sufficientes homines, viros doctos & probatos, ac sanæ doctrinæ, qui id faciant; debetq; attendere, ne mala seminetur doctrina, hæreticos, qui seminant, a prædicatione coercere & expellere, quicunq; illi fuerint.

Sextò, tenetur singulis annis synodum diœcesanam facere, in qua prouideatur de rebus ad statum suæ Ecclesiæ pertinentibus. Hoc autem fuit ius antiquum, dist. 8. per multa capita, & renouatum est in Concil. Trid sess. 24, cap. 2. de reformatione, vbi etiam præcipitur Metropolitanis, singulis triennijs

Concilium prouinciale congregare, in quo omnes Episcopi, qui sub eis sunt, conueniant. Sunt enim aliquot causæ graues, vel totius Ecclesiæ, vel totius prouinciæ, vel alicuius Ecclesiæ, quæ non possunt facilè, nisi in tali congregatione disponi.

Septimò, tenetur singulis annis visitare suum Episcopatū, qui si non potest totum, saltem maiorem partem, ita vt brevi totum visitetur: si autem iustè impeditus fuerit, id faciat per Vicarium. Fuit autem ius antiquum. 10. q. 1. cap. relatum, cap. Episcopum, sed renouatum in Conc. Trid. ead. sess. cap. 3. in quo rationes, propter quas ista visitatio facienda est, ponuntur quinq; scilicet rectam, & orthodoxam doctrinam, expulsis erroribus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populos exhortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamq; accendere, omnia ad fidelium vtilitatem constituere. Quòd si omnia rectè se habere inuenerit, Deo gratias agat, vt habetur. 10. q. 1 cap. placuit.

Octauò, tenetur bonos ministros constituere, tam in foro interiori quàm exteriori, & in hoc deficere ex negligētia culpa aut malitia, mortale est & graue. Hoc autem imponitur Episcopis in d. 89. cap. decenter, ne consanguineis tradant officia Ecclesiastica, & oppositum facere, mortale est: quod intelligitur, quando scandalum sequeretur, aut insufficientes sunt. His cessantibus posset eis ista committere; quamuis, si alij sufficientes essent, securius esset in æquali causa committere nō consanguineis.

Nonò, tenetur mores populi diligenter considerare, & super populum vigilare, & peccata publica, vt adulteria, lusus & alearum, & similia prohibēdo; &, si opus est, castigando; & maximè peccata clericorum animaduertendo. Videre autē & permittere, horrendum est peccatum: nec excusatur Episcopus, si non sciat, nisi omnem adhibuerit diligentiam & inquisitionē ad hoc: hoc enim ad eius officium nimis spectat.

Decimò, tenetur esse vitæ irreprehensibilis, vt habetur 1. ad Timoth. 3. vt nullum peccatum publicum committat, quòd alijs possit esse malo exemplo aut scandalo: vnde, si quis concubinarius esset (quod absit) vltra grauissimum peccatum fornicationis, mortaliter peccaret, & ratione scandali & malè exempli totiesq; peccaret, quoties esset scandalo subditis. Nec satis est ei, etiam non peccare, sed debet exemplar esse virtutis subditis suis: est enim *Ciuitas supra montem posita*; & est lux quæ

sic de-

sic debet lucere, vt subditi *videant opera eius bona, & glorificent Deum Patrem qui in cœlis est.*

Vndecimò, tenetur eleemosynas facere. Vt autem intelligas quomodo ad hoc teneatur, aduerte, bona, seu redditus Episcopi posse esse duplicia. Quædam sunt, quæ titulo aliquo sæculari habet, vel hæreditario iure à parentibus, vel donatione aliqua vel aliqua alia causa. Quædam sunt iure Ecclesiastico habita. Aduerte rursus, in Ecclesia primitiua, vsq; ad tempora Augustini, & Hieronymi, Episcopum & Clerum solitos viuere in communi: vnde, bona, quæ vel ex decimis, vel ex fidelium deuotione offerebantur, erant indiuisa, & subdebātur distributioni Episcopi, quæ partim ipsi, partim Clero, partim fabricæ, partim pauperibus obueniebant. Postea verò, quando quisq; per se vixit, talia bona diuisa sunt in quatuor partes: prima Episcopo seruata, secunda Clero, tertia fabricæ, quarta pauperibus, & sic in omnibus ferè locis manet ista diuisio.

Hoc supposito: dico primò de bonis iure sæculari habitis, non magis tenetur Episcopus facere eleemosynas, quā princeps alius aut dominus sæcularis: peccat autem, aut auaritia, aut prodigalitate, sicut alij; potestq; vti in quouis vsu absq; restitutionis obligatione.

Dico secundò, si alicubi ista diuisio bonorum Ecclesiasticorum non est facta, tenetur Episcopus nihil subtrahere Clero, pauperibus, aut fabricæ: bona enim talia retinere, & sibi vsurpare non solum mortale est, sed etiam ad restitutionem obligat, & in hoc omnes conueniunt.

Dico tertiò, vbi iam diuisio est facta, Episcopus, subtractis his, quæ ad decentem victum & vestitum, & domus ornatum pertinent, & subtractis his etiam, quæ gratia pietatis & charitatis potest in alios consanguineos indigentes, aut famulos distribuere, tenetur residuum dare pauperibus sub mortali: & in hoc omnes conueniunt; quamuis sint discordiæ. Quidam enim dicunt teneri ad restitutionem, quia non habet dominium illius portionis pauperum: quidam, non teneri, quia habet ipsum dominium. Credo non teneri cum sancto Tho. 2.2.q.185 quicquid tamen sit, mortale est malè ista expendere. Posset quidem ex his, quæ ad decentem statum pertinēt, subtrahere aliqua, se restringendo, quæ in quosuis vsus possit expendere, aliter non. Qualis autem debeat esse status Episcopi & victus, audi Concil. Carthag. 3. can. 15. in hæc verba:

Episcopus vilem supellectilem, mensam, & victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem, in fide, & vitæ meritis quærat. Qui canon in Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. reformatus est, paruis mutatis verbis. Verba sunt ista Concil. Trid. *Exemplo patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solùm iubet, vt Episcopi molesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint. verùm etiam, in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat.* Hæc Concilium. Et attende ibidem interdici, ex Ecclesiasticis bonis consanguineos, fratres, nepotesve augere: hoc enim, nullo modo licere ibi Concilium docet: quamuis possint, si pauperes sint, mediocriter eis prouidere. Et hæc omnia etiam dicta esse vult de Cardinalibus. Ex his fit, vt Episcopi, licet testamentum condendi à Papa habeant facultatem, non possint aliter de bonis his disponere, quam in vita poterant. De quo vide Nauarr. cap. 25. num. 119. Hæc autem omnia de bonis Ecclesiasticis, dicenda sunt de Curatis, & de beneficiatis, & his, qui titulo Ecclesiastico, bonis Ecclesiæ fruuntur.

Duodecimò, tenetur Episcopus, si ex aliqua religione assumptus est ad seruanda statuta religionis: de quo vide S. Thom. loco allegato: tamen cum discrimine ad essentialia vota tenetur. Tenetur ad castitatem: maius enim est vinculum Episcopi, monachi, quàm non monachi in castitate: si enim Papa cum monacho non potest dispensare, nec etiam potest cum Episcopo monacho. Tenetur ad obedientiam, sed hæc commutata est ad Papam: sicut Generalis ordinis, non eximitur ab obedientia, sed commutatur ad Papam. Tenetur ad paupertatem: quamuis enim bona habeat, non dominium, sed vsum habet, vt tenet Syl. ver. monachus: quamuis Soto lib. 10. q. 4. reliq. ad paupertatem non teneri. Tenetur seruare suum habitum, & ad alia, quæ potest cum statu tali seruare; vt, vesci piscibus, si erat. Carthusianus, nisi cum eo dispensetur. Ad ea vero, quæ non possunt esse in tali statu, non tenetur, vt ad solitudinem, multas abstinentia, & claustrum. Aduerte tamen, quod non obligant ista ad mortale, si in religione ipsa, seu monasterio non obligabant; & in casibus, in quibus superior poterat dispensare cum monacho, potest Episcopus sibi dispensare.

Decimotertiò, tenetur Episcopus, si fecit votum religionis simplex, intrare religionem, & deserere Episcopatum, tamen

petita

petita licentia Papæ, quam petere tenetur, vt habet Syl. ver. vo sum. 3. §. 1. ex Palud.

Decimoquartò, tenetur Episcopus discordes vicinos, si potest, in concordiam & pacem redigere, vt habetur. 90. dist. cap. præcipimus.

Tenetur decimoquintò, Notarios conuocare, & petere testamenta, & examinare an impleta sint: si autē non sunt, implere facere: ita habetur cap. si hæredes, de testam.

Decimosextò, non debet leuibus de causis excommunicationem fulminare, Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. sed graui causa ac forma iuris seruata, de qua diximus in materia de excommunicatione.

Decimoseptimò, quando videt se non posse implere munus, sed peccare non implendo, vel præbere graue scandalum, tenetur relinquere Episcopatum, petita licentia. c. nisi cùm pridem, de renunciatione. Multa alia sunt, quæ Episcopus facere tenetur, quæ in præsenti relinquimus, in alio loco & tempore diuino fauore dicenda latiùs. Vtinam ista, quæ diximus, Episcopi facerent, sicut tenentur, sperarem ad pristinam innocentiam in breui Ecclesiam Dei reformandam.

De Curato.

CAPVT V.

DVo erga Curatum, id est, habentem beneficium cum cura animarum, pensanda sunt. Alterum est, in ipsa beneficij collatione, alterum pòst.

In collatione considerandæ sunt ea, quæ in Curato sunt necessaria.

Primò, debet esse legitimus; Qui autem illegitimè natus beneficium habet curatum absq; Papæ dispensatione, nec potest reddit⁹ percipere, nec beneficium retinere. Dico autem, sine Papæ dispensatione: nam in beneficio non curato potest Episcopus dispensare.

Secundò, debet agere annum vigesimumquintum, cap. in nouis, & cap. licet canon, de election. si nondum hunc attigit annum sine dispensatione non potest retinere beneficiū, nec fructus percipere.

Tertiò, debet post collationem beneficij curati, intra annū sacerdos fieri, aliter perdit titulum ipso facto. Quod quidem

intelligendum est de Curato non collegiato. De collegiato enim locum hoc non habet, vt determinatur in cap. statutum, de elect. Potest Episcopus dispensare per septennium, gratia studij, vt habetur cap. cum ex eo. de elect. in 6. dummodò in primo anno fiat subdiaconus.

Quartò, debet habere, cùm suscipit beneficium curatũ, animum clericandi: qui enim non habet, vltra mortale peccatũ, tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum pro toto illo tempore, donec animum mutet. Quod intelligendum est de curato etiam non collegiato, vt habetur in cap. commissa, de elect. De alijs beneficijs alij idem censendum putant; tamen, cùm non sit ius ad hoc obligans, non videtur esse pœna adplianda. Peccaret quidem mortaliter qui animo ducẽdi vxorem, retineret beneficium aliquod, tamen restitutioni non esset obnoxius. Nauar cap. 25. num. 124. & Soto lib. 10. q. 5. ar. 6. & Gabr. 3. d. 15. q. 8. ar. 3. tenet obligari ad restitutionem in omni beneficio, etiam non curato.

Quintò, debet esse idoneus ministerio & officio, quod assumit. Conc. Trid. sess. 7. cap. 3. vnde cui necessaria scientia deest, nec animum habet discendi, vel non cognoscit se aptum ad discendum, vel qui peccator est publicus, nec de emendatione cogitat, peccat mortaliter, suscipiendo beneficium curatum, & peccat, retinendo, nisi mutetur.

Postquàm autem iam constitutus est in beneficio, ex officio suo ad multa tenetur.

Primò, si aliquid ei deest ad officium necessarium, tenetur, inquantum potest, curam adhibere, vt, si ignorans est, discat, quæ necessaria superius diximus; si malæ vitæ, se corrigat; si cognoscit se omninò inhabilem ad id agendum, teneturnunciare, c. nisi cùm pridem, de renunciatione.

Secundò, si duo habet curata, vnum intra sex menses, post Concil. istud Trid. numerandos relinquere, aliter, vtrumque ipso iure vacat. Quando autem curatum est pingue & sufficiens sustentare, peccatum esset, aliud simplex habere; nisi aliquibus causis excusetur, propter quas multa simplicia beneficia potest habere, vt dicemus. Cum verò non sufficit decenter sustentationi, potest aliud simplex habere, cum dispensatione tamẽ Papæ. Duo tamen residentiam exigentia habere non potest iuxta decretum Concilij Tridentini sess. 24. cap. 17. de reformatione. Tenetur etiam Curatus intra duos menses post collationem, & acceptam possessionem, facere professionem fi-

ranibus sui Episcopi, seu eius Vicarij, in qua iure publicè obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vt habetur in Concil. Trid. sess. 24. c. 12.

Tertiò, tenetur residere. Hæc autem residentia est sic intelligenda iuxta Concil. Trident. sess. 23. capit. 1. de reformatione, non potest abesse, aliàs perdit omnes redditus pro tempore absentiæ, vt dictum est de Episcopo. Quando autem abesse potest absque peccato, & pœna, debent conuenire quatuor conditiones.

Prima, vt sit rationabilis causa, qualem diximus de Episcopo.

Secunda, vt sit probata ab Episcopo talis causa, & in scriptis.

Tertiò, vt ad summum absentia sit per duos menses.

Quartò, vt hoc tempore ex redditib. beneficij illius prouideatur alicui, qui benè, & absque defectu suppleat locum alterius.

Rursus quartò, tenetur celebrare singulis diebus pro parochianis, non pro alijs, secundùm Sotum, lib. 9. q. 3. art. 1. Hoc tamen intelligendum est, cum redditus decimarum pingues sunt. Crediderim tamen, sufficere celebrare Dominicis, & diebus festis, & aliquot etiã ex diebus alijs, licèt non omnibus celebret. In hoc tamen multùm consuetudo attendenda, & obseruanda est. Cùm autem impeditus est, debet suis expensis alium substituere, qui pro eo celebret.

Rursus quintò, tenetur populo prædicare, vt habetur Sess. allegata 24. & docere populum doctrinam Christianam, & credenda necessaria, & peccata communia, & generales virtutes: quamuis non sit necessarium prædicare per se, si aliũ constituat, qui prædicet. Hoc autem Dominicis, & festis faciendum est.

Sextò, tenetur ministrare Sacramenta, non solùm tempore obligationis, sed etiam cùm suscipiuntur ex deuotione.

Septimò, tenetur inquirere in parochia sua peccatores publicos, & vitia publica, & corrigere per se, vel Episcopo manifestare, & scire an singuli parochiani confiteantur, & communicent in quadragesima, & audiant sacrum diebus festis.

Octauò, debet infirmos suæ parochiæ visitare, & scire an sacramento indigeant, quia periculosus est morbus, & debet ministrare, ipsosque ad suscipiendum exhortari, & ad faciendum testamenta, & alia Christiana opera. Et in hoc non exe-

qui officium, est grauissimum peccatum mortale. Mori enim continget aliquem, & damnari, qui, si susciperet Sacramentũ, saluus esset.

Tenetur nono, sepelire etiam pauperes suæ parochiæ, licèt nullam inde eleemosynam speret, & illorũ animas Deo commendare. Hæc sunt præcipua, ad quæ Curatus tenetur.

De quinto præcepto, & peccato se occidendi.

CAPVT VI.

QVintum præceptum est, *Non occides*: Erga quod hæc sex tractanda sunt.

Primò, quid sit homicidium.

Secundò, quot sint differentiæ homicidij.

Tertiò, quot modis contingat occidere.

Quartò, quando peccatum sit, & quomodo.

Quintò, quæ circumstantiæ sint in homicidio necessariò confitendæ,

Sextò, quomodo præceptum hoc sit intelligendum.

Circa primum, facilè potest ex ipsa nominis etymologia homicidium describi. Est enim hominis occisio: quamuis Theologi, non quamcumque occisionem hominis, vocent homicidium, sed quæ est cum peccato, vnde sic describi solet; *Homicidium est iniusta hominis occisio*. In iure autem tale homicidium, quod cum peccato fit, dicitur homicidium voluntarium.

Circa secundum nota, tria esse in homicidio, ex quorum singulis, ipsum diuidi possit. Est qui occiditur, & ex ista parte diuiditur in homicidium, quo quis se occidit, & quo occidit alium. Est etiam qui occidit, & ex ista parte diuiditur in homicidium, quo aliquis occidit ex intentione occidendi, & in homicidium, quod accidit absq; intentione, quod dicitur casuale. Est etiam ipsa occisio, & ex hac parte diuiditur homicidium, in id, quo immediatè quis occidit, cùm nempè adhibet ipsam actionem, quæ occisio dicitur, vt qui gladium transfigit per corda, immediatè occidit; & in id, quo mediatè quis occidit, nempè cùm adhibet id, quod occidit, vt qui ministrat venenum, dicitur occidere, quia adhibet venenum, quod post occidit. Est igitur homicidium mediatum, & immediatum.

Circa

Circa tertium aduerte, quinque modis posse aliquem occidere hominem, se, vel alium; facto, præcepto, consilio, permissione, auxilio. Facto occidit, qui adhibet actionem occisionis, puta, percurit, aut etiam applicat id, quod occidit, vt qui ministrat venenum. Præcepto, qui iubet alicui, vt alium facto occidat, vel faciat occidere. Consilio, qui ad hoc adhibet consiliū. Permissione, qui non impedit alterius occisionem, cum possit, & debeat. Auxilio, qui alterum iuuat ad occidendum : omnibus his modis occidere contingit.

Superest, vt erga quartum caput examinemus, quale peccatum sit occidere.

Incipiendo ergo ab homicidio, quo quis se occidit.

Sit prima conclusio, Occidere se immediatè, & ex intentione, est mortale peccatum ex genere suo, & nisi excusetur indeliberatione aliqua, est verè mortale contra charitatem, qua quis tenetur se diligere ; contra iustitiam, qua homo tenetur versus remdublic. cuius pars est, & qua tenetur versus Deum, cuius creatura est, quocumque fine id fiat, vel ad euitandum maius malum, vel infamiam, vel propter peccatum commissum, vel propter peccatum, quod probabiliter timetur, nullo modo vnquam id licet. Vide Sylu. verb. homicidium, 1. § 4. conclusio habetur 23. quæst. 5. can. si non licet, & can. placuit. In hoc enim præcipitur, ne oratio fiat pro occisore sui. Ratio autem est, quia homo non est dominus vitæ suæ, sed tantùm custos. Non obstat, Sampsonem se occidisse, & aliquas virgines, hoc enim Spiritus sancti reuelatione factum esse tenendum est, vt docet Augustin. 5. de ciuitate Dei à capit. 17. per multa, vbi de hac materia loquitur. Non solùm autem peccat qui se occidit, sed qui præcipit, vel consulit, vel iuuat, vel, cùm possit facilè prohibere, non prohibet : sunt enim isti suo modo homicidæ ; & mortaliter peccant.

Secunda conclusio. Membrum aliquod immediatè, & ex deliberatione sibi abscindere, ex genere etiam suo mortale est, & qui se mutilat, si sacerdos, clericus, vel monachus est, incurrit excommunicationem, *si quis suadente*, vt dicunt Ioan. Andr. Panorm. Felin. cap. cùm contigit 1. de sent. excomm. Vide Nauar. cap. 15 num 11. dist. 55. can. si quis abscideri: can. qui patrem. Hoc autem est, quia homo non est Dominus membrorum suorum, vt habetur l. liber homo, ff. ad legem Aquil. quamuis id fiat prætextu sanctitatis. Vnde,

abscin-

abscindere partes viriles ob castitatem, mortale peccatum est. Similiter aliquid bibere ad sterilitatem, vt fœminæ faciunt, mortale est, quia se priuant potentia generatiua naturali. Peccant etiam illi alij, sicut in homicidio, consulendo, iuuando, &c.

Licet tamen in duobus casibus membrum abscindere sibi.

Primò, ob sanitatē, vt qui abscindit manum putrefactam, vel aliud membrum.

Secundò, ob maius damnum vitandum: qui enim manum haberet veneno tactam viperæ, posset scindere, ne venenum cor comprimeret, & moreretur. Et hoc modo qui ab hostibus esset captus, & à quibus mortē speraret, nec posset euadere nisi manum abscindendo, posset abscindere; Maior, 4. dist. 16. q. 1. dub. 1. & Sot. lib. 5. q 2. art. 1. Dubium est, an teneatur patiens membrum abscindi, aut sibijpsi abscindere ad vitæ cōseruationem, quando aliter non potest. Soto lib. 5. q. 2. art. 1. dicit non tenetur. Est enim custos vitæ, quam non tenetur cum tanto labore cōseruare. Vnde, medicamenta difficillima non tenetur sumere. Est hoc etiam modo, si alicui daretur optio; vt, vel membrum aliquod sibi abscindere, ne ab alio occideretur, vel abscinderetur duplex membrum, posset sibi abscindere, vt refert Iosephus, 2. libro belli Iudaici, cap. 27. qui abscidit sibi manum vnam, ne vtraq; abscinderetur. Quamuis Sotus hoc non probet, lib 5. q. 2. art. 10. Sed in vtroque casu eadem mihi videtur ratio, cùm sit ad maius vitandum malum. Quid enim refert esse ligatum, aut constrictum à tyranno; vt, nisi manū abscindat, mors, vel maius sequatur malum?

Tertia conclusio, se occidere permissiuè, id est permittere se occidi, ex se etiam est peccatum mortale Tenetur enim homo vitæ suæ consulere, in quantum potest, & debet.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus licet homini sumere, ponere vitam, & permittere se occidi, & mori; imò aliquando ad id tenetur.

Primus est, in fidei defensionem. Si quis enim cogeretur fidem negare, vel aliquod peccatum committere, sub pœna mortis, tenetur mortem pati, etiam permittere se malles potius occidi, quam fidem negare, vel peccatum vllum admittere.

Secundus est, propter vtilitatem totius reipubl. Vnde, si ciuitas esset circumdata ab hoste, vnius, quamuis innocentis, causa, & iste, si se offerret inimico, totam rempubl. liberaret à

morte, tenetur se offerre, & mori. Ita habet Sotus lib. 5. de iust. q. 1. art. 7.

Tertius est, ob amici liberationem. Posset enim aliquis vitam pro amico exponere. Sotus lib. 5. de iust. q. 1. art. 6. vbi etiã dicit, quòd si esset in mari, nec esset nisi vna tabula, posset non accipere, sed relinquere amico, non tamen posset dare. Sed ego vtrumque iudico esse par, & ita concedit Victor. rep. de homicid. num. 26. & similiter concedit de porrigente panem in extrema necessitate alteri, & Sot. lib. 5. q. 1. ar. 8. vbi dicit, aliquãdo teneri permittere se occidi potius, etiam ab iniusto inuasore; aliquando teneri se defendere, etiam occidendo, aliquando esse illi vtrumque liberum; verbi gratia, tenetur permitere se potius occidi in duobus casibus supradictis, & de porrigente panem in extrema necessitate. Alter est, si esset amicus capite damnatus, posset pœnam pro illo sustinere, & in bello, vel alio periculo oblato, pro ipso mortem subire, licèt non teneatur ad id. Aliquando autem non liceret, cùm ipse esset publica persona, & reipub. vel alijs multis vtilis; non autem esset talis ille amicus: tunc enim teneretur se defendere. etiam occidendo.

Quartus est, ob bonum proximi: non enim solùm pro amico, sed pro proximo potest quis mori, & se occidi permittere. Et hoc modo, qui inuaditur ab alio, nec potest fugere, licet possit occidere inuadentẽ, licet tamẽ ei (ne hostis in peccato moriatur) permittere se vinci, & occidi, dummodo etiam non sit talis persona, qualem diximus in tertio casu.

Quintus est, ratione iustitiæ: cum enim quis damnatus est morte, potest, & tenetur omnes actiones, quæ dispositiones sunt ad occisionem, exhibere, vt, si suspendi debet, ascendere scalam, & collum funi apponere, & alia, sed non potest se eijcere à scala, nec occidere, nec licet se defendere à iudice vulnere, vel pugna, licet sit innocens. Vnum tamen licèt, cùm in carcere est, fugere si potest, licèt iustè sit comprehensus. Immò potest rumpere vincula, & murum forare, seu frangere portas. Non tamen licet vlli no[illegible] teneturque restituere tantùm damnum illatum ex ruptura. I[illegible]enet Sotus lib. 5. qu. 4. art. vlt. Caiet. 2. 2. qu. 69. & alij: quam[illegible] aliqui contrarium putent. [illegible]ò vult Caiet. quod alij possunt [illegible]i ministrare instrumenta, [illegible]uxilia: Soto tamen negat, & ita videtur negandum. Similiter, qui damnatus est, vt inedia moriatur, potest cibos, si possit [illegible]bere, sumere absque peccato. Immò Caiet. putat teneri ad

sumen-

sumendum si possit : tamen Soto loco allegato, putat non teneri, sed posse sententiã sustinere, sicut potest ille in extrema manere, & mortem expectare. Et hoc mihi ita videtur. Posset tamen illi aliquis cibos dare, nõ tamen tenetur ad id, sicut teneretur ad ministrandum ijs, qui sunt in extrema necessitate, vt dicit S. Thomas 2.2.q 31.art. Similiter, qui damnatus esset leonibus, posset se defendere ab illis, licet non teneatur se defendere. His omnibus casibus potest se quis occidi permittere.

Quarta conclusio, occidere se, mediatè adhibendo, & aggrediendo ea, ex quibus mors certa, aut probabilis sequitur, peccatum est mortale ex genere suo. Excusatur autem ob tres causas.

Prima est iustitia: qui enim damnatus est tali morte, potest absque peccato id facere, vt, qui sumit venenũ, ita dicit Victor. repet. de homic. num. 30. & 32. de militari arte, & naugatione, in qua videtur homo exponere se periculo (licet Soto neget posse sumere venenum) aut qui intrat domum leonum, cum tali est morte damnatus.

Secunda est probabilitas contraria, cùm, licet sit falsum, vt mors sequatur, tamen in tali homine probabile est mortem non euenturam. Et sic, non peccant mortaliter ij funambuli, & aggressores taurorum, cùm sint exercitati in tali arte, vt habet Nauarr. cap. 15. & si aliquando accidat mors, non ob id mortale peccatum est, quia in illo fuit multùm accidentalis.

Tertia est inaduertentia, vt qui se ita in abstinentijs macerat, vt mors sequatur, si iste se occidere intenderet, absque dubio mortaliter peccaret, at si id non intendit, tamen aduertit, & cognoscit se occidi, etiam peccat, vt habet S. Thom. 2.2. q. 147. art. 1. cùm tamen non aduertit, sed ex deuotione facit, non mortaliter peccat. Hæc igitur dicta sint de homicidio sui. Sequitur nunc vt dicamus de homicidio alterius, cum intentione occidendi; cùm quis occidit, aut percutit alium cum voluntate, seu intentione occidendi, & percutiendi, & hoc peccatum est mortale, & graue, contra iustitiam, & contra charitatem proximi. Tribus autem causis potest excusari, iustitia, necessitate, inconsideratione.

In primis occidere hominem ex iustitia non est peccatum, imò est actus iustitiæ meritorius, si fiat, vt fieri debet. Fiet autem, si concurrant quinque conditiones, quarum vel vna deficiente, mortale est peccatum.

Prima

Prima conditio est, vt sit ex authoritate publica: cum enim occidere hominem licitum sit, ob bonum publicum, illius est habere facultatem occidendi, cuius est publicum bonum conseruare, qualis est Respub. Dux, vel Princeps, vel alij huiusmodi. Nullus igitur absque authoritate publica, propria, vel commissa, potest occidere hominem, quamuis nocentissimũ. Est autem mortale sic occidere, vnde peccat, qui inimicũ, quamuis dignus sit morte, propria occidit auctoritate.

Est autem vnus casus, in quo licet priuato cuilibet occidere, cùm putà, Tyrannus est in ciuitate aliqua, quem aliter non possunt ciues expellere. Ita habet S. Thomas 2. sent. dist. 44. q. 2 art. 2. & opusc. 20. de regim. princip. cap. 6. vbi dicit, non peccasse Brutum occidendo Cæsarem. Tamen aduerte, duplicem esse tyrannum, vnum potestate, & dominio, qui non habet titulum verum, sed tyrannicè occupat Rempubl. & hunc licet occidere, vt diximus, dum aliter non potest respub. liberari, & dum spes est probabilis libertatis; aliter, non licet priuato cuilibet occidere. Alterum tyrannum administratione, qui habet quidem verum titulum, sed tyrannicè tractat subditos, & hunc non licet absque publica auctoritate occidere, & asserere contrarium damnatur vt hæreticum in Concilio Constan. Sessio. 15. Non tamen ista damnatio de priori tyranno est intelligenda. Alius casus est, cùm priuata persona habet auctoritatem publicam, & sic licet in bello iusto occidere, 23. q. 5. can. si homicidium: sic etiam licet bannitos occidere, quando respublica dat facultatem cuilibet; tamen vt dicit Sylu. verb. homicidium, 1. §. 7. debet esse intra iurisdictionem illius reipublicæ: nam in alieno territorio non licet, nisi ex eius facultate expressa, aut tacita, aut probabiliter præsumpta: Non tamen licet marito occidere vxorem in adulterio comprehensam, 43. qu. 2. can. inter hæc: nam lex ciuilis, quæ non castigat, est permissiua tantum.

Secunda conditio, est causa: non licet enim hominem absque causa occidere; & non quauis, sed graui & pertinente ad bonum publicum. Vnde, causa leui occidere, graue peccatum est: sine causa autem, est grauissimum: non enim licet innocentem occidere propter bonum reipublicæ. Vnde, si esset circumdata respublica, nec aliter liberari posset, nisi tradẽdo innocentem, non liceret morti eum tradere inimicorum manibus; quamuis posset non defendere ipsum ob cõmune bonum, ipse teneatur se tradere, vt suprà diximus. Est tamen vnus

casus,

casus, in quo licet innocentem occidere, cum probatus est nocens: nam iudex secundum allegata, & probata procedere debet. Verùm est, quòd, cùm iudex innocentiam cognoscens, teneatur facere (vt dicit S. Thom. 2.2. q. 64.) aliqua.

Primò diligenter se examinare testimonia. Secundò, si speret profuturum, remittere ad superiorem iudicem, & rectius cari veritatem pro illo. Tertiò, differre sententiam, quantum fieri potest; imò si fieri posset absq; vllius damno, posset secretò dimittere à carcere.

Cùm autem nihil horum fieri potest, imò si fieri posset, licet occidere, secundum communiorem sententiam. Necnarum est in isto foro, innocentem pati: nam restat Dei forum, in quo omnis iniustitia castigatur, & iustitia præmium consequatur.

Tertia conditio, est etiam necessarius iuris ordo; damnare enim non seruato iuris ordine, est mortale, licet causa, & auctoritas sint. Hic autem ordo in tribus consistit.

Primò, vt ob peccatum occultum nullus occidatur. Non enim Rex potest, absque graui peccato damnare nocentem occultum, sed opus est crimen esse notorium, aut sufficientibus testimonijs conuictum, aut propria rei confessione sponte facta propalatum. Dixi autem, *sponte facta*, Nam si alicui absque iudicio, vel semiplena probatione, vel infamia notabili, daretur tortura, in qua confiteretur crimen, non esset omninò damnandus, & damnare est mortale, cùm non sit sponte facta confessio: nam tortura violenta fuit. Dicitur autem violenta, quia absque causa fuit inflicta. Imò peccant grauiter iudices in eo, quòd fraudulentis verbis, & promissionibus extorquent crimina, quorum nullum habent indicium, aut semiplenam probationem; & ob talem damnare confessionem, peccatum grauissimum est.

Rursus secundò debet esse accusatio. Nisi enim crimen accusetur, non potest damnari nocens, nisi reperiretur in flagranti delicto: illic enim est virtualis accusatio, & testimonium.

Rursus tertiò debet citari, & debet tempus tradi nocenti, vt respondeat; quamuis, vt dicit Sylu. verb. homicidium, §. 3. in aliquo casu, licet damnare nocentem inauditum, cùm potest est, nec aliter posset iustitia impleri. Debent tamen, semper esse testimonia, aut notorium crimen.

Vltimò hæc debet cura adhiberi, vt occidendo administre-

rur

ta confessio, & consolatio spiritualis, & oppositum facere, peccatum est, nisi cùm res est repentina, nec aliter posset iustitia impleri: tunc enim sufficeret dare aliquod tempus, vt homo conteri posset.

Adhuc istæ tres non sufficiunt, sed est quarta conditio necessaria, animus rectus iudicis, non enim ex ira, vel inuidia, vel passione, sed ex zelo iustitiæ occidere debet: si enim occideret ex passione, quia nocens inimicus erat, quamuis alia concurrerent, mortaliter peccaret. Hoc etiam idem dicendum est de ministris iustitiæ.

Quinta est necessaria conditio, vt homo non sit persona ecclesiastica; nam in maioribus ordinibus constitutum, non habens Papæ facultatem, peccat mortaliter occidendo, aut tamquam iudex, cap. clericis, ne cleri. vel mona. aut tanquam minister. In minoribus vero constitutum, vt habet Soto lib. 5. mortaliter non peccat, sed venialiter.

Hæc igitur est prima causa, ob quam licet hominem occidere cum voluntate occidendi.

Altera causa erat necessitas. Ob necessitatem enim licet absque publica authoritate occidere. Hoc autem in quatuor casibus licet.

Primò, ad vitam defendendam, suam, vel amici, vel parentis, filij, vel coniuncti, vt habet gloss. Clem. vnic. de homici. Tamen hic contrahitur irregularitas, non autem ad sui defensionem, vt habet Glossa. Cùm enim homo inuaditur ab inimico, si aliter non potest vitam conseruare, nisi occidendo illum, licet occidere, Clem. vnic de homic. vbi habetur, quòd tũc non fit irregularis; imò, si inuasus esset aliquis, qui sit persona publica, & multùm vtilis in Republica, tenetur vitã conseruare, & alium occidere. Econtra aũt, si inuasor esset persona multum publica, & necessaria in republica, potius inuasus debet se pati occidi, & tenetur, quàm occidere. Cùm tamen neuter occurrit casus, potest occidere, & potest etiam permittere se occidi, & hoc vltimum est magis meritorium. Hinc patet solutio illius casus, quem Soto non audet determinare: si esset fœmina à marito concluſa in cubiculo, à quo fugere non potest, habetque vir pugionem ad ipsam confodiendam, expectat tamen vt ipsa quiescat, an liceat vxori præuenire, & occidere virum: Dico licere, & ratio est aperta: nam iam est inuasa, cùm primùm à marito concluſa est, & expectat paratus occidere; nã si tunc nõ est tempus se defendẽdi, profectò nullum aliud erit;

& est simile de illo, qui præparat bombardam, vt alium occidat, sed ille aliam iam habet præparatam; profectò ridiculum esset dicere, hunc debere expectare, vt ille præparet, & incipiat emittere, qui potest prævenire. Ita etiam dicendum est de illa fœmina, si aliter non potest euadere.

Secundus casus est, ad honorem suum defendendum, Ioan. de Anan. c. suscepimus, de homicid. potest etiam alium occidere, vt habet Sylu. verb. homicidium 1. & communiter omnes docent. Ex quo fit, vt si nobilis inuasus posset vitam saluare fugiendo, non tenetur, (si inde infamiam contrahit) fugere sed occidere hostem potest, si aliter vitam cum honore tutari non potest. Similiter, si non potest fugere iniuriam notabilem inferendam, vt ligni percussionem paratam, potest enim hic occidere inimicum.

Sed duo hæc aduertenda sunt, primum est, hoc non licere omnibus, nisi nobilibus, & personis, qui suum tutari honorem maximè, obligantur, vnde nullus clericus, aut monachus potest in illis casibus occidere, sed tenetur fugere, aut talem iniuriam pati.

Secundum aduertendum est, post contractam iniuriã iam non licet occidere; id enim est se vindicare: solum autem licet ad vitandam infamiam, ne contrahatur: vt ligno percussus non potest absque peccato mortali occidere inimicum. & attende, quòd debet esse verus honor, & infamia: non enim debet mensurari hoc, nisi per existimationẽ hominum prudentium, & cordatorum.

Tertius casus est, ad tuendam rem, Caiet. 2.2.q.64.art.7. & Anton. 3.part.tit.4.c.3. Cùm enim aliter res haberi, & recuperari non potest, licet latronem occidere, non solùm nocte, sed etiam die; si tamen spes esset recuperandi rem illam, non liceret occidere. Hoc tamen non licet Ecclesiasticis personis, qui potiùs debent bonorum iacturam pati, quàm occidere, vt habet Panor. c. suscepimus, de homic. In eod. c. id habetur de monacho. *Satius*, inquit, *est post tunicam relinquere pallium, quam pro rebus transitorijs, tam acerbè in alium exardescere*, his enim licet tantum occidere ob vitam saluandam.

Quartus casus est, ob castitatem. Posset enim fœmina, aut iuuenis, obseruandam castitatem occidere inuasorem, cum aliter se defendere non potest. Notandum tamen est, quòd quamuis ab alio superetur, si non consentiat interius in actu turpi, non peccat, nec virginitatem amittit, si virgo erat. Vnde

Sylu.

Sylu.verb homicid.§.8dicit,quòd potest non occidere, quamuis possit;sed pati se corrumpi,dum cõsensum cohibeat in delectatione:tamen,quia periculosum est hoc,securius esset occidere,si possit,illudque remedium sumendum est, cùm aliud non occurrit.

Tertia causa est inconsideratio. Cùm enim aliquis motu repentino correptus, adeò, vt non sit rationis compos,alterum occidit,à peccato mortali liber est : tamen rarò euenit hoc, quia homicidium non ita fit repentè, quin homo possit deliberatione uti:si quando tamen ita occideret,non esset mortale,nisi consensus in facto pòst sequatur.

Hæc igitur sunt circa homicidium cum intentione occidendi.

Aduertendum tamen, non semper licere ob vitæ propriæ defensionem alium occidere : in duello enim iniusto,peccat mortaliter,qui alterum occidit. Dico iniusto, quia aliquando licitum est: ob sedandum enim aliquos exercitus contrarios, licet pugnam ad duos reducere : similiter,cùm aliquis cogitur sub vitæ periculo aggredi duellum. Cetera tamen sunt impiissima,& peccatum graue mortale,de quibus Concil. Trid.sess. 25.c.19.sanctissime quatuor instituit.

Primùm,excommunicat omnes Imperatores, Reges,Marchiones,Duces,& Dominos , qui in suis terris facultatem faciunt duelli ; & non solùm excommunicat lata sententia,sed priuat dominio locorum , ita vt, si sunt loca Ecclesiæ, recurrant ad ipsam,si autem feudalia,recurrant ad Dominos.

Secundò,excommunicat ipso iure patrinos; & præscriptionis omnium bonorum eorum, & perpetuæ infamiæ pœnam infligit.

Tertiò excommunicat ipsos pugnantes,& infligit eandem proscriptionis, & perpetuæ infamiæ pœnam, & in pugnâ occisos priuat ecclesiastica sepultura.

Quarta, spectatores omnes excommunicat ; & tandem hi omnes mortaliter peccant. Aduerte rursus,non solùm, qui occidit peccare,sed qui consulit,præcipit, iuuat,fauet auxiliatur, vt supra diximus.

De homicidio sine intentione.

CAPVT VII.

DIximus de homicidio sui, & de homicidio alterius cum intentione occidendi, superest, vt de homicidio alterius absque intentione dicamus. Hoc autem aliquando est cum mortali, aliquando cum veniali peccato, aliquando sine vllo peccato: in cuius declaratione distinctio est notanda, dupliciter posse aliquem alium occidere, non intendendo ipsum occidere: vno modo, ipsum verè occidendo, quod aliqui vocant per excessum: altero modo, omittendo aliquid facere ex cuius omissione sequitur mors alterius. Erga priorem modum sunt duæ regulæ, erga posteriorem aliæ duæ, eruntque numero quatuor obseruandæ, pro cognitione plena horum.

Prima regula est, qui, faciens aliquem actum licitum, occidit præter intentionem alium, peccat magis, vel minus, iuxta negligentiam maiorem, vel minorem, quam adhibuit, ne occisio aliqua sequeretur: vbi autem nulla fuit negligentia, nullum est peccatum: verbi gratia, aliquis nobilis venatur feras, & proijciens sagittam, vel emittens bombardam occidit hominem, in hoc casu actus venandi licitus est nobili sæculari considerandum est, an fecit diligentiam aliquam ne casu aliquem occideret; si fecit, non peccauit occidendo; si non fecit, peccauit pro quantitate negligentiæ. Est autem pensanda negligentia, aut diligentia, iuxta periculum maius, vel minus: si enim locus venationis erat peruius, per quem multi transire solent, ipse autem nullam, vel paruam fecit diligentiam, vtens bombarda, peccatum est mortale; si tamen locus erat desertus, & ipse parùm diligentiæ adhibuit, est veniale. Rursus, aliquis tectum construens proijcit lapides in via, si talis signum habet, vt transeuntes sibi caueant, si fortè occidat aliquem, non peccat; si tamen nulla vtitur diligentia, siue parua, cùm locus sit nimis peruius, peccatum est mortale. Rursus, qui dormiens in lecto cum infante, suffocat ipsum, si non prius fecit diligentiam, maximè cùm cognosceret, se per lectum multum volutari, peccat mortaliter. Est autem ista diligentia adhibenda, cum actus periculosus est moraliter loquendo: cùm autem non est, aut parum est, nulla, aut parua requiritur diligentia.

Secun-

Secunda regula, qui faciens actum illicitum: aliquem præter intentionem, occidit, etiam post diligentiam adhibitam, peccat. Peccatum autem tantum est, quantus est actus illicitus, quem faciebat: verbi gratia, clericus venatur bombarda feras, & casu occidit hominem, peccat mortaliter; quia sic venari clerico interdictum est, & est mortale, vnde in clerico est peccatum, quod nullum esset in sæculari. Similiter, qui pugnat cum aliquo, animo non occidendi, & in pugna occidit, peccat mortaliter, si pugna illa peccatum mortale erat: cùm vero veniale, quia pugna leuis erat, venialiter peccat. Similiter, peccat ebrius, qui in ebrietate occidit aliquem, si sciebat se furere in ebrietate, & sibi non prouidit: est enim notandum vnum cum Soto lib. quæst. 1. art. 9. quod non quicumque actus illicitus, ex quo sequitur homicidium, facit culpam homicidij, sed illicitus actus, in quo est periculum alterum occidendi: si enim nullum sit, tunc non reputatur pro illicito, quantum ad homicidium: vnde, qui arborem alienam conscēdit, gratia capiendi fructus, si casu cadat supra alium, & occidat, non ob id peccat homicidio, quia talis ascensus moraliter non sic erat periculosus.

Tertia regula: qui omittens aliquid, quod ex iustitia tenebatur facere, est in causa vt alterius mors sequatur, peccat tantum peccatum, quanta est omissio illa, verb. grat. sunt latrones in terris alicuius Principis, qui occidunt & spoliant omnes viatores, si talis princeps non prouidet, & procurat, cùm possit, illos expellere, si fortè postea occidantur aliqui, peccat in illis occisionibus, & mortaliter, quia omissio grauis erat.

Secundò, iudex tenetur noctu visitare ciuitatem; si non visitet, & casu aliquis ob id occidatur, peccat. Si omissio illa venialis erat, putà quia fuerat illa solùm nocte, & nullum timebatur periculum, venialis illi erit culpa homicidij: si verò periculum graue erat, quia in illa ciuitate homines erant multum odiosi, & inuicem inimici, mortale est.

Tertiò, aduocati, qui sua culpa non considerant causam innocentis, & ob id innocens morte damnatur, peccant mortaliter, si culpa notabilis est; nec excusantur ignorantia, quia tenentur scire, aliter non vti officio, vel tales non admittere causas.

Quartò, si medicus ignorans sit, & sua notabili culpa infirmus moriatur, peccat mortaliter, quia tenetur scire, sicut Prin-

cipes, & Iudices non excusantur, ignorantes pericula locorum, quæ indagare tenentur.

Quintò peccat dominus, qui habet leones domi, & nõ prouidet ne noceant alijs.

Sextò, peccant parentes, qui filijs paruulis permittunt arma, cognoscendo eos esse superbos, & iracundos; non enim excusantur à peccato homicidij, si aliquod sequatur.

Denique qui dominium, vel potestatem habent aliquam supra alios, tenentur prouidere, vt, vbi est periculum homicidij, non committatur, aliàs peccant pro ratione omissionis, & est peccatum contra iustitiam.

Quarta regula, qui omittens aliquid, ad quod ex charitate tenebatur, & ex tali omissione alter obit, vel occiditur, peccat iuxta grauitatem omissionis. Verbi gratia, qui alteri in extrema necessitate posito vitæ non succurrit, cùm possit, mortaliter peccat, & si illa moriatur, peccat mortale peccatum homicidij.

Rursus, qui scit aliquem falsò accusatum morti inculpabiliter adiudicari, si ipse testificando verum potest liberare eum, tenetur sub mortali testificari: &, si ille post patitur mortem, peccat mortaliter non testificando, quamuis accusator passurus esset damnum ex tali testimonio; dummodò non sciat id in confessione; tunc enim tacere debet.

Eodem modo, qui scit insidias contra aliquem parari, tenetur, vt potest, illum liberare eum admonẽdo, vt sibi caueat; & nisi id faciat, peccat, si ille occidatur: & ista sunt homicidia & peccat contra Charitatem. Ad has quatuor regulas reducuntur omnia ista, quæ pertinent ad homicidium sine intentione occidendi.

De circumstantijs homicidij.

CAPVT VIII.

EX sex, quæ de homicidio tractanda proposuimus, quatuor absoluimus: nunc quintum aggredi oportet, puta, circumstantias homicidij, vel percussionis in confessione exprimendas. Quarum prima est in persona occisa, aut percussa. Septem enim sunt genera personarum, quas exprimere oportet.

Primum

Primum est earum, quæ sunt cum occidente sanguine coniunctæ; vt, si occisus fuerit frater, pater, mater, vxor, filius, & huiusmodi qui notabiliter sunt coniuncti.

Secundum est Clericorum, seu monachorū. Qui enim percussit, vel occidit Clericum, vel monachum, non solùm peccat mortaliter, sed sententiam excommunicationis incurrit, 17.q.4 c. *si quis suadente*, vbi nota quatuor.

Primum est, per occidentem, vel percutientem, non solùm esse intelligendum sæcularem, sed quemcumq; Ecclesiasticū: nam etiam talis incurrit excommunicationem.

Rursus secundò, per monachum percussum intelligas professum, & nouitium, & conuersum cuiuscumque Religionis approbatæ. Similiter per Clericum, intellige, non solùm in maioribus constitutum, sed etiam primam tonsuram habentem, quamuis sit coniugatus, dum duxerit virginem, & portet habitum, & tonsuram, alias perdit priuilegium.

Tertiò, per violentam manus impositionem intellige, non solùm occisionem, vel percussionem, sed verberationē, mutilationem, pugnum, alapam, vestium dilacerationem, lapidis percussionem, & alia huiusmodi. Per tales enim actus incurritur excommunicatio.

Quartò, ista excommunicatio Papæ reseruatur, nisi cū percutiens est infra decimum quartum annum; tunc enim ad Episcopum pertinet: similiter cùm est senex, infirmus, pauper, vel absque vitæ periculo, & notabili incommodo, non potest Romam venire: tunc enim reseruatur Episcopo. Cùm autem Clerici simul viuentes se percutiunt, si leuis est percussio, vt pugnus, vel alapa, ad Episcopum pertinet, aliter ad Papam.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus absque excommunicatione potest quis percutere Clericum.

Primò cùm fit ioco.

Secundò, cùm fit causa correctionis, vt faciunt magistri, & superiores.

Tertiò, cùm ignorabatur esse Clericus, c. si verò. 2. de sent. excomm.

Quartò, cùm licèt esset cognitus, tamen reperitur in flagrāti delicto, cum matre, vel vxore, vel filia, sorore, vel nepte alicuius, tūc, si occidatur ab isto, peccatum quidem est mortale, sed non est excommunicatio, c. si verò, 1. de sent. excommu. vt habet gl. can. si quis suadente.

Quintò, cum percussio ita est leuis, vt solùm sit veniale peccatum: nam excommunicatio maior est propter mortale.

Sextò, cùm occiditur à quolibet alio, in illis verò casibus, in quibus diximus liceret alicui alium occidere, cap. si verò, allegato.

Tertium genus, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum; Hos enim occidere, mutilare, percutere, verberare, capere incarcerare, detinere, aut talia mandare, peccatum est cum excommunicatione in cœna reseruata. Quæ intelligenda est, cùm tales consecrati sunt, aliàs non: quamuis sint electi, & in possessione Episcopatus: erit enim tantùm excommunicatio Papalis, sicut præcedens, ratione clericatus. Hoc autem fuit ius antiquum, capit. si quis suadente, de pœnis, in Clemen. vbi excommunicantur etiam, qui bannium Episcopos; imò vltrà mandantes illos actus dictos, excommunicantur consulentes, comitantes, fauentes, defendentes, & tale factum ratificantes: sed ista excommunicatio non est in cœna, sed solum Papalis.

Quartum genus personarum, sunt Cardinales, qui Episcopi non sunt. Hos hostiliter insequi, capere, aut percutere, aut talia mandare, non solùm est mortale peccatum, sed excommunicationi subiectum, quod reseruatur Pontifici, cæteris, de pœnis, in tex. vbi contra tales multæ aliæ imponuntur pœnæ. Excommunicantur etiam dantes in hoc consilium, & factum ratificantes, cooperantes, fauentes, aut eos defendentes, qui talia faciunt. Ista tamen excommunicatio non est in cœna, sed tantùm Papalis.

Quintum genus personarum sunt, qui causa negotiorum in curiam Romanam veniunt, & qui in ea hac causa morantur, & negotiorum gestorum Notarij, Procuratores, Iudices, Aduocati, & Auditores: hos enim occasione causarum verberare, mutilare, occidere, aut bonis spoliare, per se, vel per alios peccatum est excommunicationi cœnæ suppositum.

Sextum genus personarum, sunt venientes ad Sedem Apostolicam, aut ab ea recedentes: hos enim propria temeritate occidere, capere, detinere, aut spoliare, verberare, mutilare, aut contra in ea vrbe habitantes ista absque Apostolica authoritate faceret, aut præcipere, est peccatum in eiusdem cœnæ excommunicatione contentũ, dummodo ista ex proposito deliberato fiant, id est, ex præmeditato.

Septimum genus sunt personæ, ex quarum percussione, aut

occi-

occisione alij damnum in re temporali patiuntur, aut ipsæmet: tunc enim manifestandæ sunt, vt restitutio à Confessario imponatur. Vnde, qui occidit seruum alterius, confiteri debet quia ad restitutionem pecuniæ æquiualentis tenetur. Similiter, qui mutilat seruum alterius, obligatur restituere damnum quod dominus ex tali mutilatione incurrit. Similiter, qui occidit aut mutilat aliquem, qui suo labore familiam alebat; tenetur restituere & reddere damnum. De hoc latiùs dicemus in materia de restitutione. Si tamen is, qui occidit vel percutit tales, fecit restitutionem, non obligatur personam percussam, vel occisam manifestare.

Hæc sunt quantum ad circumstantiam obiecti. Sunt tamen aliqua notanda.

Primum est, quando aliqua excommunicatio in iure ponitur pro percussione, vel homicidio, vel aliquo peccato, non est extendenda, nisi ad illas personas, quæ talis peccati sunt participes, eo modo, qui exprimitur in tali excommunicatione; v.g. in clerici percussione, excommunicatio posita est contra violentas imponentes manus, & non alios. Hinc fit, vt qui iuuāt, qui præcipiunt, qui consulunt, licèt mortaliter peccent, tamē excommunicati non sint ex vi illius capituli, *si quis suadente*. Sunt tamen excommunicati per alia capitula, in quibus ista exprimuntur, puta, capitulum, mulieres. & cap. quantę, de sent. excom. & cap. cùm quis, de sent. excom. in 6.

Rursus, peccatum, propter quod imponitur, est impositio violentæ manus. Quando igitur aliquis vult tantùm mente interius manus imponere, vel procurat, vel proijcit sagittam, sed non percutit, mortaliter peccat, tamen non est excommunicatus.

Rursus, in percussione Episcopi, non solùm excommunicatio est contra percutientes, sed contra mandantes, consulentes, &c. Omnes hi excommunicationem incurrunt; dum tamē percussionis peccatum sequatur, aliter non, licèt præcipiant, consulant, & alia faciant.

Notandum est secundò, percussionem clerici inducere excommunicationem, cùm ab alio est. Cùm enim aliquis se mutilat aut percutit, etiam causa odij, quamuis peccet mortaliter, tam notabilis est percussio, tamen non est excommunicatus. Contrarium tenet Nauarr. cap. 15. num. 11. sed profectò absque ratione; nam non aliunde contrahitur ista excommunicatio, nisi per illud caput, *Si quis suadente*: ac tale caput lo-

quitur de tertia persona, nec sunt ampliandæ pœnæ istæ.

Altera circumstantia in confessione manifestanda est locus: cùm enim sacer est, peccatum mutat speciem, & dicitur sacrilegium. Atq; hæc est vna causa, propter quam Ecclesia polluitur. Sunt enm quinque causæ, propter quas polluitur Ecclesia, ita vt in ea non liceat celebrare.

Prima est, iniuriosa sanguinis effusio. Cùm enim sanguis in Ecclesia spargitur ex vulnere, non ioco, non ob correctionem incusso, sed iniuriosè est Ecclesia polluta, dummodò sit aliqua sanguinis copia, & nō à puero ante vsum rationis perfecta; vel ab ebrio vel insano sit facta: tunc enim non esset Ecclesia polluta. Similiter non esset, si quis ob sui defensionem vulnus incuteret. Notandum tamen, quòd polluta esset Ecclesia, si in ea vulnus infligeretur, quamuis sanguis in vase reciperetur, vel percussus ita citò extraheretur, vt sanguis in Ecclesia non caderet. Non esset tamen polluta, si extra Ecclesiam percussus confugeret in ipsam, & ibi sanguis spargeretur. Nec sufficit percussio ad pollutionem, nisi sequatur sanguis, quamuis sufficeret mors sine sanguine, vt strangulatio, suspensio, & cætera. Cùm autem Ecclesia polluta est, etiam cœmeterium est pollutum, non autem è contra.

Secunda causa ob quam polluitur Ecclesia, est humani seminis pollutio voluntaria: non enim per nocturnas pollutiones, quæ in somnis fiunt, polluitur, sed debet esse voluntaria, siue fiat secundum naturam, siue contrà, siue illicito concubitu, siue licito, quale est coniugium; hoc enim etiam pollut. Notandum tamen, vt pollutio hæc sit causa, debet esse publica, & notoria apud multos: si enim secreta est, cuius notitia apud paucissimos est, non est polluta Ecclesia.

Tertia causa est, cùm excommunicatus in ea sepelitur, de consecr. Eccles. cap. consuluisti.

Quarta, cùm sepelitur aliquis infidelis, vt habetur in cap. Ecclesiam 1. de consecr. dist. 1. Et in hoc casu oportet parietes Ecclesiæ radere.

Quinta causa est, cùm consecratur Ecclesia ab Episcopo publicè excommunicato, vt habetur cap. consuluisti, allegato. His causis polluta est Ecclesia: in qua scienter celebrare peccatum est mortale: nulla tamen irregularitas aut excommunicatio incurritur, vt habetur in cap. is, qui, de sent. excom. in vi. Gloss. tamen eod. cap. tenet esse suspensum, qui in tali Ecclesia celebrat, ab ingressu Ecclesiæ, ita vt, si post suspensionem cele-

bret,

bret, fiat irregularis, & videtur consentire Sylu. verb. consecratio. 2. in fine.

Huic sententiæ videtur fauere caput, Episcoporum. de priuileg. in 6. nisi velimus restringere hoc caput ad loca interdicta: nam ibi non dicitur, de pollutis, sed de interdictis, & hoc videtur magis consonum. Nam in cap. illo citato (is, qui) tantum dicitur, quòd temerariè agunt celebrantes in polluta Ecclesia, & statim celebranti in interdicto loco infligitur pœna irregularitatis. Cùm autem polluta est Ecclesia, si consectata erat, est reconcilianda ab Episcopo, etiam cum aqua ab Episcopo benedicta, siue ab eodem, qui priùs consecrauit benedicta, siue ab alio. Cùm autem tantùm est Ecclesia benedicta, & non consecrata, reconciliatio fieri potest per sacerdotem, cum aqua ab Episcopo benedicta.

Tertia circumstantia in confessione dicenda; est, si per se, vel cum alijs occidit aut percussit. Si enim cum alijs manifestare oportet, an illos ad tale auxilium & factum solicitauerit & conuocauerit: tunc enim mortaliter peccat, & tot committit peccata, quot fecit peccare, solicitando ad malum.

Quarta circumstantia est, tempus: in quo decreuit committere. Si enim multum temporis perseuerauit in tali proposito, vix excusatur à multis peccatis, quæ committuntur in multiplicatis volitionibus occidendi, vel percutiendi. Hæ sunt circumstantiæ erga hoc peccatum.

De intellectu præcepti, non occidendi.

CAPVT IX.

HOc est vltimum caput ex sex, quæ tractanda de homicidio proposuimus. In hoc igitur præcepto, *non occides*, Exod. 20. prout à Domino, Matthæi 5. exponitur, quinque prohibentur.

Primum est, ipsum nocumentum corporale, vt occidere, mutilare, percutere, verberare, torquere, incarcerare, aliaq; similia nocumenta; & ad iniuriam pertinentia, vt spuere, arundine percutere, &c.

Secundò prohibentur omnes præparationes, & dispositiones ad similes actus, vt gladium quærere percutiendi causa, inimicum obseruare, coniurare, id est, multos sub iuramento

vel

vel fide aliqua colligere in occisionem, vel nocumentum alicuius, & alia his similia.

Tertiò, prohibentur contumeliæ, & conuicia, quæ sunt verbo, aut signo aliquo. In cuius gratiam aduerte, conuicium esse inhonorationem alicuius per verbà, aut signa denotantia malum pœnæ, aut malum culpæ; vt cùm dicitur alicui, latro, fur, mendax, &c. Hæc enim ad malum culpæ pertinent: similiter, cùm dicitur, stulte, insensate, cæce, fili illegitime, & cætera ad malum pœnæ spectant. Ista igitur cum contemptu, siue verbo, siue nutu, vel litera, vel signo alteri obijcere, cõuicium est. Contumelia autem propriè est de malo culpæ, vt cùm dicitur, latro, mendax; &c. Hoc igitur peccatum de genere suo est mortale, &, si est notabilis iniuria, est verè mortale, siue dicatur cum animo inhonorandi, siue sine illo, sed tantum cum ira, dummodò sit deliberatio, & verbum sit notabiliter iniuriosum.

Sunt tamen casus aliqui, in quibus non est mortale.

Primus est, cùm deest plena deliberatio, vt cùm quis repentina ira correptus, profert verbum contumelioſum; tamen si non erat omninò deliberatio, non esset mortale, nisi postfactum confirmaret.

Secundus est, cùm, licèt adsit deliberatio, tamen iniuria leuis est.

Tertius, cùm adest deliberatio, & iniuria magna est, sed fit ioco.

Quartus, cùm, licèt non fiat ioco, tamen fit inter personas parui momenti, vt inter mulierculas, quæ sæpè rixari solent, & multa conuicia inuicem iaculari, aut inter seruos, & famulos.

Quintus, cùm fit gratia correctionis. Magister enim facit cum discipulo, & dominus cum seruo, & pater cum filio, superior cum inferiori. Sic dominus vocauit stultos Discipulos, & Paulus Galatas insensatos; sed tunc debet esse gratia correctionis, alias peccatum esset, & modus est seruandus. Nam non licet superiori iaculari conuicia in inferiorem, ac si esset seruus: immò si esset persona honorata, quamuis esset a consilijs alicuius potentis, si aliquod magnum conuicium ab eodẽ potente ei inferretur, mortale esset peccatum, si animus adesset inhonorandi.

Quartò, prohibentur in isto præcepto motus animi interioris deliberati, vt mortem velle alicui, vel malum tempo-

rale

tale. Qui enim mortem sibi vel alteri extra casus licitos appetit, animo deliberato, mortaliter peccat.

Quintò, prohibentur omnes consortes in tali peccato, qui sunt nouem, concluſi in his versibus,

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Iussio, qui præcipit; *consilium*, qui consulit; *consensus*, qui factum ratificat, vel vt fiat, probat; *palpo*, qui factum laudat, vel vt fiat, laudat; *recursus*, qui defendit homicidium, vel defensionem promittit; *participans*, qui iuuat ad factum; *mutus*, qui non præmonet occidendum, vel percutiendum, cùm potest & debet; *non obstans*, qui non prohibet, cùm possit, & debeat; *non manifestans*, qui veritatem innocentis non ostendit, ne damnetur, cùm possit & debeat. Omnes hi peccant contra istud præceptum.

De sexto præcepto: De simplici fornicatione.

CAPVT X.

SExtum præceptum habetur Exodi 20. *Non mœchaberis*: Erga quod quatuor sunt consideranda. Primum est, quid fornicatio sit. Secundò, quot eius species. Tertiò, quale peccatum. Quartò, quæ in hoc præcepto prohibeantur.

Circa primum, si vis vocabuli consideretur, fornicari, est rem cum meretricibus habere: descendit enim à nomine fornix, quod significat loca quædam concamerata ad modū arcus, in quibus meretrices se prostituere solebant. Quamuis autem ista sit vis vocabuli, tamē verbum latius patet apud Theologos, & Iuristas, & significat actum illicitum venereum, quorumq; modo fiat; sicut etiam extenditur verbum, mœchari: quam propriè tantum significat adulterari. Est igitur fornicatio sic vniuersaliter sumpta, humanus concubitus illicitus. Dico, *humanus*, quia concubitus aliorum inter se animalium, non dicitur fornicatio; immò nec quicumq; humanus, nisi qui cum peccato sit, ob id dicitur, *illicitus*.

Huius septem possunt describi species, simplex fornicatio, raptus, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, peccatum contra naturam: quarum singulæ suo sunt ordine explicandæ. Est igitur simplex fornicatio, concubitus soluti cum soluta.

Voco

Voco solutum, simplicem hominem, qui non habet sacrum coniugati, nec clerici, nec religionis, nec votum, sed est simplex homo. Voco solutam similem fœminam, quæ iam amisit virginitatem. Horum concubitus fornicatio simplex dicitur. Esse autem peccatum mortale, adeò certa res est, vt oppositum pertinaciter asserere, sit hæreticum, vt definitum est in Clem. ad nostrum. de hæret. & habetur Eph. 5. *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Christi.* Neq; excusatur vllus ignorantia; nam est naturale præceptum, in quo non habet locum ignorantia, sicut nec in homicidio. Ratio autem quare peccatum sit, ea est, quia est contra finem, propter quem Deus humanum concubitum concessit; qui quide non solùm est multiplicatio filiorum, sed eorundem sustentatio & educatio, quæ fieri non possunt, nisi certum patrem & determinatum habeant, quod per matrimonium fit. In fornicatione enim non est pater determinatus. Est autem hoc adeò naturæ consonum, vt inter bruta, cùm, filij vt nascantur, opera masculorum indigent, nùmquam fœmina cum pluribus, sed cum vno tantum coeat. Est igitur fornicatio contra finem à Deo præstitutum, & ob id mortale. Dicit autem S. Tho. 4. sent. dist. 35. art. 4. in fornicatione grauius peccare marem quàm fœminam; nam in maiori vsu rationis viget, quamuis in adulterio magis peccet fœmina, quia plura damna facit. Nam fœmina adultera supponit filios adulterij, qui damnum inferunt legitimis, vt posth dicemus, quod non est in viro, in quo apertè cognoscitur filius adulterij. Hoc autem regulariter est intelligendum; nam aliquando potest fœmina plus vigere secundum rationis vsum, grauiusque peccare.

Quamuis autem sit mortale peccatum fornicatio, in duobus tamen casibus potest non esse peccatum.

Primus est, cùm deficit vsus rationis, vt si amens, qui non habet iudicium rationis coiret, tùc non peccaret, sicut nec occidendo, nec committendo alia. Similiter si ebrius non compos rationis id faceret non peccaret; & sic à peccato excusatur Loth, Gen. 19. *qui ebrius cum filiabus duabus concubuit, ipsis eum decipientibus.* Si tamē ebrius periculum tale probabiliter cognosceret, & non sibi ante ebrietatem prouideret, à peccato non excusaretur.

Alter casus est, ex parte patientis, cùm cogitur quis: vt, si fœmina comprehensa cogeretur ad talem actum, dummodò ista interiùs non consentiret actui, quamuis pateretur ab alio,

ero,& sentiret etiã delectationem, non peccaret. Sed hoc non habet locum ex parte agentis. Nam agens absq; consensu non agit. In consensu autẽ est mortale: nec excusatur propter mortis periculum vel metum : nam quamuis passurus esset mille mortes, & liberaturus esset mille vitas aliorum, numquam licet ex consensu fornicari. Ad hoc peccatum reducitur concubinatus soluti cum soluta; non enim est aliud concubinatus, quam fornicatio continuata cum soluta, determinata, ita vt sit velut cohabitatio quædam, ac si matrimonio coniuncta esset. Est autem hoc graue peccatum & periculosum, quia homo non solùm peccat, sed manet in statu peccati, & in continuo proposito (saltem virtuali) peccãdi. Vnde, tales nullo modo sunt absoluendi, quin primùm eijciant concubinas, quamuis in mortis articulo sint, nisi vrgeat mors, vt tempus desit, tũc sufficeret propositum. Extra talem articulum primò sunt eijciendæ: quòd si domi non habet, aliqua est experientia sumenda de illius continentia ante absolutionem, præsertim si sæpè proposuit se contẽturum, & non continuit, nec tam perfecta contritio in eo apparet. Contra concubinarios Concil. Trid. 24. sess. c. 8. determinat, vt ab Episcopo concubinarij ter admoneantur, & nisi resipuerint, excommunicentur; &, si in excommunicatione per annum perseuerauerint, castigentur & puniantur ab Episcopo: Concubinæ autem ter admoneantur, & nisi resipuerint, eijciantur à ciuitate, & si videtur Episcopo, extra diœcesim, inuocato ad hoc brachio sæculari, si opus fuerit.

De adulterio, & stupro.

CAPVT XI.

STuprum, est virginis fœminæ defloriatio : cum vir primo defloratur: non dicitur stuprũ, sed tantùm cum fœmina. Est aũt grauius peccatũ simplici fornicatione, quia habet totam malitiam fornicationis, & aliquid amplius, puta ablationem signaculi virginalis, & constituit fœminam in periculo grandi deinceps peccandi. Obligat autem stuprum aliquando ad restitutionem: cùm enim quis virginem egit violentia, vel importunis precibus, tenetur illam dotare, cap. si seduxerit, extr. de adult. & cap. peruenit, si possit alteri nubere ita honoratè, ac si esset virgo : Si autem falsis persuasionibus ipsam decepit, ad idem tenetur. Si

rursus

rursus promisit illam ducere, aut cum iuramento, aut sine illo, quamuis interius non intenderit illam ducere, tenetur tamen sub mortali ducere, si pater illius voluerit, aut ipsa vero noluerit, tenetur dotare. Quod si esset inæqualis sortis, quia est inferioris multò cõditionis, sufficeret dotare, &c. 2. par. tit. 2. cap. 1. §. 1. Idemq; fier, cum, qui promisit, erat coniugatus, aut habebat ordinem sacrum. Imò vide Nau. c. 16. nu. 18. quòd, quamuis verè promiserit, & possit ducere, tamen timeretur aliquod graue scandalum, sufficiat dotare. Quando verò virgo non decepta, nec coacta est, sed sponte consensit & acceptauit, tunc non est obligatio ad restitutionem ex iustitia, esset tamen ex charitate, cum persona nimis est potens, & fœmina pauper, vt timeat periculum perditionis filius. Hæc dicta sint de stupro.

Adulterium autem tripliciter fit. Est enim illicitus cõcubitus. Primus est coniugati cum soluta. Secundus coniugatæ cum soluto. Tertius, coniugatæ cum coniugato. De quo conuerso. Est autem peccatum mortale grauius stupro, quia noua malitia inuenitur in eo, maius damnum filiorum legitimorum, & fidelitatis matrimonialis peruersio. Aliquando autem cum stupro coniungitur, vt cum coniugatus rem habet cum virgine.

Erga adulterium aliquot sunt aduertenda.

Primum est, esse grauem quandam difficultatẽ apud Theologos. 4. sen. d. 15. & Canonistas, de officij, de pœnit. & rem. an adultera habens filium adulterij, & legitimos, teneatur reuelare factum, ne hæreditas obueniat illi, & damnum legitimi patiantur. In qua difficultate aliqua sunt, in quibus omnes conueniunt.

Primum est, si adultera habet aliqua bona propria libera, quæ possit quibus velit applicare, & his potest satisfacere de damnum, non tenetur reuelare, sed debet satisfacere aliis de legitimis, applicando illis tanta bona, in quantis damnificatur per filium spurium.

Secundo, si nulla habet talia bona, aut habet, sed insufficientia, si non sperat probabiliter se quicquam profuturam, quia non crederetur a filio spurio, nec praesertim animo (quia isti, vt dicemus post, non tenentur ei credere, tunc etiam) non tenetur reuelare, sed relinquere, & in tali casu confessarius est absoluendus.

Tertio, si sperat se profuturam, quia creditur, vel quia alia

debet

habit indicia, vt illi credere teneantur, si nullum est vitæ, aut publicæ infamiæ periculum, tenetur id manifestare, ne legitimi filij, aut hæredes: si filij non sunt, damnificentur: & in his tribus omnes concordant. At difficultas est, cùm sperat se profuturam, sed timet pro infamia aut morte. Et quidem cùm timetur infamia publica, communis est sententia, non teneri reuelari. Ita habet Scot. 4. dist. 15. q. 2. & Anton. 2. p. tit. 1. cap. 8. §1. & Medi. q. 3. de resti. cap. 4 & Caiet. verb adulterium, & multialij. At Soto lib. 4. q. 3. ar. 2. id limitat cum Adr. q 1. de resti. & Maior. 4. dist. 15. qu. 17 licet Adr. & Maior. simpliciter dicant, cum periculo infamiæ debere reuelare: cùm enim redditus sunt multum pingues, vt superent famam, aut æquent, adultera tenetur reuelare, etiam cum infamia: aliquando enim potest esse adultera infimæ conditionis, aut mediocris, & redditus pinguissimi: quod si tenues essent, & fama esset maior, non tenetur. Dubium maius est de periculo vitæ, Innocen. Hostien Panorm. cap. allegato officij, non teneri cum periculo vitæ asserunt, cum Theologis, Gabr. dist. 15. q. 2. ar. 2. Sylu. verb. adulterium §. 2. Angel. verb. adulterium. §. 4. & prædictis dicentibus non teneri cum infamia. Et ego ita credo, quia illud caput absolutè loquitur de timore, cum quo non tenetur; & ita tenet Nauar. cap. 19. num. 89. & ita videtur in illo cap. definiri ab Innoc. Papa. At Soto cum Adrian. loco citato limitat, cùm redditus sunt supra modum pingues, vt regnum, imperium, ducatus magnus: tunc enim debet subire tale periculum, maximè si bonum reipubl. maius illinc proueniat. In casibus verò ordinarijs, cùm periculo famæ vel vitæ non tenetur adultera reuelare. Aduertendum tamen est, adulterum teneri tandem restitutionem, ad quam tenetur adultera, meliori modo, quo potest, faciendam; non tamè tenetur reuelare. Hoc autem intelige, cùm suum esse scit probabiliter: hoc enim communis sententia docet, quamuis Soto dubitet de hac restitutione, sed absq; ratione. Cùm verò non cognoscit probabiliter, quia mulier leuis est, & cum alio rem habet, vide Sylu. ver. adulterium) esse suum, & non tenetur restituere.

Aduertendum tertiò, filium adulterij, secundùm sententiã communem, non teneri credere matri dicenti, eum esse ex adulterio. Panor. cap. per tuas, de probat. vult, non teneri credere, si vterq; parens dicat; nisi testimonia aut indicia sufficientia adducat. Si tamen fidem adhibeat matri, tenetur restituere hæreditatem, quamuis non teneatur ea reddere quæ

bona fide consumpsit. Similiter nec maritus tenetur reddere adulteræ. Hæc, quæ diximus de adultera, adultero & filio spurio, dicenda sunt de filio suppositicio, quę fœmina supponit, & finxit esse suum, ne hæreditas ad alios transiret; & de hoc loquitur illud cap. officij allegatum: quæ diximus cum de illo adulterij, dicenda sunt de isto: verus enim pater & fœmina supponens, tenentur restituere; vel reuelare tenetur fœmina se, vt diximus de adultera.

Aduertendum quartò, licitum esse ad occultandam infamiam, vel vitæ periculum, in adulterio filios exponere in hospitali, dummodo tamen pater & mater restituant omnes expensas hospitali, si habeant vnde possint reddere. Si vero pauperes sunt, non tenentur, quia talia loca pro pauperibus sufficiunt: debent tamen curam animæ pueri multum habere. Nunquam tamen licet propter vitandam mortem proprium & aliorum etiam occidere puerum, sed est graue mortale similiter abortum facere.

Aduertendum tandem est, quòd inter alias pœnas adulterorum, hæc vna est, vt adulter perdat ius petendi debitum vxori, si maritus adulterauit cum aliqua, potest quidem vxori reddere, sed non habet ius petendi, adeo vt possit vxor absque peccato negare debitum, quod ante adulterium non poterat sine mortali. Similiter vir potest negare vxori adulteræ, & hæc licet possit petere, tamen non ex iure seu iustitia obligatur virum ad reddendum. De hoc tamen dicendum est infernis, in materia de matrimonio.

De incestu, raptu, & sacrilegio.

CAPVT XII.

QVarta species est incestus. Est autem copula cum consanguinea aut affine intra quartū gradum, & peccatum est mortale grauius præcedentibus. Quò autem maior est coniunctio, eò maius est peccatum. Vnde incestus cum consanguinea maius est peccatum quàm cum affine; & iuxta consanguineas cum coniunctiori, sicut etiam inter affines. Incestus non solùm est peccatum, sed vnum ex impedimentis impedientibus matrimonium contrahendum, adeo vt peccet mortaliter, qui contrahit sine dispensatione, non tamen dirimitur contractum. Sed tenet communis opinio hoc impedi-

mento

mentum intelligi de vtroq; inceſtuoſo, tam qui affine, quam qui conſanguinea abuſus eſt. At Syluest. verb. matrimonium. 7. §. 6. ſolũ de affine intelligit, & hoc videtur probabilius, cum non ſit vllus textus tale impedimentum ponens. Qui igitur cum conſanguinea ſuæ vxoris rem habuit, ipſa mortua, non poteſt amplius ducere ſine diſpenſatione: Immò qui etiam rem habuit cum conſanguinea eius, cum qua fornicatus eſt, non poteſt ducere vxorem; nam fornicatio etiam facit affinitatem. Rurſus idem inceſtuoſus cum conſanguinea vxoris, non poteſt petere debitum, ſed ſolum reddere quouſq; obtineat diſpenſationem, quam poteſt dare Epiſcopus (Armilla verb. diſpen. §. 18.) ſicut etiam diſpenſationem ducendi vxorem, ſi prior moriatur, aut ſi inceſtuoſus non erat coniugatus.

Quinta ſpecies eſt, raptus. Hoc autem peccatum, quantum ad actum luxuriæ, non diſtinguitur ab aliis, ſed addit rapinam & violentiam quandam, ſiue cum ſoluta, ſiue cum coniugata, ſiue cum virgine, ſiue cum homine ſit. Hæc autem violentia fit aliquando ipſi fœminæ, aliquando patri, aliquando vtriq; ſimul, & ſemper eſt mortale peccatum, & tenetur raptor reſtituere raptam, vel patri, vel ſponſo, vel marito, ſi ſponſata, vel coniugata erat. Sunt autem pœnæ temporales contra raptores poſitæ, & ſpirituales, de quibus in Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 6. vbi raptores decernuntur infames, ipſo iure excommunicati, omnium dignitatum incapaces, & non ſolum hi, ſed omnes conſilium, auxilium & fauorem dantes. Eſt & alia quæ ad rem facit, & habetur 27. quæſt. 2. Can. ſtatutum, qui rapit alienam ſponſam, non poteſt amplius matrimonium contrahere, eſtque impedimentum impediens contrahendum, ſed non dirimens contractum, ſicut dictum eſt de inceſtu.

Sexta ſpecies eſt ſacrilegium, cùm copula ſit cum perſona Deo dicata per votum caſtitatis, aut religionis, aut copula ſit in loco ſacro. Vnde cùm Sacerdos, vel in minoribus cõſtitutus vel monachus, vel monialis copulã habet, grauiſſimè peccat ſacrilegij peccatum. Similiter laicus rem habens cum moniali, vel virgine Deo dicata. Rurſus cõmittit ſacrilegium, qui in loco ſacro copulam habet, & quamuis ſit coniugalis copula, eſt mortale, ſecundũ omnes. Vnum tamen dubiũ eſt apud Doctores, an ſi maritus, & vxor tenerentur cõcluſi in aliquo loco ſacro, vt inde nõ poſſent exire, licitè poſſent habere copulam.

Quidam dicunt, licitum esse, si multo tempore illic demeantur. Hoc habent Ricard. 4. dist. 32. sum. Ang. verb. debitum, §. fin. & Rosel. verb. debitum, §. 7. Quidam ibi negant & dicunt esse mortale. Id tenet Palud. dist. 32. qu. 4. & Tab. matrimonium. 3. §. 5.

At mihi videtur dicendum cum Sylu. verb. debitum. §. 6. Copulam coniugalem dupliciter fidei posse. Vno modo, ad vitandam incontinentiam & peccatum carnis, quo vexatur coniux.

Altero modo, ad alium finem vel delectationem, vel filiorum procreationem, sine necessitate tamen, vel periculo incontinentiæ.

In priori casu licitum est, nec Ecclesia polluitur; in secundo non licet, sed est mortale Est autem contra raptores, sollicitatores, vel corruptores monialium taxata pœna capitis in iure canonico. 27. q. 1. cap. si quis rapuerit, & ipsius bona monasterio deputantur. Est enim profectò peccatum magna animadversione dignum, & quod Deo summopere displicet.

De peccato contra naturam.

CAPVT XIII.

VLtima species peccati est contra naturam. Cuius quatuor sunt species: Mollities, Inordinatus concubitus, Sodomia, Bestialitas.

Mollities est voluntaria seminis emissio absq; copula; alias dici solet voluntaria pollutio. Est autem notandum esse tres pollutiones, quædam fit in somnis, quædam in vigilia, sed absq: consensu polluti: & dicitur inuoluntaria pollutio, quæ fit in his, qui seminis fluxum patiuntur; quædam fit in vigilia cum consensu, & dicitur pollutio voluntaria.

In primis, pollutio nocturna, quæ absq; vsu rationis fit, in se non est peccatum, quia non est voluntaria. Fit autem tripliciter; aliquando tota est in somnis; aliquãdo motus corporis accidit in somnis, tamen emissio fit fere in vigilia, ita tamen vt homo nondum habeat plenam libertatem se cohibendi; aliquando partim fit emissio in somno, partim in vigilia: & licet aliquando homo sit perfecte expergefactus, tamen non habet potestatem cohibendi se. Nullo horum modorum in se est mortale peccatum; in secundo & tertio potest esse venia-

le, si

e, si homo habuit aliquem vsum rationis, & potestatē habuit prohibendi, sed imperfectam, & non plenam: si enim plena esset, mortale esset. Quamuis autem non sit in se peccatum ista nocturna pollutio, tamen in antecedentibus ipsam, quod alij dicunt in causa, potest esse peccatum, & in subsequentibus, seu in effectu.

Tripliciter enim potest quis peccare in antecedentibus talē pollutionem.

Primò, in desiderio & affectu deliberato, vt si quis desideret deliberatè habere pollutionem, ob delectationem carnalem, mortaliter peccat. Dixi autem, *ob delectationem*, nam si quis desideraret ob finem bonum, scilicet sanitatem, vel ad leuandas carnis tentationes, quibus interdiu affligitur, non esset peccatum, secundum Nauar. cap. 16. nu. 6. quamuis Soto 4. dist. 12. q. 1 art. 7. non probet: tamen magis placet Nauar. opinio, dummodò non sit tale desiderium, quod sit causa pollutionis; nam quibus afficimur, solent in somnis occurrere. Si tamen tale desiderium sit, ex quo probabiliter non timetur pollutio, quia magis est speculatiuum, quam practicum, nec est multum intensum, non damnarem, quamuis, iudicio meo securius esset tali abstinere desiderio.

Secundò, potest esse peccatum in procurando ipsam pollutionem, & hoc semper est mortale, quamuis propter sanitatem fiat. Vnde qui vescitur rebus calidis, vel tali situ in lecto accumbit, hoc animo, vt in somno pollutio accidat, non excusatur à mortali, nec valet argumentum, licitum esse desiderare ob sanitatem, vt diximus, ergo licitum est procurare: non enim valet; Licet desiderare mortē alicui, quia homo iniquus & nociuus est, ergo licet eum occidere: consequentia nulla est; sic etiam nec ista consequentia in præsenti facta quicquam valet.

Tertiò, potest esse peccatum in non remouendo causam futuræ pollutionis. Vt tamen in hoc sit peccatum, aliqua sunt necessaria.

Primò, vt homo cognoscat probabiliter causam futuræ pollutionis, ipsamq; aduertat, aut debeat aduertere: si enim homo facit id, vnde pollutio sequitur, & cognoscit probabiliter inde euenturam pollutionem; aut, si non cognoscit, id est, maxima negligentia; vt qui experitur sæpè, ex eo quòd sic accumbit, pollutionem sequi, si non id aduertat, non excusatur, talis profectò peccat. Dixi autem, *probabiliter cognoscat*,

quia si dubitat de futura pollutione, & non habet moralem certitudinem, non est mortale, sed veniale, vt habet Sylu. verb. pollutio, vt qui vescitur cibo, quem dubitat pollutionem inducturum. Non tamen satis est aduertere, sed opus est, vt possit talem causam remouere: si enim non potest, non peccat, nisi in eo consentiat & complaceat.

Adhuc hoc non est satis, sed quamuis possit remouere, opus est vt talis sit causa, quam teneatur remouere: vnde, quando causa est bona & recta, quamuis cognoscat quis pollutionem euenturam, non ob id tenetur auferre, nec peccat nō auferendo: vt qui studet his rebus, vnde probabiliter cognoscit posteà futuras pollutiones, nō ob id peccat, quamuis studium non omittat, quia non tenetur omittere. Tenetur quidem, si ob curiositatem id studeret. Nec etiam tenetur auferre, quando causa non est mala, & ex ipsius ablatione sequitur nocumentum: vt qui ex eo quòd sic accumbit, aduertit se incurrere pollutionem, si aliter non potest dormire, non tenetur aliter accumbere, vt dicit Soto loco allegato. Similiter qui non habet cibos, quibus vescatur, nisi eum, vnde pollutionem sperat, non tenetur abstinere, si abstinentia talis ei noceat; cùm tamen causa mala est, aut talis, vt eis ablatio non inferat nocumentū, nec bonum aliquod impediat, tunc homo tenetur auferre, & non auferendo, cùm aduertat vel debeat aduertere, peccat. In his casibus peccatum accidit in causa, & antecedentibus pollutionem. Quandò verò alijs ex causis prouenit, puta, ex dæmonum illusione, vel naturæ debilitate, vel fortitudine, tunc nullum est peccatum in effectu.

Rursus, pollutio esse potest peccatum, vt si homo insuper pollutione complaceat ob delectationem, mortaliter peccat. Dicō autem, ob delectationem, quia complacere ob sanitatē, vel, vt tentationes carnales non sint ita vehementes, non est peccatum, vt habet Nauarr. loco citato, & ante ipsum habet Sylu. verb. pollutio. Hæc sunt de pollutione nocturna.

Pollutio autem peruigil, quæ fit, homine non volente, de se non est peccatum, quia est actus naturalis. Immò si voluntas cohibeat cōsensum, & patienter hoc ferat, est materia magni meriti.

Potest tamen in duobus casibus esse peccatum.

Primò, si sit complacentia deliberata in delectatione illa: tunc enim esset mortale; &, si non esset omnino indeliberata, esset veniale.

Secun-

Secundò, in causa, si homo non aufert causam, quam cognoscit, & potest, & tenetur auertere, tunc etiam mortaliter peccaret. Dico autem, *quam tenetur auertere*, quia si non tenetur; quia est bona, aut non est mala, sed auferri non potest absque graui nocumento, non peccat homo, non auferendo. Vnde Confessarius, si fortè, dum audit confessiones, in tales incidit pollutiones, non ob id tenetur non audire alios, nisi sit periculum complacentiæ in pollutione: tunc enim tenetur relinquere confessiones, & auferre peccati occasionem, secùs, non.

Tertia pollutio est voluntaria, quæ fit homine ipso consentiente, & hæc est peccatum mortale, & dicitur mollities, de qua dicitur 1. Corinth. 6. *Molles regnum Dei non possidebunt*, & est grauissimum omnium antecedentium, quia est contra naturam, nec licet propter sanitatẽ, nec propter vitam, nec propter quemcumque finem. Vnde grauissimè peccant Medici, qui talem actum consulunt ob sanitatem, nec excusantur à mortali, qui eis obediunt. Est autem hoc peccatum difficillimæ emendationis, quia occasio ferè semper est cum homine, & est adeò vniuersale, vt crediderim maximam partem damnatorum hoc infici peccato. Vix puto esse aliud efficax remedium, nisi frequentissimam confessionem cum vno, eodemque Confessario, vt fiat ter in hebdomada, si fieri possit: est enim hoc sacramentum maximum frænum, & qui hoc non vtitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum à Deo factum, aut rarissimum priuilegium. Est autem in hoc peccato attendendum, quòd in eo inuoluuntur alia: nam si homo desiderio & imaginatione adhæret alicui, dum ipsum cõmittit, est illius generis, cuius esset, si verè cõmitteretur cũ persona, quã affectat, vt, si affectat, & imaginatur virginẽ, est stupri, si coniugatã, adulterij, & sic de alijs: Immò sæpius in vno peccat actu, quoties in diuersas fertur personas, & sunt ista in cõfessione manifestanda. Ista pollutio aliquando cõmittitur à persona vna se prouocante ad eam, siue fœmina sit, siue mas, aliquãdo fit è duabus, vna alterã iuuante. vt cùm fœmina cum fœmina copulatur, aut mas, altero ipsum tangente se polluit, quod multis modis fit, quos libẽs prætermitto, quia scire non oportet. Hæc sunt quæ spectant ad pollutionẽ seu mollitiem.

Alterum peccatum est, inordinatus concubitus, cùm nempe fœmina in copula est desuper, aut cùm mas retrò accedit, vase non mutato; hoc autem peccatum ex se non est mortale,

nisi coniungatur cum mortali copula, putà, fornicatione, adulterio, & alijs: vnde fit, vt inter coniuges non sit mortale, vt habet Sylu. verb. debitum. § 6. nisi sit periculum seminis effusionis extra vas, aut fœtus impediatur: tunc enim esset mortale, aliàs veniale esset, nisi ob aliquam fieret necessitatem.

Tertium est sodomia, est quidem notum peccatum, sed abominabile, & iræ Dei nimis prouocatiuum.

Omnium tamen pessimum est bestialitas, cùm copula sit cum bruto animali, nec humana nequitia vltrà ferè ascendit. Sunt autem pro hoc, & pro antecedenti peccato, mortis pœnæ in iure ciuili meritò statutæ: nec enim debet viuere homo, qui cùm sit homo, non viuit vt homo.

De his, quæ in isto præcepto simul prohibentur.

CAPVT XIV.

NOn solùm quæ dicta sunt vitia, sed alia etiam multa, peccatum faciunt mortale contra istud præceptum.

Primò quidem desiderium, & affectus deliberatus rei venereæ, & ipsius operis, quod est mortale, facit etiam mortale. Dico autē deliberatum, cùm homo affectat & cōcupiscit ea, cùm à tali possit affectu abstinere.

Secundò, oscula, tactus, amplexus ob carnalem delectationem, sunt etiam peccata mortalia, quamuis homo non intendat copulam, sed solùm delectationem carnalem ex his insurgentem, vt bene docet Caiet. opusc. de delectatione morosa, tomo, quia talis delectatio ex se ad copulam ordinatur. Licerent tamen ista inter sponsos, dummodò non esset periculum probabile pollutionis: tunc enim esset mortale, etiam inter coniuges.

Tertiò, videre fœminas aut viros, animo concupiscendi ad copulam, etiam est mortale; tamen ad solam delectationem carnalem, quæ ex visione insurgit, solum est veniale, vt notat Caietan. loco allegato. Idemque dicendum de auditu & locutione rerum venerearum, si deliberatio non transit ad res ipsas, quæ per talia verba exprimuntur: tunc enim mortale est.

Quartò, opera externa, quæ sunt ordinata, & hoc animo facta, pu-

ta, putà, ad rem veneream, sunt mortalia, vt vestire se nouis vestimentis, vt ab alijs concupiscatur, literas amatorias scribere, visitare loca talia, & reliqua huiusmodi.

Quintò, delectatio morosa etiam est peccatum mortale. Incuius gratiam aduerte, delectationem consequi in nobis ex cognitione aliqua, siue per intellectum, siue per imaginationem, siue per sensus fiat. Cùm autem delectatio sequitur ex cognitione alicuius rei, & facti boni, non est mala; cum verò consequitur ex aliqua re mala, tunc potest esse mala, si sit morosa. Dicitur autem morosa, cùm homo consentit delectationi illi liberè, aut cùm potest prohibere, & tenetur prohibere, & non prohibet, & remouet. Cùm igitur delectatio sequitur ex cognitione alicuius peccati mortalis, est mortale, si morosa sit: vt qui cogitat rem veneream, & ex tali sequitur delectatio morosa, mortaliter peccat, aut consentiendo delectationi, aut non expellendo eam, cum possit, & teneatur; idemque est de alijs peccatis.

Aduerte autem, quòd non omnis delectatio est delectatio morosa, cùm non prohibetur, licet possit prohiberi, sed cũ non prohibetur ob ipsam delectationem, quia homo vult delectari: si enim non prohibet, ob finem bonum, vt qui causa vincendi tentationes, & pugnandi, id faceret, nõ peccaret, nisi subiret periculum cõsentiendi. Vt autem sit peccatum, debet homo aduertere talem delectationem, aut debuisse aduertere, aliàs non est mortale, vt dictum est de pollutione.

Nota tamen, delectationem morosam non solùm esse peccatum mortale, cùm consurgit ex actu mortali, sed cùm etiam consurgit ex actu aliàs licito, sed non tunc, vt qui cogitat actum coniugalem post factum, & delectationi præsenti modò consentit, mortaliter peccat, quia ille actus non est licitus, nisi dum fit.

De septimo præcepto, Quid sit furtum.

CAPVT XV.

SEptimum præceptum habetur Exod. 20. *Non furaberis.* Erga quod quatuor inquirenda sunt. Primò quid sit furtum. Secundò, quot, & quæ ipsius species. Tertiò, quale, & quantum peccatum. Quartò, ad quæ teneatur, qui furatus est.

Quantum ad primum, omnibus alijs definitionibus missis, mihi videtur commodiùs posse sic definiri in commun, vt in isto præcepto prohibetur: *Furtum est ablatio rei alienæ, inuito domino*. In qua sunt quatuor particulæ.

Prima est, *ablatio rei alienæ*. Nolui dicere acceptionem rei alienæ, vt alij dicunt, quia furtum non solùm est accepto alieni, sed etiam detentio alieni apud se, & etiam damnificatio alieni, vt qui comburit rem alienam: ob id dicitur ablatio, quia ablatio comprehendit acceptionem, detentionem, damnificationem.

Secunda est, *alienæ*. Vocamus autem in præsenti rem alienam, quæ vel alterius est, vel est in alterius potestate. Vnde qui ab alio auferret, quod in eius deposito erat, diceretur auferre alienum, quod in alterius est potestate, quia modo aliquo aufert.

Tertia est, *inuito domino*: cum enim dominus sponte dat, & se suo priuat, qui accipit, non dicitur furari.

Adhuc tamen ista tria non constituunt plenam furti rationem, nisi accedat quarta particula, nempè *iniusta*, id est, contra iustitiam facta, per quam particulam multæ ablationes ratione furti excusantur.

Prima, cùm fit ablatio ex ioco: quamuis enim inuito domino fiat ablatio, non tamen censetur furtum.

Secunda, cùm fit in pœnam; vnde filij Israel auferentes diuitias AEgyptiorum, non commiserunt furtum: nam Deus eos in pœnam spoliari voluit. Quam sententiam exequi sunt Iudæi, Deo per Moysen id manifestante. Simile esset, si Princeps aliquem sic damnaret, quamuis damnatio fieri deberet secundum iuris formam.

Tertia, cùm fit in bonum finem, & conuertitur ablatum in vtilitatem ipsius, à quo aufertur, si fieri potest. Vnde non peccat, nec est furtũ, cùm quis ab amente ensem subripit, ne illum percutiat, dummodò vendat eum, & in vtilitatem amentis conuertat: nec furatur vxor (Sylu. verb. furtum §. 15.) quæ pecunias aufert secretò à marito, ne in ludis, vel comessationibus profundat, si illa in vsum familiæ conuertat; nec peccat, qui vinum effundit, ne alius inebrietur; nec qui chartas rumpit, ne ludant alij. Nulla harum ablationum, quamuis inuito fiant domino, furtum dicitur, cùm non contra iustitiam, sed secundum charitatem fiant.

Quartò, cùm fit vrgente necessitate: cùm enim aliquis est in extre-

extrema necessitate vitæ, aut in eius periculo probabili, si secretò ab alio accipiat sibi, quod necessarium est, non est fur, nec facit contra iustitiam; maximè cùm iste alijs non dat: sed hoc non licet in quacumque necessitate, sed grauissima, & ferè extrema.

Quintò, cum aliquis capit, quod aliàs sibi debetur, sed alter non vult soluere. Vnde, si quis secretò à debitore sumeret pecunias, quæ sibi erant debitæ, non furatur, nec tenetur ad restitutionem; quamuis aliquando peccet sumendo; aliquando autem non peccabit, si seruet aliquot conditiones.

Prima, vt sit certus tales sibi deberi pecunias.

Secunda, vt commodè non possit eas exigere coram iudice, quia debitor est potens, siue quia nõ potest probare debitum, siue quia timet sibi aliquod malum ab illo, vel scandalum euenturum. Cùm tamen nihil horum esset, sed posset commodè suas exigere pecunias, peccaret rapiendo occultè: tamen ad restitutionem non teneretur. Ita habet Archid. 14. qu. 5. Can. non sanè.

Tertia, dum scandalum, vel nocumentum alijs non sequatur: si enim ex illa occulta ablatione alij venirent in suspicionem, vnde nocumentum paterẽtur, nõ potest absque peccato auferre, quamuis, si auferret, non teneatur ad restitutionem eius, quod abstulit. Aliquãdo tamen obligatur ad manifestandum factum, cùm graue esset innocentium incommodum, vel ad reddendum, quod abstulit. Ita habet Innoc. cap. olim de restit. spol. vbi dicit: *Quidam dicunt, & non malè, quòd etiam sua authoritate potest quis accipere furtiuè; dummodo ex tali furto nec malum, nec scandalum valeat generari, quia si inde oritur, vel contra vxorem, vel contra familiarem, vel contra quemcumq; alium, hic debet rem in pristinum statum restituere.*

Quartò, debet prouidere inquantum potest, ne ille, à quo sumpsit, restituat illud debitum, quod iam fuit ab illo ablatum & inuitus soluerat.

Quintò, nihil aliud debet sumere vltra id, quod erat debitum ei. Vnde si pactum fuit factum inter dominum, & famulum, non potest famulus vltra pactum sumere, alias tenetur ad restitutionem, quamuis vere pretium, aut merces pacti nõ fuit sufficiens, si liberè fecit tale pactum, nec coactus est famulus seruire sub illa pecunia; & dum dominus posteà non coëgerit illum in alijs officijs famulari, de quibus non conuenit:

tunc

tunc enim dominus tenetur soluere vltra pactum: quo nolente, famulus posset capere, & completo pacto, denuò pacisci, etiam de illis seruitijs de nouo adiunctis: non enim, stante pacto potest amplius famulus sumere: nisi seruire cogatur. Quando verò pactum non est factum, sed relictum est in dominiâ voluntate, tunc mensurari debet iuxta summam, quæ ordinariè solet ab alijs pro tali famulatu exigi. Omnes hæ igitur acceptiones furta non sunt, cùm non sint contra iustitiam: omnes enim hæ quatuor partes ad furti rationem conuenire debent.

De speciebus furti, & quod peccatum sit furtum.

CAPVT XVI.

FVrti generaliter dicti duæ sunt species, prout ad præsens attinet, furtum specialiter dictum, & rapina: cùm enim aliquid aufertur ab aliquo, absque violentia ei inculsa, sed ignorante eo, dicitur furtum; cùm verò aliqua ei vis infertur, rapina dicitur. Furtum autem in genere vtramque speciem includit. Mortale peccatum est ex genere suo, cùm sit contra vnum ex decem præceptis Decalogi. Fit autem mortale, cum quod quis furatur, notabilis est quantitas. Quæret aliquis, quæ dicatur notabilis quantitas. Ad quod dico, duplicem esse notabilem quantitatem, alteram secundum se, & hæc est, quæ ab omnibus censetur mediocris, aut grandis valoris, vt est quantitas quatuor iuliorum: hanc enim à quocunque etiam diuitissimo furari, mortale esset.

Altera est notabilis quantitas, respectu eius, à quo rapitur, sicut esset quarta pars iulij, respectu cuiusdam pauperis: hanc enim furari mortale esset. Cum verò est parua quantitas secundum se, & respectu etiam alterius, tunc furtum est veniale, vt qui furaretur pomum, vel calamum, vel quid simile: quamuis autem hoc sit veniale, tamen ratione quarundam circumstantiarum posset fieri mortale.

Primò, cum qui furatur, animo accedit furandi notabilem quantitatem; sed quia paruam inuenit, paruam rapit, hoc est mortale peccatum, non ratione furti: nam, quamuis nihil inueniret, esset adhuc mortale, sed ratione animi, quo accedit.

Secun-

Secundò, cùm ; qui parum furatur, cognoscit probabiliter dominum illius ex tali furto prorumpturum in blasphemiam, vel in mortale peccatum, quia iracundus, & impatiens est nimis, qui hoc sciens furatur, vt calamum, etiam ioco, mortaliter peccat ; cum tamen ignorans furatus est, non peccat, nisi venialiter, licèt ille postea in peccatum prorumpat.

Tertiò, cum illa parua quantitas erat multum vtilis domino, & ex defectu in magnum incidit nocumentum, tunc qui furriperet, si id præcognosceret, mortaliter peccaret, vt qui sutori non habenti acum aliam, nec vnde habeat, illam furatur scienter, & qui ab aliquo artifice furatur instrumentum, quo rapto, verisimile est saltem diei opus perditurum.

Quartò, cùm quis tot quantitates paruas furatur, vt magnã adæquent, vt qui ab hoc vnum obulum, ab alio alium, & à multis simile, vt fiat magna quantitas. Nota tamen, non semper hoc esse mortale, nisi cùm homo animum suum habet ista furta committendi : tunc enim pro vno reputatur. & sic peccant multi minutas res vendentes, & in singulis obolum vltra iustitiam exigentes; & famuli, qui ex multis dominorũ rebus volũt, ex singulis singula minuta subtrahere: qui tamen animum hunc non habet, nec officio, sed casu, modò vnum, modò alterum furatur obolum, quãuis temporis discursu notabilis fiat quantitas, non est mortale, sed multa sunt venialia. Furtum autem ex genere suo non solùm mortale peccatum est, sed ad restitutionẽ obligat. Huius occasione oportet de restitutione agere: quamuis non solùm qui furantur, sed etiam alij multi rem alienam etiam iustè accipientes, ad restitutionem teneantur.

Quid restitutio, quis restituere teneatur, ratione rei malè acceptæ.

CAPVT XVII.

OPortet primùm, quid restitutio sit, constituere, deinde ea, quæ ad ipsam spectant. Est autem restitutio, *actus iustitiæ, quo cuique redditur, quod ab eo ablatum, vel acceptum* : in qua definitione quatuor particulæ continentur.

Prima est, *actus iustitiæ*: iustitia enim quædam est virtus, quæ dirigit hominem, ne quod alterius est rapiat, &, si quid rapuit,

vt red-

vt reddat. Ob id dicitur, æquabilitatem facere in rebus. Loquimur enim de iustitia ea, quæ commutatiua dicitur, cuius actus & operatio quædam est restitutio.

Secunda particula est, *quo vnicuique redditur*. Iustitia enim facit, vt quod debemus alicui, ei demus, & hoc dicitur soluere. Facit etiam, vt, quod ab altero accepimus, vel abstulimus, reddamus, id est, iterum in sua potestate ponamus; & talis actus est restitutio. Ob id dicitur, *quo vnicuique redditur*. Et notandum, dupliciter alicui reddi aliquid, vno modo, cùm ipsimet redditur; altero modo, cùm redditur alicui pertinenti ad ipsum, vt vxori, filijs, vel hæredibus, vel alijs. Vtroq; modo fieri solet restitutio, vt inferiùs dicemus.

Tertia particula est, *quod ab eo ablatum est*. Per ablationem intelligimus iniustam acceptionem, qua ab altero aliquid abstulimus, putà furando vel rapiendo, aut damnificando, in persona, fama, vita, & rebus, & alijs; aut iniustè, quæ illius sunt, detinendo. Ad restitutionem enim spectat, talia ablata reddere.

Quarta particula, *vel acceptum est*: per quod verbum iustam actionem habendi, quod alterius est, intelligimus, siue per mutuum, siue per censum, aliosve contractus inferiùs dicendos. Est igitur restitutio, reddere cuique, quod ab eo abstulimus vel accepimus.

Ea quæ ad restitutionem pertinent, nouem sunt, & in horum tractatione tota consistit materia. Sunt autem hæc, quis restituere tenetur, quid habet restituere, & cui est faciendo restitutio, & quantum est reddendum, & quo modo, & quo tempore, quo ordine, quo loco, & quæ sunt causæ, propter quas aliquis excusetur ab obligatione restituendi. Hæc omnia his duobus carminibus continentur.

Quid, quis restituet, cui, quantum, quomodo, quando;
Ordine, quove loco, quæ causa excusat iniquum.

Incipiendum est igitur ab eo, qui tenetur restituere. Quis ergo restituet? In huius gratiam nota. Cùm aliquis capit quod alterius est, sunt ibi duo consideranda, & ipsa res accepta, & ablata, & ipsa actio, qua aufertur vel accipitur. Res autem potest & malè & benè seu iustè accipi. Vnde fit, vt sint quatuor species, res iniustè accepta, res iustè accepta, mala actio, & accepta bona seu iusta, seu iniusta. Ad hęc quatuor tamquã ad quatuor radices, & principia oportet resoluere hoc, vt cognoscatur,

tur, quis obligetur ad restitutionem. Nam obligari quis potest aut vna, aut pluribus ex his radicibus, quarum singulæ explicandæ sunt.

De prima ergo ratione rei malè acceptæ, sit generalis regula: Omnis qui habet rem ipsam acceptam malè, tenetur ipsam restituere, siue bona fide, siue mala habuerit, ver. gra. aliquis emit à latrone equum, quem furatus erat, hic, in cuius potestate est equus, tenetur ipsum restituere domino, absque vllo pretio; nam rei malè acceptæ nullus dominium verum acquirit. Ille dicitur habere rem bona fide, qui existimat esse rem suam, quia nesciebat esse latronem, à quo emit, vel quia se iustum titulum habere rei talis putabat: ille autem simul atque cognouerit non esse suum, tenetur reddere, & si sit in mora, iam est possessor malæ fidei. Ille verò dicitur habere mala fide, qui se non habere iustum titulum existimat, vt qui emit à latrone, quem sciebat esse latronem, & rem esse furtiuam. Vterque possessor tam malæ quàm bonæ fidei, si rem ipsam habeat, ratione rei acceptæ tenetur restituere, sed cum differentia notanda.

Primò, malæ fidei possessor, quocumque modo res pereat, tenetur ad restituendum: vnde qui emit scienter à latrone equum, tenetur restituere domino, siue habeat adhuc equum, siue furto fuerit ei sublatus, siue vendiderit alteri siue mortuus fuerit. At verò bonæ fidei possessor non tenetur rem restituere, si stante bona fide, res ipsa perit: vnde, si, stante bona fide, ab eo forte sublatus est, vel mortuus est, vel venditus tanti, quanti emptus, ad nihil tenetur, quamuis postea sciat fuisse furtiuum: tenetur tamen eum, cui vendidit, seruare indemnem & restituere pretium, si forte ab illo fuerit ablatus, vt domino reddatur. Dico autem, stante bona fide: nam si post bonam fidem acquisiuit malam, quia sciebat rem esse furtiuam nec esse suam, & tunc habet rem, non potest vendere, & si vendat, adhuc tenetur restituere. Similiter, si sit mora, quia vult reddere domino, cum possit, quamuis res pereat, semper tenetur ad restitutionem, sicut dictum est de malæ fidei possessore. Notandum tamen, quòd licet non teneatur restituere rem, quæ in bona fide perijt, tenetur tamen reddere quod per illam lucratus est, & habuit, quod non habebat. Vnde, si pluris vendidit, tenetur excessum reddere. Et, si ei dono equus datus est, & vendidit, totum reddere tenetur, deductis suis expensis; & satis sit tunc habere plus, nec minus quàm habebat.

Secun-

Secunda differentia est, malæ fidei possessor non solùm tenetur rem restituere, sed totũ damnum emergens, & lucrum cessans, quod domino euenit ex mora restitutionis: v.g. emit quis scienter à latrone equum locationis, & detinuit per duos menses, iste tenetur, non solùm equum domino reddere, sed illud etiam, quod dominus lucratus esset illis mensibus, tempore ipsius equi; quamuis iste, qui emit equum otiosum, habuerit: & si aliquod damnum inde domino euenit, ipsum reparare tenetur. At verò bonæ fidei possessor nõ tenetur ad hoc, sed solùm ad ea, in quibus factus est ditior, id est, ea, quæ habet vltra id, quod habiturus esset, si rem non habuisset: v.g. si talentum equum habuisset otiosum, ad nihil teneretur, nisi ad ipsius equi restitutionem: si verò locasset, & lucratus esset, teneretur ad lucrum etiam reddendum, deductis expensis proprijs, vt ita nullo ex proprijs damnificetur.

Rursus, sit aliud exemplum. Aliquis inuitatus est ad splendidissimum conuiuium, in quo res magni pretij consumpsit: tunc, si mala fide accessit, quia sciebat omnia illa esse furtiua, tenetur restituere quantum consumpsit; si verò bona fide, & posteà sciuit esse illà ex furto, solùm tenetur reddere quantum lucratus est, id est, quantum ipse consumpsisset ex proprijs, si illa non consumpsisset. Vnde, si non erat consumpturus, nisi libram arietis, & libram panis, ad horum valorem tantùm tenetur.

Rursus, si iste, qui bona fide emit equum locationis à latrone, ipso vtitur, & iter facit eques per mensem, si postea sciat non esse verè suum, tunc oportet aduertere, an talis homo, si equum non habuisset, fuisset alium conducturus; si enim non, & pedes iuisset, nisi vt suum habuisset, ad nihil amplius teneatur; si verò alium fuisset conducturus, tenetur reddere quantum ipse alias expendere putarat.

Rursus, qui emit vestem pretiosam vili, bona fide, & quasi consumptam, constat non fuisse suã, tenetur restituere, quantum ipse in alia veste expendisset, nisi illam emisset: at malæ fidei possessor, tenetur restituere, quantum vestis illa valebat, quando emit eam

Tertia differentia est, bonæ fidei possessor potest præscribere, aut vsucapere rem ipsam; at verò malæ fidei, nunquam. Explico; ad lites interimendas, iura concesserunt, vt qui spatio temporis rem haberet, ac si esset sua, licet vere non esset, dominium ipsius acquireret, & hoc in rebus mobilibus dicitur

vsuca-

vsucapio, in immobilibus dicitur præscriptio: est autem tempus vsucapionis, triennium: in prescriptione est aliquando decennium, aliquando viginti, aliquando triginta anni, vt alias est declarandum. Dico igitur: qui rem bona fide habet, potest vsucapere, & præscribere, vt, si post tempus cõpareat non fuisse suam, ad nihil teneatur; nec ipsam restituere: at verò malæ fidei possessor, nullo potest tempore præscribere.

Quartam differentiam ponit Nauar. cap. 17. num. 9. Bonæ fidei possessor, potest vendenti rem reddere, cùm comperit nõ esse suam; at verò malæ fidei, non; sed domino. Sed hæc differentia nulla est. Nam vterq; possessor potest reddere venditori, & recuperare suum pretium. Si autem hoc non posset, tunc reddere domino tenetur, & istam sententiam tenet Alexand. de Ales 4. part. quæst. 86. art. 5. & Sylvest. verb restitutio, 3. § 7. quamuis aliqui contrarium putent. Vnde potest, qui emit à latrone quacumque fide, reddere latroni emptum, si potest, ipsum tamen exhortari debet, vt reddat, Sot. lib. 4. quæst. 7. art. 2. dicit aliquem excusari ignorantia iuris, vt quamuis latroni reddat, nec peccet, nec obligetur domino; sed istud ius nullum est: ob id, non est necessaria ignorantia, melius dicendum puto cum Alexan.

Quis restituere teneatur ratione rei benè acceptæ.

CAPVT XVII.

ALtera radix restitutionis est, res benè accepta à domino, qui in alterius existens potestate, ipsum obligat ad restitutionem. Hæc autem res præcipuè quatuor modis habetur, commodatione, locatione, pignoratione, & deposito. Qui igitur rem alterius hac via habet, tempore statuto completo, reddere tenetur, dummodò tamen illa res non perierit: si enim periit, amplius non tenetur, nisi in quatuor casibus. Primus, quando ex malitia, vel negligentia ipsius habentis periit: ex malitia quidem, si vendidit, vel eam alienauit: ex negligentia, si non adhibuit diligentiam, quam tenebatur. Ea autem debet esse mediocris, & maior, si pro deposito conseruandi filiem pecuniam accepit; maiorque debet esse diligentia in commodato, quam in deposito, quia illud est in propriam vtilitatem: nulla tamen negligentia obligat ad restitutionem,

quæ non sit mortale peccatum. Cùm verò res periit, non ex negligentia, vel malitia habentis, sed quia fortè furto sublata est, vel perdita, vel mortua, non est obligatio restitutionis, nisi in secundo casu, cùm conuertit illam rem ad alios vsus, ad quos eam non accepit, & ex tali conuersione res periit: v. g. locat quis equum alicui, vt eat Neapolim, ipse proficiscitur Mediolanum, si in via à latronibus rapiatur, tenetur ad restitutionem, quia non accepit equum à locante ad talem finem: similia sunt alia exempla in alijs.

Tertiò, cùm est in mora reddendi alienum, & in tali mora perit res: verbi gratia, qui noluit reddere depositum, vel pignus, vel commodatum, vel locatum, quando tenebatur reddere, & poterat, si, illo tempore res pereat, restituere tenetur: vt qui equum locat pro tribus mensibus, & ipse differt in tertio ac in quarto perit, tunc tenetur reddere maximè si ex mora perit. Similiter si furto rapitur pignus tempore moræ, tenetur reddere.

Quartò, cùm conuentio facta est inter ipsos dantem, & accipientem, vt res pereat in damnum recipientis; tunc enim tenetur iste restituere. Extra hos casus, res perit domino, non autem ipsi habenti. Aduerte autem, esse commodatum, cum res eadem redditur, quæ datur; mutuum autem, cùm redditur æquiualens, aut pretium. In mutuo autem res non perit, nisi in damnum recipientis, vt dicendum est posteà.

Ad hanc obligationem, ratione rei bene acceptæ, reduci potest obligatio restituendi res inuentas. In cuius gratiam nota. Tripliciter se habent res inuentæ.

Quædam sunt, quæ non apparent vllum habuisse dominũ, vt lapilli, & gemmæ, quæ in locis, vbi naturaliter generantur, apparent, vt ad maris littora, vel in aliquibus montibus, & qui inuenit eas, potest sibi habere; non enim obligatur restituere, cùm nullius essent.

Aliæ sunt, quæ probabiliter dominium habent, aut ipsum, cuius erant, aut hæredes, quales sunt hæ, quæ potiùs inueniri solent in vijs, aut in domibus ab alijs emptis, quamuis absconditæ sint in muris, vel cauernis aliquibus; & has inuentor tenetur domino reddere, & facere diligentiam aliquam, vt inueniat (expensis sumptis ex ipsamet re inuenta:) domino autẽ non comparente, secundum sententiam communem, debent reddi pauperibus. Quamuis ad hoc, non sit alia cogens ratio, nisi quia sic omnes doctores dicunt. Vnde Soto libr. 5. quæst. 4.

art. 3.

art.3. dubius est de hoc, tamen condescendit opinioni communi. Verum est, si inuentor esset pauper, posset sibi aut totū, aut partem pro ratione necessitatis applicare, & maximè cum consilio Confessariorum, licèt hoc non sit necessarium, vt dicit Soto. Si autem pòst inueniretur dominus, amplius non tenetur iste reddere, si sufficiens facta fuerit diligentia, vt inueniretur dominus.

Quædam aliæ sunt res, quæ dominum habuerunt, sed iam non habent, vt thesauri vetusti, quorum dominus ignoratur, & si quis inuenit tales in fundo proprio, totum sibi vendicare potest; si in alieno, mediam partem, si domini voluntate extrahit. si enim ipsi inscio, totum perdit. Sunt tamen leges particulares Principum, aliquas sibi partes reseruantium, quibus parendum est, & est restitutio facienda, etiam ante sentētiam. Dicit autem vnum S. Thom. 2.2.q.66.art.5. quem aliqui sequūtur: quod si quis in alieno agro sciret esse thesaurum, posset emere, non admonito domino, & postea totum sibi sumere, quia dominus agri non vendit nisi superficiem, & huius habet pretium suum. Aliqui tenent contrarium, sed quia in rebus moralibus securè potest tantorum opinio amplecti, nos eam sequimur. Hæc igitur est secunda radix restitutionis.

De tertia radice, quæ dicitur iniusta actio.

CAPVT XIX.

TErtia radix restitutio est iniusta actio, qua, quod alterius est, aufertur. Est autem maximè notandum pro tota hac materia, esse peccata in duplici differentia, quædam sunt contra solam Dei charitatem, vel proximi, quædam sunt contra iustitiam: v.gr. si quis non dat eleemosynam proximo in maxima necessitate posito, peccat contra charitatem: si quis autem non reddit quod debet, peccat contra iustitiam.

Est autem generalis regula: ex peccatis contra solam charitatem, nulla erit obligatio restitutionis, nisi sit ratio iniustitiæ sibi coniuncta. Vnde, ille, qui non dedit eleemosynam, peccauit quidem, sed ad restitutionem non tenetur, & hoc in multis casibus sequentibus manifestatur. Hinc fit, vt actio mala, quæ radix est restitutionis, debeat esse sic mala, vt

sit contra iustitiam, alias non obligat ad restitutionem: hinc fit vt mulieres accipientes pretium pro vitio carnis non obligentur ad restitutionem, quia actio ista non est mala contra iustitiam, quamuis sint virgines, & coniugatæ, & cuiusq; conditionis, vt habet Anton. 2. part. tit. 2. c. 1. & quamuis accipiant pecunias in excessu, vltra pretium actus turpis, si liberè donentur illis. Esset quidem obligatio ad restitutionem, si aliqua iniustitia immisceretur, quæ duplex esse potest; altera, cùm, qui dat, non potest dare, quia seruus est, aut filiusfamilias, non habens proprium in tanta quantitate, quantum dat. Altera est, cùm fraude extorquetur ab illo pecunia, putà, cùm fœmina non virgo se virginem fingit, aut quæ communiter aliis se tradit, mentitur se non tradi nisi nobilissimis, ob idq; plus pecuniæ extorquet: in his casibus iniustitia est, & tenetur fœmina illa restituere quod ratione iniustitiæ plus exegit. Actio igitur mala obligans ad restitutionem, debet esse contra iustitiam. Hæc autem præcipuè quadruplex est: impedire, ne alius bonum consequatur, quod alias erat cõsequuturus: inferre alteri damnum: accipere, quod alterius est, ipso inuito: detinere etiam quod alterius est, ipso inuito.

In primis, de eo, qui impedit alium à consequutione rei, quam alias erat habiturus, sit regula generalis notanda: qui impedit iniustè alium, ne consequatur id, quod alias iustè erat consequuturus, tenetur eidem ad restitutionem. Explicatur hoc.

Duæ sunt conditiones, vt impediens obligetur ad restitutionem.

Altera, vt impeditus possit iustè habere rem, à cuius consequutione impeditur, cùm autem non potest iustè habere, quouis modo quis impediat, non tenetur reddere, quia nõ infert ius alterius. Vnde, qui impedit indignum, ne consequatur beneficium, licèt possit peccare mortaliter, quia ex odio facit, vel illicita via, non tenetur ei quicquam reddere, quia non habet ius. Nec satis est, posse habere iustè, sed quod habiturus esset, nisi ille impediuisset: nam non dicitur impedimentum rè, nisi cùm res alias habenda, prohibetur ne habeatur. Non tamen satis hoc est, sed opus est, vt qui impedit, aliqua via iniusta, non solùm mala, sed contra iustitiam impediat. Si enim ex odio impedit, vel precibus circa eum, qui dare vult, fugis vel pollicitationibus, vel alia via etiam mala, & contra charitatem, non tenetur restituere, nisi sit via contra iustitiã, puta,

ſit vis, aut dolus, aut fraus : verbi gratia, vult Epiſcopus dare beneficium digno, ſi quis impediat, imponendo ei falſum teſtimonium, vel detegendo crimen omninò occultum, licèt verum; vel dignum cogendo, aut decipiendo, ne compareat, tenetur reſtituere ei beneficij valorem, quia iniuſta via impedit. Et attende cum ſancto Thoma 2.2.q.62.art.2. quòd ſi iam firmum erat Epiſcopo, illi dare beneficium, vel accepturus habebat certum ius, reſtituendum eſt ei in totum, licèt actu non habebat; cùm verò ius habebat probabile, in parte, pro maiori, vel minori probabilitate, ſecundùm quàm certum habebat beneficium, ceſſante impedimento: cùm enim probabile eſt, illum non accepturum fuiſſe beneficium, non eſt obligatio reſtitutionis. Quod dicimus de beneficio, dicendum eſt de teſtamento, vt benè dicit Soto, lib.4.q.6. art.3. qui enim firmam voluntatem dandi alicui impedit contra iuſtitiam, tenetur reſtituere illi, cui dandum erat; dicat quicquid velit Syl. reſtitutio.3.§.12. Similiter, qui impedit contra iuſtitiam operarios, & eos, qui negotia tractant, obligatur reſtituere. Ob id multùm videant iudices, ne detineant iniuſtè homines operarios, & negotiatores in carceribus : obligantur enim reſtituere eis omnia, quæ aliàs illi lucrati eſſent illo tempore iniuſtæ detentionis.

Altera iniuſta actio eſt, damnificatio, qua alicui nocumentum infertur contra iuſtitiam. Hæc autem poteſt eſſe, aut in anima, aut in corpore, aut in rebus : de honore enim & fama, dicemus in præcepto octauo. Ille nocet in anima, qui cauſa eſt alteri, vt mortaliter peccet, vel aliquem errorem contra fidem imbibat; & qui hoc contra iuſtitiam fecit, putà, dolo, & fraude tenetur veritatem aperire, ſi tale peccatum continuatur; ſi verò non dolo, nec fraude, ſed vel precibus, vel pollicitationibus, non tenetur. Et hoc idem dicendum eſt, de eo, qui monachum extrahit à monaſterio : ſi enim vi, vel fraude extraxit, tenetur reſcindere vim, & fraudem; vt, ſi ille velit regredi, poſſit. Quòd ſi non regrediatur, non tenetur loco eius intrare, vt aliqui dixerunt; tenetur tamen ad ſatisfactionem aliquam monaſterio, ſi ille monachus erat multum frugi, & vtilis monaſterio, vt docet Soto lib.4.q.6.ar.3. Si autem non vi, vel fraude extraxit, ſed precibus, ad nihil tenetur, ſed ſolũ manet peccatum contra charitatem. Ille nocet in corpore, qui occidit, percutit, vulnerat, vel mutilat, & ſi ille, cui nocetur, eſt ſeruus, tenetur nocens reſtituere domino totum damnum; vt, ſi occi-

dit, tenetur reddere pretium illius, & expensas in illo curando consumptas; si vulnerauit, vel mutilauit, debet etiam expensas curationis, & totum id, quod minus valet seruus, ob illam læsionem. Si autem liber est, tenetur nocens reddere familiæ, & hæredibus necessarijs, putà filijs, & parentibus, damnum, quod ex morte incurrerunt: vt si pauperis erant, & ab occiso alebantur, nocens eos alere tenetur: si non manent occisores, vnde alantur illi. Si verò operarius est vulneratus, vel mutilatus, nocens tenetur reddere expensas in curatione cõsumptas, & totum, quod perdidit illo tempore: & si fortè amplius laborare non valet, sunt opera eius ipsi restituenda. Cum verò non est damnum aliquot, nisi curationis; vel est, sed illi alij non volunt acceptare restitutionem, non tenetur amplius nocens. Hæc autem intelliguntur de nocumento illicito, secus si sine peccato fiat. Qui autem nocet in rebus, comburendo domos, vineas, & alia destruendo, tenetur etiam talia restituere, cùm contra iustitiam fiunt, non solùm quando ipse facit, sed cùm filij, serui, famulive ipsius talia faciunt. Nam si ipso consentiente ista facta sunt, totum tenetur reddere, si verò ipso consentiente, tùnc debet reddere personas, quæ id fecerunt, si potest. Idē est de boue, & animalibus, quando damnũ infertur in agris; si enim negligentia ipsius damnum factũ fuerit, tenetur totum reparare; si verò non, ipsum animal tradere, vt ipso pœna sumatur. nisi id velit reficere. Atque his modis actio ista secunda iniusta committi potest.

De restitutione iniustæ acceptionis, & detentionis.

CAPVT XX.

ALia actio iniusta, vnde nascitur obligatio restituendi, est iniusta acceptio, qua aliquid capitur inuito domino. Ob quam rationem, tenentur restituere latrones, fures, raptores vsurarij, & hi, qui iniquos contractus exercent, de quibus in particulari postea dicemus: nunc tamen de quatuor acceptionibus tantum dicendum est, putà de cæsione lignorum in syluis, venatione ferarum, & auium etiam captione, ac piscatione.

In cuius gratiam nota: syluę, aut montes, in quibus arbores cædi solent, tripliciter se habere possunt. Quædam sunt ipsorum

um castellorum, aut vrbium communes, tamen sub pœna quadam cæsio prohibetur. Quædam sunt ipsorum dominorum vrbium, puta Ducum, Principum, & similium. Quædam hominum particularium. Adde etiam; quædam sunt vrbium, aut castellorum vicinorum, & proximorum. Hoc autem generaliter in omnibus obseruandum est, cùm pœnæ aliquæ impositæ sunt cædentibus, quamuis quis cædat, non obligatur ad pœnam soluendam, quousque comprehendatur, & condemnetur: tamen quantum ad restitutionem circa istam pœnam in conscientia.

Dico primò, si syluæ sunt communes, quamuis incola, aut ciuis vrbis, vel pagi cædat in vtilitatem propriam aliquot arbores sine facultate, non peccat mortaliter, nec obligatur ad restitutionem: nam talis pagus aut ciuitas, hoc modo & via intendit distribuere suis ciuibus arbores, vt cædant; si tamen comprhendatur, pœnam soluat. Est autē pœna posita, ne syluæ citò destruerentur, & consumerentur: verum est, quòd si magnam stragem faceret, obligaretur ad restitutionem.

Secundò, si syluæ sunt particularium hominum, absq[ue] dubio, peccatum est cædere absque facultate domini, & obligat ad restitutionem, & hoc etiam dicendum est de eo, qui, cum sit vnius pagi incola, cædit syluas alterius pagi; quamuis si inuicem homines illorum pagorum aut castellorū solerent syluas proprias aggredi, & cædere, iudicaretur hoc, ac si syluа propria esset illi pago, in quo cædens est incola.

Dico tertio, cum syluæ sunt dominorum, non licet etiam cædere, obligaturque cædens ad restitutionē, quamuis in hoc non sit tam arcta regula, ac si esset particularis cuiusdam. Vnde dicit Soto, quod possent pauperes cædere ligna ad vsum foci proprij necessaria, & domini multùm in hoc considerare debent, ne graues pœnas præsertim corporis imponant subditis: nam arbores, quas natura dat sponte, non sunt tam propriæ, ac pecuniæ in arca repositæ.

Per hæc possumus etiam respondere de piscatione. Nam si flumina sunt communia vrbi, & ciuitati, tunc eodem modo piscans non tenetur ad restitutionem, quamuis piscetur, sed ad pœnam post condemnationem, si comprehendatur.

Si verò aquæ sunt particulares alicuius, permanentes, vt lacus, stagna, non licet absque peccato obligante ad restitutionem; quamuis, si essent aquæ transeuntes, non esset obligatio ad restitutionem. Attende tamen, quando fiunt in ciuitatibus

prohibitiones piscandi, ob bonum commune, quia pisces ova fouent, & piscatio inducit penuriam, tunc peccatum esset piscari, licèt nulla esset restitutionis obligatio.

Circa venationem autem attende, eandem esse rationem: non enim est obligatio ad restitutionem, nisi locus, in quo fit venatio, esset muro circumdatus, tunc non liceret intrare ad venandas feras, esset que restitutio facienda; quamuis si fera extra murum esset, posset occidi, & capi; & si non sit murus, si pactum est inter dominum, & incolas, quibus soluitur totum damnum, quod feræ in ipsorum terris faciunt, non liceret venari absque restitutione. Cùm verò non soluitur totum damnum in integrum, nulla est obligatio; immò, si damnum eiues paterentur, non solùm non obligarentur ad restitutionem, sed absque vllo peccato liceret ipsas occidere, & capere.

Circa aues notandum est, quasdam esse omninò domesticas, & eas capere, peccatum est obligans ad restitutionem: quasdam verò omninò syluestres & vagas, quæ non habent firmum locum, & has aucupari intra loca murata alienum, non obligat ad restitutionem, quia nullius sunt: non enim permanent sicut arbores: quamuis peccatum esset capere, cùm ad bonũ commune aliquo tempore fit prohibitio: quasdam partim domesticas, partim syluestres, vt columbas, has capere in locis proprijs, vbi nidificant, vt in columbarijs, obligat ad restitutionem, cùm dominum proprium habent: similiter etiam, ipsas capere intra spatium permissum per leges, dum modo alantur à dominis proprijs: cùm enim nullis eis cibus à proprijs dominis datur, ob idque terras alienum deuastant, possunt licitè capi à dominis terrarum & agrorum, quibus damnum inferunt: extra spatium autem determinatum, cùm nimis vagantur, possunt capi, ac si essent omninò syluestres; maximè tamen à dominis locorum, in quibus vagantur, nec ad restitutionem obligatio esset. Hæc igitur est actio iniusta, ad restitutionem obligans, & sicut acceptio iniusta obligat, ita iniusta detentio, cùm quis detinet alienum, ipso domino inuito. Atque hæc est tertia radix restitutionis.

De

De quarta radice restitutionis.

CAPVT XXI.

QVarta restitutionis radix est, iusta acceptio; cùm qui habet, seu accepit quid alterius, sed iusta actione, puta, mutuo, emptione, alióue licito contractu, ratione cuius tenetur reddere alteri. Notanda tamē est differentia inter iustam actionem & iniustam: cúm enim obligatio restituendi est ratione iustæ actionis, non transit nisi ad hæredes. & fideiussores illius, qui tenebatur reddere, nec alia genera personarum reddere tenentur; cùm verò ex ratione iniustæ actionis, non solùm qui iniustè agit, sed etiam octo genera personarum reddere tenentur; vnumquodq; in solidum & integrum. Sunt autem personæ hæ.

Qui iussit seu præcepit, vt damnum alteri fieret, vel ab altero, quod suum est, inuito raperetur.

Rursus, qui ratificauit, id est, in cuius nomine, ipso nesciente, actio iniusta facta fuit; si tamen postmodum sciuit & approbauit: secùs tamen, si tantùm factū approbauit, quod anteà in eius nomine non fuit factum; aut in nomine ipsius fuit factum, sed non approbauit: tunc enim non obligatur ad restitutionem.

Rursus, qui consilium dedit, qui consensit, qui dedit fauorem. Ista tamen intelligenda sunt, cùm consilium, consensus, & fauor fuerunt causæ, vt fieret iniusta actio, quæ tamen aliter non fieret: tunc enim obligat ad restitutionem; secùs si causæ non fuerint.

Rursus, participans & cooperans in actione iniusta tenetur restituere. Sed aduerte, cùm cooperans talis est, vt, nisi cooperaretur, actio iniusta non fieret. puta, furtum, rapina, vel damnum, tunc tenetur in solidum restituere, quia est integra causa; & si alij cooperatores non soluant, tenetur totum reddere. At si non fuit tota causa, quia alias sine illo furtum fieret, tenetur solùm reddere partē acceptam, aut partem damni illati. Quòd si illius opera factum est maius furtum vel damnum, quàm alias fieret, talem excessum tenetur in solidum restituere.

Rursus, non obstans, id est, qui non prohibet, cùm possit commodè damnum alterius, tenetur restituere. Sed attende,

quòd non satis est posse, sed ex officio obligari ad id. Vide si vicinus videat furem in vicini domo furantem, & taceat, cùm possit clamore prohibere furtum, peccat quidem mortaliter, & contra charitatem, sed non contra iustitiam; quia non ex id ex officio incumbit; ob id non obligatur restituere, quicquid velit Caiet. verba restitutio; immò si acciperet pecunias à latrone, vt taceret, non teneretur restituere, vt dicit Soto lib. 4. q. 7. ar. 3. Teneretur tamen, si esset famulus vel iudex, vel is cui ex officio incumbit ista prohibere. Et sic tenentur iudices, qui debitam diligentiam non faciunt in locis, in quibus resident, ne damna inferantur.

Rursus qui non manifestat, id est, qui sua taciturnitate & occultatione causa est, vt alius suum nō habeat. Hoc etiam intelligendum est, cùm ex officio incumbit; & hoc modo reus in iudicio contrà aliquem, veritatem occultans, tenetur restituere damnum, quod ille incurrit, cùm causa fuit. Dico, cùm causa fuit, quia si iam alij testes falsi præcesserant, qui sufficiebant ad condemnationem, nec iste quicquam negotio addidit, non tenetur: & hoc modo excusat Caiet. à restitutione, sed non à peccato. Illi verò qui suffragantur publicè in negotijs & causis determinandis, cùm iam vident maiorem partem in vno inclinatam, quamuis iniustè, si ipsi etiā suffragētur, quamuis peccent, cùm tamen causa non sint, non obligantur ad restitutionem. Hæ sunt radices quatuor, propter quas aliquis ad restitutionē tenetur. Sed est graue dubium inter doctores, cùm actio dandi & accipiendi est iniusta, an obliget ad restitutionem: ver. gra. cùm quis dat pecunias alicui, vt alium occidat, & iudici, vt iniquam sententiam ferat, vnus malè dat, & alter malè recipit, an qui recipit, ad restitutionem obligetur. Primis potest dari pecunia alicui, ne peccet, vt ne occidat, ne sacrilegus, ne fornicetur, in quo vnus benè dat, alter malè recipit; sed secundum Soto. lib. 4. q. 7 ar. 1. ad secundum, non obligatur qui accipit ad restitutionem semper, nisi cùm accipit pecunias pro his, quæ secundum legalem iustitiam absq; pecunia tenetur facere. Vt iudex, qui pro sententijs, vel alijs, pro quibus leges disponunt pecunias non esse accipiēdas, vel non tot, pecunias accipit, tenetur restituere, & hoc modo post Concil. Trid. nullus pro ordinum collatione, quocumq; prætextu potest accipere pecunias, sess. 21. Can. 3. & si accipiat, dare tenetur. In alijs, in quibus non est prohibitum à lege, non tenetur, cùm eas accipit nec peccat, quamuis cum discrimine. Nam si

dat

dat pro peccato alterius vitando, quod erat contra iustitiam, vt, ne alter occidat, ne sit sacrilegus, tunc potest coram iudice repetere, & audietur in iudicio: & sic intelligitur. l. vt puta. ff. de condict. ob turpem causam. Tamen qui accepit, ante repetitionem. non tenetur dare; nisi vi acceperit. vt, qui accipit pecunias ab alio, quem volebat occidere, ne ipsum occidat. Si tamen peccatum non erat contra iustitiam, nec tenetur restituere, nec potest repetere. Nam potest esse datio & acceptio mala, quia est pro re turpi, & ob peccatum, sed non contra iustitiam vt, qui dat pro fornicario actu: & his, vt dictum est, nō tenetur restituere qui accepit. Rursus est datio & acceptio mala, quia res, pro qua pecunia dat ur vendibilis non est, vt in simonia, & de hac pòst dicemus. Tandem est datio & acceptio mala, quia datur pro re contra iustitiam, vt in exemplis præpositis de homicida & iniquo iudice. Et de hoc casu est controuersia; in qua duæ existunt opiniones celebres.

Altera est: qui accipit, obligari ad restitutionem, non quidē domino, qui malè dando ius suum perdidit, sed pauperibus. Hanc opinionem tenet Caiet. ver. restitutio, Soto loco allegato. Adr. q. 19. supra 4.

Altera sententia est aliorum, qui tenent non obligari ante condemnationem, sed posse qui accepit retinere. Hanc tenent Anton. 2. p. tit. 2. ca. 5. Sylu. restitut. 2. §. 3. Ange. ver. restitutio, §. turpe. Nauarr. cap. 17. nu. 34. & quia ista res est moralis, in qua multi doctores rem faciunt probabilem, possunt esse tuti in conscientia qui acceperunt, licèt non restituant, quia insignes doctores id docent. Quorum sententia etiam mihi placet quia opposita solùm fundatur in duabus legibus, quæ nihil probare videntur; est enim l. generaliter. ff. de verb oblig. vbi habetur, turpes stipulationes nullius valoris esse, sed hoc non concludit; solùm enim intendit in iudicio exteriori non esse efficacē illam stipulationem, cùm possit repetere qui dedit. Rursus est l. in hæredem de calumniat. vbi dicit, acquisita ob turpem causam, esse etiam ab hæredibus extorquenda; sed idem est huius sensus: datur enim in iudicio locus repetitionis, sed ante sententiam non obligatur qui accepit, reddere, bonum tamen esset si redderet, & Confessarius consilium hoc dare debet, sed non sub præcepto imponere. Et hæc sufficiant.

Quid sit restituendum.

CAPVT XXII.

HActenus qui restituere teneantur, diximus, nunc quid restituendum sit, dicendum est; sunt enim quatuor obseruandæ regulæ circa hoc.

Prima est: Qui ratione rei alienæ restituere tenetur, ipsammet, nisi quid obstiterit, reddere debet. Explico. Diximus superiùs, aliquos teneri ad restitutionem, quia rem alterius, siue malè, siue benè acceptam apud se habent, vt fur, qui apud se vas alienum, vel alias res habet, & ille qui commodatò vel locatò habet rem alterius, vel alio quouis titulo iusto: omnes isti debent eandem rem reddere, nec satisfaciunt dando valorem, nisi in aliquibus casibus.

Quorum primus est, cùm res deperdita est, seu alienata ab ipsius potestate: tunc enim valor reddendus est. Sed aduertere oportet quæ supra diximus. Qui enim rem benè acceptam apud se habuit, si pereat absq; culpa, vel malitia sua, non tenetur reddere valorem. Rursus, qui rem malè acceptam apud se sed bona fide habuit, si in illa bona fide perijt, non tenetur nec reddere valorem. Ille igitur reddet, qui in mala fide rem habuit & perijt, illo sic existente.

Secundus est, cùm res est multò peiorata, quàm cùm fuit accepta; tunc enim valor reddendus est, aut res cum valore supplente defectum, prout dominus elegerit; sed hoc etiam iuxta dicta intelligendum est. Qui enim benè acceptam rem habet, si sine sua culpa vel malitia peiorata est & deterior facta, non tenetur ampliùs, quàm eandem reddere, nisi negligentia vel malitia id sit factum. Vnde, qui in pignus accepit pannum, si postea tinea corrodat, idq; non fiat sua culpa, non tenetur reddere, nisi eo modo quo est. Teneretur quidem, si culpa propria id euenisset; idemq; dicendum est de alijs benè acceptis. Rursus idem dicendum de eo, qui malè acceptam rem apud se habet, sed bona fide. Est igitur casus intelligendus de eo, qui mala fide alienum habet, & detinet.

Tertius est, quando sequitur peccati manifestatio. Vnde qui alienam rem habet, si non potest eandem reddere, nisi manifestetur peccatum ipsius accipientis, non tenetur nisi valorem reddere. Et idem est, quando sequitur aliquod notabile incommodum, licèt peccatum non manifestetur.

Secun-

Secunda regula est, qui ratione rei malè acceptæ, aut ratione malæ actionis & iniustæ tenetur restituere, debet non solũ rem vel valorem, sed etiam fructus, quos ex se talis res fecit, reddere. In cuius explicationem aduerte: Aliqua res potest facere fructus dupliciter, vno modo ex se absq; industria habentis, aut saltem cum aliqua industria, quales sunt agri ex se fructificantes, & alia huiusmodi, vt animalia, oues, armenta: aliæ sunt quæ non fructificant, nisi ex industria dominorum, vt pecuniæ, quę ex se non pariunt, nisi adsit negotiatio hominũ. Qui igitur acceptam malè rem habet, aut malè accepit, non tenetur restituere fructus, quos res ex ipsius industria fecit. Vnde si latro furatus est centum aureos, & illis negotiatus, lucratus est mille, non tenetur ista mille reddere. Rursus, vsurarius, qui pecunia malè accepta negotiatur benè, & lucratur, non tenetur reddere lucrum: at tenetur reddere fructus, quos res ex se faciunt, deductis expensis. Vnde, qui agros alienos iniustè detinet, tenetur etiam fructus factos soluere, deductis expensis; & qui equum locationis furatus est, tenetur lucrum, quod in eius potestate fecit, reddere cum re ipsa.

Hic tamen duo notare oportet. Alterum est, qui rem malè acceptam habet, sed mala fide, tenetur nõ solum fructus, quos ex se res fecit, reddere, sed quos fecisset in potestate Domini: verbi gratia, furatus est quis equum locationis, tenetur reddere lucrum, quod domino proueniebat, quamuis ipse nulli locauerit equum: & qui vineas alienas iniustè habet, & mala fide, tenetur reddere fructus, quos apud dominum fecissent, quamuis ipse sua negligentia nullos perceperit. At qui bona fide habet non tenetur nisi de perceptis.

Alterum est. Qui malè accepit rem alienam, aut mala fide habet, tenetur de damno illato & emergenti: verbi gratia, furatus est quis centum aureos alicui, ille verò postea coactus est ad habendam pecuniam, qua possit suæ necessitati prouidere, domum vendere minoris quam valebat, aut sumere cẽtum ad vsuras, fur tenetur non tantùm reddere centum, sed etiam vsuras quas contraxit, vel illud pretium quod ille perdidit de iusto valore domus. Idem dicimus de damnificatione: qui destruit vineam vel domos alterius, tenetur de damno emergenti. Tenetur etiam de lucro cessante, vt, si pecunias negotiationi expositas rapuit, tenetur de lucro cessante domino ipsi. At qui bona fide alienum habet, solum quod alienum

est

est tenetur reddere, nihil amplius nisi in malam fidē incidat, & post malam fidem dominus verus damna incurrerit: tunc enim perinde est, ac si à principio in mala fide esset.

Tertia regula. Qui ratione rei bene acceptæ restituere tenetur, non obligatur fructus dare, quos ex ea habuit. Explico: Habet quis pecunias in depositō, si eis negotietur & lucretur, non tenetur quicquam lucri dare domino, dum non sit in mora reddendi depositum, cùm reddere debet. Rursus, qui vas aliquod vel vestes habet pro pignore, si aliquando eis vtens aliquid lucretur, nō tenetur reddere lucrum, sed id solum, in quo talis res deterior facta est, si fortè facta est ex tali vsu.

Quarta regula. Qui ratione iustæ acceptionis tenetur restituere, non obligatur reddere, nisi quantum accepit, non tamen fructus. Vnde, qui mutuò accepit, vel sub vēditione & empti one, vel alio licitu contractu, debet reddere quantum accepit, non tamen fructus partos ex vsu & negotio. Notandum tamen quòd si est in mora ex culpa sua, tenetur reddere damnum emergens domino, & lucrum etiam cessans. Explico: In primis si non est soluendo, nec id ex culpa sua est, non tenetur, nisi cùm primùm poterit reddere quantum accepit; tamē si culpa sua intercedit, nimirùm quia habet vnde soluat, & nō soluit, vel ipse ludendo vel prodigendo, vel alia similia faciendo, ita causa est, vt non habeat; quamuis etiam rectè pecunias expenderit, vt, qui sciens se soluere debere mense sequenti pecunias, voluit prius absq; necessitate expendere in alijs negotijs: tales tenentur domino, & creditori soluere damnum emergens, id est illud damnum quod creditor incurrit, coactus ex illa dilatione; vt, si ex eo, quòd non soluit debitor, factum est, vt creditor domum venderet minoris quàm valebat, vel pecunias sub vsuris caperet, tenetur debitor talia damna resarcire. Dixi tamen quod creditor coactus incurrit: nam si aliter poterat sibi uenire sibi quàm damnum incurrendo, non tenetur debitor de damno emergente, sed de lucro cessante; vt, si fortè creditor expositurus erat negotiationi pecunias, si debitor nō reddat, cùm debet, tenetur de lucro cessante, non de damno emergente, si velit mercator pecunias ad vsuras sumere, vt exponat, si fortè coactus sit eas exponere negotiationi.

Cui restitutio sit facienda.

CAPVT XXIII.

TErtium caput discutiendum est, cui sit restitutio facienda. Aduerte, esse quatuor genera personarum, ad quas res aliquæ pertinere possunt. Quidam sunt domini veri & legitimi rerum; quidam secundùm quid, seu ratione alicuius potestatis; vt, qui detinet depositum alterius, locatum vel commodatum alterius, & denique quod alienum est. Quidam sunt hæredes verorum dominorum. Quidam sunt pauperes ipsi.

Sit igitur prima regula. Illi est restitutio facienda, à quo accepta est res; si accepisti à vero domino, ipsi est reddenda; si ab habente in depositio vel commodato, ipsi etiam est reddenda, quamuis possit etiã reddi vero domino. Sed cùm est periculũ, ne ille non reddat vero domino, cùm redditur, debet ille moneri, vt vero domino reddat: tamen hoc non est necessarium, sed sufficit ei reddere, à quo ablata est res. Excipiuntur tamen aliqui, quibus non est reddenda res, ita vt si reddatur, peccatũ sit, sed non contra iustitiam, vt obliget ad restitutionem, sed contra charitatem proximi.

Primus, qui excipitur, est latro: qui enim accepit à latrone, quod furto sustulerat, non tenetur ei reddere, quamuis id affirmet Caiet. verb. restitut. nec etiam tenetur secundum iustitiam domino reddere, vt vult Soto lib. 4. q. 7. art. 1. sed potest reddere latroni, tamen contra charitatem faciet nisi domino reddat: quod si timet sibi malum à latrone infligendum, nisi ipsi reddat, nec contra charitatem faciet reddendo, quod ab ipso recepit. Idem dicendum est de eo, qui accepit à puero, qui proprium non habet. Idem dicendum est de furioso, & de prodigo: quamuis, qui daret prodigo, qui vsurus est malè pecunijs, contra charitatem non peccaret dando, vt dicit Soto, si ipsum moneret, vt benè expenderet. si tamen daret illi, qui abusurus est pecunijs contra iustitiam, alijs damnum inferendo, peccaret grauiter, sed non obligaretur ad restitutionem aliam. Excipitur etiam dominus, cùm ita absens est, vt non possit ei commode, quod suum est, mitti; præsertim si quod tenetur reddere, non accepit malè: si enim malè accepit, tenetur aliquot expensas

ex se facere, vt dominus verus suum habeat integrè, sed non, si benè accepit, nisi cum domini proprij expensis; cum verò nullo modo potest mitti, non ipsi facienda est restitutio, sed expectandum; & si nulla est spes, reputatur debitum incertum.

De quo secunda regula sit: Cùm non extat verus dominus, nec is, à quo sublata est res, tunc hæredibus facienda est restitutio. Aduerte autem esse hæredes in duplici differentiæ quidam sunt necessarij, qui non possunt exhæredari, nisi extent legitima, vt filij, patres; quidam non necessarij, quibus non obuenit hæreditas, nisi ex legato, vel deficientibus necessarijs, vt fratres & alij cognati. Omnibus his est restitutio facienda, quæ his, non ratione iniuriæ sed ratione rei acceptæ, aut malè acceptionis, debetur, suo tamen ordine: non enim res obuenit non necessarijs, existentibus necessarijs. At restitutio quæ ratione iniuriæ fit, vt, ratione alicuius homicidij, non est nisi necessarijs facienda, secundum Soto lib. 4. quæst. 6. 3. ad 3.

Deficientibus autem domino, & hæredibus, tunc sit regula tertia, facienda est restitutio pauperibus. Per pauperes autem intelligimus etiam opera pia, quæ in hospitalia, in monasteria & alia pia conferuntur loca: nec opus est vt ista distribuantur per Episcopos, sed potest ipse qui habet, distribuere; immò si pauper sit, potest partem sibi retinere, vel totum, si tanto indiget. Aduertendum tamen, quòd non debet talis distributio fieri, si veri domini cognoscuntur, aut nisi præmittatur debita diligentia, qua non præmissa, non vere satisfacit: immò, si post dominus compareret, oporteret iterum reddere; secus, si diligentia esset præmissa. Similiter non possunt fieri compositiones de incertis dominis, nisi prius diligens inquisitio fiat, vnde sibi notarij & procuratores caueant, qui vtuntur compositionibus, nulla facta inquisitione erga proprios dominos, vt faciunt vendentes vltra iustum pretium.

Quantum, quomodo, quando sit restituendum.

CAPVT XXIV.

QVantum autem sit restituendum; ex his, quæ diximus in explicatione eius, quid esset restituendum, magna ex parte notum est, solum tamen duo superfunt.

Ad-

Alterum, de iniuria, quæ pecunia satisfit. In hac autem, quantum restituendum sit, oportet viri prudētis iudiciū quærere, consideratis personis, & iniuria; non autem est standum iudicio eius, qui iniuria affectus est.

Alterum autem est, de damno illato his rebus, quæ nondū adperfectum valorem venerunt, vt de destruente seminata, vel occidente animal in ætate tenera, vel destruente ea quæ ventura sperantur ad maiorem valorem. His pretium est, quātum res in perfectione valitura erat, deductis expensis, quas dominus facturus erat, & computatis periculis quæ intersunt vsq; ad rei perfectionem, Nam minùs valet res cum periculo quàm certa; & minus cùm minori periculo. At quia domini nollent vendere talia pericula, ob id restitutio est facienda, aliquantò plus quàm periculum valet, cùm damnum ex malitia & non casu factum est, vt dicit Soto q. 6. ar. 5. lib. 4 quando verò casu aliquo sufficit reddere computando totum valorē periculi, & expensarum.

Quomodo autem sit restituendum, aduerte, quod oportet aliquem per se, vel per alium restituere, dum tamen sit certus probabiliter, cùm per alium restituit hunc reddere domino, quod reddendum accepit. Est autem notandum esse discrimē inter commodatum & mutuum: qui enim dat alicui rem commodatam, vt domino reddat, si talis, cui dedit, erat persona secura, & cui potuit benè fidere, si postea accidat, vt ille non reddat, vel si cùm commodato aufugit, non tenetur ad amplius, quæ ei dedit, reddendum. Idemq; est de depositō & pignore & alijs, in quibus obligatio restituendi accidit ex parte rei acceptæ; quia si res perit, & non ex negligentia vel malitia habētis, tollitur obligatio restitutionis. At in mutuo, non sic, nec in alio contractu, in quo obligatio restitutionis nascitur ex ratione acceptionis: quocunq; enim modo pereat, perit in damnum accipientis.

Aduerte etiam rursus, qui tenetur restituere aliquid domino in integrum & solidum, non satisfaciet reddendo per partes, modò vnam, modò aliam, si potest simul dare; quòd si nolit se simul tota summa pecuniarum priuet, mortaliter peccat, nisi excusetur illis causis, quibus excusatur aliquis, aut, vt non restituat, aut, vt non statim restituat, quæ quidem paulò infrà dicentur.

Oportet nunc examinare quando est restituendum. Et quidem responsio est; si restitutio est facienda, ratione rei malè

acceptæ, vbi mala fides adest, aut ratione malæ actionis, statim est facienda, cùm commodè fieri potest; si autem ex ratione iustæ actionis, debet statuto tempore fieri, si commodè fieri potest. Est igitur restitutio generaliter facienda, cùm dominus est inuitus, & commodè fieri potest: vbi notandum est: Qui cùm possit & debeat, non vult restituere, mortaliter peccat, & quò magis differt, grauiùs peccat, & quoties occasio commoda se offert restituendi. & non statim vult restituere, aut non curat aduertere, mortaliter rursus peccat. Vnde multùm falluntur, qui debita, cùm possint, nolunt soluere, differentes vsq; ad mortis testamentum, & qui sic discedunt, secundùm communem sententiam, in peccato discedunt. Peccant etiam qui bona habent dubia, & de quibus certi non sunt, an propria sint & differunt id elucidare vsq; ad testamentum, in quibus etiam vt dubia relinquunt; cùm teneantur statim, cùm commodè possunt id declarare, &, si forte debent, restituere.

Sed dices, quando dicitur aliquis posse commodè restituere?

Dico primò, cùm aliquis non potest statim reddere absque periculo propriæ vitæ, non tenetur statim reddere, sed potest differre.

Dico secundò, cùm non potest etiam absq; periculo infamiæ statim reddere, potest differre, nec tenetur statim reddere, & in his duobus omnes conueniunt.

Dico tertiò, cùm non potest statim reddere absq; detrimento notabili propriæ rei, quando creditor nullum tale damnum incurrit, non tenetur statim restituere. In hoc non omnes conueniunt. Explicanda sunt priùs, in quibus consentiunt omnes. In primis Caietanus 2. 2. quæst. 62 artic. 8. inquit, non dicitur notabile detrimentum, quia debitor se priuat tota illa pecunia, quam debet, quamuis magna sit, aut quia perdit lucrum magnum, quod posset aliena pecunia comparare, sed dicitur detrimentum, quod in re sua propria vltrà debitum patitur; quod cùm magnum est, putà, quia cogitur multò minoris res proprias vendere quam valeant, aut quia redigitur in paupertatem, aut status mutationem, dicitur notabile detrimentum. Conueniunt ergo Doctores, cùm detrimentum debitoris aliquod est, sed non magnum, tenetur soluere creditori, cùm tempus est solutionis. Rursus cùm creditor etiam in re sua notabile, & ferè æquale detrimen-

tum

rum incurrit, tenetur adhuc statim restituere. At cùm paruum vel nullum creditor incurrit detrimentum, debitor autem notabile incurrit, an teneatur statim reddere, vel differre possit, in hoc Doctores variant. Caietanus verb. restitut. & Soto lib. 4. de iusti. quæst. 7. articul. 4. cum distinctione procedunt: dicunt enim, cùm res malè accepta est, putà, furto, vel alio iniusto titulo sublata, tunc tenetur etiam cum notabili detrimento reddere; cùm verò non est malè accepta, non tenetur, nisi sua culpa in tales se redegerit debitor angustias; putà, quia prodigus, & bonorum profusor fuerit. At Sanctus Antoninus 2. par. titul. 2. capit. 8. & Nauarr. capit. 17. num. 58. tenent neutrum illorum obligari cum notabili detrimento rem in hoc casu statim reddere. Et aduerte, quòd non loquimur de non restituendo in perpetuum; hoc enim postea dicetur, sed de non statim restituendo. Mihi profectò hoc videtur probabilius, putà, vt cum maiori detrimento teneatur restituere statim, qui ratione rei malè acceptæ obligatur; tamen non credo obligari cum notabili detrimento, cum posteà restitutio facienda speratur: non enim aufertur, sed differtur.

Duplex dubium hic occurrit: Alterum est, an quis cum vitæ periculo teneatur reddere, quod alterius est, domino existente in eodem periculo. In hoc est diuersitas opinionum, Scot. dist. 15. 4. sentent. quæst. 2. & Nauarr. c. 17. nu. 60. dicunt teneri debitorem ad mortem subeundam, cùm creditor simile periculum incurrit. Vnde, si duo essent in extrema necessitate, nec esset nisi vnus panis, quem alter ante necessitatem mutuò acceperat ab altero, tenetur reddere domino, & mori: Soto lib. 4. quæst. 7. art. 1. tenet contrarium, & Caietan. & Tabien. verb. restitutio, §. 4. dicunt non teneri, quamuis furto sustulerit, dummodò sit antè necessitatem. Nam in necessitate illa rapere, mortale esset obligans ad restitutionem; secùs si antè acepit, quocumque modo acceperit, quoniam necessitas extrema quicquid est in sua potestate, facit suum. Et ego ita credo, illum non teneri, quamuis si vellet, dare, & reddere posset. Intellige autē illum non teneri, nisi alter esset publica persona, ex cuius salute tota dependeret salus reipublicæ: tunc enim tenetur dare, sicut tenetur obire, & mortem oppetere pro tota republica. In quo etiam casu peccaret, qui cùm haberet, alteri daret. In nullo autem casu licet ab altero in extrema existente necessitate rapere vi, vel furto. Nec mihi placet,

quod Soto dicit, putà quod posset aliquis dare parẽtibus, filijs, & vxori in necessitate positis, non tamen fratribus, & relinquere creditorẽ, etiam in eadem necessitate eadem positum; sed potiùs cum Tabien. credo oppositum: sibi enim soli prouidere licet, aliàs melior est conditio creditoris.

De infamia autem non est eadem ratio, quia infamia non facit dominium rei. Vnde debitor cum periculo infamiæ tenetur reddere, quando talis infamiæ periculum est creditori, dummodò tamen non sit notabiliter maior fama, quam perdit debitor, tunc non tenetur. At teneretur, licèt esset maior, si non multò, Nec est similis ratio de vitæ periculo: nam in vitæ periculo potest quis alienum capere, non tamen in periculo famæ.

Alterum dubium est, si is qui in extrema necessitate positus recipit ab aliquo aliqua, vel quia aufert, vel quia alter ei ministrat, qui non est in eadem positus necessitate, is, inquam, teneatur reddere, si posteà ad pinguiorem venerit fortunam. Scot. & Soto locis allegatis dicunt, si positus in necessitate extrema erat debitor alicuius ante talem necessitatem tenetur ea reddere: si tamen post euaserit & ad pinguem fortunam venerit, quæ in illa necessitate habuit, non tenetur reddere. Limitat Soto, nisi talis in necessitate existens in alio loco habeat tunc, vnde soluere possit, ita vt non sit omninò indigens, sed in tali loco solùm. Adrian. in mat. de restitution. & Nauarr. c. 17. num. 89. tenent contrarium, illum omninò teneri, & ego ita credo. Et ratio quæ me mouet est ista, quia qui dat alteri in necessitate extrema posito, nõ dat ex obligatione iustitiæ, sed charitatis, quia solùm obligatur remedium illi præstare, ad quod sufficit charitas vt mutuet vel commodet, vel alio modo prouideat. Ille igitur tenetur restituere si post habuerit vnde possit, nisi qui dedit, simpliciter dederit, vt eleemosynam, qua dominium transfert; sed ex sola datione in necessitate illa, non transfert sic dominium, vt ab ipsa restitutione liberetur, nisi sit res parua, quam verisimile est dantem donasse omninò, aut eleemosynam fecisse illi, vt fieri solet pauperibus.

Quo ordine, quoue loco sit restituendum.

CAPVT XXV.

ORdo restitutionis non est necessarius, cùm debitor omnia potest soluere debita quæ contraxit; cùm autẽ non habet vnde omnibus satisfaciat, ordo est seruãdus, quẽ Bald. tradidit c. de bon. auct. o. iud. possid. l. pro debito, ipsumq; Doctores sequuntur communiter.

Ex ipsius doctrina aliquot desumuntur regulæ.

Prima, quando debitor habet apud se rẽ alterius quocumq; modo habeat, siue furto sublatam siue depositam, siue inuentam, debet prius restitutionem ipsius facere domino, vel pauperibus, domino deficiente, quia illa res nondum transiuit in habentis dominium. Idemq; iudicat Bald. esse de re empta, sed nondum soluta. Restitutio igitur quæ ratione rei acceptæ facienda est, priùs fieri debet.

Secunda regula. Cùm restitutio est facienda ratione acceptionis seu actionis, oportet prius restituere certa, id est, ea, quorum domini cognoscuntur, quàm incerta, id est, ea, quorum domini ignorantur.

Tertia regula. Inter certa priùs est facienda restitutio debitorum licitè contractorum, quàm vsurarum, quia in vsuris acceptis dominus non fuit simpliciter inuitus. Hæc non est Baldi, sed est Tab verb. restitutio, §. 25. quamuis Caiet. non cõsentiat in hoc.

Quarta regula. Erga alia debita certa, vel licitè, vel per vsuras contracta, obseruanda sunt iura, & si in aliqua ciuitate est aliquod particulare ius, ipsum est obseruandum, dummodò rectum sit; si verò nullum est, obseruãdum est ius commune, secundum quod ius commune.

Primo loco soluenda sunt debita, ad quæ bona debitorum fuerunt expressè obligata & hypothecata.

Secundo loco dos vxoris extrahenda est, quamuis in aliquibus ciuitatibus primum locum obtineat, sed nos loquimur de iure communi.

Tertium locum obtinet fiscus.

Quartum, debita, ad quæ bona creditorum sunt tacitè hypothecata.

Quintum obtinent deposita perdita in potestate debitorum.

Sextum priuilegiati, qui habent priuilegia, vt ipsorum debita soluantur.

Vltimum tenent alij creditores. Post hos omnes sunt hi, à quibus vsuræ acceptæ sunt, & adhuc post, bona inuenta sunt restituenda. Cùm autem multi vnius rationis creditores inueniuntur, temporis antiquitas est inter eos obseruanda.

Circa locum autem dubium exoriri posset: possent enim creditor & debitor non esse in eisdem locis, tunc difficultas esset, an debitor teneretur ad locum creditoris sua expensa rem ei mittere. Ad hoc autem per tria dicta respondetur.

Primum est, si restitutio tantùm ratione rei faciendæ est, & non ratione actionis seu acceptionis, tunc satis est debitori, si rem reddat in loco vbi reperitur, nec propria expensa tenetur mittere, sed potius creditoris: verbi gratia emi à latrone bona fide aliquid alienum, postea constat non esse ipsius, tamè dominus distat, non teneor expensis proprijs ad locum creditoris mittere, quamuis emerim in loco, vbi ipsius dominus erat; secùs tamen si scienter à latrone emi, vel si, cum mala fide essem, mutaui locum; tunc enim ibi est iniusta actio vel detentio, de qua sit.

Secundum dictum, qui restituere tenetur ratione iniustæ actionis, tenetur rem ad locum domini mittere, nisi aliud ipsi placuerit, & saluare creditorem indemnem, vt in nullo rei suæ detrimentum patiatur.

Tertium dictum: Qui ratione iniustæ acceptionis restituere tenetur, debet restituere in loco illo, in quo vel expresse vel tacitè conuenit cum creditore de soluendo. quod si nullum fuit conuentus, illic tenetur soluere, vbi conueniri coram iudice competente potest. Idem etiam dicimus de eo, qui ratione rei tenetur restituere, tamen conuentus fuit tacitus de loco, vel expressus: vt, qui accepit cõmodato vel locato, vel simili modo, tenetur in loco, vbi accepit reddere, quia tacitè talis locus fuit sub pacto, & potest iste modus reduci ad eum, qui est ratione iniustæ acceptionis.

Quæ causæ excusent iniquum.

CAPVT XXVI.

VLtimo loco agendum est de causis, propter quas excusatur quis à restitutione facienda.

Hæ autem septem sunt.

Prima est, cùm intercedit remissio creditoris, putà, quia creditor remittit: tunc enim debitor liber est à restitutione.

Notandum tamen est, vt ista remissio sit valida, aliquæ cõditiones requirantur.

Prima, vt qui remittit, habeat remittendi potestatem. nempè quia ille dominium habebat talis rei. Vnde, filius familias ex bonis patris non potest facere remissionem, nec seruus, nec furiosus in furore existens, nec famuli, aut villici, nec negotiatores res dominorum tractantes; nec hi, qui vectigalia & gabellas loco principalium exigunt. Vnde horum remissiones non auferunt obligationem restitutionis.

Secunda, vt qui remittit, liberè, & non coactus, nec vi aliqua remittat; cùm enim vis intercedit nulla est remissio. Vnde qui deberet mille alicui, si nollet soluere quicquam, nisi creditor remitteret centum, vel differret solutionem, vt alter remitteret, quamuis hic remitteret, si ob talem causam facta est remissio, nulla est, nec aufert obligationem restitutionis,

Tertia, vt non sit fraude aliqua: vnde qui fingeret se nõ habere, & solutionem conquisiturum, vt creditor remitteret, nõ ob id maneret liber à restitutione.

Quarta, vt non fiat metu vel timore aliquo. Vnde potentes & domini, qui à vasallis & inferioribus remissiones obtinent, quas isti metu concedunt, ne ipsis displiceant, vel damnum ab eis patiantur, securi non sunt: debet enim esse omninò libera & spontanea remissio: talis enim absoluit à restitutione, nec est opus, vt volunt aliqui, vt pecunia offeratur præsens creditori: satis enim est, vt ipse liberè remittat, siue debitor per se, siue per alium id petat. Immò Caiet. verb. restit. dicit melius esse non offerre pecuniam: nam tunc vix remittit creditor; verũ est, quod si conijceretur creditor remittere, quia non videt pecuniam, & desperat se posse habere, tali casu esset offerenda, quia alias vis esset; sed si liberè omninò remittat, non est opus id facere.

Secunda causa ab obligatione restitutionis excusans est, cùm aliquo beneficio pecunia appretiabili, debitor recompẽsationem æquiualentem fecit; ver. grat. si quis domino alicui inseruiat, ex quo dominus debitum contrahat, si ille aliquod officium, putà, caualleratum vel notariatum, vel quid simile, quod æquiualet seruitio suo, accipiat, dominus non tenetur amplius soluere. Dixi tamen, si sit pecunia appretiabile; nam quando non est, tunc debitum manet. Vnde fit, vt qui dant famulis beneficia Ecclesiastica, non sint liberi à seruitia soluendo eis debita: si enim in pretium illa dant, simonia est; si verò non, debitum manet, nisi liberè, & sponte famulus remittat & condonet.

Tertia causa est cessio bonorum: cùm enim quis multa contraxit debita, nec vnde soluat habet, leges concedunt ei, ne in carceribus consumatur, vt possit cedere bonis suis, & eorum publicationem facere, in manibus debitorum relinquendo, & tunc liber manet à restitutione, quamuis non soluat integrè, & est tutus in conscientia. Concedunt autem leges, vt illi amissuæ instrumenta relinquantur, & ea quæ ad propriam ipsius sustentationem sunt necessaria. Quòd si postea ad pinguem fortunam redierit, restituere tenetur, vt habetur c. de his, qui bonis cede. poss. l. cùm & filij.

Quarta causa est Vsucapio, & præscriptio, In cuius gratiam quid vtrumq; horum sit, examinare oportet. Est igitur vsucapio, acquisitio dominij rerum mobilium, per continuatam possessionem temporis à lege definiti.

In qua tres sunt partes.

Prima est, *dominij acquisitio*, nam ex vsucapione aliquis fit dominus eius, quod suum non erat.

Altera est, *rerum mobilium*, puta, vt res quæ acquiritur sit mobilis, & quæ vsu consumitur. Ad differentiam præscriptionis, quæ etiam est acquisitio dominij, sed ergà res immobiles, & quæ vsu non consumuntur.

Tertia est, *per continuatam possessionem*, putà, quòd tale dominium acquiratur, non per emptionem, sed per vsum continuum rei. Cùm enim aliquis fit dominus eius, quod suum nõ est, & hoc per continuum vsum illius rei, est vsucapio vel præscriptio: tamen est necessarium certum tempus. In vsucapione enim est triennium, vt habetur. instit. & ff. de vsucap. In præscriptione autem est decennium, inter commorantes in eadem ciuitate. Inter non commorantes autem, aliquando

viginti, aliquando triginta, & quadraginta anni necessarij sunt.

Aduertendum rursus, quatuor esse necessaria ad vsucapionem, vel præscriptionem.

Primum est possessio, vt toto tempore res possideatur, quo præscribi, vel vsucapi debet. Vnde fit, vt hi, qui possidere non possunt, nec possint vsucapere, vel præscribere; putà, filiusfamilias, seruus, nesciente domino, furiosus, si in furore incipiat possidere, nam continuare potest, si ante furorem incipit. Similiter monachus, & omnis is, qui dominium non potest habere. Vnde etiam fit, vt sæcularis non possit Ecclesiastica vsurpare, vel præscribere, quia ea possidere non potest.

Secundum est, *bona fides*, putà, vt possideat tamquam suam rem illam: si enim mala fide habeat, nō vsucapit. Debet aūt esse bona fides continuata, non interpolata, per totum tempus lege præscriptum.

Tertium est necessarium, *bonus titulus*. Est autem bonus titulus, qui transfert rei dominium in perpetuum: duo enim necessaria sunt ad bonum titulum.

Primum est, vt sit talis actio, quæ transferat rei dominium in habentis potestatem; quando autem non transfert, non est bonus, & ex hoc defectu, vsurarius, fur, & qui scienter à fure emit, & qui habet ea, quæ secundum sententiam iniquam ablata sunt, non vsucapiunt, quia tales actiones non faciunt verum dominium rei.

Alterum necessarium est, vt in perpetuum transferat, id est sic faciat dominum, vt ipsum non obliget ad restituendum. Vnde, in mutuo transfertur dominium, tamen non in perpetuum, quia soluendum est: ob id, mutuata non possunt vsucapi, similiter impignorata, locata, commodata, & similia, quæ non transeunt in dominium, aut in perpetuum dominium habentis: imò nec empta, & nondum soluta: at verò emptio cum solutione, dotatio, hæreditas, & similia tituli boni sunt: qui enim tali titulo rem habent, si adsint cætera possunt vsucapere, & præscribere.

Quartum est necessarium, ne sit res, quam leges vsucapi, vel præscribi prohibent: In Instit. enim de vsucap. hæc sex prohibentur vsucapi: res furto ablatæ, quocunque modo habeantur, etiam bona fide, & per emptionem, vel donationem; res in possessæ, res sacræ, res religiosæ, seruus fugitiuus, homo li-

ber. Multa etiam alia præscribi non possunt. Vide Syl. verb. præscriptio, & Glos. reg. 4. de reg. iur. in vj.

His igitur suppositis, scias: qui vsucepit, vel præscripsit, quod suum non erat, peracto iam tempore, & cum conditionibus necessarijs, quamuis postea dominus rei cognoscatur, non tenetur ei reddere in vtroque foro: tales enim leges factę sunt in bonum publicum, ne rerum dominia incerta maneant, & litigijs homines inuoluantur, & in pœnam negligentium, qui suas res tanto tempore neglexerunt. Ita tenet communis opinio.

Quinta causa excusans à restitutione, est ignorantia, tam facti, quam iuris, dummodò non sit crassa, & multum culpabilis. Explico: si quis habet rem, quæ sua non est, tamen bona fide, quia putat esse suam, quia forsan emit à latrone, quem nesciebat esse latronem, non tenetur reddere, dummodò non sit crassa ignorantia huius facti. nam aliquando est nimis facile cognoscere latronem: qui enim à seruo rem pretiosam emit, vel à puero, vel famulo, profectò non excusatur, quia crassum est ignorare, rem illorum non esse. Similiter de ignorantia iuris: aliqui enim excusantur à restituēdo, quia ius obligans ad restitutionem ignorant; nesciunt enim se obligari; sed debet esse ignorantia excusabilis, & maximè cùm homo consulit viros doctos, qui illum non teneri affirment: quamuis enim alij contrarium dicant, tutus esse potest, dummodò docti sint: qui enim indoctos consulunt, non excusantur, cùm possint doctos habere.

De alijs duabus causis non restituendi.

CAPVT XXVII.

VLtra prædictas causas, aliæ duæ existunt.

Altera est, necessitas: hæc enim sicut sufficiebat ad differendam restitutionem, vt dictum est, ita etiam sufficit ad simpliciter non restituendum. Notandum tamen, multiplicem esse hanc necessitatem: est enim vitæ necessitas, famæ, libertatis, & rei. Iuxta quod dico.

Primò nullus tenetur cum vitæ periculo, aut famæ rem alterius restituere: sunt enim vita, & fama nobilioris ordinis, quàm res. Nullus autem tenetur cum detrimento bonorum

supe-

superioris ordinis, bona restituere inferioris ordinis. Hæc est communis sententia: quamuis Soto, vt suprà diximus, velit, quam res est pinguissima, teneri aliquem etiam cum infamia ea restituere, quando non est tanta fama; & hoc dicit etiam de vita. Debent tamen esse redditus pingues multùm, vt quis mortem subire debeat propter restitutionem: & videtur hoc rationabile, quamuis Caiet. verb. restit, & Nauar. c. 19. num. 90. vniuersaliter velint, nullum teneri cum vitæ, vel famæ periculo restituere, & id multi dicunt, quorum sententiã potest quis tuta conscientia sequi.

Secundò, nullus tenetur se vendere, vt rem alteri restituat. Est enim libertas bonum inæstimabile; quamuis posset quis se vendere, sed ad id non tenetur, & in hoc omnes conueniunt.

Tertiò, secundum ferè communem sententiam, quilibet tenetur quamcumq; rei necessitatem (citra extremam) subire, vt restituat, etiam ad talem statum descendere, vt mendicet, vel manibus laboret. At verò Soto, lib. 4. q. 7. art. 4. hunc rigorem benè temperat. Dicit enim, cùm aliquis debitor est, quia res malè accepit, putà furto, vel rapina, aut in culpa est, vt aliter restituere non possit, putà, quia dilapidauit bona sua, prodigaliter, & luxuriosè viuendo, tunc tenetur restituere, & subire quãcumque necessitatem, citra extremam, vsq; ad mendicitatem. At cùm bona fide debita contraxit, & in talem difficultatem restituendi aliquo infortunio peruenit, restituere quidem debet mutando statum suum, & vilius viuendo, tamen potest aliquid ad suam sustentationem mediocrem retinere. Hæc de necessitate.

Vltima autem causa liberans à restitutione est, cùm quis via aliqua dominium transferente, rem alterius habuit.

Sunt autem multæ tales viæ.

Quarum prima est ludus. In cuius declarationem aduerte, esse ludos quosdam prohibitos, puta, eos, in quibus magis fortuna regnat, quàm robur, & ingenium, seu ars, qualis est ludus alearum, & taxillorum, & tabularum. Hi enim ludi prohibiti sunt quidem clericis, & religiosis, de vit. & honest. cleric. cap. clericus. 2. & Authen. de sanctis Episcop. §. interdicimus, vbi tales ludere, & ludo interesse prohibentur: sæcularibus etiam prohibentur à lege ciuili, ff. de aleat. l. solet, & ca. de relig. l. alearum vsus. Quidam ludi sunt non prohibiti, in quibus plus artis est, quàm fortunæ, vt scacchorum,

& alij, qui ad corporis exercitationem pertinent. Illi priores ludi, nō sic sunt prohibiti, quin ob recreationem, & cùm summa parua est, liceant etiam clericis; quamuis rarissimè liceant clericis, sæcularibus autem magis. Cùm tamen summa magna est pecuniarum, vix à mortali excusantur. Vnde profectò ludus, ratione multarum circumstantiarum, frequentius est mortale. Quicquid tamē sit de peccato, & de prohibitione, qui lucratur summam quamuis magnam, non tenetur restituere. Ita habet Soto lib. 4. q. 5. art. 2. & alij multi. Potest quidem ille, qui perdidit, repetere coram iudice, qui per sententiam ei omnia restituet, vt habetur citatis legibus; tamen ante condemnationem, non tenetur, qui lucratus est, restituere: si autem nondum qui perdidit, soluit, quia lusit solutione in futurum facienda, nō tenetur soluere, vt dicit Soto, quia est in potestate sua: nisi iurauerit se daturum: tunc enim teneretur dare; &, si vellet, posset coram iudice repetere, vel iuramenti relaxationem consequi.

Est aduertendum tamen, esse aliquos casus, in quibus qui lucratus est, tenetur etiam ante condemnationem restituere.

Primus est, cùm, qui perdiderit, non poterat rem talem alienare, putà, quia erat filiusfamilias, inscio patre, vel seruus, vel monachus, vel furiosus, vel vxor, inscio marito, ex bonis mariti: qui enim ab his lucratur, tenetur reddere ante condemnationem Ex quo fit, vt è contra, si isti lucrentur, teneantur etiam restituere: sicut enim non possunt perdere, sic nec lucrari.

Secundus est, cùm intercessit fraus: nam cùm ex fraude in ludo facta quis lucratur, tenetur reddere ante condemnationem.

Tertius casus, si intercessit vis, quia aliquis coëgit alterum ad ludum.

Vnde euenit, vt aliquis perdens, cogat alterum sustinere ludum, cùm nolit ampliùs ludere: tunc, si fortè relucraretur, tenetur reddere, non quidem quod suum erat, & quod perdiderit, sed totum quod supra suum ab altero lucratus fuerit, quia vis intercedit.

Quartus, cùm aliquis notabiliter excedit alterum in ludendi arte: tunc enim est vt fraus quædam. In his casibus non est expectanda iudicis sententia. Vnum dubium est: nam possunt filij familias aliquam modicam quantitatem ludo exponere,

putà

tùm duos, vel quatuòr iulios, ex consensu saltem tacito parentum, vt dicit Soto loco allegato, tunc peto, an si isti lucrentur magnam summam teneantur statim reddere? Soto dicit non teneri, quia non possunt lucrari, nisi quantùm possunt perdere. Nauar. c. 19. num 9. negat, dicens ipsos non teneri. Ego puto esse cum distinctione procedendum: si enim interceſſit fraus; putà, quia, qui ludebat, putabat illum posse exponere magnam summam pecuniæ, tenetur reddere; si verò non interceſſit talis fraus, ipse enim filius nihil dixit deceptoriū, non tenetur: perinde enim est, ac ille, qui non est filius familias, sed tantùm paruam quantitatem habet.

Sicut ludus dominium transfert, ita etiam sors, quamuis cum discrimine: nam in hac non datur repetitionis locus, nec est peccatum, immò aliquando bona est, cùm præsertim ad lites interimendas fit, dummodò non sit iniustitia ex altera parte: debent enim æquales esse, inter quos sors mittitur, vt iustitia non magis ad vnum inclinet. Idem etiam dicendum de illa via, qua multi conueniunt ad vnum emendum, sua symbola singuli ponentes, & posteà sors mittitur inter eos, quod vocant, *rifare*. In hoc tamen vnum est notandum; ne ille, qui rem vendit multis, carius vendat, quàm valet; hoc enim non licet: sors tamen licita est. Idem etiā dicēdum de his, qui supra rerū certitudinem, vel euentū sponsiones faciunt & deponūt: verè enim per hanc viam dominium transfertur, dummodò non sit fraus ex altera parte, putà, quia res ei est certa, & fingit dubiam: tunc enim restituere tenetur. Hæc sunt nouem capita, quæ de restitutione tractanda proposuimus. Superest, vt breuiter aliqua circa excommunicationes, quæ in hac parte fulminari solent, dicamus.

Aduerte primò, cùm excommunicatio fulminatur contra aliquem, vt soluat quod debet, si ipse non habet vnde soluat, non ligatur excommunicatione: & si excommunicatio in generali fulminata est, non tenetur comparere coram iudice, sed dissimulare; si tamen nominatim fuit contra eum lata, tunc tenetur comparere, & reddere rationem sui, aliàs, ob inobedientiam, excommunicatione ligabitur.

Secundò, aliquis non potens sua à debitore aliàs recuperare, secretò ea accepit, vt suprà iam diximus, tunc si excommunicatio feratur contra eos, qui talia rapuerunt, non ligatur: nullum enim excommunicatio maior ligat, nisi sit peccatum mortale, quod ibi non fuit.

Tertiò

Tertiò, aliquis secretò rapuit aliqua, & fertur excommunicatio in eos, qui non reuelant tale furtum, tunc, si secretum & occultum est, nec ipse tenetur se prodere, sed tantum curare, vt res reddatur domino; nec alij in casu, quo ipse id curat, tenentur ipsum manifestare: nam esset contra ius naturæ. Notorium tamen, aut cuius infamia processit, reuelandum est; at verò si sit occultum, non est reuelandum.

De vsura, quid sit.

CAPVT XXVIII.

POst restitutionem, nunc de vsura agere oportet, cùm & ipsa ad restitutionem obliget; ac primùm, quid ipsa sit, constituere. Videtur autem nobis sic posse definiri; *Vsura est lucrum rei pecunia æstimabilis, ratione mutui principaliter proueniens.*

In cuius declarationem aduertendum est, quinque necessaria esse ad vsuram.

Primò, necessarium est, vt interueniat mutuum. Differt autem mutuum à commodato: nam in commodato non transfertur dominium rei, sed datur vsus tantum rei, vt res eadem postea reddatur; at in mutuo dominium rei transfertur, nec eadem in specie redditur. Vbi igitur commodatum est, nec mutuum intercedit, non est vsura.

Secundò, opus est, vt intercedat lucrum aliquod ipsius mutuantis, vltra sortem. Et attende, lucrum dici, cùm quis habet, seu acquirit, quod aliàs suum non erat. Vnde, si accidat aliquid in mutuo vltra sortem accipere, quòd tamen aliàs ipsius mutuantis erat, vsura non est: v.g. si mutues mille aureos alicui, & det tibi decem millia, quæ aliàs tibi debebar, & nolebat soluere, non est vsura: non enim est lucrum, cùm tua sint illa: secùs, si peteres ante tempus debitum illa soluendi: tunc enim lucrū est. Rursus, si mutues alicui, vt non noceat tibi in his, in quibus secundùm iustitiam aliàs tenebatur non nocere, non est vsura; quia tuum ius acquiris, & hoc pacto ad redimendam vexationem mutuare non est vsura, cùm non sit verè lucrum.

Tertium; istud lucrum debet esse rei æstimabilis pecunia, si enim non æstimatur pecunia, non est vsura; vt si mutues alicui, vt tibi sit amicus, non est vsura, quia amicitia non solet

vendi,

endi, aut pecunia æstimari: secùs, si dares vt tibi remitteret satisfactionem iniuriæ à te illatæ, vsura hæc esset: nam talis iniuria pecunia æstimabilis est, & pecunia sæpiùs satisfactio ipsa fit.

Quartum, opus est, vt illud lucrum proueniat ratione ipsi' mutui; cùm enim ob aliam causam datur, non est vsura, & sic excusatur ab vsura, qui ratione damni emergẽtis, vel lucri cessantis aliquid accipit in mutuo vltra sortem, de quo pòst dicemus.

Quintum, opus est, vt principaliter ob mutuum tale lucrum proueniat: si enim nõ principaliter ob id prouenit, nõ est vsura. Et sic excusatur ab vsura, qui mutuat alicui, qui omninò liberè & sponte ex gratitudine aliquid vltra sortem dat: si verè ita sit, nullaque obligatio intercedat, sed absoluta animi gratitudo, non est vsura accipere, quia non ob mutuum principaliter prouenit, sed ob gratitudinem alterius. Sunt igitur prædicta quinque ad vsuram necessaria, & in prædicta definitione omnia aperte continentur. Vsura autem peccatum est mortale, & oppositum asserere, est hæreticum. Ita habetur de vsur. cap. quia, &c. super eod. Dicitur autem apud Latinos vsura, quasi lucrum quoddam; & fœnus, quasi fœtus apud Græcos dicitur τοκὸς, quasi partus, & apud Hebræos נשך, quasi morsus, vnde Deuter. 23. vbi dicitur, *non fœneraberis ad vsuram*, dicitur, morsu non mordebis, vnde Chrysostom. super Matthæ. comparat morsui aspidis, qui primò delectationem infert, & somnum, pòst, mortem comparat; sic etiam qui ad vsuras accipit, sibi bona conferri putat, postea verò cambijs, & recambijs omnia sua consumpta dolet, & se in inopiam redactum plorat. Hæc igitur dicta sint, quantùm ad definitionem, & nomen vsuræ.

Quotuplex vsura sit, & de mentali.

CAPVT XXIX.

HVius vsuræ tres sunt species. Quædam enim est mentalis, quædam exterior explicita, quædam exterior implicita, seu palliata. Vsura mentalis est, cùm quis mutuat hac intentione, vt ex mutuo aliquod lucrum vltra sortem accipiat; tamen talem intentionẽ nullo modo exterius manifestat

festat ei, cui mutuat, sed exterius est simplex mutuum, interius autem lucrum intendit. Talis vsura mentalis dicitur, quia id, quod vsuram facit, putà, lucrum ratione mutui habere, mente fit. Vnde, non dicitur vsura mentalis, sicut alia peccata dicuntur mentalia, vt homicidium mentale, fornicatio mentalis, & alia: hæc enim sunt, quamuis nullum opus exterius fiat. Et hoc etiam modo est quædam vsura mentalis, cùm quis interiùs consentit in vsuris accipiendis, vel desiderandis: sed in præsenti, vsura mentalis est, cùm mutuum reale est, & qui mutuat, intentionem habet accipiendi lucrum, siue postea accipiat, siue non, tamen intentionem non exprimit exterius: cùm verò intentionem exprimit per aliquod pactum, paciscendo cum eo, cui mutuat, de lucro vltra sortem, hæc exterior vsura dicitur. Et quidem si pactum fuerit expressum, dicitur vsura exterior explicata, si verò tacitum, implicita, seu palliata. De harum singulis oportet tractare, ac primum de mentali. Circa mentalē, aduerte tria esse necessaria in mentali vsura.

Primum est, vt quis intentionem & propositum habeat accipiendi aliquid ex mutuo, vltra sortem. Notanda tamen est differentia inter spem, seu desiderium, & intentionem: aliud enim est sperare, seu desiderare rem, aliud intendere rem: intentio enim non solum dicit velle rem, sed dicit finem operationis, vt propter rem illam homo operetur. Vnde intendit sanitatem, qui operatur, vt eam consequatur: spes autem, & desiderium dicunt simpliciter velle. Modò, scias spem, aut desiderium habendi aliquid ob mutuū, non facere vsuram mentalem, sed intentionem; quamuis enim quis mutuet sperans, seu desiderans ob mutuum se aliquid habiturum, non committit vsuram; tamen si intendat, id est, hoc animo mutuet, vt lucrum habeat, vsurarius est; Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*: Hic, spes pro intentione sumitur: non enim dicit simplex velle, sed velle, quod est causa, vt detur mutuò, & hæc est intentio. Hæc distinctio multum etiā prodest pro simonia mentali: inseruire enim alicui hac spe, & hoc desiderio, quòd ille beneficium dabit, non est simoniā ramen tali intentione inseruire, vt obligetur ille obseruatum, ad dandum beneficium, simonia est.

Non sufficit intentio ad talem vsuram, sed est secundum necessarium, vt intentio ista sit accipiendi lucrum ob mutuum: quando enim intendit lucrum habere, sed non ob mutuum,

non

ni est vsura: v.g. mutuo alicui, vt fiat mihi amicus, & benefactus, & ex tali benevolentia donet mihi aliqua, & benefaciat, non quidem ob mutuum, sed, ex amicitia, talis non est vsura, quia debet esse intentio habendi aliquod lucrū ab aliquo, propter mutuum.

Nec hoc etiam sufficit, sed opus est, vt ista intentio, quæ est habendi aliquid, propter mutuum, sit habendi aliquid principaliter, propter mutuū. Nam cùm intendit quis habere ab aliquo lucrum, propter mutuum, sed non principaliter propter mutuum, sed ob gratitudinem, & liberalitatem suam, non est vsura mentalis, sicut nec exteriùs accipere, vsuram facit. Nec audias Soto lib. 6. quæst. 1. art. 2. qui contrarium tenet: nam meliùs dicit Nauar. tract. de vsura, num. 19. verbi gratia. Mutuo alicui hac intentione, quia scio ipsum esse gratum, & liberalem, & solitum remunerare beneficia accepta, & ipse ob talem gratitudinem, dabit mihi aliquid vltra sortem, non est vsura; tunc enim vsura est, cùm intendo aliquid habere ex aliquo, ex obligatione saltem morali, quia nempè intendo illum obligare ex mutuo, vt det vltra sortem: nec opus est vt ista obligatio sit iuris, sat est, vt sit obligatio aliqua moralis, quæ homines quodammodo cogit ad aliquid faciendum. Talis igitur debet esse intentio eius, qui vsuram facit mentalem. Stante autem tali intentione, potest tripliciter contingere vsura mentalis.

Primò, cùm ex parte vtriusque, dantis, & recipientis, est similis intentio: nam alter mutuat tali intentione, & alter dat hac intentione, putà, sentiens se ex mutuo obligari, & tunc peccat mortaliter qui recipit, & obligatur ad restitutionem.

Altero modo, est intentio ex parte recipientis; qui enim dat, liberaliter, & ex gratitudine dat, at qui accipit, velut ex debito accipit, & tunc hic mortaliter peccat, & obligatur ad restitutionem, quousque constet de intentione dantis: habita enim intentione dantis, non tenetur reddere; tamen mortaliter peccat, ob suam intentionem: & sic etiam peccaret, quamuis ille, qui mutuauit nihil posteà, lucri daret.

Tertiò modo, qui dat vltra sortem, potest intentione tali esse, qua velut ex debito dat; tamen qui accipit, solùm accipit, velut ex gratitudine, & liberalitate datum: in quo casu non peccat, qui accipit; tamen, cùm primùm de dantis intentione constat, tenetur restituere; non totum, sed id, in quo ditior est

factus, vt dicit Caiet. ver. vsura, ver. gr. Accepi vestem sericam vltra sortem credens mihi ex liberalitate dari cùm constat, nō sic datam fuisse, non teneor totum dare valorem, sed eū, quem alias consumpsissem, nisi illam accepissem; si enim ex panno aliàs me vestirem, solùm, quantum talis valeret vestis pecuniæ reddere teneret, & non pretium vestis sericæ.

De vsura exteriori explicita.

CAPVT XXX.

AD vsuram exteriorem explicitam duo sunt necessaria.

Alterū est, vt intercedat mutuū, in quo aliquid vltra sortem accipiatur: Vnde, cùm non est mutuum modo aliquo, quamuis sit lucrum vltra sortem, non est vsura, licet intercedant pecuniæ: v. g. Si quis pecunias alicui det, vt is se ditiorem coram alijs ostendat, tamen post easdem reddat, potest aliquid lucri inde habere, nec est vsura, quia non est mutuum, sed commodatio quædam. Rursus; si quis det alicui pecunias aureas, vt ipsis ad aliquam medicinam vtatur putà, vt cum ipsis decoquat carnes, & iterum reddat, potest absque vsura aliquid lucri accipere, quia non est mutuum, sed locatio quædam pecuniæ. Rursus, si det aureas pecunias pro argenteis, & petat aliquid moderatum vltra pretium pecuniæ aureæ: similiter, si argenteas pro alijs inferioribus metallis, & moderatum quid accipiat vltra valorem, non est vsura, quia est venditio quædam pecuniæ, non mutuum. Debet igitur ad vsuram mutuum aliquid intercedere.

Alterum etiam necessarium est, vt sit pactum aliquod super tum recipiendi aliquid vltra sortem, propter mutuum. Vnde est regula generalis obseruanda; quoties aliquis pacisciur de aliquo lucro, quod sit pecunia, vel pecunia æstimabile, ob mutuū habendo vsurarius est. Per hanc regulam, multiin particulari casus deciduntur, quorum aliquot enarrabo, vt per hoc facilè alij iudicari queant.

Primus: si quis mutuat agricolis, seu terrarū cultoribus, hoc pacto, vt obligati maneant terras mutuantis colere, quamuis mutuans soluat totum pretium, quod illi merentur, & quod ab alijs essent habituri, est vsura; quia illa obligatio, qua obligati

gati sunt, pecunia æstimabilis est, & nisi ratione huius aliquid ex mutuo, secundum boni viri arbitrium, remittat, committit vsuram, & tenetur remittere. Rursus si quis mutuet alicui, obligando vt merces ex sua officina emat, quamuis iste aliàs emturus esset merces, & non plus accipiat mutuans, quàm merces valeant, vsurarius est: nam sola obligatio pecuniæ æstimabilis est, deberque aliquid ex mutuo remittere, vt vsura non sit. Rursus, aliquis mutuat alicui, obligando, vt emat aliquid ab ipso mutuante (sæpè enim cùm quis non potest aliqua vendere, vel debito pretio vendere, mutuat alicui obligando, vt emat illa) hæc est vsura, licèt res non vendatur, nisi iusto pretio, & tenetur resarcire damnum, si quod incurrit ille ex tali emptione. Rursus, si quis mercator, vel aliquis diues mutuat ciuitati alicui, Regi, vel Principi, cùm pacto vt remittat gabellas, quas ipse solututus erat, est vsura aperta. Rursus etiam, si quis mutuat alicui nauiganti, vel eunti ad ferias, hac conditione, vt det ipsi mutuanti pecuniam aliquam pro assecuratione illarum mercium, quas defert, ita vt obliget ipsum mercatorem, vt ineat contractum assecurationis cum mutuante, vsura est, & tenetur reddere pecunias, quas ex assecuratione accepit, vt habetur cap. nauiganti, de vsur. Rursus, si quis mutuat alicui negotiatori pecunias, vt det ei aliquam lucri partem, tamen non subit periculum mutui, sed, saluo capitali, de lucro paciscitur, vsura est, quam solent incurrere viduæ, & alij homines otiosi, qui nolunt negotiari. Rursus, si quis mutuet alicui pecunias hoc pacto, vt soluat in alio loco, vbi plus valent; aut mutuet, vt in alio tempore det, quo res plus valet, putà, mutuet frumentum vetus, vt det alio tempore, quo plus valere solet vsura est. Quòd si probabile esset, non plus rem postea valituram, non esset vsura paciscì: vnde, qui dant frumentum vetus, vt nouum eis postea detur, cùm probabile æstimatur non plus valiturum, sed id faciunt, ne frumentum pereat, non committunt hi vsuram. Rursus, qui mutuat cum pacto, vt alius fideiubeat, vel spondeat pro ipso in aliquo negotio, vel vt obliget se ad mutuandum ipsi mutuanti, vsurarius est. Ratio horum omnium est; quia aliquid æstimabile pecunia ob mutuum vltra sortem accipitur. Rursus tandem, cùm quis mutuat alteri, & pignus accipit fructificans, putà agrum, vel vineam, vel aliquid aliud, nec accipit in partè restitutionis mutui fructus, deductis expensis, & laboribus, vsurarius est: tenetur enim

fructus à mutuo extrahere, vt habetur c. quoniam, de vsur. Vnde, cùm fructus æquant totum mutuum, non potest accipere mutuum; &, si excedunt, tenetur ipse reddere. Vnde vsuram committunt, qui mutuãt Regibus, & Principibus, & in pignus accipiunt terras, & alia loca fructificantia; & tamen postea petunt totum & integrum mutuum. Tamen oportet in solutionis partem accipere fructus, deductis expensis, & laboribus, & damnis emergentibus, & lucris cessantibus, de quibus postea dicemus.

Aduertendum tamen, duos excipi casus à Pontifice, in quibus, non tenetur, qui accipit pignus, fructus in partem solutionis accipere.

Alter est, cap. conquestus, de vsur. cùm quis dedit alicui fundum in feudum, & hic postea accipit mutuò ab illo, & ipsum fundum dat ei in pignus, tunc dominus fundi potest fructus accipere, & postea totum mutuum recuperare: rationem huius dat Soto libr. 6. quæstion. 1. articul. 2. quia ista lex est feudi, vt quoties res aliquo modo ad dominum redit, fructus percipiat.

Alter casus est, cap. salubriter, de vsur. cùm socer non dat genero statim dotem, sed pignus dat fructificans, tunc gener potest fructus percipere, & pòst, integram recipere dotem. Rationem huius dat ipse Papa, putà, propter onus matrimonij: hoc autem onus est, quod vir tenetur sustentare vxorem, & postea integram dare dotem, ob hoc Pontifex id decreuit. Soto autem loco allegato dicit, idem esse dicendum, cùm mortuo marito, vxor nondum recepit dotem: potest enim fructus recipere, & integram pòst expectare suam dotem.

De vsura exteriori palliata, seu implicita.

CAPVT XXXI.

Exterior vsura dupliciter potest palliari. Vno modo, ratione pacti, cùm non est expressum, sed nutu, vel consuetudine, vel alia via indicatur.

Altero modo ratione mutui, quod in vsura est necessarium: solent enim mutuum verum occultare aliquo alio contractu, ac si non esset mutuum, & talis palliatio est multum occulta,

& potest decipere. Ponam aliquot exempla, quamuis horum, inferiùs fiet copiosior tractatio.

In primis solet occultari mutuum sub nomine venditionis.

Fit autem hoc dupliciter: aut cum fingitur vendi, quod non est, vt fingo me dare alicui agricolæ quingentos aureos pro bobus, quos non habet, & postea fingo me locare boues pro quadraginta aureis: ista est vera vsura: nam reuera est mutuum quingentorum, pro quingentis quadraginta.

Fit etiam altero modo, cùm venditur res supra summum pretium, quia venditur expectata pecunia: v.g. vlna panni valet triginta ad summum, tamen quia vendo eam expectata solutione, vendo pro triginta quatuor iulijs vsura est: nam perinde est, ac si mutuarē triginta illa, pro triginta quatuor post reddendis.

Dixi autem, suprà summum pretium: nam solent tria iusta pretia vnius rei esse: infimum, & supremum, cum medio. Benè autem potest aliquis summum pretium iustum exigere, cùm vendit expectata solutione, alias exacturus medium, vel infimum, si soluerit statim emens: tamen excedere limites omnes iusti pretij, vsura est.

Aliquando occultatur mutuum sub titulo emptionis: quoties enim aliquis emit viliùs infimo iusto pretio, quia emit anticipata solutione, vsura est: perinde enim est, ac mutuare tot, vt dentur ei postea plura, vel quod pluribus valet. Similiter est vsura, quia quis emit soluta pecunia viliùs infimo iusto pretio: liceret quidem emere infimo pretio ea, quæ alias medio, vel supremo vendenda essent: licet etiam emere anticipata solutione ea, quæ non pluris æstimantur valitura, cùm tanda sunt.

Aliquando etiam occultatur mutuum sub venditione, & emptione simul. Sic occultant mercatores, qui vendunt vlnas panni, expectata solutione, summo iusto pretio, & iterum tas vlnas emunt ab eodem; soluta pecunia, infimo pretio, est sura pura, perinde ac si mutuarent minus, exacturi postea plus. Nec excusantur isti mercatores suo argumento: dicunt enim ille poterat vendere illas vlnas alteri infimo pretio, ergo potest etiam nobis vendere. Hoc argumentum nihil valet; nam mercatores obligant ementem, vt ipsis vendat; nec aliter vt venderent vlnas, nisi eisdem reuenderent: cùm autem alteri

venduntur, non est talis obligatio. Nec minùs est vsura quod fingunt: sunt enim duo socij, & vnus obligat, vt alteri vendat: hoc enim perinde est, ac si sibi reuendere obligaret ementem.

Aliquando occultatur ratione solutionis; Verbi gratia, aliquis debet alicui centum, post annum reddenda, & quia duo octoginta statim, petit sibi alia viginti remitti, secundum Caiet. verb. vsura, cap. 3. vsura est; tamen mihi videtur dicendum cum Nauar. cap. 17. nu. 131. quòd si ratione temporis id sibi remitti petit, vsura est; si verò ratione periculi, & absentiæ pecuniæ, quia verè pecunia præsens magis valet, quàm absens, non est vsura, cùm vnus alius posset emere illa centum pro octoginta, vel nonaginta. Cùm igitur nulla fraus intercedit, nec temporis ratione id exigitur, non est vsura.

Aliquando occultatur sub titulo societatis. aliqui enim solent dare pecunias suas alicui negotiatori, hac lege, vt det aliquam lucri partem; tamen semper pecuniæ manent integræ soluendæ, nec periculum subire volunt. Ista non est societas, sed mutuum, & vsura: non enim est societas, cùm non est æquale periculum, sicut lucrum; & talis vsura est, quæ committitur, cùm aliqui dant pecunias cambiatori, petentes lucrum, sed nolentes exponere se vlli periculo capitalis pecuniæ. Hæc sint exempla, solùm vt ostendatur quæ sit vsura palliata: de his enim latiùs statim dicemus.

De causis, propter quas lucrum in mutuo potest exigi.

CAPVT XXXII.

ALiquando in mutuo potest lucrum aliquod exigi, licet numquam ratione mutui, sed ratione aliorum emergentium.

Primò, Soto lib. 6. de iusti. q. 1. art. 3. lucrum quidem potest exigi, cùm tamquam pœna imponitur solutionis: v. g. mutuo centum, vt post annum reddantur: quòd si non reddantur, in pœnam, vltra capitale, reddantur decem, aut viginti, talis pœna potest licitè exigi, & recipi: tamen sunt aliquot conditiones necessariæ.

Prima

Prima, vt sit recta intentio ; hæc enim debet esse, vt, qui mutuat, suum possit recuperare capitale : cùm enim intentio non est ista , sed potiùs habendi aliquid vltra sortem (quæ intentia ostenditur , cùm quis desiderat sibi non reddi sortem tempore statuto , vt pœnam recipiat) tunc vsura est mentalis.

Secunda, vt, qui pœnam exigit, seu imponit, non sciat probabiliter, mutuatarium non valiturum soluere tempore statuto : cùm enim quis cognoscit probabiliter, non valiturum soluere illum, cui mutuat, tempore statuto , & adhuc pœnam imponit, vsurarius est: iam enim ratione mutui imponit; non tamen est vsura , si timens sibi soluenda in illo tempore, pœnam imponit, vt soluantur : immò ista debet esse ratio imponendæ pœnæ.

Tertia est; vt, si postea mutuatarius non soluit; & hoc, quia absque culpa sua, non potest, quia nimirum casu perdidit, nec unde soluat habet , non sit exigenda pœna. Nam pœna debet exigi, cùm peccatum est in non soluendo, ibi autem nullum est.

Quarta est, vt, si partem debiti soluit, non exigatur tota pœna, sed pars pro rata: nisi cùm debitum forsan non erat in partes, sed totum soluendum. His existentibus conditionibus in mutuo, aliquid vltra sortem accipere licet.

Secundò etiam potest exigi ratione damni emergentis. In cuius gratiam aduerte explicationem horum duorum terminorum, lucrum cessans, & damnum emergēs : cùm enim quis detrimentum patitur in his, quæ habebat , & ex eo quod mutuat, dicitur damnū emergens. Cùm etiam non habet id, quod habere poterat, vltra ea, quæ habebat, & hoc ex mutuo, dicitur lucrum cessans. Aduerte autem neutrum, neq; damnum, neque lucri cessationem dici , nisi cùm ex mutuo procedunt, vt nisi mutuum esset, damnum non esset, nec lucrum cessaret. Pro damno igitur emergente potest quis, vltra sortem mutui, aliquid accipere ratione damni.

Dupliciter autem potest quis accipere ratione damni.

Vno modo paciscendo de damno , antequam eueniat, vt, mutuo tibi centum, vt reddas decem vltra sortem, pro damno quod patior; hoc modo non licet , nisi cùm damnum est certum: vt, qui, ad mutuandum alteri, sub vsuris sumit pecunias, vel minoris vēdit domum, vel agrum, hic licitè potest statim pacisci de damno , quia præsens & certum est aut etiam cùm

probabiliter speratur,&formidatur,quamuis non sit omnino certum,licitè potest paciſci antequam eueniat,& accipere vltra sortem,siue eueniat,siue non; dummodo tamen non paciſcatur de toto damno formidato:nam adhuc incertum est, & minus est,quàm præsens.

De damno verò non probabili nullus,absque vsura, potest paciſci modo isto,sed altero sub conditione; nempe, mutuo tibi hac lege,vt,si quid damni ex mutuo mihi acciderit, reintegrias;si verò nihil acciderit, ad nihilum vltra sortem tenearis, hoc licitè fit.Notandum verò,cùm quis,vi,vel fraude, vel metu cogitur ad mutuandum,licitè potest damna emergentia recipere,quamuis nullum fecerit pactum, vel conditionem:& qui sic mutuò accepit, tenetur reparare;cùm verò quis sponte mutuauit, licitè potest exigere damna, quæ acciderunt,si quando mutuauit,erant ante formidata,& mutuatario ea manifestauit.quamuis nullum fecerit pactum;& mutuatarius tenetur reparare:non tamen,si non erant formidata; aut erant quidem, sed nō manifestata ab eo,qui mutuauit. Quòd si postea mutuatarius talia vellet reparare, posset qui mutuauit accipere.

De lucro cessante.

CAPVT XXXIII.

TErtia causa,propter quam in mutuo aliquid vltra sortē exigi potest,est lucrum cessans,de qua causa non omnes doctores eodem modo sentiunt: dicam quæ omnes recipiunt,& ea,in quibus dissentiunt.

Tria sunt in quibus non est discordia.

Primum est,esse tres conditiones necessarias,vt dicatur verè esse lucrum cessans ex mutuo.

Prima est,vt talis pecunia,quæ mutuo datur,sit negotiationi exposita: cùm enim non erat quis aliàs negotiaturus tali pecunia,non dicitur ei lucrum cessare: vnde,si talis in mutuo aliquid accipiat,& paciscatur vltra sortem,vsura est.

Secunda: Vt qui mutuat,non habeat aliam pecuniam extra negotiationem, ex qua possit mutuare: cùm enim alias habet mercator pecunias expositas, alias etiam habet non expositas,non potest mutuare cum pacto lucri cessantis, absque vsura: nam tunc dicitur lucrum cessare ex mutuo, cùm non

habet

habet mercator alias pecunias, quas absq; detrimento possit negotiationi exponere.

Tertia est, vt lucrum sit probabile: non enim sufficit, posse esse lucrum, vt dicatur lucrum, sed oportet probabiles esse rationes & coniecturas, ipsum futurum esse, si fiat negotiatio: quamuis in hac probabilitate sunt gradus; quædam enim lucra certiora sunt alijs. Hoc igitur vocatur lucrum cessans.

Conueniunt secundò Doctores, cùm quis inuitus vi vel fraude cogitur pecuniam expositam mutuare, potest licitè paciscì de lucro cessante, & vltra sortem recipere. Quantum autē recipere debeat, dicetur posteà, & in hoc est similis ratio de lucro cessante. & de damno emergente.

Conueniunt tertiò, cùm quis sponte offert pecunias suas mutuo alteri, nec coactus, nec rogatus, nec in illius vtilitatē, sed ante mutui contractum pecunias à negotiatione auferens, non potest vllo modo paciscì de lucro futuro, absque vsura, quamuis tales pecuniæ sint verè expositæ negotiationi, & lucrum sit probabile, & ipse non habeat alias exponendas; cùm enim ipse sponte suas pecunias à negotiatione aufert, non potest licitè lucrum ab alio exigere. In his omnes conueniunt. At in vno discordia est; an, cùm quis non coactus, sed rogatus suas dat pecunias, quas habebat negotiationi expositas, cum reliquis conditionibus possit exigere & paciscì de lucro cessante. Grauissimi Doctores id omninò negarunt, disparem facientes rationem damni emergentis, & lucri cessantis in hoc. Inter quos S. Tho. esse videtur 2.2.q. 78.ar.2. Scot. 4. dist. 10.q.2. & Innoc. cap. nauiganti, de vsu, quem sequitur Soto, lib. 6.q.1.ar.3. At non desunt pro parte contraria graues Doctores, inter quos sunt Conrad. q.30. Sylu. verb. vsura. 1.§.19. Caiet. 2.2. loco allegato, & Adria. q. de vsura. Et quia ista est materia moralis, in qua probabilē grauium doctorum sententiam potest quis securè amplecti, istam opinionem probo, nec vsuram reputo, sic paciscì. Et idem dicendum est de eo, qui, licèt nō rogetur, tamen non lucro, sed charitate ad subueniendum proximo motus, ei mutuat.

Aduertendum tamen, esse alia duo obseruanda, vltra prædicta, cùm quis de lucro paciscitur.

Primum est, vt non exigat statim ex pecunijs mutuatis lucrum cessans: v. g. quis mutuat alicui centum, non debet statim exigere lucrum cessans, dando nonaginta, si forte lucrum

erat decem, sed debet mutuum integrum dare, & expectare lucrum ab illo, cùm voluerit dare intra aliquod tempus.

Alterum est, vt non accipiat totum lucrum, quod sperabat ex tali pecunia, nisi deductis tribus, nempe expensis, quas factus erat lucraturus in negotiatione, quæ aliquando maiores, aliquando minores sunt, aliquando ferè nullæ, vt quando aliquis ex eo quod mutuat, relinquit emere rē statim paratam minimo pretio, quam statim absq; expensis venderet summo pretio. Rursus, deducendus est labor, qui in negotiatione adhibetur, quamuis, cùm quis coactus mutuat, non teneatur deducere operas & labores suos, quos promptus erat exhibere: sicut operarius, qui cogitur ab aliquo non laborare, non tenetur deducere laborem a mercede, sed integrum exigere; secus, cùm non cogitur.

Tertiò, deduci debet periculum: nam cùm lucrum non sit præsens, sed dubium, minus valet quam certum. Et istud periculum non est æquale in omnibus, sed aliquando maius, aliquando minus, & debet arbitrio boni & timorosi viri pensari ad mensuram. Dum autem istud periculum æstimatur, multum cōducet examinare, quanti alius asseueraret tale lucrum: v.g. mutuat quis centum, quibus decem lucrari sperabat, potest exigere, vltra centum, illa decem, deducendo labores & expensas, quas exhibiturus erat in decem acquirendis. Rursus, deducendo periculum, hoc modo examinando, si ipse vellet sibi illa decem assecurari, quantum daret, & hoc ferè totum deducere. Dico, ferè totum, quia non totum debet deducere, quantum daret pro assecurando, quia non seingerit ad mutuandum, sed rogatus mutuat, & multo minus debet deducere, cùm coactus est. Si igitur ista tria pensentur, profectò via certiam partem lucri aliquando sperare potest exigere. Hæc tamen in particulari, vt dixi, boni viri arbitrio pensanda sunt. Hæc igitur de lucro cessante dicta sint. Securius est a tali abstinere lucro, & gratis mutuare, cùm nullum damnum emergit.

De alijs causis exigendi in mutuo lucrum.

CAPVT XXXIV.

QVarta etiam causa est, propter quam in mutuo lucrum exigi potest, seu potius accipi potest; cùm aliquis mutuat.

Item

rum tempore, quo minus valet, vt reddatur sibi tempore, quo plus valet, nullo existente pacto, nulla existente probabilitate illius maioris valoris, nec illius gratia mutuum factum est: verbi gratia, aliquis mutuat alicui vinum vel frumentum, vel aliquid aliud, tẽpore, quo minus valet, accidit postea, vt, cùm reddi debent ista, plus valeant: in tali casu potest aliquando esse vsura, aliquando non. Quod sic explico: Si non mutuauit, sed vendidit, non potest plus accipere, nisi pretium quo illa valebant, quando vendita sunt; Quòd si non vendita, sed mutuata sunt, tunc, si, qui mutuauit, sciebat probabiliter, tempore, quo illa restituenda erant, plus valitura, obligauitque mutuatarium, vt non antè solueret, spe lucri, vsura est plus accipere, quàm erat mutuum tempore mutui: Quòd si nesciebat, nec tali intentione mutuauit, sed casu plus illo tempore res valuit, aut ipse non mutuauit lucri intentione, potest exigere frumentum sibi dari, vel oleum, vel vinum, etiam in pretio, quod valet tempore restitutionis. Ita tenent communiter, & & vide Soto lib. 6. q. 1. 2. 2. & Sylu. verb. vsu. 1, §. 16. Idem etiam dicendum, si minus valet: tunc enim perdit, qui mutuauit: debet enim recipere tot in mensura, quot dedit, licet tunc minus valeant. Notat autem Soto loco allegat. duo.

Primum est, si quis mutuaret alicui, non prescripto tempore solutionis, & tamen quando videret talem rem vilius valere, non peteret, expectando tẽpus, quo carius valeret, talis esset auarus, & peccaret contra charitatem; tamen non esset vsurarius, nisi impediret alterum quò minùs solueret, cùm vilius valet res; aliter non facit contra iustitiam · non enim tenetur debitorem aduertere: nam ille debebat hoc considerare.

Alterum est, non esse simile de pecunia & frumento, aùt alijs rebus: si enim aliquis mutuaret alteri centum aureos valentes vndecim iulios, & post, Rex, vel princeps augeret valorem aurei vsque ad quatuordecim, non teneretur ista dare centum aureos, sed illos, qui adæquant valorem centum, vndecim iuliorum. Ratio huius est; quia in pecunia pretium non distinguitur ab ipsa, sicut pretiũ distinguitur ab alijs rebus. Auctio igitur pretio mutatur pecunia, sed non res, putà, modius frumenti. Sicut igitur, si augeretur modius frumenti, qui accepit quatuor modios mutuò, cùm minor erat mensura, nõ tenetur dare modios maiores quatuor, sed quantũ æquet minores: ita etiam de pecunie. Cùm verò non mutuatur modius, sed pretium quod à modio distinguitur, debet reddi idẽ modius,

licèt

licèt plus valeat. Hæc intellige, quando qui dat pecunias, non petit sibi dari in eadem materia, in qua dat, siue minus, siue plus valeant: tunc enim essent sic dandæ, siue auctus, siue minutus esset valor pecuniarum.

Alia quinta causa accipiendi in mutuo vltra sortẽ, est, cum quod accipitur, aliàs erat debitum accipiendi: vt, cùm quis non potens sua recuperare, mutuat, vt ei sua reddantur, non est vsura; nam verè non est lucrum, quia lucrum est, quando accipit, quod suum non erat. De hac causa superius in definitione diximus.

Vltima causa est, cùm mutuum non verè intercedit, sed degenerat in sortem potiùs: v. g. si quis mutuaret alicui mille aureos, hoc pacto, vt si intra decennium mortuus fuerit, vel dans, vel accipiens, sint accipientis, & hæredum; si verò vterque superstes fuerit, teneatur reddere mille & quingentos. Sylu. verb. vsura. 1. §. 36. putat esse vsuram; sed Sylu. putat id, quando mutuatarius obligatur subire sortem, vt, c: nauiganti, de vsuris iudicatur de obligante ad assecurationem; tamen si non tale obligatio, sed liberè vellet mutuatarius, sic non est vsura: nec enim hic intercedit verè mutuum, sed est sors quædã: & dummodò seruetur æqualitas in sorte ex vtraq; parte, non est malus contractus neq; vsurarius.

Quantum debeat vsurarius restituere, & ex quibus bonis.

CAPVT XXXV.

NVnc de restitutione, quæ facienda est, vsurarum, tractare oportet. Ac primum quidem de quantitate restitutionis, certum est, eum, qui vltra mutuum accepit, non eorum ex vsura, teneri ad restitutionem, & non quamcumque, sed eorum omnium, quæ vltra sortes datas accepit. Tenetur etiam restituere damna illata, & lucra cessantia, quæ ex vsurarum solutione obuenerunt, soluentibus vsuras ex earum solutione: v. g. si quis, vt solueret vsuras, coactus est domum vel agrum minoris vendere, quam valebat, vsurarius teneretur ei, non solùm de vsura accepta, sed de damno dato facere restitutionem, vt habet S. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 4. Rursus, si soluens negotiabatur illa pecunia, & dum eam vsurario soluit, lu-

crum

rum perdidit, tenetur ei vsurarius de lucro cessante, ad modũ superiùs dictum. Ita habet Soto li. 6. q. 1. ar. 4. Vltra ista tenetur etiam vsurarius aliquando restituere simul fructus, quos apud eum res per vsuras acceptæ fecerunt.

In cuius gratiam, aduerte distinctionem superius positam: res enim per vsuras acceptæ sunt in duplici differentia.

Quædam quæ ex se non fructificant, nisi ex industria habentis, vt pecunia, frumentum, oleum, & alia, quæ vsu consumuntur.

Quædam verò ex se fructificant, vt domus, ager, vinea, oliuetum, equus, seruus, & alia, quæ vsu non consumuntur. Vsurarius igitur non tenetur restituere eos fructus, quos ex rebus vsu consumptibilibus sua industria conquisiuit: v.g. si pecunijs vsurarijs negotiatus, lucratus est multa, nihil horum tenetur reddere, nisi, vti diximus, lucrũ cessans, vel damnum emergens, si quod euenit alteri, causa vsuræ. Et idem est dicendum de agro, domo, vel re, vsu non consumptibili, quæ empta est ab vsurario pecunijs vsurarijs, non tenetur horum fructus reddere, quia ex ipsius industria sunt, vt dicit S. Tho. loc. cit. Vnde in c. cùm tu, de vsur. dicit: quòd, cùm cogi debet vsurarius soluere, tales res debent vendi, si aliunde non est soluẽdo, vt ex pretio vsura restituatur: non tamen dicit esse ab eo auferendas; nam residuum pretij, si quid supereſt, est ipsius vsurarij. At verò, cùm res vsurariæ, id est, quas ab vsuras soluentibus accepit, sunt ex se fructiferæ, tunc tenetur res cum fructibus restituere, deductis expensis. Ista autem restitutio prædicta debet fieri ijs, à quibus vsuræ sunt acceptæ, aut ipsorũ hæredibus. Quando autem nullus horum apparet, sed omnes ignorantur, est facienda pauperibus restitutio. Hæc sententia communis est.

Secundo loco videndum est, ex quibus bonis facienda est restitutio. In cuius explicationem, aduerte, bona vsurariorum esse in quadruplici differentia. Quædam, quæ per vsuras accipuntur, sed vsu consumuntur, vt pecuniæ, frumentum, & alia. Quædam talibus empta, sed quæ vsu non consumuntur, vt domus, agri, vineæ pecunijs per vsuram acceptis emptæ. Quædam per easdem accepta immediatè, & vsu non consumptibilia, vt domus, agri, &c. Vltimo bona propria, non per vsuras accepta. Quantum ad præsens, eadem est ratio de secundis & primis. Vt tamen resolutio habeatur, sunt aliquot dicta.

Primum est, omnia huiusmodi bona, dum sunt in potestate vsurarij, sunt obnoxia restitutioni vsurarum. vt ex eis tantũ auferatur quantum sufficit pro restitutione vsurarum ad modum prædictum. Explico; Si quis mille aureos accepit per vsuras, tenetur restituere ex quibuscumque bonis suis, adeò vt, si consumpsit illos, debeant abstrahi à proprijs bonis suis. Si fundum emit, nec aliud habet vnde soluat, debeat fundus vendi, & ex pretio vsura restitui.

Secundo, Idem dicendum est de hæredibus vsurarij acceptantibus hæreditatem: omnia enim bona hæreditate accepta manent obnoxia restitutioni. Tamen notãdum est, cum multi sunt hæredes, non sunt obnoxij nisi pro rata: si enim tertiã partem vnus accepit, tertiam vsurarum partem tenetur restituere, nisi inter alia bona sit res vsu consumptibilis vsurata: nam qui habet, tenetur reddere domino, & ab alijs cohæredibus exigere partes suas, si minor pars ab eo erat restituenda, quàm sit res illa reddita. In hoc puncto forum conscientiæ, & exterius non conueniunt: nam in exteriori, si quis semel acceptauit hæreditatem vsurarij, quamuis postea inuenta sit minor debitis, cogetur omnia restituere, nisi sub aliqua conditione acceptauerit, qua se ad aliquot obligauit soluendi: at in foro interiori non tenetur plus restituere, quam accepit per hæreditatem.

Terttiò. Cùm res vsu non cõsumptibilis per vsuras accepta est, manet restitutioni obnoxia, in cuiuscumq; sit potestate, siue sit apud vsurarium, siue apud hæredem, siue apud eum, qui ab vsurario emit, siue domum accepit, deniq; à quocumq; habeatur, domino debet reddi, quia semper est ipsius domini primi, sicut res furto oblata.

Quartò. Ex alijs bonis per vsuram acceptis, siue vsu cõsumptibilibus, siue vsu non consumptibilibus; emptis autem ab vsurario, si vsurarius habeat alia propria bona, vnde vsuras restituat, potest ea alienare donando, vendẽdo, emẽdo, vel quouis modo; nec qui ea recepit, restituere tenetur: v.g. vsurarius habet multa propria bona, quibus potest restituere ea, quæ per vsuras accepit, siue sint bona priori, siue posteriori modo, quouis hæc vsuraria bona quouis modo bona à se alienet, qui accipit, non peccat, nec restituere tenetur, quamuis postea vsurarius ad inopiam veniat, nec habeat vnde soluat, dummodò habuerit cùm alienauit. Et multi casus per hoc soluuntur, vt de recipiente dotem ab vsurario ex pecunijs vsurarijs, vel exparentibus

tis per eas;de accipiente dono, vel modo alio, nullus horum tenetur,si,cùm accepit, propria bona habebat vsurarius, ex quibus soluerer,quia non tenebatur restituere ex illis eisdem acceptis,nisi ex quibus vellet.

Quintò. Cùm tamen vsurarius non habet alia bona propria,vnde soluat,præter ea,quæ ex vsuris acquisiuit,sunt multi,qui dicunt, generaliter omnes qui accipiunt ab eo modo quouis teneri ad restitutionem accepti. At Sot.optimè cum distinctione procedit,lib.6.q.1.art.4. Inquit enim,dupliciter aliquem alienare sua.

Vno modò, cùm rei propriæ diminutione,vt cùm dat, & non recipit,putà,cùm donat alteri,cùm dat dotem filiæ, cùm dat mercedem famulis, qui rem domini suo labore vel negotio non augent.

Altero modo absque rei suæ diminutione,vt,qui emit: dat enim vnum,& recipit æquiualens, & vt qui dat mercedem laborantibus in re sua:hi enim augent rem ipsam. Iuxta hoc dico,quòd talis vsurarius,qui alienat modo priori, facit rem alienatam restitutioni obnoxiam. Vnde gener non potest dotem accipere,&,si accipiat,tenetur restituere, quamuis,cùm bona vsurarij restituenda sunt incerta, possit ab Episcopo petere,vt sibi applicentur,vt dicit Nauarr.cap.17.num.280.nec etiam potest donare nec alere famulos, qui rem domini non augent;& hi tenentur restituere, nisi ignorantia excusentur. At verò;si posteriori modo alienat,non obligantur, nec sunt obnoxia restitutioni,cùm acceperit vsurarius æquiualens,vnde posset restituere,dummodò,vti diximus, non sit res vsu nõ consumptibilis,ex ipsa vsura accepta. Ab his excipit Nauarr. loco allegato vxorem vsurarij,quæ licèt habeat propriam dotem,potest sustentari ex bonis mariti,etiam per vsuram acceptis,dummodò viuat moderatè,secundum statum: nam prior est obligatio sustentandi vxorem, quam alia debita satisfaciendi.Excipiuntur etiam filij,qui aliunde viuere non possunt,& serui rem domini augentes, & qui coacti sunt seruire ei.

Qui obligentur restituere ratione vsuræ. Et quid cum vsurario agendum.

CAPVT XXXVI.

MVlti sunt, qui ratione vsuræ obligantur restituere. Nam, non solùm qui acceperũt bona vsuraria, de quibus in præcedenti cap. diximus, sed etiam alij, qui nihil acceperunt, de quibus Sylu verb vsura. 7.

In primis Iudices & Principes, qui repetentes vsuras ab vsurarijs damnant, & iniqua sententia ipsis vsurarijs bona adiudicant: hoc enim nullo modo fieri potest, estq; iniquum eos qui reperunt, non audire, & eis bona per vsuras ablata non facere restituere, cùm in iudicio repetunt, & talia facientes obligantur restituere.

Similiter, Aduocati, & Procuratores, & qui scienter defendunt vsurarios, vt bona repetita consequantur.

Similiter, cùm Notarij dissimulant vsuras, fingendo licitos contractus, vt, cùm vsurarius dat centum, ipsi scribunt centum & viginti, vt post possit vsuras repetere, tales obligantur restituere vsuras, quamuis non obligentur restituere illud pretium, quod pro tali contractu receperunt. Quòd si Notarij contractus facerent aperte vsurarios, peccarent, tamen non obligarentur ad restitutionem; nam illi contractus sunt inualidi, nec vim dant vsurario ad repetendũ, sed tales in vsu non sunt, sed priores, quibus vsura celatur.

Rursus, obligantur restituere testes, qui, scientes, similibus contractibus fictis fidem adhibuerunt, & omnes hi in solidũ obligantur, si vsurarius non restituit.

Rursus, etiam obligantur, vsurariorum factores, id est, qui potestatem habent ab ipsis vsurarijs exigendi vsuras, & dandi; alij verò, qui talem non habent potestatem, vt, qui scribunt receptas pecunias, qui seruant, qui portant, non obligantur.

Rursus, qui dant consilium efficax alicui, vt fiat vsurarius, & proxenetæ, seu cursores, qui faciunt pacta inter vsurarios, & accipientem vsuram, omnes hi obligantur ad restitutionem, quamuis Sylu. distinctione vtatur: si enim solùm concurrunt, vt vsurarius det ad vsuram, non obligantur; si verò concurrant ad hoc, vt vsuras exigant, obligantur. Eadem distinctio est

Angel.

Angel.ver.restitut.1.§.& videtur bona. Soto autem hæc distinctio non placet.lib.6.q 1. art.4 nam idem videtur concurrere ad dandum ad vsuram,& exigendum : nam si dat,planum est, quod exiget.De proxenetis magis hoc videtur distinguẽdum si enim nullum faciant pactum inter vsurarium & accipientem,sed solum ostendant & inueniant vsurarium,aut eos,qui accipiunt ad vsuram.non videntur obligari; tamen periculosum est valdè tale officium,& vix liberum est à restituendo.Et hæc sunt satis de hac re.

Nunc autem, qualiter confessarius se debeat gerere cum pœnitente vsurario,agere oportet.

Duplex igitur est vsurarius, alter notorius, alter occultus

Ille dicitur notorius,qui in iudicio per testimonia sufficientia conuictus est, vel qui in iudicio sponte confessus est vsuram,vel de ea damnatus est, vel factum est notorium, putà, quia publicè ad vsuras dat.

Quando verò quis dat ad vsuras,sed non se habet vt aliquis prædictorum dicitur vsurarius non manifestus. Quid igitur cum manifestò sit agendum,habetur ex cap. quamquam,de vsuris,in sexto:nullus enim debet eum à peccatis absoluere,nec sacramenta impendere,nec communionem, donec restituat vsuras,vel,si non potest,det sufficientem cautionem per pignora,vel per fideiussores:Quod si dominus vsurarum non adest,exhibenda sunt his qui pro ipso acquirere possunt:v.g procuratori, vel si mortuus sit,hæredi vel similibus, vt supra, de quo vide Syl.verb.vsur §.5.si tamen hi non adsunt, Episcopo vel eius Vicario, vel proprio Confessario. Quòd si neutrum horum duorum potest præstare vsurarius, iuret se non posse, cum primum possit, restituturum.Nisi aliquid horum prædictat ordine prædicto, Sacerdos non debet absoluere,aliàs peccat mortaliter, quamuis vsurarius dicat se in testamento relinquere,vt vsuræ soluantur; immò testamentum est irritum,nec talis debet sepeliri in loco sacro; & qui sepelit, ipso facto est excommunicatus, vt ibidem in prædicto capite habetur: nam confirmatur excommunicatio lata Clem.1.de sepult. Excommunicatio autem reseruatur Episcopo, qui non debet absoluere, donec satisfaciat læsæ parti. Quòd si vrget mors,nec vsurario vacat illa facere, cùm tamen propositum soluendi habeat si posset,tunc confessarius debet ab illo petere remissionem soluendi vsuras,& facultatẽ dicẽdi & reuelandi

Episcopo talem promissionem, vt postea Episcopus compellat eum, si vixerit, soluere, vel hæredes: ita dicit Sylu. verb. restitutio. 2. §. 1. Quando verò mors non dat locum huiusmodi, sed solùm signa contritionis exhibet, quæ ad absolutionem sufficiunt, tunc absoluatur, & in hoc casu non esset excommunicatus, qui sepeliret, vt habet Sylues. Notandum autem vsurarium non esse excommunicatum, ob id non esse reiciendum à diuinis officijs, vt Sylu. benè notat, & Soto lib. 6. q. 1. art. 1.

Quando verò non est manifestus, tunc non sic se gerere debet Confessarius, sed potest absoluere vsurarium promittentem, & habentem propositum restituendi, dum tamen non comperiatur in alijs confessionibus proposuisse & non seruasse: tunc enim expectanda esset restitutio, vt notat Sylu. verb. restitut. 6. §. 1. Quòd si iste vsurarius est in mortis articulo, cuius melius esset non absoluere; nisi restituat, cùm possit id facere, tamen non tenetur Confessarius id facere. & si ei est probabile, hæredes testamenti restituturos, potest absoluere; cum verò non potest vsurarius talis, morte vrgente aliquid facere, non est necessarium petere illam promissionem cum licentia manifestandi: nam peccatum huius est occultum, nec creditur Confessario illum fuisse vsurarium, sicut credebatur, cum notorius & manifestus erat.

De accipiente ad vsuram.

CAPVT XXXVII.

LOngè distant inducere aliquem ad dandum ad vsuram, & accipere ab aliquo ad vsuram: prius enim malum est, & peccatum, & numquam licet, nisi, vt dicunt Innocen. cap. super eo, de vsur. & Nauarr. cap. 17. num. 263. cùm quis est in extrema necessitate positus, in qua aliàs tenetur ei succurrere sub mortali peccato, & non succurrit: tunc enim, vt dictum est, minus malum, petendum est ab eo, vt det ad vsuram: verbi gratia, est aliquis inter infideles, & occiditur, nisi det centum aureos, quos ille non habet præsentes, sed alibi habet, tunc si adsit illic mercator, qui eos possit præstare, tenetur sub mortali saltem mutuare; si autem nolit, potest ille alius ad vsuram petere: licet enim suadere minus malum, vt non fiat maius: si enim mercator deliberatus est facere maius peccatũ, quod est

non

non mutuare in tali necessitate, potest hic dicere ne hoc facias saltem minus fac. De hoc vide Soto lib. 6. q. 1. art. 1. Accipere autem ad vsuram non est ex se malum; nam qui accipit, solum mutuum petit; quod cùm ille non velit nisi ad vsuram dare, iste eam dat. Cùm autem ob aliquam necessitatem accipit quis ad vsuram, nullum est peccatum, vt habet S. Thom. 2 2. q. 78. art. 4. Cùm vero nulla est necessitas, sed ob luxum vel vanitatem, Soto lib. 6. q. 1. ar. 5. putat non esse nisi veniale, & idem dicit Caiet. nisi sit nimia prodigalitas, & notabile filiorum, & rei familiaris detrimẽtum: tunc enim esset mortale, sicut prodigere pecunias. Hinc patet solutio cuiusdam dubij; an possit mercator sumere pecunias ad vsuram, & eis negotiari, quia plus negotiatione lucratur, quàm sint vsuræ solutæ. Refert Soto loco allegato, Sanctum Thomam consultum de hoc à mercatore Florentino, respondisse, non licere: Soto autẽ dicit esse licitum, & Caiet. dicit, tantùm esse veniale; & ego ita credo: puto enim, Sanctum Thomam intellexisse de eo, qui potest habere pecunias quibus negotietur: iste enim venialiter peccat, si tantùm accipit, nullum inducendo ad dandum sub vsuris. Quod autem dicimus de accipiente ad vsuram pro se, intellige etiam pro alio, qui pro amico suo accipit ad vsuram: si enim aliquis rogatur ab amico vel noto, vt mutuet illi accipiendo ad vsuram quam ille soluet, potest licitè, etiam in illius fauorem accipere vsuram. De dominis autem temporalibus permittentibus vsurarios, sciendum est, licitum esse permittere, sicut permittuntur etiam meretrices, ad vitanda maiora mala, non tamen ob hoc conceditur vsura: nam permittere est non punire, hoc autem, non semper est peccatum: Deus enim etiam permittit peccata. Esset tamen graue peccatum, si ita permitterent vsurarios, vt accipientes ad vsuram cogerent ad soluendum, nec locum in iudicio darent reperentibus: est enim contra ius naturæ vsura, ob id esset lex iniqua, quæ permitteret vsuras solui, & qui tale faceret, esset excommunicatus, vt habetur Clem. vnica. de vsur. Vide Soto lib. 6. quæst. 1. ar. 1. Ius enim canonicum non permittit vsurarios; immò pœnas infligit vndecim, quas vide apud Syluest. verb. vsura. 9. Hæc hactenus dicta sint de vsura in communi, nunc ad particularia descendamus.

De monte pietatis.

CAPVT XXXVIII.

MOns pietatis, est quędam summa pecuniæ, aut rerum pecunia æstimabilium, quæ in pauperum refugium, vel à diuite vno, vel multis, aut à Principe, vel republica aut aliqua communitate reposita est. Ex hac pauperibus solet mutuari gratis. Huius conditiones seu leges esse solent:

Primò, vt detur mutuum ad breue tempus, puta, ad annum plus, minusue; nec excedat vt possit pecunia multis mutuari, & per eam multis subueniri.

Secundò, vt mutuetur sub pignore, ne pauperes in soluendo negligentes sint, & mons consumatur.

Tertiò, vt, si intra tempus signatum non soluitur mutuum, pignus vendatur & detur monti, quod ei debetur, vt possit subueniri alijs.

Quartò, vt, cui mutuum datur singulis mensibus, quibus mutuum acceptum possidet, eroget aliquam summam breuem & paruam pecuniæ monti, pro expensis, quas ministri faciut. Hic dicitur mons pietatis. Et quamuis olim fuerit inter Doctores magna controuersia, an sit licitus, quia videtur pro mutuo aliquid accipere, tamen Leo Decimus Papa expediuit bullam, quæ habetur Concil. Lateran. sess. 10. quà montem talem probat licitum esse, & ab alijs suis prædecessoribus approbatum, nec habere labem vsuræ; & excommunicat contrarium legentes vel scribentes: quamuis dicat melius esse, vt qui tales instituunt montes, etiam instituant redditus peculiares pro expensis ministrorum. Vnde non possum non mirari Caiet. in opusculo de monte pietatis, & Soto lib. 6. q. 1. art. 6. qui contra istum montem inuehuntur; pace ipsorum, nimis audaces & sine ratione, & ni fallor, qui tale dicerer, puto esse excommunicatum. Melius Nauar. super cap. 1. 14. q. 3. ipsum probat, & absque dubio probandus est, si fiat, vt a sede Apostolica est approbatus.

Sunt enim tres conditiones necessariæ.

Prima, vt ex mutuo nihil lucri accedat monti, vltra id quod habebat.

Secunda, vt, quod à mutuatario accipitur, sit pro obligatione, qua mons obligatur mutuare indigenti, & pro expensis, quæ necessariæ sunt pro montis conseruatione, & hoc vocat

Papa

Papa pro indemnitate. Nam mons debet mutuare sic, vt non patiatur damnum.

Tertia, vt nihil accipiatur vltra expensas & causas prædictas quæ debent esse moderatæ nimis, putà, quantum necessarium est. Vnde, non sunt plures ministri in monte constituendi, quam sint necessarij, nec aliæ expensæ superfluæ fieri debent: pro his enim accipere aliquid, vsura esset. Hunc autē montem sic licitum esse, ratio aperta probat

Primò, si quis peteret à me mutuo, quod ego non possem illi mandare, quia ver. gra. absens est, nisi expensas aliquas faciendo, profectò licitum esset, vltra mutuum pro expensis paciſci, quia hoc non est lucrari, sed resarcire damnum. Ergo nō tenetur ipse mons, vel dominus illius proprijs expensis alere eos, qui constituti sunt ad mutuandum; propterea omnes dicunt, Caiet. verb. vsura, & Scotus lib. 6. q. 1 ar. 2. ad 4. Gloss. 14. q. 3. can si fœneraueris. Panor. cap. consuluit, de vsur. Sylu. verb. vsura. 2. §. 2. quòd mutuare alicui, obligando, vt ipse sibi, cùm opus habuerit, remutuet, est vsura, quia obligatio est appretiabilis pecunia. Cùm ergo mons obligetur mutuare petenti pro tali obligatione aliquid potest exigere. Et per hoc soluitur argumentum illorum: dicunt enim, si quis diues vellet constituere aliquam pecuniam separatam ad mutuandum, non po posset exigere expensas, quas facit in conseruanda illa; dico non esse simile: nam diues hic non obligatur mutuare, cùm exigitur, sicut obligatur mons, nec illius pecunia tradita est in pauperum commune dominium, sicut est pecunia montis; bene tamen posset aliquis mutuare, exigendo expensas à mutuatario, vt in casu posito dicebam, cùm rogatus mutuat. Ex his ergo patet licitum esse, existentibus conditionibus.

De alijs montibus, qui in vsu sunt in quibusdam locis.

CAPVT XXXIX.

IN quibusdam ciuitatibus solent etiam alij montes constitui a priore longè diuersi. Aliquando Princeps, Dominus, aut ipsa ciuitas, supra quosdam proprios redditus solent summam pecunię accipere, & singulis annis, octo, vel septem

pro centum receptis reddere: v.g. Aduenæ huius vrbis solent domino reddere singulis annis decem millia ducatorum: ipse dominus aliquam partem, vel totam hanc summam aliis dare constituit, recipiendo decem pro centum vel octo, singulis annis reddenda, talis summa annualis reposita pro solutionibus his dicitur mons, qui pro varietate redditus, supra quos pecuniæ accipiuntur, denominari solet varijs nominibus, vt mons farinæ, mons gabellarum, vel decimarum, &c.

Solent autem isti montes in duplici esse differentia.

Quidam perpetui; quando summa accepta non potest redimi ab accipiente, nec perit redditus cum vita dantis, sed manet hæredibus; vt qui dat centum, vt in perpetuum accipiat octo singulis annis, aut septem, pro se, & hæredibus. Talis est mons, qui Romæ dicitur Fidei, à Clemente Septimo institutus, in quo septem pro centum dantur perpetuo.

Quidam sunt temporales, quando dantur redditus solum pro vita illius, qui summam monti imposuit: mortuo enim ipso, summa data manet apud montem, & talis est mons, qui Romæ dicitur recuperationis, à Pio quarto institutus, in quo duodecim pro centum dantur.

Est etiam tertia differentia, quæ in fine huius capitis ponitur, in qua montes sunt, reddentes decem pro centū. Isti montes secundum se sunt liciti, quia sunt ad modum census cuiusdam, aut perpetui, aut temporalis; tamen ratione alicuius circumstantiæ, possunt esse illiciti.

Sunt enim aliquot conditiones necessariæ.

Prima est, vt talis mons vere sit redditus aliquis, puta, vel gabellæ, vel aduanæ, vel aliquid simile: si enim solum acciperetur pecunia, & pro centum receptis redderentur octo vel decem, vel alia summa, nec talis summa esset supra aliquos redditus imposita esset vsura: & in hoc eadem est ratio huius montis, & censuum.

Secunda est, vt supra tales redditus non sit tanta accepta pecunia, vt non possis pro centum reddere illam quantitatem, quam dat; verbi gratia mons habet redditus quatuor millium aureorum, ex quibus pro singulis centum dantur octo, non possunt plures pecuniæ assumi supra hunc montem, quàm possunt ista quatuor millia continere, singulis annis reddendo octo: tunc enim esset vsura: quia haberet rationem mutui.

Ter-

Tertia est, si non sunt plures pecuniæ acceptæ, quàm mons fructificet, aut illa pars reddituum quę monti exposita est, hoc tamen fuit, quando mons fuit primò institutus, tamen posteà accidit, vt redditus montis sint minores, nec possit pro centum reddere octo constituta à principio, tunc qui habent pecunias supra montem, non possunt plura accipere, quam ille mons reddat pro centum acceptis. Sed hoc intelligendum est, cùm fuit obligatio facta, vt, cùm montis redditus variarentur, etiam variarentur illæ annuales pensiones pro singulis centum, vt si minus redderet mons, minores essent, si plus, maiores. Cùm tamen non est talis obligatio, sed est certa summa constituta, in quocunque euentu, tunc licitè posset talis summa accipi, cum, quamuis plus mons fructificaret, non ob id summa illa augeretur.

Quarta est, vt pereunte monte omnia pereant: debet enim esse sicut in censu; non enim census obligat, nisi dum res manet, supra quam est positus; sic istæ pensiones non debent durare, nisi durante monte. Vnde si casu aliquo periret ciuitas, dominus non teneretur reddere quicquam illis, à quibus supra acceperat redditus talis ciuitatis; secus autē si culpa ipsius periret aut minueretur: tunc enim teneretur reddere pensiones: potest nihilominus dominus montis obligare se ad soluendum in omni euentu; sed tunc augendum est pretiū: nam obligatio hæc pecunia æstimabilis est.

Quinta etiam est, vt in monte temporali plus pensionis detur, quàm in monte perpetuo, in quo minor pensio datur, & ita fit de facto: nam in monte recuperationis dātur duodecim pro centum, & in primo triennio non potest perire pensio, quamuis moriatur qui eam habet; immò post triennium admittitur protestatio ad vendendam pensionem, dummodò qui alienat & vendit, superuiuat dies quadraginta, si malè habet, vel absens est; alias sufficit, vt ipse compareat personaliter apud eum qui acceptat protestationem.

Sexta est, vt Domini, Principes & alij non instituant tales montes absque graui necessitate & communi, præsertim Pontifices: nam per montes destruuntur res successorum, & tot possunt multiplicari, vt in inopiā redigantur: vt enim præsentes domini congregent summam magnam pecuniarum, non tamen redditus alienare futurorum: & multò maiori causa, graviori debent imponi & instituti montes irredimibiles: sunt enim Romæ montes aliqui, in quibus non cessat pensio,

etiam mortuo pensionario, tamen possunt redimi pensiones, & isti dant decem pro centum; alij verò redimi omnino non possunt. Hæc igitur necessaria sunt, vt isti montes licitè sint, de quibus parùm aut nihil scriptum habetur apud doctores, quia non sunt antiqui. Caiet. ver. vsura, in fine, breuiter meminit horum & approbauit. Aduerte tamen aliquos solere vendere has pensiones supra montes impositas pluris, quàm ipsi emerint, ver. grat. aliquis, pro centum, habet supra montem fidei septem perpetua, vendit alteri pro centum & quindecim, similiter de alijs etiam temporalibus. Et hoc licitum est: nam ijdem redditus diuersis temporibus & locis plus minusue vendi possunt; sicut qui domum emit, potest pluris vendere, quàm emerit, dummodò tamen quando venditur, tale pretium iustum sit, quod puto esse in talibus pensionibus: sæpè enim raritas reddituum emptibilium auget pretium eorum.

De societate officiorum.

CAPVT XL.

SOlet Romæ contractus communissimus versari, qui dicitur societas officiorum, cuius origo & principium hoc fuit: sunt enim in Romana curia multa officia, quæ redditus quosdam habent, quæ Papa vendit certo quodam pretio. Cum autem essent multi, qui non haberent tantam summam, vt possent soli vnum emere, concessum est à Pontificibus, vt simul cum alijs emant talia officia; & quamuis in vno sit officium, tamen pro rata, socio, vel socijs, distribuantur redditus, putà, decem, aut duodecim pro centum. Est autem officium temporale: mortuo enim officiali, manet officium in manibus Papæ, nisi officialis ante mortem per quadragesimata dies renunciauerit alteri officium. Ista dicitur societas officiorum.

Sunt tamen aliquæ conditiones necessariæ ad talem contractum, vt licitè fiat. Duæ priores sunt impositæ à Paulo quarto in bulla quadam super hoc, quæ ad nostras venit manus.

Prima est, vt supra alia officia, quàm Romanæ curiæ, non possint similes societates fieri: si enim fiant, tamquàm vsurariæ censendæ sunt. Hæc autem conditio non est necessaria ad ra-

insecam rationem contractus: nam forsan posset idem fieri super alia officia Regalia, tamen quia id Papa prohibet, non fit.

Altera est, vt non admittantur socij vltra medietatem pretij ipsorum officiorum: solùm enim potest officialis admittere socium vnum, vel plures, vsque advalorem medietatis inter omnes eos, supra vero non potest. Et ista etiam conditio necessaria non est ex parte contractus; nam posset etiam vltra medietatem socios habere, tamen necessaria est ex præcepto Papæ Vnde, peccaret qui contraueniret, & teneretur ad restitutionem. nam Papa iudicat contractum, qui non sic fit, vsurarium Vltra has duas etiam aliæ duæ conditiones necessariæ sunt.

Tertia enim necessaria est, vt socij non plus habeant redditus, quàm obueniat ex officio. Vnde, si officia non fructificant nisi octo, vel nouem pro centum, non possunt socij habere duodecim; & in hoc est mirabilis abusus, quia semper exigunt duodecim, cùm iam officia multò minus reddant, & rarissimè dent tot. Nec excusantur isti socij hac fictione: solent enim, postquàm inierunt societatem, locare fructus suos officiali pro tali pretio. Vnde, si postea decrescunt, ipsi tantundem recipiunt; sed hoc non excusat: nam non locant pro pretio tunc existente; hoc enim valeret, si pro pretio tũc occurrente locarent, & esset incertum, plus, minusve valituros fructus: nam tunc posset officialis lucrari hoc pro fructu; sed non sic faciũt: semper enim exigunt duodecim, quæ vix reddit officium hoc tempore.

Adde etiam, cùm istæ societates semper sint tantùm per sex menses, debent pretia constitui, quæ probabilia sint illius futuri temporis; & quod magis est, non debent locari pro toto fructu, quod speratur, sed pro minori: nam incertum minus valet certo, & præsenti, nec ad id debet cogi officialis'. Adde etiam, cùm illa officia sint temporalia, & incerta, non debent locari, sed est mera societas, & sub tali titulo à Pontificibus probata: fructus igitur debent esse vniformes socio, & officiali.

Immò est quarta conditio necessaria, vt cùm ista officia aliquam habent industriam, sine qua, tantos non facerent fructus, non possunt socij tantam partem recipere, quantam officialis, qui laborat vltra sortem suam; secus si nihil industriæ postularent. Hæc est societas verè officiorum. Tamen humana

auaritia his non contenta adinuenit quandam aliam lucrandi viam: cum enim hoc officium pereat, mortuo officiali, & cũ eo pereant pecuniæ vtriusque pro officio datæ, mixta fuit quædam sors simul cum societate: socius enim init cum officiali societatem hanc, per sex tantũ menses, fitque pactũ, vt si intra sex menses moritur prius socius, pars ipsius, quam supra officium habebat, obueniat officiali; si verò prius officialis moritur, quamuis officium pereat, dabit socio suam partem securam, & ad hoc fideijussores dat; dummodò mors non sit violenta: hoc enim factum est, ne alter alteri insidiaretur. Quod si socius, per quindecim dies ante sex menses finitos, protestatur se nolle societatem, tunc non perdit partem, dummodò sex integros viuat menses. Ista sors licita est: nam nullam facit in alterutro inæqualitatem: vita enim incerta est, & sicut socius lucratur sua sorte centum ex alterius morte, qui in officio perit, ita officialis lucratur centum in officio, ex alterius morte præcedente; similiter mille, plura, pauciora, iuxta partem socij supra officium. Iam igitur non est contractus societatis purus, sed cum sorte coniunctus, sed ista sors est supra capitale ipsum, & partem officij.

Adhuc tamen his auaritia humana non contenta, aliud inuenit lucrum: solent enim socij hoc pactum cum officiali inire, vt si, facta protestatione quindecim diebus ante sex menses finitos, statim his completis diebus, officialis non reddiderit socio suam pecuniam, teneatur deinceps inire societatem, reddendo eos fructus, quos antè dabat, sed socius erit absq; periculo, ita vt, quamuis moriatur ante sex menses completos, officialis non acquirat sibi illius pecuniam, sed hæredibus socij obueniat. Iste contractus sæpè fit Romæ, sed tamen frequentissimè est vsurarius, quod ex duplici parte constat.

Primò, ex parte intentionis imponentis pœnam: nõ enim intendunt hanc apponere pœnam, vt suum capitale recipiat, quæ quidem intentio necessaria est in pœnæ appositione, vt supra diximus, sed intendunt merum lucrum, & saluum habere capitale, desiderantque vt officialis non reddat, sed pœnam incurrat.

Secundò, etiam ex eo quòd officialis sæpè non potest reddere tunc, absque culpa sua, &, vt supra diximus, pœna non est exigenda ab eo, qui non habet vnde reddat bona sua, absque culpa sua. Quod si, qui talem imponit pœnam, rectam haberet intentionem, nimirum, quia vult sibi pecuniã societatis red-

di, &c

& etiam officialis non redderet culpa sua, tunc licitè posset his exigi pœna: sed non puto has pœnas modò sic imponi. Quod maximè dissuadendi sunt homines ab his contractibus, quos absque mortali peccato, & obligatione restitutionis non ineunt. Possent etiam, eisdem seruatis conditionibus, petere & exigere ab officiali damnum emergens, si quod incurrissent eo, quod officialis non reddit, dummodo in culpa sit non reddendi, & socius animum habeat recuperandi suum capitale: alias non licet, & dummodò damnum sit: nam solent sæpè fieri, quando non redditur capitale, accipere eosdem fructus pro ratione damni, absque periculo capitalis, quia dicunt non esse iam societatem.

Adhuc tertium adinuentum est, nimirum locatio quædam partis officij ipsi officiali facta, de qua iam diximus.

Tandem quartum inuentum est, dare partem officij alteri tertio: ver. g aliquis indiget pecunijs, nec habet qui ei mutuò det, accedit officiali, & petit, vt ad societatem sui officij admittat aliquem, & ipse dabit fructus omnes, quos officialis datus erat, & pariter ipsi lucrum obueniet ex morte socij, ita vt officialis seruetur indemnis, nec perdat, nec lucretur, iste contractus licitus est: nam sicut licitum est dare pecunias alicui, obligando ipsum, vt soluat damnum, aut lucrum cessans certum ex tali mutuo prouenies, ita potest obligare officialis illum tertium, vt soluat fructus, quos ipse soluturus erat pro accepta pecunia, & lucrum etiam ipsi proueniet. Sic etiam licitum est super domum propriam imponere censum pro tertio. Vnde contractus est duplex, primus est officialis cum socio, secundus, officialis cum tertio. Sunt tamen duæ conditiones necessariæ, quæ vt plurimùm non seruantur Romæ, ob id est illicitus talis contractus.

Prior est: Non potest officialis plura supra officium suum recipere, quàm sit valor medietatis officij sui, at isti sumunt absque mensura, in quadruplo, plus quã valeat officium: propterea Paulus IV. in sua Bulla optimè disposuit, vt nullus admittere posset societatem, nisi prius obtenta Papæ signatura: cum ibi appareat, quàm oneratum esset officium.

Posterior etiam est, vt non plus exigatur à tertio, quàm sint officij fructus pro rata. Et in hoc est mirabilis abusus: nam socij exigunt a tertijs duodecim pro centum, super officia, quæ non dant, nisi quinque pro centum. Est talis contractus pessimus, obligans ad restitutionem, quam primo loco tenetur

officia-

officialis facere illi tertio: nam quamuis tertius det primo, tamen ex natura contractus obligatur officialis & eum indemnem seruare, & socius secundo loco tenetur officiali restituere; nec excusantur ignorantia, quia est crassa nimis: debent enim priùs quærere socij isti, qui dant tertijs superà officia aliorum, an talia officia sint onerata, adeò vt non possint recipere plura, & tenentur contractum cognoscere, maximè, cum bulla Pauli Quarti omnibus fuerit publicata; & quamuis ignorantia excuset, id est à peccato, sed non à restitutione facienda, cùm primum constiterit, illicitum esse talem contractum.

Et est tertia conditio necessaria, vt, quando faciunt hanc societatem, dent totum capitale, & non accipiant solutionem anticipatam: solent enim dare quingentos aureos pro societate, & statim accipere pro fructibus quinquaginta; vnde non dant verè, nisi quadringentos quinquaginta.

De alijs tribus speciebus.

CAPVT XLI.

ALia est secunda societatis species communis, puta, cùm multi pecunias suas negotiationi exponunt, ita vt singuli pecuniam exponant, & simul laborem, & industriam in negotiationem necessariam adhibeant. Talis societas licita est, seruatis tribus conditionibus.

Prima est, vt negotiatio sit licita, & non contra iustitiam.

Secunda, vt singuli exponantur periculo perdendi de capitali suo, sicut se exponunt lucro. Vnde, quoties aliquis vult lucrum, & non exponere se periculo perdendi, nisi alius intersit contractus, de quo dicemus post, est iniusta societas, nec potest licitè acquirere.

Tertia est, vt lucrum proportionaliter diuidatur, proportione pecuniæ expositæ, industriæ, & laborum: minus enim de lucro obuenit ei, cuius capitale minus est. Ista sunt manifesta.

Tertia alia societas est, quando labor, & industria communis nō est, sed vnus industriam ponit, vel laborem, alius pecuniam: vel vnus partem pecuniæ, & industriam, alius solam pecuniam: i

niam: de qua societate, habetur ff. pro socio, l. societatem. Et idem licita est, seruatis duobus.

Primum est, vt quisque sit expositus periculo perdendi sum capitale; Verbi gratia, qui pecuniam exponit, si forte pereat, suo damno pereat, qui ponit laborem & industriam, si causa nihil lucri obueniat, laborem perdat, salua pecunia alterius.

Alterum est, vt in lucro diuidendo computetur quantum valeat labor & industria, & quantum etiam periculum hoc valeat, quòd labor & industria semper perdatur, dum nihil est lucri, at pecunia non; nam salua manere potest: & in hoc benè dicit Nauarr. cap. 17. num. 255. quicquid velit Soto lib. 6. de iust. q. 6. art. 1.

Aduerte tamen hic, quòd contractui societatis possunt adnecti alij duo, putà, assecuratio quædam capitalis: sicut enim unus potest capitalis assecurationem cum tertio facere, ita potest cũ socio, dato iusto assecurationis pretio: potest etiam lotare fructus, & lucrum pretio conuenienti, vel assecurationem lucri facere, & ità sentit Caie. opusc. 16. q. 11. & Nauar. c. 17. num. 255. quamuis Soto non id recipiat, lib. 6. q. 6. art. vltimo; sed non videtur id negandum, dummodò, vt Caiet. dicit, non obliget socium ad tales contractus, sed liberum relinquat, sicut & alium quemlibet.

Quarta alia societatis species est animalium, cùm aliquis emit animalia, & alij dat curanda, reseruata parte lucri, & est licita, seruatis quibusdam.

Primò, vt portio reseruata sit iusta: debet enim haberi ratio laborum, industriæ, & expensarum illorum, quibus animalia committuntur.

Secundò, vt animalia pereant ipsi domino, & non ipsis sortis tractantibus.

Tertiò, vt, cum absque negotiatorum culpa non habetur lucrum ex animalibus, quia forte non exponunt animalia labori, vel alijs negotijs, tunc liberi sint socij à lucro reddendo Domino. Hæc omnia sunt clara, & communia.

De

De censibus, Quid census.

CAPVT XLII.

DE censibus vide Conr. q. 72. Sylu. vsura, 2. §. 12. Soto lib. 6. de iust. q. 5. Henr. quodlib. 1. q. 39. Canonistas super cap. ciuitate, de vsuris. Ant. 2. p. tit. 1. cap. 11. §. 9. Miranda in summa Concil. post Concilium Floren. de hac etiam materia extat bulla Pij V. quam refert Nauar. in man. c. 27. nu. 233. Igitur, inter alia de contractu censuum tractanda, illud primum est, quid sit census. Vt autem in præsenti sumitur, videtur sic posse definiri. *Est ius exigendi pensionem de re vtili alterius.* In qua definitione quatuor partes continentur.

Prima est, *Ius*. Sumitur autem hic ius, pro facultate aliquid faciendi: sic dicimus dominum habere ius in seruum, scilicet habere facultatem imperandi ei secundum iustitiam. Dicitur census ius quoddam; quale autem sit, exprimitur in secunda particula, putà, *Exigendi pensionem*. Vocamus autem pensionem, quotam quandam, vel fructuum, vel pecuniarum, quæ alicui soluitur. Census igitur est facultas exigendi, secundum iustitiam, pensionem, seu partem quandam fructuum, vel pecuniarum. Vnde autem ista pensio sit extrahenda, exponitur in tertia particula, putà, *De re vtili alterius*, id est, ex fructibus, quos res aliqua apud alterum facit: debet enim esse res, quæ non sit vsu consumptibilis, qualis pecunia est: hæc enim vsu consumitur; sed talis, quæ vsu non consumitur, sed fructificat, salua substantia: Verbi gratia, habet aliquis domum, vel agros, vel alia fructificantia, & facientia aliquos prouentus; alius autem habet ius exigendi ab eo aliquam partem talium prouentuum; hic dicitur habere censum supra rem illius, quia tale habet ius.

Qnarta particula est, *alterius*, id est, res illa, vnde pensio soluitur, non debet esse habentis censum, sed soluentis ipsum, ad differentiam locationis, & emphyteosis: qui enim locat domum alteri, habet quidem ius exigendi ab eo pensionem, sed non dicitur tale ius, census, quia non transfert dominium domus alteri, sed tantum vsum; at verò qui habet censum super rem aliquam, non habet dominium eius, sed hoc manet apud soluentem pensionem. Et propter hoc etiam differt ab emphyteosi, in qua quis accipit pensionem de re, cuius dominium

ium habet; sed vsus est alteri in perpetuum traditus. Et ex hoc intelligitur ratio cuiusdam textus: nam in cap. constitutus, de religiosis domibus, condemnatur quidam Abbas, qui multis annis non soluerat pensionem de re, quam sub censu acceperat: condemnatur autem, vt omnia soluat, non tamen vt prædium, seu rem amittat; & tamen, si erat emphyteosis, prædium amittebat, & redibat ei, cui soluere pensionem tenebatur, vt habetur l. 2. C. de iur. emphy.

Rationem autem huius dat Gloss. super illud capit. constitutus; nimirum, quia in censu, qui soluit, dominium rei habet. at in emphyteosi, non. Ob id, in hac, res reuertitur ad dominum, cum pensio soluitur, non in censu; quia ipse, qui habet, dominus est: solùm cogendus est ille pensionem totam soluere.

Est igitur census, ius exigendi ab aliquo pensionem aliquam, super re, cuius dominium apud ipsum met est. Dices; quare dicitur census?

Aduerte. Olim res, & bona ciuium recensebantur ab Imperatoribus, vt iusta fieret ipsorum æstimatio, ad tributum soluendum, vt habetur l. forma, ff. de censibus; talis autem æstimatio dicebatur census. Inde, nomen hoc ampliatum est, vt ipsa res familiaris, quæ æstimabatur, diceretur census.

Et rursus tertiò, ipsum tributum, & pensio, quæ soluebatur, etiam dictus est census. vnde, illi interrogabant, an liceret censum dare Cæsari.

Atque his modis apud auctores hoc nomen vsurpatur; sed in præsenti apud Doctores Theologos, & Iuristas aliter sumitur.

Quarto modo sumitur census pro ipso iure, quod est in accipiente pensionem, ad exigendum eam ab altero; & sic in præsenti sumitur, & à nobis hoc modo census definitus est.

Quotuplex census.

CAPVT XLIII.

NVnc diuisiones, & modi censuum horum considerandi sunt; nec oēs diuisiones in medium proponemus, sed principales, & de quibus minus est dubium.

Pri-

Primo quidem diuidetur in resignatiuum, & consignatiuum.

Resignatiuus est, cùm quis rei suæ dominium alteri transfert, retenta sibi aliqua fructus pensione; & de hoc censu erat illud c. constitutus, superiùs allegatum.

Consignatiuus est, cùm quis, retento dominio rei suæ, partem aliquam fructus in alterum transfert. Tales census modò in vsu sunt.

Horum autem, quidam sunt perpetui, quidam temporales.

Illi dicuntur perpetui; cum quis habet ius supra rem alicuius, & hæredes ipsius exigenti pensionem; & non solùm hic, sed etiam eius hæredes, vel illi, in quos tale ius transtulerit.

Temporales verò sunt, qui ad tempus quoddam sunt, & postea cessant.

Secundò, perpetui sunt in duplici differentia: Quidam redimibiles, quidam irredimibiles.

Redimibiles sunt, cùm, qui soluit pensionem, potest se liberare à soluenda ea, reddendo pretiũ illi, qui habebat censum, quo ipse talem emerat censum.

Irredimibiles verò, cùm non potest pretio se liberare à pensione soluenda. Aduerte autem, quod non dicuntur irredimibiles, quia censuarius non possit se liberare à pensione, ipsam pretio redimendo: nam si velit, & accepiet is, qui supra eum censum habet, potest se redimere; sed dicitur irredimibilis, quia censuarius non potest secundum iustitiam cogere alterum, vt pretium acceptet pro redimenda pensione: sed post decretum **Pij Quinti** omnes census sunt redimibiles. Similiter in irredimibili intelligas, potest quidem nunquam redimi, & manere in hæredes, ob id dicitur perpetuus; tamen si censuarius velit, potest cogere alium, vt pretium accepiet, ad pensionem redimendam: atque ob id, dicitur redimibilis.

Rursus tertio, temporales sunt in duplici differentia, quidam ad tempus incertum, quidam ad tempus certum.

Illi, qui ad incertum tempus sunt, aliquando sunt pro vita alterius, vel vtriusque, & dicuntur vitalia; vt, qui habet ius exigendi pensionem ab aliquo, vel de re alicuius, dum aliet, vel vterque vixerit; quod tempus est incertum. Aliquando non est ad vitam, sed ad alium terminum incertum, vt, dum quis hæreditatem consequutus fuerit, vel aliquid obtinuerit. Simili

er,qui ad tempus certum sunt,aliquando sunt ad modicum mpus,vt,cùm sunt ad annos aliquot infrà decem;aliquando non modicum,vt,cùm ad decem,aut suprà.

Rursus quartò. Omnes hi , aut sunt fructuarij , aut pecuarij.

Fructuarij,cùm pensio est aliqua pars fructus rei,super quam st census.

Pecuniarij,cùm est aliquod pecuniæ pretium taxatum:& hi sunt in vsu magis,quam illi fructuarij. Omnes isti census dicuntur reales,quia impositi sunt super rem aliquam, putà,domum,agrum,prædium,vel quid simile; & hos comprehendit definitio census posita. An verò sit census personalis solùm mpositus super personam, absque vllius rei vtilis obligatione,dicendum est posteà.

De emptione & venditione censuum.

CAPVT XLIIII.

TErtio loco,nunc perserutandum est,an licitè possit quis vendere tale ius alteri super res suas, & licitum sit alteri emere.

Dico primò,absque dubio fatendum est,talem contractum ex natura sua licitum esse,posseq; vnum vendere, alterum autem emere.

Potestque hoc probari ex auctoritate multorum doctorum, qui id affirmant;inter quos,sunt Hosti.ca.in ciuitate.de vsura. Sylu.ver.vsura,2.§.12. Conrad.quæst.72.Sot.lib.6.de iust.q.5. in.1.Nauar.super c.1.14.q.3.in fine summæ suæ. Hoc etiam alij multi tenent.

Ratio autem est aperta;primò quidem ex Inst.lib.2.tit.de vsufruct.vbi habetur,posse aliquē legare alteri vsum, vel vsumfructum rei,idque etiam facere alijs stipulationibus & pactionibus.Potest ergo vendere.

Probatur etiam secundò;Si iste contractus esset ex se illicitus,sequeretur,quòd nullis appositis circumstantijs,posset fieri licitus,quia,quod ex se malum est, nulla potest conditione apposita fieri bonum : hoc tamen asserere,esset temerarium; tam in extrau.Martini , & Calixti, tit.de emption. & vendit. approbantur isti contractus , quibusdam appositis circumstantijs.

Præterea tertiò, in isto contractu est materia veræ venditionis, & emptionis; ergo potest fieri emptio, vel venditio. Antecedens probo; nam ius exigendi fructus est pecunia æstimabile; ergo licitè potest vendi, & emi. Vnde, nō sunt audiendi aliqui Canonistæ, inter quos est Inno. super cap. in quibus, de vsur. qui dicunt census iam factos posse licitè vendi, & emi; vt, si, ego habeo censum super aliquem, possum vendere illum, tamen non licet denuò constituere illos per venditionem, & emptionem; quia dicunt, quod tūc pecunia emitur, quod non licet.

Sed falluntur isti, vt benè dicit Sylu. loco allegato: nam non emitur pecunia. sed ius exigendi pecuniam, vel fructus: & est argumentum contra istos: nam si non licet denuò census constituere; ergo nec licebit factos vendere: nam ij denuò constituti sunt priùs. Quòd si à principio essent illiciti, etiam essent posteà, per regulam iuris, non firmatur, lib. 6. vbi habetur, non firmatur tractu temporis, quod ab initio iure non subsistit. Est igitur contractus iste, quo census emitur, & venditur, sat nouus, siue antiquus, ex natura sua licitus.

Dico secundò in particulari. Emptio, seu venditio census perpetui, tam redimibilis, quam irredimibilis, licita est ex natura sua. Et quidem de perpetuo irredimibili minor est ambiguitas; quia est pura emptio, & venditio iuris, supra fructus alicuius rei, potestque vendi fructus, seu vsufructus rei. De redimibili autem non est tam certum, an liceat; tamen etiā certum est: nam emptio ista non est nisi cum pacto retrouendendi: qui enim emit censum, obligatus manet, vt quoties venditor velit reddere pretium, quod ab emptore accepit, teneatur ius ipsum iterum vendere, quod vocant venditorem redimere censum, id est, iterum emere. At contractus emptionis, cum pacto de retrouendendo, ex se licitus est: igitur talis census licitus erit, nisi aliqua apponatur mala circumstantia. Quamuis autem hoc ita sit, spectata natura contractus, tamen propter suspicionem vsuræ, prohibitus est à Pio V. vbi suprà, census irredimibilis; probatus verò redimibilis.

Dico tertiò. Census temporalis licitus etiam est: sicut enim ius exigendi pēsionem perpetuam, pecunia æstimabile est, ita etiam ius exigendi ad tempus aliquod. Licitè igitur potest emi, & vendi, dummodo adsint conditiones, quæ postea exponentur.

Dico quartò; non solùm emptio census fructuarij, sed etiam pecu-

pecuniarij licitus est: & ratio est, quia fructus rei, sunt æstimabiles pecunia: sicut ergo licet dare fructus, ita etiam licet dare pecunias pro redditu. Hæc sunt, quæ ad iustitiam contractus huius pertinent, si secundum se, & suam naturam consideretur.

De necessarijs ad iustitiam contractus huius secundum se.

CAPVT XLV.

ALiqua sunt necessaria, vt emptio, aut venditio censuũ, etiam secundum se, licita sit.

Et quidem ad censum perpetuum, tam redimibilem, quàm irredimibilem, hæc necessaria sunt.

Primum est, vt verè sit apud venditorem res illa, cuius fructus venduntur; aliàs enim esset fictus contractus, ob id iniustus, & vsuræ proximus, immò verò vsura, vt vult Pius V. in bulla citata.

Secundum, vt reddat verè illos fructus, in quos ius emitur. Si enim non reddit tot, quot venduntur, iniusta est, quia venditur, quod non est, aut minus eo, quod est: vnde, vt in eadem bulla decernitur, supra rem non reddentem fructus, saltẽ tot, quot venduntur; aut reddentem quidem, sed alijs censibus venditos, non licet nouum imponere censum. eadem ratione quia ficta est emptio.

Tertium, vt si res illa pereat, vel fructus eius pereant, absq; culpa venditoris, tunc emptor non possit percipere fructus: tum enim fit emptio quædam, iste contractus debet leges obseruare emptionis: in emptione autem, si res empta perit, damno emptoris perit. Cum ergo venditor ius in fructus rei suę vendiderit, qui emit, debet suo emere periculo: cùm enim fructus perit, ius in fructum etiam perit: idemque censendum est, si res minores faciat fructus.

Quartum, vt pretium sit iustum.

Ad iustitiam autem precij sunt computanda ista, quantitas fructus venditi; vt, si sunt decem, aut octo, aut quinque: plura tum magis valent.

Rursus perpetuitas: nam octo perpetua singulis annis absque pacto redimendi, magis valent, quàm decem temporalia, aut cum pacto redimendi; sicut res empta absque pacto

retrouendendi, magis valet, quàm cum pacto retrouendendi.

Rursus, certitudo fructuum; minùs enim valent decem incerta, quam octo certa: vnde, quò magis fructus sunt certi, & securi, eò maius debet esse pretium, quo venduntur.

Quintò, qui emit censum, non debebit obligare venditorem, vt redimat, seu reemat: nam tunc videtur mutuum virtuale cum lucro, postquam percepit emptor fructus, saluo capitali. Quamuis aũt hoc quintum non sit simpliciter necessariũ ex sola natura rei, quia adhuc cũ tali obligatione differt iste contractus à mutuo; cùm in censu emptor subeat periculũ perdendi capitale, si pereat res, supra quam est census; in mutuo autem hoc periculum non sit, tamen iudicandum est necessarium, quia alias esset periculosus contractus: ob id, ab omnibus Doctoribus obseruandum in tali contractu penitur.

Ista sunt quæ ad iustitiam huius contractus necessaria sunt, si secundùm se iudicetur contractus.

Non tamen necessarium est suapte natura, vt sit aliqua res certa, & signata, cuius fructus vẽdantur: nam sicut quis potest vendere ius in fructus cuiusdam rei suæ; ita etiam potest vendere ius in fructus totius rei suæ: quamuis frequenter modo soleat certa res signari; immò debeat ex decreto eiusdem Pij V. qui vult, vt res censui subiecta nominatim certis finibus designata sit.

Rursus, non est necessarium, vt venditor in censu redimibili habeat facultatem redimendi censum, reddendo pretium per partes: nam sicut licitus est contractus, cum quis vendit cum pacto retrouẽdendi, vt totum pretium, & non per partes reddat, ita etiam in censu; quamuis posset fieri illud pactum sic redimendi; sed tunc pretium, quo census emitur, decrescere debet, sicut decrescebat, cùm apponebatur pactum retrouendendi. Nec obstat huic, quòd in extrauag. Martini, & Calixti apposita est conditio redimendi etiam per partes; nam

Pontifices non dixerunt id esse necessarium, *sed*
contractum cum tali conditione narratum
approbarunt, oppositum tamen
non damnantes

De

De iustitia emptionis censuum, vt modò sit.

CAPVT XLVI.

HVmana cupiditas, simplici emptione censuum non contenta, timens periculum fructuum rei, quia contingit rem sæpè perire, aut sterilem fieri, & tunc nullos, vel paruos facere fructus, excogitauit modum, quo tale effugeret periculum: petit enim à venditore, vt fructuum assecurationem quandam faciat, obligando alia omnia sua bona, suamque personam; imò duos aut tres fideijussores adhibendo, qui se, suaque bona mobilia, & immobilia obligent ad certitudinem illorum fructuum, ita vt, si casu, aut euentu aliquo, res, supra quam census est impositus pereat, aut ipsius fructus, tũc ex alijs bonis extrahatur, vnde pensio census soluatur, & istam vocant apothecationem personæ, & bonorum: non enim bona apothecantur ad securitatem rei tantùm, putà, quod res illa sit venditoris; aut ad fructuum solutionem, sed etiam ad certitudinem fructuum. Hunc autem contractum ex se licitum esse, si adsint debitæ circumstantiæ, nullus vel mediocriter doctus dubitare debet. Et hoc probatur.

Primò; nam licet alicui ementi domum aliquam cum pacto retrouendendi, pacisci cum venditore, de assecuratione domus, dum apud emptorem manserit, sicut poterat cum tertio, dummodo pretium talis assecurationis soluatur: talis est ille census redimibilis perpetuus cum ista apothecatione, quæ est assecuratio quædam. Vnde, si emptor soluat venditori pretium iustum, licet id facere. Similis assecuratio potest esse in simplici venditione, absque pacto retrouendendi, nec illa hic apparet vsura: nullum enim est mutuum, cùm venditor non cogatur pretium reddere, aut rem redimere: vitium aliquod intercedere potest, id erit iniustitiæ, putà, cum non est iustum pretium; hoc tamen posito, licitus est contractus,

Probatur secundò, & hoc argumentum est validissimum. Nicolaus Papa, qui fuit parum ante Calixtum, & post Martinum anno 1450. bullam edidit ad petitionem Alphonsi Regis Aragoniæ, in qua approbauit huiusmodi contractus, qui fiebant in regnis Siciliæ, citrà, & vltra Pharum; & statuit licitos esse, & absque peccato, posse exerceri, & exprimit istas obliga-

tiones,& apothecationes bonorum ſtabilium, & mobilium, ad cenſum firmandum,& alias pactiones, de quibus inter ſe contrahentes hi conueniunt. Et nota has obligationes non eſſe alias, quam eas, quæ modò fiunt: nam iſtæ ſunt antiquiſſimæ,& vincunt memoriam ferè hominum. Non ergo debent licet, hos contractus ex ſe licitos eſſe alias nulli hominum licerent. Idem cenſendum eſt de his, apud quos conſuetudo talis iam viget ſimiles contractus faciendi. Nec huic obſtant illæ extrau. Martini,& Calixti, in quibus continentur aliquæ conditiones his contractibus, qui modò fiunt, contrariæ. Nam ibi ponuntur hæ circumſtantiæ.

Prima eſt, vt res certa ſignetur, ſuprà quam cenſus conſtituatur, & hæc ſolùm maneat obligata cenſui, non alia bona.

Secunda; vt, hac pereunte, venditor non obligetur ſolvere cenſum

Tertia, vt liceat venditori per partes redimere ſi velit.

Quarta, vt emptor totum pretium, quo cenſum emit, ſoluat venditori ſtatim ac emit.

Iſtæ conditiones illic exprimuntur, ſed ſcio, non eſſe tam quam neceſſarias à Pontificibus probatas, ſed apud illos, qui ſedem Apoſtolicam conſulebant. Ita, tales tunc fiebant contractus, & ſic narratos ſedes Apoſtolica approbauit; non tamen voluit damnare contractus, in quibus aliter fiebat. Quæ totò hoc c. dicta ſunt, intellige debent ſecundum ius naturæ. modò enim poſt extrauag. Pij 5. non licet facere conuentiones ad caſus fortuitos obligantes: nam, licet fieri poſſint aſſecurationes,& fideiuſſiones, non tamen tales, vt, re cenſui ſubiecta pereunte ex caſu fortuito, teneatur cenſuarius cenſum ſoluere. Item ſunt neceſſariæ quatuor illæ conditiones, tertia excepta de qua non fit mentio in Bulla Pij Quinti.

De neceſſarijs ad huiuſmodi contractum.

CAPVT XLVII.

QVæ igitur ex natura rei neceſſaria videntur ad iuſtitiam huiuſmodi contractuum, vt modò fiunt, ſita ſunt.

Primò, vt ſit res aliqua ſupra quam imponitur cenſus, ſiue ſit determinata aliqua res, ſiue non: vt, cùm quis ſuprà omnia ſua bona in communi cenſus imponit.

Secun-

Secundò, vt sint verè illi fructus, aut expectentur, qui venduntur, vel in quo emitur ius. Vnde, supra domum fructificantem quinque, aut sex, non potest imponi census exigendi decem. Nec in hoc consentio cum Soto: vult enim, hoc non esse necessarium, sed posse tales census imponi, quamuis res minus fructificent, quia iste doctor putat censum imponi super personam directè: est enim ius exigendi à persona; res autem illa potiùs est velut pignus. Sed istud mihi non placet: quamuis enim crediderim ex natura posse census imponi super personam, tamen isti, qui modò fiunt, non sunt huiusmodi, sed super res: nam vendens, vendit ius, quod habet supra fructus, aut eorũ partem suæ rei, & tunc non potest vendere, nisi quod habet: Vnde, non licet censum imponere, supra dictum valorem, vt tenet Sylu. loco citato, cum communi Doctorum sententia. Nec putes me velle dicere, non posse imponi censum super fructuum valorem, qui respondet valori rei, v.g. domus aliqua valet mille, & reddit solùm quinquaginta quibus respõdent quinque pro centum, nolo dicere, non posse imponi censum, septem, aut octo pro centum, nam potest imponi supra valorem quinquaginta: illud enim non est necessarium; nam illa quinque minus valent emptori, qui non emit nisi fructus, non autem rei substantiam, ob id, dat minus pro eis, quàm valeant, venditori, qui simul habet dominium rei. Hoc igitur modo secundum est necessarium.

Tertium etiam necessarium est, vt venditor non cogatur ab emptore, ad redimendum censum; nam tunc videretur mutuũ virtuale,

Quartum, vt illa bonorum apothecatio non sit talis, vt venditor nullo modo possit, absque emptoris facultate, rem aliquam vendere, aut alienare: hæc enim esset iniusta obligatio, cum plus multò valeat ista obligatio, quàm communiter ab emptoribus pretium soluatur. Sufficiet, vt res, supra quã census imponitur, sic obligata maneat, reliqua verò bona ita apothecentur, vt, dum in potestate venditoris sunt census, assecutioni sint obligata.

Quintum etiam necessarium est, vt pretium sit iustum; sed quomodo iustum pretium cognoscatur, non est facilè explicare. Aduerte tamen aliqua,

Primum est, non solùm, ad cognoscendum iustum pretiũ, attendenda est quantitas pensionis, quæ emitur, sed valor assecurationis, qui per apothecationẽ fit: nam vtrumq; emitur:

assecuratio autem tantò minus valet, quanto fructus est certior, & tantò magis, quantò fructus est periculosior. Ex quo sequitur, non oportere esse solicitos, inquirendo, an fructus sit certus, siue incertus: nam si fructus est incertus, tunc datur minus pro pensione, plus pro apothecatione; si verò certus est, contrà, stante eodem prerio, v g. do centum pro pēsione octo, cum apothecatione, si pēsio est incerta, tunc do sexaginta pro octo, quadraginta pro obligatione, & assecuratione; si verò est certior, tunc do octoginta pro pensione, viginti pro assecuratione.

Secundum est, Regula dignoscendi pretium in censibus, vt conscientiæ ementium possint quiescere, triplex est.

Prima est, lex Principis. Cùm enim lege pretium taxatum est, tūc illud pro iusto est habendum: vnde modò in Hispania lege regni sancitum est, vt vnum ematur quatuordecim, & decem pro centum quadraginta in censu perpetuò redimibili: & vtinam alij Principes id facerent.

Cùm tamen ista lex non est, altera regula est consuetudo communis apud diuites, & inopes, sic vendendi census. Cùm enim sit cēsus emptio quædam, in emptione pretium iustum, aut ex lege, aut ex communi consuetudine sumitur, non ex huius, vel illius hominis arbitrio, aut inopia: sæpè enim pauperes coguntur vilissimè vendere, nec tale pretium iustum est. Ex hoc infero vnum, non esse reprobandos census illos, in quibus decem emuntur pro centum, cùm consuetudo viget communis talium venditionum, vt fit in Marchia, Sicilia, & alijs locis. Quamuis enim meliùs, & tutiùs esset, octo accipere pro centum, tamen non debent damnari, qui decem emunt pro centum in perpetuo redimibili: & hoc probatur argumento irrefragabili: nam Nicolaus in illa bulla concedit, vt decem emantur pro centum, etiam cum apothecatione omnium bonorum, dummodo non excedatur ille numerus denarius: & quamuis hoc concesserit, & probauerit pro Sicilia intra, & extra Pharum, tamen idem censendum est in illis locis, vbi talis viget consuetudo.

Deficiente autem lege, & consuetudine, tunc tertia regula est seruanda, similitudo locorum ad loca, in quibus est lex, vel consuetudo: nam cùm sunt similes regiones, quantum ad rerum pretia, & res ipsas, potest simile seruari pretium, licèt contractus talis in vsu non sit. His igitur vijs pretium iustum dignoscitur; quo seruato simul cum alijs cōditio-

nibus

gibus dictis, tales contractus cum apothecationibus liciti sunt.

De quibusdam circumstantijs in censibus appositis.

CAPVT XLVIII.

SOlent aliæ circumstantiæ his censibus addi.

Quarum vna est pœna; nimirum si venditor per duos vel tres annos pensionem non soluerit, possessione, super quam est census, spolietur; apponere autem pœnam licitum est ex natura rei, & ita in lege Tauri. 68. apud Hispanos sancitur: tamen vt iustè exigatur ab emptore, duplex est conditio necessaria.

Vna, vt culpa venditoris intersit, putà, qui culpa sua non soluerit, cùm tamen potuerit; cùm enim absq; culpa sua non soluit, nimirum, quia non habet, nec culpa sua incidit in talē impotentiam, tunc non potest iustè exigit, non enim pœna exigenda, vbi nulla intercedit culpa.

Altera est, vt sit pœna proportionata culpæ: non enim licitum est, pro minima culpa grauem imponere pœnam, nec iustè exigitur post culpam. His duobus seruatis licitè apponitur illa pœna.

Solet secundò alia etiam interuenire circumstantia, nimirum, in censu perpetuò redimibili solet poni sub pacto, ne per tres primos annos redimi possint. Hoc autem etiam licitum est, vt benè dicit Soto, sicut etiam licitum est emere domum cum pacto retrouendendi, hac conditione, vt per annum, vel plus non redimatur. Vt tamen hoc possit iustè fieri, debet emptor augere pretium, quo emit censum: nam illa conditio onerat venditorem, qui aliàs poterat, quoties libebat redimere. Vnde, si centum dantur pro decem absque tali conditione, iniustum videtur non plus dare pro decem, illa apposita conditione, per quam plus oneratur venditor; quoties enim extra communem rationem censuum, cum illa apothecatione, oneratur plus venditor, tunc pretium emptoris debet augeri, aut pretium pensionis minui: sicut, cùm emptor magis oneratur; aut pensio augeri, aut pretium emptoris minui debet.

Solet tertium aliud apponi in hoc eodem censu redimibili nimirum, vt: nisi intra certum tempus redimatur, puta quatuor, vel quinque annos, maneat irredimibilis: & hoc etiam licitum est ex se; tamen debet considerari an sit conditio an sit potius pœna talis circumstantia: si enim sit conditio, tunc debet venditor accipere minus pretium pro eadem pensione, quàm dare solet pro perpetuò irredimibili absque tali conditione, quia non tantùm oneratur venditor. Si tamen sit pœna quædam, tunc contractus videtur vsurarius; nam obligat emptor venditorem, vt reddat sibi capitale cum lucro expectationis habito. Cùm verò est conditio, non est vsura; nam perinde est, ac emere censum perpetuum, cum hac conditione, vt possit venditor, si velit, redimere intra tres vel quatuor annos primos. Hoc autem licitum est, sicut etiam licitum est emere irredimibilem & redimibilem: iste enim est mixtus ex vtroque quodammodo. Hæc iam non habent locum, post breue Pij quinti prohibentis census irredimibiles. Conditio tamen ista potiùs est ex parte venditoris; tamen vt modo fiunt, non ita est: nam tales census pretio redimibilium fiunt, & redimibiles vocantur, ob id, hoc iniquum est, & vsurarium apparet.

Solet quartò alia apponi circumstantia, cùm non soluit venditor pensionem, emptor facit eam pretium, quo censum augeat. v.g. emit quis decem pro centum, nisi ille alius soluerit tuto tempore decem, computantur in censum, & iam tenetur dare pensionem respondentem centum & decem, puta, undecim. Hoc autem ex natura rei aliquando est licitum, aliquando non. Cùm venditor habet vnde soluat, & non vult id soluere, iustè fieri potest, sicut, qui mutuat alteri pro certo tempore, si hic non soluat, cùm possit, ille alius potest iustè exigere, vt inde pretium pro censu habeat: cùm verò venditor non habet, & absque culpa non potest soluere, tunc iniustitia est id exigere ab eo.

Solet etiam tandem quintò fieri, vt venditor in emptione census anticipatam soluat pensionem, vnde fit, vt qui emit decem pro centum, si statim ei detur pensio, non soluat nisi nonaginta. Hoc autem est iniustum, & nullo modo tolerandum; hic enim verè non emit iusto pretio, nec dat pretium pro pensione. Debet igitur totum pretium dare, & pensionem suo expectare tempore, nisi sit forsan iam ab aliquanto tempore factus contractus, & solutum pretium: vt, si, in secundo anno

fiat; sed tunc, ratione talis conditionis venditorem onerantis, est augendum pretium pro pensione.

De censu temporali.

CAPVT XLIX.

CEnsum temporalem esse licitum, superiùs diximus, tam cum, qui ad tempus certum, quàm qui ad incertum fit. In vtroq; id est necessarium: vt venditor non det pretiũ, peracto tempore, emptori: tunc non esset nisi mutuum cum lucro: redderet enim capitale cum lucro, quod est vsura. Non igitur debet obligari venditor, tale capitale reddere.

Debet etiam obseruari in temporali ad certum tempus, vt non detur pensio, ita vt omnes pensiones sumptæ simul excedant capitale, v.g. dedisti centum, vt tibi per decennium pẽsio detur, ista non potest esse vndecim, quia iam esset vsura virtualis, ac si dares centum, vt post decennium tibi darentur centum & decem, sed debes ad summum exigere decem. Ita dicit lib. 6. q. 5. art. 2. & est communis opinio. In hoc casu liceret, cùm pensio est incerta, quæ potest augeri & minui, vt, si exigeres fructus, qui aliquando decem, aliquando octo, aliquando duodecim valent, tunc, si casu plus valerent, exigi possent; cùm verò tempus est incertum, non est id necessarium: nam sicuti est periculum pro vna parte, ita etiam est pro altera, quamuis semper sit attendendum, ne sit certius vnum, quàm alterum: ibi enim iniustitia esset. Isti verò census temporales non sunt multum in vsu, & præsertim ad certum tempus.

Quid sit cambium, quot eius species.

CAPVT L.

CAmbium est *permutatio negotiatoria numismatis pro numismate*. In hac definitione tres sunt partes.

Prima est, *Permutatio*, hoc enim significat verbũ cambire, vnum pro altero permutare.

Secunda est, *Numismatis pro numismate*. Non enim quælibet permutatio est cambium, vt in præsenti sumitur. Sunt enim tres species permutationis.

Prima

Prima est antiquissima, qua res rebus permutabantur: quidam enim homines habebant res aliquas, & indigebant aliorum rebus, hi pariter illorum rebus indigebant, tunc inuicem mutabant; & sic à principio erant emptiones & venditiones. Videntes autem grauia incommoda, quæ in hoc erant posita: non enim homines semper rebus alterius indigebant; aut nihil in tanta copia, inuenerunt vnum pretium commune pro rebus omnibus, & hoc fuit numisma; quod cum omni re commutatur. Et sic facta est secunda permutationis species, numismatis pro rebus; in qua emptiones & venditiones modo consistunt. Postea verò quia numismata erant diuersi valoris, quædam maioris, quædam minoris pretij, & homo indigebat aliquando maioribus, aliquando minoribus numismatibus facta est tertia mutatio, numismatis cum numismate. Et hæc vocatur cambium.

Rursus, quia numismata in aliquo loco, vel tempore maioris sunt pretij quam in alio, humana cupiditas inuenit commutare numismata quædam pro eisdem in alio loco, vel tempore: & hæc permutatio etiam cambium dicitur: & quia homo vnus indiget pecunijs in loco, in quo non habet eas, habet tamen vbi non indiget, ob id commutat pecunias illius loci, cum pecunijs huius, in quo indiget.

Tertia pars est, *negotiatoria*: non enim quæuis talis mutatio etiam pecuniæ pro pecunia, dicitur cambium, vt in præsenti consideratur; sed quæ est cum spe alicuius lucri, ob id dicitur negotiatoria.

Huius cambij quatuor sunt species.

Prima dicitur cambium per minutum, cùm quis dat pecunias maiores pro minoribus, vel è contrà, cum lucro aliquo.

Secunda dicitur cambium siccum, cum campsor dat alteri pecunias, vt in eodem loco post aliquod tempus reddat illas cum fœnore, prout valuerint in loco aliquo distanti, tempore solutionis; ver. gra, dicit campsor; do tibi Romæ centum aureos, vt post quatuor menses des mihi centum aureos, prout valuerint in nundinis Mediolani: dicitur autem siccum, quia verè hic non soluit Mediolani, sed Romæ, vbi accepit.

Tertia dicitur cambium per literas, cùm quis dat campsori pecunias, vt eas accipiat in alio loco, in quo verè accipit, prout in tali loco, statu o tempore valent. Campsor autem dat

suas

suas literas, vt per eas accipiat in illo loco pecunias ab eo, qui campsoris est socius.

Quarta dicitur cambium reale; cùm è contra, campsor dat pecunias alteri, vt alio in loco ei restituantur; putà, dat Romæ, vt reddantur suo socio in Hispania, vel Sicilia, & ob hoc accipit lucrum aliquod, & sic habes quatuor species.

De iustitia cambij ad minutum.

CAPVT LI.

PEcunia, seu numisma dupliciter potest considerari, vno modo, ratione materiæ, vt ex auro, argento, aut alio metallo est; altero modo, ratione formæ, vt numisma & pretium est.

Iuxta hanc duplicem considerationem, duplex est valor pecuniæ.

Vnus ipsius, ratione materiæ: nam pecunia aurea, aurum est, & argentea, argentum est, & habet valorem, quem habet pars vna auri vel argenti, ac si non esset pecunia, & talis valor dicitur naturalis.

Alter valor est ipsius, ratione formæ, & hic est, quem habet quælibet pecunia, vt talis pecunia est: nam scutum valet decem iulios, iulius quinquaginta quatrinos, &c. & talis valor dicitur legalis.

Rursus, pecuniæ, vt pecunia est, & ratione formæ, duo sunt vsus.

Vnus est, vt sit rerum pretium: ipsa enim nō emitur, sed est, qua alia emuntur & contractantur.

Alter vsus est permutatio: nam pecuniæ pecunijs permutantur, maiores minoribus, & è contra. Potest igitur ex dictis pecunia tripliciter considerari.

Vno modo, ratione materiæ suæ, vt metallum quoddam est.

Altero modo, ratione formæ, vt pretium est, quo emuntur res. Tertio modo, quantum ad permutationes. In hac autem tertia consideratione consistit cambium.

Iuxta hæc tria dico aliquot puncta.

Primum est, si pecunia consideratur modo primo, ratione materiæ, potest locari, commutari, emi, vendi, & pati alios con-

contractus, quos patiuntur res, aut ipsa pateretur, si non haberet sigillum numismatis. Hoc dictum est secundum communem doctorum sententiam, & ratio huius aperta est: nam quâuis fiat pecunia, non, ob id suam perdit naturam, quam habet ex materia; semper enim manet aurum, argentum, vel aliud metallum. Hinc duo sequuntur: alterum est quòd potest homo locare vel commodare suam pecuniam, & pro tali contractu vltra pecuniam exigere aliquod iustum pretium, sicut exigitur ab alijs rebus quæ locantur vel commodantur. v.g. indiget aliquis pecunia aurea, ad coquendum carnes in ea, quia medicinalis est, aut ad aliquam ostentationem faciendam, aut ad alios vsus, potest alius locare vel commodare ei ad certum tempus, & pretium locationis vel commodationis iuste exigere. Alterum est, quòd licet hoc modo vendere pecuniam, & excedere valorem legalem, puta, si scutum valet decem, potest vendi supra decem, quia hic non consideratur, vt pecunia, nec pretium, sed vt res, ac si aurum esset: vnde multis causis potest excedi valor legalis.

Primò, quia illa materia talis pecuniæ purior est & nobilior: nam aurum auro & argentum argento nobilius est.

Secundò, quia talis materia rara est, nec inuenitur.

Tertiò, quia habet qualitatem pecunia æstimabilem, puta, quia forsan est antiqua aut pulchra.

Quartò, quia vendenti chara est, nec ipse alienare vult, nisi ob importunitatem emptoris: hæc enim solent augere pretia rerum. Similiter etiam alijs de causis: non enim pecunia vtimur semper, vt pretio, sed aliquando, vt re aliqua.

Sit secundum punctum, si pecunia consideretur, vt est res pretium, quantum ad secundum eius vsum, non licet pretium seu valorem legalem excedere: v.g. non licet emere rem, augendo valorem legalem iuliorum aut pecuniarum, quibus emitur; id enim facere peccatum est ex suo genere mortale & obligans ad restitutionem, & in hoc omnes conueniunt.

Tertium punctum sit, quantum ad permutationes, licet pecunias pecunijs permutare, maiores minoribus, & e contra, & vltra valorem legalem aliquid exigere pro tali permutatione, & hoc est cambium minutum, quod ferè omnes doctores approbant; tamen vt licitè fiat, debent tres obseruari conditiones. Prima, ne sit aliqua in campsore falsitas, puta, quia radit pecunias, aut vnam pro altera dat, aut auricalcum pro auro, aut minorem pro maiori.

Secun-

Secundò, ne sit fraus; purà, ne decipiat tractantes in valore monetæ: si enim ei constat monetam plus valere, debet veritatem aperire.

Tertiò, vt sit iustum pretium. Iustum autem pretium cognoscitur per regulas superiùs traditas de censibus; nempe lege; cùm lege determinatum est, aut communi ipsius loci consuetudine; aut saltem proportione loci ad eum, in quo lex est, vel consuetudo, habita consideratione copiæ, aut inopiæ talium pecuniarum. His seruatis, cambium licet, & non solùm hoc licet campsoribus, qui talem artem ex officio exercent, sed etiam alijs, qui non ex officio habent, vt dicit, Sot. lib. 7. de iust. quæst. 2. art. vnico. Vnde, cùm aliquis regnum aliquod ingreditur, in quo pecuniæ alterius regni non sunt in vsu, & vult cum aliquo illius regni mutare, licet huic minus dare, quàm sit valor legalis pecuniarum, dummodo iustum sit pretium.

Sit quartum punctum ex Sot. loco citato proximè, cùm in emptionibus misceatur aliqua permutatio absq; dolo & fraude, licet valorem excedere legalem; v.g. emit quis domum valentem quingentos aureos, singulos iuliorum vndecim, & paratus est reddere pretium hoc in argento, si tamen velit vēditor sibi in auro reddi, potest emptor offerre minùs, purà quadringentos nonaginta: hoc autem non fit solius emptionis ratione, nam sic pretium minui vel augeri non potest, sed ratione coniunctæ permutationis.

Ex his colligitur huius cambij iustitia.

De iustitia cambij sicci,

CAPVT LII.

CAmbium, quod vocant siccum, quatuor modis solet fieri.

Primus, cùm quis indigens pecunijs, petit à campsore ari sibi tot libras, aut tota scuta; campsor autem dat hac lege, t soluat intra certum tempus iuxta valorem, quo tempore aquo signato scuta valuerint Venetijs, vel Florentiæ, vel in alo simili loco in nundinis. Hoc dicitur cambium siccum, quia on est pecuniarum transmissio, cùm in eodem loco accipiāur, & reddantur. Dicitur simul casuale, quia potest accidere, scuta valitura plus, & valitura minus. Et iustitia

huius

huius contractus est considerandæ æqualitate periculi, vt non sit plus certum, an valitura sit plus vel minus: cùm enim ex vna parte est maior certitudo, apparet iniustitia, quia ista vna pars magis oneratur, quàm altera. At verò, vt modo in vsu est, est vsura palliata, & aperta iniustitia: nunquam enim dat campsor, nisi habeat certam probabilitatem plus valituram: & tunc perinde est, ac mutuum, vt cum lucro reddatur capitale, & illo pallio cooperitur. Si igitur sic fiat, est peccatum mortale ex genere suo, ad restitutionem obligans.

Altero modo fit hoc cambij genus: Indiget quidem Petrus pecunijs, & petit sibi à campsore dari centum; campsor autem non aliter dat, nisi accipiat ea pro Sicilia, vel alio loco distanti soluenda, & petit ab eo pretium, quo solet illa dare pro locis similibus, Petrus autem accipit, & tamen verè non putat reddere pecunias in illis locis, immo nec forsan habet campsor illic respondentes, sed in eodem loco sunt reddendæ pecuniæ: istud cambium est vsurarium, & ab omnibus doctoribus reprobatum, & peccat mortaliter campsor, & ad restitutionem obligatur, cùm sit fictus contractus. Caietan. opusc. de cambi. cap. primo, & Nauarr. super cap. fin. de vsur. num. 2. dicit vnum; quòd si campsor paratus erat pro illo loco dare alteras pecunias illas, & Petrus sibi dari petijt, tunc, ratione lucri cessantis, potest ab eo exigere tale pretium. Sed aduerti debet, quòd aliquando minus exigi debet à Petro istas petente, quia minus est periculum, cùm maneat in eodem loco, & dari fideiussores, qui non solent esse cum alijs. Aliquando per hoc defraudantur campsores, qui aliquando solent exigere à Principibus & Dominis cambiorum pretia, cùm dominij ipsorum pecunias ad aliquos vsus auferunt ab eis, vnde negotium impediuntur.

Tertia species cambij est composita ex cambio, & recambio sicco; verbi gratia, campsor dat Petro centum soluenda Venetijs, vbi reuerà campsor nullos habet correspondentes, nec Petrus illic habet vnde soluat, & petit campsor lucrum ex hoc cambio. Rursus, tempore solutionis, fingit Petrus se non habere Venetijs, & illa centū cum lucro iterū cambit cū lucro Romam, vbi accipit centum, & Romæ soluit totum, puta pretium cum lucro cambij, & etiam recambij. Hoc cambium duas habet coniunctas vsuras, vnam in cambio, quia factum est, nullamq; habet transmissionem pecuniæ; alteram in re-

cambios

cambio; estq; mutuum virtuale, perinde ac si mutuaret centũ, vt redderentur ei centum cum toto illo lucro.

Quarta species cambii est, quæ solet esse Romæ in vsu, & dicitur cambium aulicorum: dat enim campsor pecunias quas habet pro mercatoribus aulicis alijs locis soluendas; & aliquãdo verè alibi soluuntur, & tunc est verum cambium; aliquando non, sed fingitur locus solutionis distans, vt pretium exigatur, & tunc apertè est siccum & fictum, nec excusatur nisi ob causam dictam lucri cessantis. Vtrouis tamen modo fiat, solẽt duo fieri.

Alterum est, petunt ab aulicis non solùm pretium, quod à mercatoribus exigunt, sed supra hoc aliquando quinque, aliquando octo, plus, minusve pro singulis centum, hoc autem iniustum videtur: nam ratio, propter quam plus exigunt ab aulicis est, quia dicunt mercatores certius soluere, minusq; esse periculum illis dare, quàm aulicis: sed hoc non valet; petunt enim fideiussores ab aulicis, quos non habent à mercatoribus: vnde ex hac parte periculum illud aufertur. Rursus non est tantùm periculum, vt tot pecuniæ exigi debeant,

Alterum solet fieri: datur certum tempus, maius, aut minus, pro locorum distantia, in qua solutio fieri debet, hoc autem tempus est post illud, in quo soluere tenetur. Datur autem hoc aliud tempus ad certificandum, id est, qui pecunias accepit hoc tempore, debet campsori dare cautionem & certitudinem, qua ostendat se in illo loco, tempore statuto soluisse. Quòd si non dat tali tempore dictam certitudinem, quamuis verè soluerit, fit recambium statim illarum pecuniarum ad locum primi campsoris. Hoc autem, quamuis aliquo modo possit tolerari, quia adest modum cuiusdam pœnæ, tamen cùm sine culpa accipientis pecunias fit, vt non possit certificare, quia aliquando in via deficiunt literarum portitores, non potest iustè recambium exigi, immò licèt statuto tempore non soluat, si id absque culpa sua fit, vel quia non potuit, vel quia non habuit, & in hoc multæ iniustitiæ in cambijs inueniuntur.

De quibusdam notabilibus pro alijs cambiorum speciebus.

CAPVT LIII.

ANtequam cambium per literas, & reale explicemus, oportet aliqua fundamenta notare vtilia pro ipsorum iustitiæ intellectione & discussione. Primum est, pretium pecuniæ tribus de causis præcipuè variari posse

Prima est, ratione legis: nam potest Princeps valorē vnius pecuniæ augere & minuere: & hinc est, quòd in diuersis regionibus eadem pecunia potest diuersos habere valores, quarum vna pretium est auctum lege illius regionis, in altera est diminutum.

Altera causa est, ipse valor materiæ, quia pecunia eadem est in metallis diuersi valoris; vnde ducatus Castellæ minus valet, quàm Lusitaniæ, quia ille est auri impurioris, hic auri purioris.

Potest etiam variari ratione maioris aut minoris pōderis & attēde, quòd hæc variatio deseruit ad commutationes, nam quamuis ducatus Castellæ vnum habeat pretium, quantum ad emptiones, tamen quantum ad commutationes potest varia habere pretia iuxta dictam considerationem.

Tertia causa est, copia, aut inopia pecuniarum. Hæc autem causa, etiam variat valorem, quantum ad commutationem: atq; ex hac causa prouenit, vt apud forum mercatorum & campsorum, pecuniæ modò plus, modò minùs valeant: nam saepe tum aliquando commutatur & cambiatur tredecim, aliquando duodecim iulijs, pro copia vel inopia pecuniarum. Nota tamen, esse duas fraudes in hoc augmento pecuniarum in nostris foris.

Prima est, monopolium. Aliquando enim solent duo vel tres mercatores conuenire, & ante tempus, vel in principio nundinarum, à campsoribus accipere omnes pecunias soluendas in alijs locis: cùm autem alij veniunt, non inueniunt pecunias, nisi apud illos, & sic valor augetur; sed ista est aperta fraus; nec illi licitè possunt tunc augere pretium.

Altera fraus est, quia simulant campsores, se non habere pecuniam, cùm tamen habeant, & ex hac ficta inopia ficticij pretium; tamen hoc etiam iniustum est: debet ergo ex licita causa

augeri

augeri pretium, putà, cum inopia prouenit: quia verè est pa u citas pecuniæ, aut propter bella, aut alia impedimẽta, aut propter multitudinem emptorum, aut petentium cambia.

Aduertendum est secundò, multum interesse inter cambiũ, & mutuum: nunquam enim licet mutuare pecunias in loco, vbi minus valent, vt dentur in loco, vbi plus valent: hoc enim est vsura, cum vltra capitale mutuum in lucro accipiatur. At verò cambire licet pecunias minus valentes in loco vno, pro pecunijs plus valẽtibus in alio loco, vt tenet Nauar. super cap. fin. de vsur. num. 61. non enim cambium mutuum est, sed permutatio quædam, in qua, ob causas post dicendas, licitum est plus pro minori pretio accipere.

Aduertendum est tertio, pretium in cambijs non aliter cõmodè mensurari posse, nisi per tres regulas præcedentes; aut per legem, vbi lex taxauit pretia cambiorum, aut per vniuersalem consuetudinem, vbi lex non viget: aut arbitrio boni hominis, vbi illa duo non sunt, habita consideratione ad loca, vbi lex vel consuetudo viget. Hoc autem pretium datur campsori, ob transmissionem seu transportationem, quam ex loco in locum facit, ipsarum pecuniarum, in cambio præsertim per literas: in reali verò, quia dat pecunias præsentes pro absentibus: & in vtroq; propter periculum expensas, labores, & obligationem, qua paratus est dare & accipere.

Aduertendum est quartò generaliter in hoc, & in sequenti cambio vnum multum necessarium; nempe, non licere campsori accipere maius pretium, pro maiori temporis mora, nec licere danti campsoribus minus dare pretium pro maiori mora solutionis: quotiescumq; enim pretium variatur pure, ratione dilationis temporis, tunc est vsura virtualis. Dico autem pure, quia (vt dicemus postea) cum intercedit lucrum cessans in mora maiori, aliquid ratione huius exigi potest; sed non ratione solius temporis: per hanc regulam, inferius iniustæ aliquot apparebunt. Nec est simile de loco & tempore: licet enim pro loco distantiori augere pretium, quia in loco danti per se maius periculum, maiorque labor, & expensæ sunt; non tamen in tempore, per se loquendo, nisi ratione damni, vel lucri cessantis. His prænotatis, accedamus ad species cambij per literas.

De cambio per literas.

CAPVT LIV.

HCc cambium quinque modis fit, quamuis alij duorum tantùm meminerint. Vnde possumus ipsum in quinq; diuidere species.

Prima est; cùm Petrus dat campsori centum Romæ, vt det sibi Venetijs nonaginta quinque, alijs quinque acceptis pro pretio ipsius campsoris, qui literas suas dat Petro pro Venetiis. In hoc autem cambio attenditur valor idem pecuniarum: vt, dat Petrus centum aureos, singulos valoris vndecim Iuliorum, & recipit nonaginta quinque eiusdem valoris Venetijs; hoc cambium omnes probant esse licitum; & in est, nec aliam habet iniustitiam, nisi cùm iniustum exigitur pretium; hoc tamen existente iusto, nullus est scrupulus de eo habendus.

Altera species est, cùm quis dat campsori pecunias, vbi minùs valent, vt recipiat illas, vbi magis valent: verbi gratia, dat testones centum Mediolani, vbi minus valent, vt recipiat Venetijs, vbi magis valent, soluto iusto pretio campsori: hoc cambium iustum est, secundum Syluest. vsura 4. §. 8. & Tabien. ver. vsura; est tamen declarandum iuxta Nauar. cap. fin. de vsur. nu. 62. In cuius gratiam aduerte pecunias absentes minùs valere, quàm præsentes, quando vtræq; eiusdem sunt pretij, vt aureus vndecim Iuliorum Venetus minùs valet Romæ, quam aureus eiusdem vndecim Iuliorum existens Romæ. Tantò autem minus valet, quantò est distantia maior vel minor; præsertim si accedat periculum. Ex hoc sequitur, quod, qui dat Romæ pecunias campsoribus, possit recipere alio in loco alias magis valentes: nam istæ minùs valent in illo loco, vbi iste suas pecunias dat campsori. Tamen debet esse excessus valoris proportionatus distantiæ, vt tantò plus valeant in loco vbi recipiendæ sunt, quantò minus valent in illo loco vbi absentes sunt; nam si valent ita plus, vt adhuc absentes excedant valorem præsentium, contractus est iniustus.

Tertia species cambij est, cùm e contrà Petrus dat campsori Romæ pecunias, vbi plus valent, vt recipiat eas vbi minùs valent, & soluit pretium campsori. Hoc cambium distinguit Sylu. loco allegato: nam si campsor reddit in eadem specie pecunias: vt, si accepit aureos, reddit aureos, licitum est; si verò

red-

reddit valorem, iniustum est, quia non seruatur æqualitas: nō enim potest dicere campsor pecunias absentes minus valere; nam hoc est contra ipsum; nā ipse recipit præsentes magis valentes, pro absentibus quæ adhuc minùs valent: vnde iniustitia est in cambio hoc ex parte campsoris, nisi velit ex pretio auferre illum valorem.

Quarta species dicitur cambium ad incertam solutionem, cùm quis dat campsori pecunias Romæ, vt accipiat eas alibi ad pretium fori tunc occurrens, quod modò crescit, modò decrescit. At hoc Soto lib. 7. q. 5. art. 4. distinguit: cùm est æquale periculum augmenti & decrementi, iustum. est; cùm verò probabilius est plus valituras pecunias, iniustum est ex parte dantis, non ex parte campsoris. Hoc intellige, quando excessus est tantus, vt vincat id quod minus valet, ratione absentiæ, vt suprà diximus.

Quinta species dicitur cambium ad creditum; fit hoc modo: mercator nolens apud se habere pecunias, dat campsori, & campsor dat literas, quibus se obligat pro illo dare tot pecunias, cui ipse per suum chirographum dederit, mercator emit merces suas, & soluit, dando chirographa pro cambio, venditores recurrunt ad cambium, & aliquando pecuniam numeratam accipiunt, aliquando aliqua chirographa pro alijs cambijs; in hoc non videtur iniustitia. Solent autem duo hic fieri, vnum est, campsor solet maius creditum facere mercatori, quam accipiat pecunias; v g. accipit mille, & facit creditum duorum millium, quia campsores multùm volunt apud se habere pecunias præsentes, hoc approbat Soto lib. 7. q. 4. art. vni. & benè dicit: nam hoc creditum est quædam fideiussio, quam campsor facit per mercatore; vnde sicut nulla pecunia recepta potest eam facere, ita minori recepta potest pro maiori summa fideiubere.

Alterum est: solent campsores exigere certum pretium ab illis, qui ferunt chirographa, cùm accipiant solutionem in numerato, & hoc iniustum est, vt benè dicit Nauarr. cap. fin. de vsur. num. 38. nam debitor non potest exigere à creditore pretium pro solutione; campsor autem debitor est, illi verò creditores: vnde pretium hoc debent soluere ipsi mercatores campsoribus, pro custodia suarum pecuniarum. Et hic apparet iniustitia illorum mercatorum, qui nolunt dare campsori suas pecunias, nisi hac lege, vt pretium exigant ab illis, qui deferunt ipsorum chirographa, & aliter nolunt dare; sed minātur

se alteri campsori daturos; tales tenentur ad restitutionē campsoribus; campsores autem illis, à quibus acceperunt. Liceret hoc in casu, quòd mercatores emerent tanto charius, supra iustum pretium, merces à venditoribus, quanto isti magis deberent soluere pro receptione pecuniarum per chirographa: nō tamen credo ita fieri. Vnum notandum est circa istas species: Soto enim negat intra vnum regnum posse fieri ista cābia, sed Nauar. cap. de vsur. num. 28. meritò affirmat, dum pretium decrescat proportionaliter, quia minus debet esse, quàm pro locis distantioribus.

De cambio reali.

CAPVT LV.

CAmbium reale vocamus in præsenti, cùm campsor dat mercatori pecunias in alio loco soluendas, aliquo pretio recepto pro commutatione. Hoc autem cambium ex se licitum est; pretium tamen debet esse iustum, vt superius diximus, & nihil plus debet exigi, ratione solius moræ temporis: cùm enim campsor plus exigit, quia solutio in maius prolongatur tempus, vsura est. Hinc fit, vt cùm solutiones differt ex nundinis in nundinas, (nam mercatores non semper soluunt in nundinis, pro quibus acceperunt soluendas pecunias) non potest campsor ratione talis dilationis exigere maius pretium, nisi quia cessat ei lucrum, quòd alias esset percepturus, tunc ratione lucri potest exigere; sed non, si pecunia futura erat otiosa. Potest etiam licitè exigere valorem pecuniarum, secundum quem pecuniæ commodantur in foro occurrenti, cùm eas dat: nam aliquando plus, aliquando minus valent, vt diximus. Reliqua verò de diuerso valore pecuniarum ratione diuersorum locorum, iudicari possunt per ea, quæ diximus in capite præcedenti. Non nego multa posse in hac materia tractari; sed per ea, quæ dicta sunt, poterit quis, adhibita diligentia, ipsa discutere.

Hæc, quæ de cambijs & censibus dicta sunt, intelligi debent ex natura rei, saluis extrauagantibus Pij quinti, quæ varia præscribunt de his materijs.

De

De octauo præcepto: Non falsum testimonium dices.

CAPVT LVI.

IN hoc præcepto prohibetur iniustitia, quæ fit verbo contra proximum. Quæ quidem duplex est.

Vna extra iudicium, vt quæ fit in detractione, murmuratione, irrisione, & alijs huiusmodi.

Altera in iudicio, quæ fit in falso testimonio. Vtraq; prohibetur: tamen quia est grauior illa, quæ fit in iudicio, ob id ipsa exprimitur in hoc præcepto. Nos autem generalius rem tractabimus, discutientes iniustitias, non solum quæ ex testibus; sed quæ ex alijs personis in iudicio conuenientibus committi solent. Hæ autem personæ sunt præcipuè septem, Iudex, accusator, reus, testis, aduocatus, notarius, procurator. Incipiẽdum ergo est a Iudicibus.

De Iudicis iniustitia.

VT Iudex sit verus & rectus, quatuor debet habere, potestatem, veritatem, formam, vim executionis.

Potestas quadruplex est; vna ordinaria, altera delegata, quę ex commissione ordinarij est; tertia arbitraria, quam quis habet ex eo, quod alij ipsum in iudicem super aliquo eligunt; & quarta est accessoria, quam quis habet super aliquem, qui, licet sit alterius potestatis, tamen delictum commisit in loco iurisdictionis alterius. Vnde Romanus castigatur Neapoli, si illic commisit delictum, vt habetur. ff. de accusat. l. alterius. Vna saltem harum necessaria est ad iudicium. Vnde, cùm quis se iudicem constituit absq; vlla potestate legitima, vel, si habet potestatem, non tamen ad illud tale iudicium, vel si habet, non tamen ad talem iudicandam personam, mortaliter peccat ex genere suo, & obligatur ad restitutionem damni, si quod interuenit. Hinc fit, vt sæcularis iudex peccet contra iustitiam iudicando, siue in ciuili, siue in criminali clericum; nõ enim potest clericus conueniri coram sæculari, quamuis possit clericus sæcularem coram sæculari conuenire iudice, ipse tamen conueniri non potest, nisi in his casibus, de quibus vide Sylu. verb. Iudex. 5.

Primus est, cum degradatus est, & remissus brachio sæculari.

Secundus, cùm Episcopus dat facultatem, & hoc in causa ciuili tantùm, non in criminali: Tertius est, cùm ipse reus conuenit sæcularem coram iudice sæculari, & ipse reus reconuenit clericum, tunc, ratione reconuentionis potest iudicari à sæculari, sed hoc in causa tantùm ciuili: nam in criminali non conueniri non potest coram iudice sæculari. Habetur ista reconuentio cap 1. & 2. de mutu petitio.

Veritas etiam iudici inesse debet. Est autem dupler veritas.

Altera, cùm, quod dicitur, ita est in re, sicut dicitur.

Altera, cùm, quòd dicitur, ita dicitur, sicut existimatur esse, quamuis aliquando in re ita non sit. Iudex non semper tenetur iudicare priorem veritatem, quia aliquando est occulta, & indagari non potest; ista diuino iudicio reseruatur: tamen debet sequi posteriorem, vt iudicet, quod verum esse cognoscit, & existimat.

Rursus, dupliciter cognoscit Iudex, vno modo, vt persona priuata, putà, quòd ipse perse cognoscit extra iudicium, quod cognosceret, quamuis Iudex non esset.

Altero modo, vt Iudex cùm cognoscit rem, vt in iudicio probatur. Aliquando contingit istas duas scientias esse discordes; nam, vt priuata persona, scit verum vel falsum esse aliquid, per iudicium verò aliter cognoscit; vt, cognoscit esse aliquem innocentem; tamen in iudicio probatur nocens: & quidem, cùm ciuilis causa est, tunc ferè omnes conueniunt, iudicem debere sequi scientiam iudicis, & ferre sententiam iuxta allegata & probata: tamen cùm causa criminalis est, & maximè mortis, quamuis in hoc opiniones existant, tamen communior & verior est, quòd licitè potest sequi iudicis scientiam, & damnare innocentem, cùm tamen probetur in iudicio sufficienter nocens. Ita tenet S. Thom. 2.2. qu. 67. art. 2. & lex. 3. p. q 40. mem. 6. art. 2. & Bart. in l. illicitas. ff. de offi. præsidis: nec tenetur relinquere officium, aut remittere ad alium iudicem, vt alij dicunt, quamuis teneatur diligentissimè inquirere & examinare testes, vt, si forsan possit aliquem in eis defectum inuenire: similiter etiam latæ sententiæ appellationem concedere. Aliqui tenent, cùm est supremus Iudex, vt Rex, Princeps, aut ij, quorum dicta habent in suo territorio vim legis, teneri secundum conscientiam facere in causa innocentis, ita tenent Bart. & Bald. l. 1. Cod. vt quæ desunt. Adria. & Felin. cap. cum in causis de sent. & re Iud. Innocent. autem

dicit

dicit id posse Papam de plenitudine potestatis, c.cum inter, de elect.

Formam etiam iuris debet iudex seruare.

Primò quidem in ferenda sententia, vt secundùm iura & leges iudicet; quòd si ignorat, vel dubitat, tenetur assessorē conuocare: in hoc autem deficere, graue peccatum est, obligans ad restitutionem.

Secundò, in quantitate, & qualitate sententiæ; nam non debet supra pœnam iuris castigare.

Tertiò, in præparatorijs; debet enim terminos iuris concedere, nec ad libitum negare, aut extendere, & alia in hoc secundum leges statuta exequi.

Denique non debet sine accusatore vllum damnare, nec in iudicium vllum conuocare, nisi in quibusdam casibus.

Primus est, cùm crimen est notorium, & manifestum: nam vt habetur extr. de accusatio. euidentia parrati criminis clamore accusantis non indiget.

Secundus, cùm est confessio propria ipsius delinquentis, spontanea, & iudicialis. Dico iudicialem, quia, cùm quis extra iudicium se crimen commisisse dicit, non valet confessio, vt sententia feratur, sed est indicium ad inquirendum, nisi postea in iudicio ratificet. Dico spontanea, quia, quæ fit per torturam & timorem, non sufficit, nisi postea reus ratificet.

Tertius, cùm est infamia, aut semiplena probatio: tunc enim Iudex procedere potest, non quidem ad sententiam ferēdam, sed inquirendum, donec maior probatio ad sententiam ferendam inueniatur.

Quartò, cùm est iudicialis denunciatio, putà, cùm, quis denunciat aliquem iudicialiter, tunc Iudex procedere potest, non quidem ad sententiam ferendam, sed ad inquirendum,

Quintò, cùm præcessit fraterna denunciatio apud Prelatum & vocatus à Prælato, est rebellis, & non vult corrigi, tunc Iudex prælatus, absque alio accusatore, potest etiam vsq; ad sententiam procedere.

Debet etiam Iudici inesse vis executionis, vt legis pœnas exequatur, vel iuris sententiam proferat.

In cuius gratiam aduerte, Iudicem esse duplicem.

Alterum supremum, qui alteri non subditur in iudicando, alterum inferiorem.

In primis, inferior tenetur sententiam iuris exequi, non

solum, cùm accusator ab accusando non desistit, sed quamuis desistat: verbi gratia, est aliquis accusatus homicidij coram iudice, & convictus, postea à accusator remittit, Iudex inferior debet sententiam ferre, quamuis possit appellationem concedere: supremus verò, cum accusator non remittit, nullo modo potest, nisi rarissimè, in casu, quo reus est nimis reipublicæ vtilis, & magnum detrimentum, vel scandalum in republica fit ex illius morte, tunc Princeps potest compellere accusatorem, vt alia satisfactione sit contentus.

Ita tenet Soto lib. 5. q. 4. art. 4. Cum verò accusator non remittit, tunc Iudex dispensare potest in pœna iuris, & condonare, si vult: quamuis in hoc sit attendendum, an Princeps debeat considerare bonum publicum. Si talia peccata sint etiam contra bonum publicum, non debet condonare, cum persona est nimis noxia, & mala reipublicæ; aut cum aliquod detrimentum reipublicæ sequitur.

De Accusatore.

CAPVT LVII.

SEcunda persona in iudicio est accusator: in cuius gratiam nota, multum interesse inter denunciare iudici, & accusare. Denunciat enim, qui apud Iudicem alicuius crimen tantum defert, vt ad emendationem propter bonum publicum procedat, nec, qui denunciat, tenetur tale crimen actibus comprobare. Accusat verò, qui crimen, vindictæ causa, in bonum etiam publicum defert: & hic tenetur actibus probare. Est etiam aliud denunciare fraternè, quod regit Prælatos fit: quæ denunciatio bonum particulare denuncianti respicit.

Aduerte igitur, peccata triplici se habere differentia.

Quædam sunt contra bonum commune primo & per se, vt coniuratio in Principem, in Reipublicæ perditionem, falsificatio moneratum, hæresis, & alia huiusmodi.

Quædam sunt in damnum alicuius priuatæ personæ, vt homicidium, furtum priuatum, quod non in vijs regijs fit; hoc enim non est contra commune bonum, sicut est peccatum assassinorum.

Quædam etiam sunt peccata contra ipsummet cõmittentẽ

solum

ſolum, vt fornicatio, concubinatus, & alia huiuſmodi : qui enim talia committunt, ſibi potius nocent.

Rurſus, hæc dupliciter ſe habent, quædam iam ſunt facta, quæ tranſierunt, & emendata ſunt, quædam ſunt in fieri, aut in procinctu vt fiant, nondum tamen facta.

His ſuppoſitis, ſunt obſeruandæ multùm hæ quatuor concluſiones.

Prima, cùm iam peccata ſunt facta, nec actu iam manent, nullus accuſare, nec denunciare tenetur; quamuis fuerint contra bonum publicum: verbi gratia, cognouiſti aliquem, qui fuit falſificator monetarum, aut parauit inſidias Regi, iam tamen deſiſtit omninò à tali peccato, non teneris denunciare, vel accuſare.

Similiter cognouiſti aliquē in hæreſim prolapſum, tamen ſcis illum omninò pœnituiſſe, & ab errore diſceſſiſſe; non teneris denunciare, vel accuſare; niſi ſolùm, cùm à Iudice interrogatus fueris iuridicè, putà, cùm criminis illius eſt infamia, vel probatio aliqua apud iudicem, tunc vt teſtis verū reſpondere; quamuis, ſi omninò eſt occultum, nec hoc teneris dicere; quia Iudex non iuridicè procedit.

Secunda, cùm crimen eſt contra bonum commune, & adhuc in fieri, vel in procinctu vt fiat, teneris accuſare, ſi potes; ſin minus, ſaltem denunciare: v g. ſcis aliquos parare inſidias Principi, vel monetam falſificare, vel eſſe hæreticos, vel quid ſimile contra bonum commune facere; debes per accuſationem, vel per denunciationem Iudici reuelare; tamen, ſaltem ante denunciationem, vel accuſationem, eſt præmittenda fraterna admonitio: vt admoneatur talis, qui paratus eſt crimen perficere: quòd ſi non acquieuerit admonitioni denunciādus, vel accuſandus eſt.

Sunt tamen aliquot caſus, in quibus non eſt opus præmittere admonitionem hanc.

Primus eſt, cùm præſumitur incorrigibilis, & hoc eſt maximè in hæreſi cum pertinacia, talis hæreticus eſt denunciādus, abſque præuia admonitione.

Secundus eſt, cùm non profutura ſperatur admonitio; tunc cùm non eſt opus eam præmittere, quāuis debeat eſſe multū probabile, qđ non admittetur admonitio, aliàs eſſet tēranda.

Tertiùs, cùm timetur magnum damnum in admonitione: vt ſi timet ſibi mortem inde prouenturam, vel damnum graue debet denunciare ante admonitionem.

Quartus

Quartus est, cùm non est tempus; nam tam vrget periculi, quòd non dat tempus pro admonitione, tunc denunciare oportet, aut accusare.

Tertia conclusio: Cùm peccatum est contra tertiam personam, si graue detrimentum illi obuenit, idem prorsus, & eodem modo faciendum est: v.g. scis aliquem parare alicui mortis insidias, teneris admonere, & si admonitioni non est locus, vel quia nō admittitur, vel quia aliæ prædictæ occurrunt causæ, denunciare debes iudici, non tamen illi tertio reuelare personam, nisi in communi, vt sibi caueat. Intellige ista omnia, quando sunt extra confessionem. Cùm verò iam homicidium est factum, ad nihil teneris, nisi iuxta primam conclusionem, cùm aduocaris in iudicio iuridice interrogatus, ad veritatem dicendam.

Quarta conclusio: Cùm peccata non vergunt in damnum publicum, vel alterius, tunc tenetur homo, iuxta præceptum correctionis fraternæ, corrigere, cùm correctio profutura speratur, aut denunciare Prælato, denunciatione fraterna. Et idem est faciendum, cùm Prælati publicè præcipiunt, vt reuelentur concubinarij, fornicarij, vel alij criminosi huiusmodi: tenemur enim denunciare iudici prælato fraternè, non tamen criminibus omninò existentibus occultis, nisi aliqua saltem infamia præcedente.

Est autem hic notandum, clericos non posse accusare in causa mortis, nisi tantum iuridice denunciare, & præmissa protestatione, se nō ob mortem denunciare, sed ob bonū, vel suum, vel alterius, vel commune. Est autem in accusatore necessariò obseruanda iustitia in accusando.

Hæc autem in his quatuor consistit.

Primò, vt seruet veritatem: veritas autem consistit, vt affirmet, quæ ipse interius iudicat ita esse: quando aūt siue in causa ciuili, siue in criminali falsū imponit, mortaliter peccat, si res grauis est, & tenetur ad restitutionem de damno illato. Extende, quòd si à principio litis, se verum accusare putabat, postea, etiam post latam sententiam, comperit fuisse falsum, tenetur reddere ea, quæ illi ex tali sententia obuenerunt. Tenetur etiam, si in media lite comperit aliter esse, quam putabat, desistere.

Secundò opus est, vt in verè accusando, & petendo quod iustum est, modum debitum seruet. Ex hac parte potest etiam peccare: vt, si, ad verum, & iustum probandum, vtatur falsis te-

stimo-

simonijs, inducendo alios ad iurandum quod nesciuerunt; tunc enim peccaret mortaliter, quamuis ad restitutionem nō teneretur, si reuerà ità, vt erat, intendebat.

Opus etiam est tertiò, vt debitum obseruet intentionem, nam, quamuis iustum petat, & modo iusto, si tamen eo fine, vt alteri nocat, & non, vt res suas recuperet, vel in bonum publicum id faciat, peccat, &, cùm grauis est materia, mortaliter.

Adhuc quartò, opus est executione, vt litem, & accusationē propositā, & incæptam absoluat: desistere enim in media causa, aut remittere se in probationibus, vt vincitur, peccatum est; & illud vocatur pręuaricatio, hoc est, tergiuersatio, vt habetur 2.q.3.can.si quem pœnituerit. Non tamen semper est peccatū, nisi cùm accusatio est criminis alicuius, contra bonum publicum, aut contra tertiam personam, & adhuc, cùm potest accusator probare: quando verò negotium est proprium, non est peccatum, dummodo non vtatur mendacijs, aut periurijs. Hęc sunt, quæ ad accusatorem spectant.

De Reo.

CAPVT LVIII.

IN reo id primùm consideratur, putà, obligatio respondendi iudici, & manifestandi verum. Aduerte autem; vt reus obligetur verum respondere, debent tria concurrere.

Primò, vt interrogetur à proprio iudice: cùm enim non est iudex habens auctoritatem in reum, non obligatur reus respondere.

Secundò, vt seruetur forma iuris: hæc autem est, vt reus non interrogetur de crimine, de quo non præcessit infamia, ita, vt ille sit infamatus de tali crimine, aut præcesserint indicia, aut semiplena probatio, idest, testis omni exceptione maior. Quādo autem est plena probatio, tunc non est dubium, quin debeat respondere verum: quando ista deficiunt, non tenetur respondere reus etiam proprio iudici, quamuis fulminetur ei sententia excommunicationis: nam occultu manifestari non debet in foro exteriori; & iudices malè faciunt, qui, contra iuris formam, cogunt eos respondere.

Adhuc ista duo non sufficiunt, sed opus est tertio, vt ista

iuris

iuris forma sit prius probata in processu, & reo indicata, vt cognoscat se iuridicè interrogari; alias in re graui non debet, nec tenetur reus respondere iudici. His igitur seruatis, debet reus respondere verum, quamuis inde cognoscat, sibi mortem prouenturam; & peccat mortaliter non respondendo, quia verum negando, tum ratione iuramenti, tum ratione mendacij, quod in iudicio profert; quod absque iuramento est mortale, cùm res grauis est: cum verò leuis, potest esse veniale; quibus neget Caiet. 2.2.q.69.art 2. Debent ergo Confessarij audientes reos nimis aduertere, ne absoluant reos tales; qui iuxta iuris formam interrogati noluerunt respondere, nec eatenus cogant ipsos verum manifestare, cùm contra talem formam interrogantur.

Et in reo considerare oportet, quòd non tenetur manifestare in iudicio omnia crimina, quæ commisit, sed illa tantùm, quæ iuridicè interrogari potest: nam si aliquorum infamia præcessit, vel indicia, aut semiplena probatio, non autem aliorum, non tenetur hoc manifestare, sed solùm illa, de quibus iuridicè interrogari potest. Et in hoc malè faciunt Iudices, qui vno comperto crimine, omnia, etiam occultissima, inquirunt. Verum est, quòd cùm crimen vnum notum est, & iudicium sufficiens alterius, iudices possunt inquirere etiam illud. Rursus, reus non tenetur reuelare complices suos, nisi eorum aliquorum aliqua infamia præcessit, aut denique seruantur illa tria prædicta: & in hoc etiam est abusus Iudicum, qui, omissa seruata forma, inquirunt etiam complices, cùm nec possit talem manifestationem, licitè possint contra eos procedere, sicut, nec contra rerũ propria crimina manifestantem, si non iuridicè fuit requisitus. Hæc sunt, quæ ad rei obligationem pertinent.

Adhuc in reo est secundùm considerandum, putà, cùm nõ iuridicè interrogatur, quibus verbis debeat respondere, cum verè crimen commisit: & in primis, certum est, posse appellare, aut non respondere; tantùm tota difficultas est, si, cùm cogitur, possit respondere, non feci: & in primis certum est, non licere ei mendacium dicere; nam esset periurus, & mortaliter peccaret in quocumque casu, sed licet ei, vti æquiuocatione. Sot. lib. 5. de iust. q. 6. art. 2. tenet, quòd non licet ei vllo modo dicere, non feci, quia hic nulla est æquiuocatio, sed esset mendacium; tamen Adrian. 4. in q. de sigil. dicit, talem reum posse dicere, non feci, & Caiet. opusc. 16. q. 5. dicit, posse respondere,

se non habuisse complices, quamuis habuerit. Et ego puto esse hoc probabilius: tamen cautus debet esse reus, vt talia verba proferat iuxta suam intentionem in sensu vero, putà, vt intendat dicere, non feci, putà, in carcere, & non habui complices, in alijs criminibus, vel aliquid simile, aliàs esset mendacium; non autem illo modo; quia verba in tali casu, non sunt consideranda iuxta Iudicis intentionem, sed ipsius rei.

Tertium considerandum in reo, est obedientia, putà, vt non aduersus Iudicem, vel eius ministros insurgat, vt in carcere maneat. Tamen notare oportet, quòd solum obligatur, nullam vlli custodi, aut personæ inferre; tamen, si citra vim talem potest fugere à carcere, quamuis iustè sit comprehensus, liceret, immò rumpere catenam, murum perforare, & portas frangere; quamuis sciat alios comprehensos fugituros, & custodes damnum passuros, non hoc tenetur ipse prouidere, sed ipsis ministris incumbit, præsertim cùm res grauis est.

Attende tamen, quòd tenetur postea restituere damna illata, puta, ex ruptura catenarum, & portarum fractione. Hanc sententiam tenet Caiet. 2.2. q. 69. Sot. lib. 5. q. 6. art. 4. Nauar. in summa cap. 25. num. 38. Addit autem Caiet. quòd licet alijs, qui sunt extra carcerem iuuare ipsum, & ministrare instrumenta; hoc autem negant Soto, & Nauar. nam ista licent reo, quia sua res agitur: multa autem licent alicui propter se, quæ ipsi non liceret facere propter alium. Addunt tamen Doctores, quòd liceret alijs consulere carcerato fugam; & hoc quidem verum est, dummodò non sint ipsæ personæ, quæ ad iudicium spectant, vt Iudex, custodes, & alij huiusmodi. Fugienti è carcere leges imponunt grauem pœnam; tamen, vt Soto dicit, ad culpam non obligant.

De Teste.

CAPVT LIX.

QVarta in iudicio persona, est Testis: in quo tria consideranda sunt; obligatio, repulsa, culpa.

Circa obligationem, putà, quando quis tenetur testimonium reddere, & testificari, sunt notandæ tres regulæ generales, per quas multi casus in particulari decidentur.

Prima est, quando crimen vergit in detrimentum publi-

cum,

cum, aut in damnum iertiæ personæ notabile, necdhuc est emendatum, sed est in fieri; vel in procinctu vt fiat, tenetur homo inquisitus testimonium reddere, licet iuridicè non interrogetur; quia, vt superiùs diximus, in his casibus tenetur quisque accusare, vel denunciare; v.g. interrogatur aliquis de alicuius crimine, puta hæresis, vel proditionis, vel alterius contra bonum commune; vel de insidijs contra aliquem, si ille adhuc in crimine tali est, tenetur interrogatus dicere verum, & manifestare, licèt occultum sit crimen.

Secunda regula: cùm verò iam crimen est commissum, & transactum, seu etiam emendatum, nullus inquisitus tenetur respondere & manifestare, nisi iuridicè interrogetur; tamen iuridicè inquiratur, tenetur verum dicere: v.g. inquiritur Petrus de homicidio Ioannis iam facto, & cuius forsan iam pœnituit ipsum Ioannem, si tamen infamatus est Ioannes, vel sunt alia, vnde iudex iuridicè inquirat Petrum, tenetur aperire quod scit.

Tertia regula; quando aliquis patitur detrimentum iniustè, si quis scit verum, & cognoscit illum iniustè pati, & in carcere detineri, siue in ciuili, siue in criminali causa, tenetur testimonium dare, etiam non inquisitus, seruatis tamen duabus conditionibus.

Prima, vt speret se profuturum, sin cognoscit se nihil profuturum, non tenetur.

Secunda, ne inde aliquod notabile detrimentum incurrat: cùm enim timet probabiliter id sibi nociturum, quia aduersarius faciet ipsum occidere, vel afficiet aliquo malo graui, non tenetur.

His positis, quòd sit spes proficiendi, & quod nullū timeatur detrimentum, tenetur testificari; Soto lib. 5. de iust. qu. 7. art. 1. Nauarr. c. 18. num. 34. S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. Sylu. verb. testis, §. 8. Et attende, quòd obligatio in hoc casu nascitur ex charitate: vnde, qui non facit, peccat mortaliter contra charitatem, & non contra iustitiam; & consequenter non tenetur ad restitutionem de damno, quod alteri prouenit ex ipsius taciturnitate.

At verò, qui iuridicè interrogatus, dissimulauit verum, tenetur ad restitutionem de damno, si quod ille alius incurrit, quia peccat contra iustitiam. Et hæ regulæ obseruandæ sunt circa obligationem testium.

Circa repulsam, scias in testibus esse quasdam conditiones

secun-

secundum iura requisitas, vt ipsorum testimonia sint valida, quibus deficientibus, infirmum est ipsorum dictum; vt, quòd non sit infidelis, excommunicatus, infamis, & alia huiusmodi. Hinc fit, vt, cùm testes in aliqua causa offeruntur, procuratores contrariæ partis, soleant imponere defectus testibus, vt ipsorum dicta inualident, & hanc vocamus repulsam. Et quidem licitum est parti contrariæ, & ipsi procuratori aperire defectus, quamuis occultos, testium, quibus ipsorum testimonia infirmantur, vt, se defendant: sed sunt aliquot conditiones obseruandæ.

Vna est, vt adsit verita: nam imponere falsa crimina, & defectùs, graue peccatum est.

Rursus, vt solùm illi defectus manifestentur, qui faciunt ad inualidandū testimoniū, & non alia crimina, quāuis vera sint.

Tertia est, vt non obueniat: maius multo detrimentum testi ex tali manifestatione, quàm ipsi parti: nam aliquando erit graue crimen, ob quod grauiter punietur testis. Dico multò maius, quia licèt maius detrimentū obueniat testi, dummodò non sit multò maius, quàm quod obuenit parti, licitum est manifestare in sui defensionem, & hoc intelligo cùm est iniusta causa; nam aliàs, cùm quis iustè accusatur, puto, non licere occulta crimina testium aperire, ex quibus ipsis detrimentum obuenit, maximè, cùm iuridicè inquisiti sunt, nec ipsi se sponte ad testificandum obtulerunt.

Circa culpam, aduerte, quòd testis tenetur verè testificari, id est, quod ipse existimat verū; nec debet dubium affirmare, vt certum. Dicere autem mendacium, peccatum est mortale ex genere suo, propter periurium, quod illic committitur, & hoc prohibetur in isto præcepto; *Non dices falsum testimonium.* Obligatur etiam ad restitutionem damni illati, ob tale mendaciū.

Aduerte autem, quòd si quis forte, cùm testificatus est, dixit aliquid, quia ita esse putabat, tamen postea intellexit, & comperit ita non esse, tenetur, si absque detrimento suo potest; &, si profuturum sperat, coram Iudice iterum comparere, & dicere quod scit, dummodo sit certus de eo: quod si iam lata fuisset sententia, & se nihil profuturum sperat, saltem dicat ipsi parti cuius fauorem testificatus est, vt ipsa verum cognoscens prouidere valeat: nec ad amplius talis testis tenetur. Quòd si falsò testificatus est, tenetur reiterare, si alter est in periculo mortis, vel mortis, vel infamiæ, quamuis ipsi testi mors obueniat.

Sunt autem hic duo notanda.

Vnum est, cum testis accipit pecunias, vt falsum testimonium dicat, quamuis teneatur restituere damnum illatum alteri, tamen non tenetur restituere pecunias, quas accepit, vt falsum diceret.

Alterum est, si illas accepit, vt verum diceret, tenetur restituere eas domino, quia sine pecunia tenetur veritatem dicere. Hæc sunt, quæ circa testem considerare oportet in præsenti.

De Aduocato.

CAPVT LX.

IN Aduocato, considerandæ est obligatio: tenetur enim patrocinari, quamuis gratis, in pauperum causa. Obligatur autem sub mortali in illo casu, in quo aliquis sub mortali tenetur eleemosynam facere; qui casus est, cùm est grauis, aut extrema necessitas: hæc autem est, quando pauper graue detrimentum patitur, & non est, aut difficilè inuenietur aliquis, qui ipsi patrocinetur.

In Aduocato, secundò considerandum, est causa, pro qua patrocinatur: est autem notandum, causam posse esse in quadruplici differentia; aut est iusta, aut est iniusta, id est, quam aduocatus arbitratur iustã, aut arbitratur iniustam; aut est dubia ex vtraque parte; aut est dubia, sed iustitia magis inclinat in vnam partem. Hac suppositia diuisione.

Dico primò, pro causa iusta, quam ita esse existimat secundùm suam sententiam aduocatus, licèt fortè, verè talis non sit, licitè potest aduocatus patrocinari.

Dico secundò, pro causa iniusta patrocinari, mortale peccatum est. Et si fortè verè iniusta erat, & victoriam consequutus est aduocatus, ob suam defensionem, tenetur restituere damnum illatum parti aduersæ, si suus cliens non restituat: tenetur etiam restituere expensas clienti suo, quamuis victoriam non consequatur, nisi fortè ipsum prius admonuit de iniustitia causæ, & voluit adhuc cliens litem prosequi.

Dico tertiò, si causa est dubia ex vtraque parte, & iustitia nõ dignoscitur, potest aduocatus patrocinari; tamen, si postea comperit iniustam; immò si prius putabat iniustam, & postea certò

certò cognoscit iniustitiam, quamuis sit iam lis inter partes contestata, tenetur desistere, non tamen tenetur parti contrariæ prodere punctum iniustitiæ; sed tamen non amplius patrocinari; vt tenet S. Thom. 2.2. At Soto lib. 5. de iusti. qu 5. art. 3. limitat benè hoc: quòd cùm notabile est detrimentum partis contrariæ, tenetur etiam prodere injustitiam, eo casu, quo etiam testificari verum obligatus esset, licèt non requireretur; sed hoc fieri non debet, nisi in graui casu aliquo.

Dico, quartò, quando iustitia ex vna parte magis inclinat, licèt altera etiam pars iusta videatur, tunc cum distinctione oportet procedere. Nam, cũ defenditur reus aliquis, vel actor, qui notabile patitur detrimentum, tunc licet etiam minus iustam causam defendere: cùm verò non patitur, sed potius contraria pars patitur, non licet: in rebus autem nõ ita grauis momenti, licitum est patrocinari, dummodo pars quæ minus iustam sequitur causam, admoneatur huius, si fortè velit desistere. Aduerte tamen, quòd non debet esse ita minus iusta, vt iniusta dicatur, sed, vt sit iusta cum dubio aliquo, non tamen iniustitia apparente.

TERTIO principaliter in aduocato consideranda est scientia: tenetur enim scire ea, quæ communiter ad suum officium spectant: vnde, si ex ignorantia in causa est, vt eliens perdat causam, peccat, & tenetur ad restitutionem de damno illato; & tanto magis obligatur scire, quantò doctior reputatur, quamuis non teneatur tantam habere scientiam, quantam Bartol. cùm non existimatur, nisi vt mediocriter eruditus. Idem etiam est censendum de diligentia: debet enim studere, cùm difficultatem causæ iudicat: vnde, si ex negligentia ipsius causa perditur, tenetur restituere damnum.

Quartò, etiam necessarius est modus patrocinandi fidelis, non vt distorqueat leges in sensus falsos apertè; quamuis possit sequi opiniones probabiles Doctorum, in legum interpretatione varias. Similiter, non alleget falsum pro vero. Cum verò modus iste non seruatur, peccatum est obligans ad restitutionem damni, quod ex ea prouenit alteri.

Quintò, etiam necessarium est, vt iustum pretium pro patrocinio non excedatur: hoc verò est, quod taxatum est per principes. Quòd si non est, arbitrio viri recti taxandum est, habita consideratione horum, putà, grauitatis causæ: nam

minus pretium est in causa leui: similiter laborum in patrocinio: similiter dignitatis, seu scientiæ aduocati: nam magis meretur magni nominis Aduocatus: similiter etiam consuetudinis regionis illius.

Sextò, aduocatus non potest paciſci cum cliente de aliquota parte causæ, putà, si vincat, vt pro pretio det secundam, tertiam, vel quartam partem illius, quod ex victoria consequetur: hoc quidem non licet, non quia secundum se malum sit, sed quia prohibitum est, l. sumptus, ff. de pactis, ne Aduocati, quia sua res agitur, modum legitimum patrocinandi peruertant.

De Notario.

CAPVT LXI.

IN Notario, seu Tabellione, scientia, fidelitas, & iustitia necessaria sunt.

Circa scientiam quidē, tenetur scire, quæ sui officij sunt, & in eis obseruandis diligentiam adhibere: vnde, cùm ex ignorantia, vel negligentia aliquid omittit in instrumento, vnde alter detrimentum patitur, restituere tenetur, nec excusatio admittitur: ver. grat. si omisit necessarium numerum testium in instrumento; si nō signauit diem, & annum; si fecit testamentum, quando, qui testabatur, erat amens; vel quia nesciebat esse necessarium plenum iudicium rationis in testatore, vel quia nullam fecit diligentiam, vt cognosceret, an ille esset compos mentis. Quòd si ista fecerit ex malitia, iam peccat contra fidelitatem, quæ in multis consistit.

Primò, ne conficiat falsum aliquod instrumentum, fingendo ea, quæ contractata non sunt; hoc enim graue peccatum est, obligans ad restitutionem, & lege ciuili pœna grauiter punitur.

Secundò, vt, postquam est verum instrumentum, *in verbis* synceritas, &, puritas seruetur: nam in causa præcipuè criminali, multum refert, cùm hoc, vel illo verbo factum narratur; cumque notarius in verbis non seruat puritatem, & aliter narrat, quàm res se habeat, etiam quantum ad quantitatē, & qualitatem criminis, grauiter peccat, & tenetur ad restitutionem de damno inde illato.

Tertiò,

Tertiò, postquam verum, & syncerum confecit instrumentum, tenetur apud se seruare registrum quod vocant, & non dare alicui alteri, nisi transumptum aliquod: quando verò alteri detrimentum obuenit, ex eo quod apud notarium non manet registrum, tenetur de damno illato.

Rursus quartò, quando apud se retinet registrum, non debet retinere tantùm in protocollo, seu in breuibus, vel albis, vt vocant; scias enim notarios non extendere instrumenta, quia prolixa sunt, nec possunt multa vno die conficere, vnde sumunt solùm rei substantiam in chartula quadam, quæ dicitur protocollum, vt postea, cùm eis vacat, in registro extendant: scias etiam illam chartulam nullam vim dare instrumento, nisi in registro sit extensum secundùm iuris formam. Isti autem vix implent, aut extendunt ista instrumenta, vnde magnũ periculum potest inde obuenire ijs, ad quos instrumẽtum pertinet, præsertim quia potest mori notarius, & tunc manent instrumenta, ac si nulla essent, ob id, in hoc grauiter peccant notarij circa instrumenta.

Rursus quintò, non debent occultare instrumenta, quæ ab eis exigũtur: accidit enim, quòd vnus recurrit ad notarium, vt sibi faciat instrumenti, ratione cuius vult rem suã, vel quod sibi obuenit, exigere, notarius autem pretio aliquo ab opposita parte corruptus, occultat, negando se tale confecisse instrumentum, & in hoc etiam graue committitur peccatum, obligans ad restitutionem.

Rursus sextò, tenetur, etiam nullo exigente, si apud se habet aliquod instrumentum, vel testamentum, ratione cuius aliquibus fiunt legata, nec impleta sunt, ignorantibus ijs, quibus fiunt, manifestare illud; primùm quidẽ ijs, quibus incumbit implere: quòd si non implent culpa sua, manifestet illis, quibus fiunt. Et in hoc quorundam abusus est; nam manifestant illis, qui implere debent, non vt impleant, sed vt ab illis exigant pecunias, ne ipsi manifestent eis, quibus legata debentur. Hæc sunt, quæ ad fidelitatem notarij maximè spectant.

Iustitia autem consistit in duobus, in instrumẽto, & in precio. In instrumento quidem, adhuc in duobus.

Primum est, ne de re illicita, & prohibita faciant instrumentum, puta, de vsura: tunc enim peccant mortaliter, & aliquando tenentur restituere: cum enim faciunt instrumentum de quocunque contractu vsurario, manifestè exprimendo vsuram, tunc non

enentur restituere, licèt peccent; quia illud instrumentum nullam vim dat vsurario recuperandi vsuras, acsi non esset, nisi esset in terris, vbi præceptum esset, licèt iniustum, vt vsuræ soluerentur. Quando verò facit instrumentum, palliando vsuram, puta sub nomine veri contractus, & legitimi vsuram palliat; vt dat Petrus Ioanni centum aureos, vt post duos menses recipiat centum & decem, vsura est, tamen fit instrumentum nomine mutui, quòd dat Petrus Ioãni centum & decem, vt post duos menses totidem det, cùm tamen non det Petrus nisi centum, hic palliatur vsura, & notarius tenetur restituere vsuram Ioanni: nam per tale instrumentum obligatur in foro exteriori Ioannes reddere centum & decem: quòd si tale instrumentum fieret in fauorem Ioannis petentis ad vsuram, & rogantis vt tale fiat instrumentum; quia aliter non potest habere pecunias, tunc peccatum esset mortale notarij; sed non obligaretur ad restitutionem.

Alterum, in quo iustitia circa instrumentum consistit, est, ne faciat instrumentum prohibitum.

Sunt autem hæc instrumenta prohibita duo: quædam quæ continent materiam vsuræ, nempè, si quis dominus vetit instituere, ne soluentes vsuras possint repetere illas in iudicio, aut qui acceperunt ad vsuram, vt cogantur soluere, nullus notarius potest super hoc instrumentum conficere, &, si conficiat, mortaliter peccat, & incurrit excommunicationem, à qua potest ab Episcopo absolui. Habetur hoc Clem. de vsur. Quædam alia instrumenta sunt prohibita, nimirum, quæ fiunt cõtra libertatem Ecclesiæ, & notarius peccat mortaliter, si talia faciat, & excommunicandus est, non tamen ipso facto incurrit excommunicationem. Hæc igitur est iustitia, quæ in instrumento consistit.

Altera est in pretio, & hæc duplex est.

Vna, ne accipiat pretium pro re, pro qua nullum est pretium exhibendum. Vnde in Concilio Trident. sess. 21. capit. 1. præcipitur, ne pro negotio ordinis, notarius quicquam accipiat; immò nec pro dimissorijs, aut testimonialibus literis, si habet salarium ab Episcopo; quòd si non habet, potest pro his duobus dictis accipere; sed solùm decimam partem aurei.

Altera est, ne excedat pretium iustum instrumenti, pro quo potest pretium accipere. Hoc autem est frequenter lege taxatum. In qua taxatione, notandum est, apud aliquas regiones

exigi

exigi taxationes has, secundum pretia viliſſima, quia ſunt antiquiſſimæ, quando res minimo pretio emebantur, & tunc ipſa officia minus multò valebant; modo autē multū valent: & ſi quis iuſtè poſſit notarius excedere illa taxata pretia, tamē vnū obſtat, nimirum iuramētum, quod ſingulis annis, aut in principio officij facit, putà, obſeruandi illam taxationem, ob id peccat tranſgrediendo. Vnde ſanctiſſimè facerent Principes, ſi pretium conueniens, habita temporum, & regionum ratione imponerent, aut tale iuramentum, quo multi illaqueantur, auferrent penitus.

De Procuratore.

CAPVT LXII.

VLtima perſona ex his, quæ in iudicio ſuperiùs propoſitæ ſunt, eſt Procurator. In quo multa etiam exigenda ſunt.

Primum eſt ſcientia: debet enim quæ ad officium ſuū ſpectant, ſcire: vnde, ſi ignorantia litem clientis perdat, reſtituere tenetur, nec excuſationem habet.

Secundum eſt, diligentia: debet enim neceſſarios terminos petere in iudicio, appellare, cùm appellandum eſt, probare, q̄ probandum eſt, reſpondere, cùm reſpondendum eſt, & in alijs neceſſarijs non deeſſe, cumque aliquid permittit ex negligentia culpabili, reſtituere damnum tenetur, quod, ob id, cliens incurrit, & multò magis ſi ex malitia facit.

Tertium eſt, veritas: debet enim dicere quod verum eſt, & non falſa, aut incerta. Et in hoc grauiter iſti peccant, quòd nomine ſuorum clientū reſpondent in iudicio affirmatiuè, quæ prorſus ignorant: ſimiliter negatiuè, & hoc iurando ſuper animas ſuorum clientum: & his non contenti, cùm vident imminere periculum ſuæ cauſæ, ſi cliens aliquid confiteatur, quòd alias verum, & iuridicè inquiſitum eſt, perſuadent illi, vt neget fortiter, dicendo irriſiuè, præſtat eſſe martyrem, quā confeſſorem. Vnde peccant multum tales procuratores, inducentes ad periuria, & mendacia in iudicio damnificātes alios, qui iuſtam habent litem.

Quartum eſt iuſtitia, vt non niſi iuſtam cauſam defendant. Et in hoc, idem dicendum eſt, quod ſuperius diximus de aduocato, quantum ad cauſam.

Iustitia etiam exigitur, vt prettum iustum tantum sui laboris exigant. In quo etiam abusus est, plus enim iusto exigunt; immò solent isti à clientibus petere pretia pro se, & pro aduocato, & pro notario, & sibi omnia vsurpant, & aliquando parum quid illis reddunt. In quo peccant, obligati tenerentur illis suorum laborum pretia, quæ acceperunt: nam isti procuratores sunt ita exercitati aliqui, vt ipsi velint facere instrumenta, quæ ad notarios pertinent, & defensiones, quæ aduocatorum sunt, & rogant notarios, & aduocatos, vt subscribant, ac si sua essent, & modicum soluunt pro subscriptione, istis hoc acceptantibus, quia melius est, modicum lucrari, quàm nihil, & quia procuratores aliàs non deferrent negotia ad ipsos. Et hoc peccatum etiam est; imò aliquando isti errant in facto, quia nesciunt aliquando facere vt oportet, & damnificant alios: vnde consequenter ad restitutionem tenentur.

Iustitia etiam exigitur, vt lites, quas primò acceperunt patrocinio defendendas, priùs absoluant: solent enim isti multorum patrocinia suscipere, & vnum, aut alterum prosequi, alijs dilatis, vt maius ab ipsis exigant pretium; cùm tamen non possint suscipere, nisi quæ commodè, & absque clientum detrimento, ob moram, possint defendere: & susceptorum primum locum obtinent, quæ priùs tempore suscepta sunt, nisi aliquod notabile detrimentum aliquis ob moram incurrat, altero eam non incurrente: cumque etiam prius incurrit, non debet suscipere secundum patrocinium, nisi secundo admonito, se non statim posse in ipsius negotio patrocinari.

Iustitia etiam exigitur, ne terminos impertinentes petant, qui ad causæ non faciunt iustitiam, sed solùm ad puram dilationem, vt cogant oppositos clientes desistere à causa iusta, vel pactum faciant iniustum, vel saltem vt eis noceant.

Iustitia etiam exigitur, ne, post causæ victoriam, vltra pretia suorum laborum petant auctoria, vulgò dicta, mancianò enim licitè possunt ista accipere, nec illi dant, nisi coacti, quàuis dicant, se libenter, & gratis dare: & quamuis Nauar. c. 25. nu. 30. dicat posse accipi, tamen dicit debere esse modica. Mihi tamen melius videtur, nulla posse accepi: & quòd clientes dent inuiti, signum est, cùm lite peracta, frequenter dicant hos procuratores esse rapaces, & (vt inuidia verbo absit) latrones: quàuis autem tales non sint, tamen tali verbo isti suum animum produnt, se non nisi ob necessitatem suas illi dare pecunias, etiam quas iustè soluunt.

Quid

Quid detractio, quotq; ipsius modi sint.

CAPVT LXIII.

CIrca huius octaui præcepti posteriorem partem oportet tractare de detractione; at q; à definitione incipiendum est. Potest autem sic describi ; *est ablatio famæ, per verba, cum intentione nocendi.* In qua definitione quatuor partes continentur.

Prima est, *ablatio*, detrahere enim est auferre aliquid à proximo, vnde constat detractionem esse contra iustitiam, quæ prohibet alteri auferre, quod ipsius est.

Altera pars est, *famæ*: fama autem est notitia & opinio, quã aliquis apud homines habet : quando bona est, dicitur bona fama; cùm verò mala, dicitur mala. Differt ab honore: nam honor est reuerentia, quæ alicui exhibetur ; tamen, tam honor, quam fama, sunt bona hominis externa ; nam sunt alij, qui debent habere opinionem, & exhibere reuerentiam. Quando igitur aliquis aufert bonam famam & opinionem, quam aliquis apud alios habet, dicitur detrahere: ob id, detractio dicitur ablatio famæ; in quo differt à contumelia, quæ est ablatio honoris.

Tertia pars est, *per verba*: dupliciter enim potest aliquis bonam famam alicuius auferre.

Vno modo, apud se solùm: vt, cùm Petrus habens in se bonam opinionem Pauli, mutat eam, & concipit malam, tunc aufert in se famam Pauli: & si talis mala opinio concepta fuit absq; rationali causa, tunc pertinet hoc ad iudicium temerarium.

Altero modo, potest aliquis auferre famam, non solùm apud se, sed apud alios, & hoc pertinet ad detractionem: cumq; homo suos conceptus verbo manifestet, ob id verbo fit detractio, ac propterea talis pars est in definitione posita. Aduerte tamẽ, per verba intelligi etiam nutus, & signa; intelligi etiam scripturas, quibus libelli infamatorij fiunt. Rursus, intelligi ista formaliter & virtualiter : Verbum formale est, cùm quis verbum profert; similiter de signo & scriptura : virtuale verò est, cùm ex taciturnitate verbum insinuatur; cùm enim quis tacet, cùm loqui debeat, virtualiter loquitur aliquid approbando vel reprobando. Omnia ista per illam partem, *verba*, intelliguntur.

Quarta pars est, *cum intentione nocendi*: non enim sufficiunt aliæ tres partes ad detractionem: nam cum quis iudicè aliquem accusat criminis, vel condemnat, famam aufert, non tamen detrahit: nam detractor famam aufert, intentione nocendi illi in fama, cui detrahit.

Aduerte autem, aliquem dupliciter intendere nocere alicui in fama.

Vno modo, directè, cùm verè habet talem intentionem nocendi.

Altero modo, indirectè, cùm, licèt non habeat talem intentionem expresè, famam tamen aufert, ob finem minus principalem, quàm sit illius famam offendere, vt, qui ob ludum, & iocum, vel absque fine, alterius famam aufert: & quamuis eã auferat ob bonum finem; tamen non seruatis circumstantiis, in quibus licet famam aliquando auferre; vt, cùm licitum est, peccatum alterius alteri aperire, vt dictum est: qui enim præfert talem finem famæ alterius, parum curat nocere, & licèt directè habet intentionem nocendi. Hæc igitur est detractionis definitio. Sequitur, vt quot modi detractionis sint, proponamus: sunt autem octo, de quibus vide S. Thom 2 2. q. 73. & est doctrina communis Theologorum. Qui quidem in duas partes diuiduntur: quidam sunt, quibus detractio versatur circa malum, quidam, quibus versatur circa bonum. Circa malum, quatuor sunt modi detrahendi, hoc carmine contenti.

Imponens, augens, manifestans, in malam vertens.

Imponens dicitur, qui infamat alterum, imponendo crimẽ, & vitium, quod non habet; & hic est pessimus detractionis modus. *Augens* est, qui alterius crimen verum, narrando ipsum, auget, amplificando, & exaggerando, vt maius appareat. *Manifestans* dicitur, qui crimen occultum alicuius propalat, & manifestat alijs, illius famam auferre intendendo. *In malam vertens* dicitur, qui bona facta alterius in malam partem interpretatur, coram alijs illius famam minuendo. Ille dicitur in malum conuertere bona alicuius, qui, quod ex se bonum est, leui ratione motus, & absq; causa rationabili, vt malum iudicat, quia possunt etiam ipsa malè fieri.

Modi autem, qui circa bonum versantur, sunt etiam quatuor, qui hoc carmine continentur.

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudare remisit.

Ille dicitur negare, qui virtutem alterius, ex qua famam a-

pud alios habet,coram illis negat.Ille minuit,qui,licèt nō neget,tamen minorem,quàm sit,suis verbis,aut signis facit. Ille autem tacendo detrahit,qui,cùm de fama alicuius periculum est,cui potest ipse subuenire,nihil dicit; vel quia,alijs laudantibus aliquem,ipse tacet,in quo dat intelligere,se aliorum laudi non consentire.Ille laudat remissè,qui, quod magna laude dignum est,parùm laudat, aut verbo,aut gestu,vel signo: & hic modus ad secūdum reducitur:ob id communiter à Theologis septem modi detractionis describuntur,quos Scotus reducit ad tres,4.sent.distinct.15.sed distinctiùs habentur,vt sunt propositi.

Quale peccatum sit detractio.

CAPVT LXIV.

PEccatum detractionis mortale est ex genere suo, cùm sit contra iustitiam.Et S.Thom.dicit, ex suo genere esse peius,quàm furtum;nam magis est læsiuum proximi, cùm per furtum auferantur pecuniæ,per detractionem verò fama, quæ præstantior est pecunijs. Hoc peccatum est communissimum,vnde Gloss. super illud Proueb.24. *cum detractoribus ne commiscearis*,dicit;hoc specialiter vitio penè totum genus humanum pericliratur: Deo est maxime odiosum;vnde Dauid dicebat;*Detrahentem secretò proximo suo,hunc persequebar*. Aduerte autem,quamuis ex suo genere mortale sit, tamen in tribus casibus fit de facto veniale. Primus est,cùm est materiæ leuitas:cùm enim est paruum nocumentum in fama,quamuis sit cum intentione nocendi,est veniale.

Tamen aduerte,leuitatem,aut grauitatem materiæ esse pēsandam ex tribus.

Primò,ex quantitate ipsius infamiæ in se, id est,vitij quod imponitur,aut boni quod tacetur.

Secundò,ex parte personæ diffamatæ : nam aliquando vitium impositum vni personæ,leuis est infamia, aliquādo nulla:nam multi in vitijs se iactant, vt iuuenes in re venerea, milites in homicidijs: his autem detrahere imponendo similia, leuis materia reputatur ; at si sit persona religiosa,aut studiosa,grauior est materia: vnde,Episcopis, personis Ecclesiasticis, publicis, religiosis detrahere , maius est peccatum, & crescit multùm materia . Hic autem aduertenda est ex-

commu-

communicatio lata contra scribentes, & recipientes libellos infamatorios contra instituta sancti Francisci, & sancti Dominici, quæ excommunicatio est Papalis, & habetur in bulla, ex illo, qui habetur apud Anton. 3. p. tit. 24. cap. 70. De aliarum religionum institutis peccatum est detrahere, sed non est subiectum excommunicationi.

Tertiò, consideranda est materia ex parte personarum, numeri & qualitatis, apud quas infamia inducitur: nam apud vnum diffamare, minus est, quàm apud multos; & apud vnum virum grauem, magis est, quàm apud minus talem. Quando igitur, his omnibus adhuc perpensis, leuis materia est, fit veniale; quamuis duo priora potius consideranda sint.

Secundò, fit detractio venialis, vt dicit S. Tho. 2.2. q. 73. cùm fit absq; intentione expressa nocendi, sed ob iocum, vel aliam causam; sed hoc intellige, nisi sit notabilis infamia, tunc enim esset mortale.

Tertiò, cùm, quamuis sit notabilis infamia, & cum intentione nocendi, tamen actus non fuit omninò deliberatus: vt, cum quis inaduertenter, ira graui percitus alterius crimen propalauit, ita vt in tali manifestatione, non fuerit totius libertatis compos: tunc namq; minuitur peccatum, vt sit veniale; sicut in periurio, & blasphemia aliquando fieri solet: si tamen actus sit deliberatus, mortale peccatum est, tantam infamiam alteri intulisse.

De resolutione aliquorum dubiorum.

CAPVT LXV.

DVbia aliquot sunt, quibus magis in particulari ista materia declaratur.

Primum est, an diffamatum hominem liceat apud eos, qui ignorant illius crimen, manifestare; præsertim cum diffamatus est per iudicis sententiam in vno loco, an liceat id manifestare in alio loco. Ista quæstio fuit controuersa inter Caiet. opusc. 16. respon. 9. & inter Adria. quodlib. 11. q. 1. Ille affirmat, hic negat: in gratiam tamen resolutionis sunt duæ distinctiones aduertendæ.

Prior est, aliquis potest esse dupliciter infamatus.

Vno modo, per iudicialem actum; vt, qui conuictus est la-

troci-

trocinij coram Iudice, & castigatus est, aut qui pro crimine hæresis punitus est, aut quid aliud infamiæ contraxit in iudicio.

Altero modo, per publicum factum, quamuis extra iudicium; vt, qui commisit homicidium publicè, aut est manifestus latro, vel quid simile.

Posterior distinctio est; qui sic infamatus est, dupliciter se habet: aut enim post talem infamiam iam est bonam famam consequutus; tum quia temporis longitudine tradita sunt omnia obliuioni, tum quia vitam emendauit: aut nondum bonam famam est consequutus.

His suppositis, sint aliquot conclusiones,

Quarum prima est, manifestare crimen alicuius quocumq; modo infamati, intentione ei nocendi, peccatum est; v.g. si aliquis est publicè conuictus & punitus pro latrocinio, tamen alius nescit istud, si Petrus huic manifestet, intentione nocēdi infamato illi, peccat contra charitatem.

Secunda conclusio; si quis infamatus, siue per crimen publicum, siue per Iudicis sententiam, iam est bonam consecutus famam; qui absque legitima causa illius crimen manifestat, peccat contra charitatem, & contra iustitiam, verbi grat. est aliquis Romæ, qui iam à multis annis fuit per inquisitores publicè punitus, tamen post resipuit, & bonam famam modò habet, nec est qui recordetur illius criminis; si quis hoc alijs manifestat, contra charitatem peccat, & contra iustitiam, & consequenter tenetur ad restitutionem. Contra charitatem quidem, quia nocet proximo; contra iuistitiam verò (contra Soto lib. 4. quæst. 10. art. 2.) quia, quamuis per iudicis sententiam fuerit illi fama antecedens ablata, tamen non sequens; vnde verè possidet bonam famam sequentem, quam qui aufert, iniustè aufert. Liceret tamen in quibusdam casibus,

Primus est, ad vitandum detrimentum corporale alicuius; verbi gratia, si quis existimatus bonus homo, cùm tamen alio in loco esset damnatus latrocinij, versatur inter aliquos, vnde periculum esset ne res eorum raperet, tunc liceret illos admonere, illum conuictum fuisse latrocinij, nisi aliter possent auerti à conuersatione illius. Similiter, si quis se medicum iactaret magnum, cùm esset ignarus, quia est in aliorum detrimentum, licet id dicere: in quo casu licet etiam occultum crimen manifestare.

Secun-

Secundus casus est, cùm vergit in detrimentum spirituale alterius, in quo etiam casu licet occultum aperire: vt, si aliquis est hæreticus, cuius statua combusta est alibi: ignorant tamen in alio loco, vbi periculum est inficiendi alios; tunc licet id reuelare: similiter licet malos mores aliquorum manifestare, vt admoneamus alios, ne conuersatione illorum perueruantur.

Tertius est, cùm est in publicum detrimentum; vnde, si quis beneficium aut dignitatem vult assumere, cùm verè sit inhabilis, nec possit iure recipere, quamuis occulta sit inhabilitas, licet reuelare, quia est in publicum detrimentum. De his vide Nauarr. cap.** inter verba, numero octingētesimo quinquagesimo quarto.

Tertia conclusio, quando nondum est bonam famam consecutus, si per Iudicis sententiam infamatus est, non est contra iustitiam, nec contra charitatem, in eadem vrbe id manifestare ignorantibus; v.g. hodie Petrus est castigatus pro latrocinio publicè, nō est mortale peccatū id dicere alijs, qui adhuc nesciebant in eodem loco, In primis non est contra iustitiam, quia illi ablata est fama, & per accidens est, quòd aliqui ignorent, vel apud aliquos bona fama maneat: præterea nō est contra charitatem, quia si non tunc, parùm post apud alios diuulgabitur tale furtum, ob id, in nullo iste nocet. Hunc etiā diffamare in alio loco, mittendo literas, aut verbo in alijs locis factum narrando, non est contra iustitiam, vt tenet Caiet. loco citato, & Bart. l. ex ea. ff. de postulando, quia iste diffamatus verè non habet famam, sicut si non haberet brachium; esset tamen contra iustitiam in duobus casibus.

Prior est, quando tertia persona infamaretur; vt, si frater diffamati est in illo loco, cui fama aufertur, si fratris infamia illuc deferatur.

Posterior est, cùm diffamato aliquod aliud detrimentum corporale obuenit; putà, qui a forsan occidetur, vel incarcerabitur, vel priuabitur aliquo bono alio temporali. Nec etiā esset contra charitatem, extra hos casus, nisi quando diffamatus esset præsens in illo loco: tunc digito notare illum, extra casus secundæ conclusionis, peccatum esset: præterea quamuis sit absens, verisimiliter crederetur, quòd nunquam fama illius criminis perueniret ad locum illum distantem: cùm verò quis manifestat in alio loco, quò alias non peruenire infamia illius, contra charitatem peccat.

Quarta conclusio ; cùm infamia est publica, licèt non per iudicis sententiam, secundum Scotum, 4. d. 15. q. 4. non est peccatum in eadem vrbe aliis manifestare, sicut de infamato per sententiam, dummodò sit verè publica infamia: vt, qui occidit hominem in conspectu publico, vel apud maiorem partem est notum illius homicidium, in alio tamen loco distanti non licet manifestare, vt dicit Soto loco allegato. Per hæc resoluitur dubium primum,

De dubio secundo.

CAPVT LXVI.

ALiud dubium est, an possit aliquis se infamare. Caiet. v. detractio, dicit ad hoc duo.

Primum est, quòd nulli licet se infamare, sed peccat qui se infamat, non solum contra charitatem, sed contra iustitiam, & consequenter tenetur ad restitutionem ; sibi enim debet famam reddere.

Secundum est, quòd non excusatur per torturam : vnde, qui in tortura sibi famam abstulit, confitendo crimen, quod non fecit, aut reuelando crimen quod non tenebatur, tenetur negare iterum, si falsum fuit, & pati torturam. Fundamentum Caietan. est, quia nullus est dominus suæ famæ, sicut nec suæ vitæ. Contrariam tamen opinionem tenet S. Thom. 2. 2. quæst. 73. art. 4. ad primum, & Soto loco citato cum communi sententia In cuius explicationem sunt aliquot dicta notanda.

Primum est, se infamare, non est contra iustitiam, quamuis sine causa aliquis se infamet, nisi ex consequenti. Dico, ex consequenti, quando quis se infamando, alium tertium infamat ; tunc ratione tertij peccat contra iustitiam, se sine causa infamando; remota tamen alterius infamia, non est contra iustitiam: nam homo est dominus suæ famæ, sicut & pecuniarum: vnde, eam prodigere, non est contra iustitiam, nec est obligatio ad restitutionem.

Secundum est; se infamare absque causa, est peccatum contra charitatem, & in duobus maximè casibus est peccatum mortale.

Prior est, quando infamia est grauis multùm: vt, qui sibi imponeret crimen hæresis, aut quid simile ; non tamē esset mor-

tale.

tale, si imponeret non ita graue crimen, quod non multum esset famæ ablatiuum.

Posterior est, quãdo sua infamia alijs nocet, nimirum, cùm est persona publica, cuius bona fama alijs prodest. Adde etiam cùm intercedit periurium, est mortale: omne enim firmatum iuramento mendacium est mortale. Remotis his casibus, non videtur mortale: præsertim, si non imponit sibi crimen; sed occultum manifestat.

Tertium est, quando aliquis in tortura positus manifestat crimen alterius verè, quamuis non interrogetur iuridicè, non peccat. Hoc est Sot. lib. 5. q. 10. art. 2. v. g. aliquis iniustè torquetur, vt complicem occultum reuelet, potest iste verum dicere, quamuis grauiter peccet Iudex interrogando, & sic torquendo. Ratio Soti est, quia nullus tenetur cum tanto sui detrimento alterius famam conseruare, occultando peccatum commissum illius,

Hoc tamen limitandum est, cùm non est in detrimentum publicum illa manifestatio: verbi gratia, cùm quis interrogatur, vt manifestet aliquod secretum alicuius Reipublicæ, aut alicuius exercitus, ex cuius manifestatione sequitur, ex graue detrimentum Reipub. aut exercitus illius: vt, cum comprehenduntur milites vnius ab altero exercitu, solent iniustè interrogari, tunc debent potiùs mori, quàm rem aperire.

Secundò, etiam limitari debet, cùm, quod scit & interrogatur, cognouit ratione sacramentalis confessionis; tunc mille mortes pati debet potiùs, quàm aperire: & ad hoc non solùm tenetur Confessarius sacerdos, sed etiam interpres, & laicus audiens confessionem in necessitate, & literatus homo, qui consulitur de remedio peccati.

Tertiò etiam limitari debet, quando, qui peccatum illud scit, via iniusta cognouit, putà, vi & extorsione, aut fraude, & dolo: vt, qui in occulto loco peccata alterius audiuit, quæ in confessione dicebantur, tunc debet potiùs mori, quàm reuelare, quamuis extra istum casum confessionis, si vi, aut alio dolo cognouit, non tenetur occultare in tortura graui, nisi sit peccatum, quod in mortem, vel abscissionem membri alterius, vel aliquod graue nocumentum cederet: cùm enim illa non obueniunt illi alteri, posset excusari vi torturæ. Has tres limitationes ponit Nauar. in summa, c. 18. num. 32.

Quartum dictum est; potest aliquis absque peccato, in tor-

tura

tura manifestare suum crimen verum, quamuis non interrogetur iuridicè, & consequenter se infamare: nec enim tenetur famam sustentare cum tanto labore, cùm sit ipsius dominus. Sed hoc intellige, quando non existimat se alteri nociturum in spiritualibus: verbi gratia, si quis apud multos esset habitus in magna existimatione, & haberet crimen occultum, quod si manifestaret, illi ad hæresim conuerterētur, potiùs talis mortem deberet pati, quàm manifestare. Similiter quando sequitur reipub. detrimentum, vt superius diximus. Potest etiam sine peccato mortali confiteri crimen falsò sibi impositum, pro cuius confessione torquetur, nec hoc est mortale, quamuis sit ob talem confessionem suspendendus; vt benè dicit Soto loco allegato. Sed hoc intelligi debet citra iuramentum: nam periurium est mortale peccatum; quamuis si iam commissum est tale peccatum iurando, Confessarius non debeat obligare, vt iterum verum dicat. Intelligendum etiam est, ne noceat alteri, imponendo falsum ei: nam tunc contra iustitiam peccaret mortaliter, quia non est dominus famæ alterius, sicut suæ; ob id obligandus esset à Confessario verum aperire, quamuis pateretur mille torturas. Intelligendum etiam est, ne quod imponitur sibi, sit hæresis: talis enim forsan mortaliter peccaret; non tamen post confessionem obligandus esset negare iterum, nisi alijs nocuisset, auferendo famam, vel detrimentum inferendo contra iustitiam. Confessarius ergo multum ista consideret.

De audiente detractorem.

CAPVT LXVII.

NOn solùm qui detrahit, sed etiam qui detractori consentit, peccat; vt docet S. Thom. 2.2. q. 73. art. 4.

In cuius gratiam, nota dupliciter aliquem posse cõsentire detractori: vno modo directè, altero modo indirectè. Directè consentire stat tripliciter.

Primò, quando quis inducit alterum ad detrahendum, tũc non minus peccat, quàm detractor.

Altero modo, cùm non quidem inducit, sed delectatur in illa detractione, ex odio, quod habet contra detractam personam, & tunc etiam non minùs peccat, immò aliquando magis, si odium est maius; & de his duobus modis intelligitur il-

lud Bernar.2.lib.de considera.in fine; detrahere, aut detrahentem audire, vtrum horum detestabilius sit, nō facilè dixerim.

Tertio modo, cùm delectatur, sed non ex odio, sed ob vanitatem, & otiositatem quandam; & tunc frequenter est veniale peccatum; licet detractor aliquando mortaliter peccet. Dico frequenter, & non semper, quia aliquando etiam taliter delectari, est mortale, in casu illo, quo, non impedire detrahentem esset mortale, vt statim dicemus. Indirectè detrahenti consentire, est non resistere, seu non prohibere detractionem, cùm quis potest. Aduerte autem, quòd, qui non impedit detractionem, aut est persona priuata aut publica. Voco publicam, superiorem, & præfectum illius qui detrahit, vt Episcopum & Priorem, aut Generalem, respectu subditorū, patrem respectu filiorum, dominum respectu seruorum & famulorum, &c.

De priuata persona, quæ non est superior ipsi detractori, ipsam dico aliquando peccare mortaliter, non resistendo detractori, aliquando venialiter, aliquando nec mortaliter, nec venialiter.

Peccat mortaliter, cùm ex illa detractione magnum detrimentum obuenit personæ detractæ: tunc enim peccat mortaliter contra charitatem, sicut qui videt furem rapientem bona proximi, & non impedit, cùm possit.

Venialiter verò peccat cùm non sequitur detrimentum notabile proximo.

Aliquando verò neutro modo peccat.

Primò, quando non impedit ex timore, quia timet sibi probabiliter malum, vel nocumentum magnum, si resistat detractori: tunc enim non tenetur impedire. Dico magnum, quia quando parùm nocumenti timet, & nocumentum proximi notabile est, tenetur aliquā iacturam pati pro proximo, quāuis non notabilem.

Secundò; quia pudet eum ob reuerentiam, putà, quia detractor est prælatus, est dominus, est persona illustrissima, audiēs verò est inferior; quamuis, quando detrimentum est graue, teneatur aliquem pudorem pati ob proximum.

Tertiò, quando putat probabiliter se nihil profecturum, quia, quamuis ipse audiens discedat, aut loquatur impediendo, adhuc ille non desistet à detractione; si verò persona audiens est publica, vti diximus, tunc, non resistendo contra iustitiam peccat, & grauiùs, teneturque maius detrimentum pati in resistendo, quàm priuata persona. Quòd si nullo modo

possit,

possit, vel non sine graui suo detrimento, adhuc etiam non peccat, sicut nec persona priuata. Multùm autem quisque, quantum potest, debet fugere detractores, & dicere, & facere cum Dauid. *Detrahentem secretò proximo, hunc persequebar.*

De restitutione famæ.

CAPVT LXVIII.

DEtractor tenetur famam, quam alteri detraxit, restituere. Vt autem ad talem restitutionem teneatur, aliquæ sunt necessariæ conditiones.

Prima est, quòd verè abstulerit famam; si enim non abstulit, vel quia persona, cui detraxit, erat infamis, vel quia suæ detractioni non est fides adhibita, non tenetur.

Secunda est, quòd contra iustitiam abstulerit; Vnde Iudex iustam ferens sententiam, & accusator, & testis, & denuncians, & alij, qui iustè famam alterius auferunt, non peccant, nec tenentur restituere. Quòd si faciant ista ex odio, peccabunt quidem, sed contra charitatem, ob id restituere non obligantur.

Tertia est, quòd persona detracta non recuperauerit famā alia via, putà, quia aliquis detractorem conuicit mendacij, vel quia ipse suo opere famam bonam recepit: tunc enim detractor non tenetur restituere.

Quarta est, quòd persona detracta non condonauerit famā aut remiserit: si enim pretium accepit pro infamia, vel gratis nolit sibi restitui, tunc detractor non tenetur. Non tamen semper potest aliquis famam remittere; non enim potest, cùm est persona publica, cuius infamia nocet alijs; nec potest, cùm ex ipsius infamia sequitur alterius infamia vel detrimentum; nec etiam, cùm infamia est contra fidem, vt, de crimine hæresis. Cùm tamen solius ipsius est infamia & nocumentum, nec de tanto crimine est, potest condonare, aut pretio aliquo commutare. His positis conditionibus tenetur detractor ad restitutionem.

De modis restituendi famam.

CAPVT LXIX.

QVatuor modis aliquis potest famam alteri auferre. Vno modo, imponendo ei crimen falsum, vnde infamiam contraxit, & qui sic infamauit, tenetur coram his, in quorum præsentia tale imposuit crimen, asserere sese mentitum & falsum dixisse, &, si opus est, id iuramento confirmare debet, vt credatur; & qui libellos infamatorios contra aliquem edidit, tenetur alios in contrarium facere, qui tam efficaces sint ad auferendam infamiam, sicut primi fuerunt ad inferendam

Alter modus auferendi famam est, cùm quis crimen alicuius, verum quidem, sed occultum manifestat, & tunc non tenetur sic restituere famam, vt dicat se falsum dixisse; hoc enim esset mentiri, quod nullus debet facere; sed debet in præsentia illius, cui crimen manifestauit, illum sæpè laudare, vt, quantum fieri possit, bonam opinionem habeat ipsius. Aliquando etiam bonum erit dicere, se iniustè dixisse crimen illius, vt per hanc æquiuocationem intelligant alij, illud fuisse falsum: vt, qui morti proximus est, & alterius crimen, propter quod morte plecteretur, occultum manifestauit, tunc coram notano deberet dicere, se malè & iniustè dixisse; nam verum secretum patefaciendo, peccauit contra iustitiam enim manifestauit. Attende tamen, quòd, qui prædicto modo, vel isto secundo infamat aliquem, tenetur de damno illato, quod infamatus ob infamiam incurrit. verbi gratia, si quis ob crimen sibi falsò impositum, vel contra iustitiam manifestatum, perdit beneficium vel officium aliquod, vel aliquod temporale bonum, tenetur detractor ad restitutionem talis damni. Attende etiam, quod si crimen occultum, quod quis manifestauit, accidat postea manifestum fieri, detractor à famæ restitutione liberatur, sed tamen peccauit detrahendo; quamuis, si aliquod damnum infamatus incurrit ob illam detractionem, antequam esset publicum peccatum, teneatur detractor restituere.

Tertio modo; Aliquis famam potest auferre, negando crimen, quod alter ei verè imponit, & consequenter faciendo mendacem: verbi gratia. Aliquis accusat aliquem coram Iudice de crimine vero, iste negat, & negando infamat accusatorem; quia existimatur homo mendax & iniquus, tunc, si iudex è

accusa-

accusatur, ita, vt possit probari, & probet crimen, si negat, verè infamat & tenetur restituere; tamen si non probatur crimē, tunc Caiet. verb. restit. cap. 10. dicit obligari ad restitutionem; tamen contrarium tenet Sylu. restit. 3. §. 3. Et ita tenendum est; quamuis reus peccet, mēdacium dicendo, & mortaliter, si periurus sit: tamē non tenetur reddere famam alteri, qui iniquus extitit accusator.

Quarto modo, potest aliquis famam alteri auferre, crimen manifestando, imperfectè dicendo se audiuisse ab alio Petrum esse adulterum, vel quid simile, & quamuis Caiet. 2. 2. q. 62. art. 6. & Sco. 4. d. 15. putent non esse detractorem, tamen contrarium tenet Soto lib. 4 q. 6. art. 3. & verè ita est: nam negari non potest, qui audiunt ab aliquo dicente se audiuisse, Petrum crimen commisisse, minorem famam & opinionem habere de Petro; ob id, ad aliquam tenentur isti restitutionem, si verum dixerunt, saltem laudandi illum alium, & minuendi certitudinem dicti illius, à quo audiuerunt, si sine mendacio fieri potest.

De tribus dubijs circa restitutionem famæ.

CAPVT LXX.

DVbitare aliquis potest, an cum detrimento famæ propriæ aliquis teneatur restituere alterius famam, quam detraxit.

Dico primò, quòd tenetur, etiam cum propriæ famæ detrimento, alienam iniustè ablatam reddere, sicut tenetur, qui furatus est res alienas, cum propriarum detrimento eas restituere: & aliquando cum maiori suo detrimento, quàm sit alterius infamia.

Dico secundò cum Sco. 4. d. 15. cùm, qui infamauit, est persona publica, aut illustris, & magni momenti, infamatus autem est mediocris conditionis, non tenetur illustris, & talis persona, cum tanto detrimento, famam illi restituere, licèt iniustè ablatam, sed potest resarcire pecunia. Et hoc tenet Soto loco allegato, quamuis etiam iste nolit pecunia sibi resarciri. Sed tamen hoc intellige semper, quando est notabilis multùm excessus conditionis vnius ad alterum.

Alterum dubium est, an, cum periculo vitæ, teneatur aliquis reddere alteri famam. Dico, si infamatus idem etiam pe-

riculum vitæ subeat, absque dubio tenetur ille famam reddere, etiam cum propriæ vitæ periculo; vt, qui crimen hæresis imposuit alicui, vnde ille comburetur, nisi detractor falsum dixisse affirmet, ob quod occidetur, tunc tenetur verum aperire. Hic attende, quòd si ille, qui subit periculum, non patiatur hoc ex impositione alterius, sed tantùm ob peccatum alterius tunc hic non tenetur verum dicere: ver. gra. Petrus occidit Ioannem: ob errorem comprehenditur Martinus, & morti adiudicatur, tunc Petrus non tenetur se manifestare, quia ipse non imposuit Martino. Quòd si vellet se manifestare, aliquando bene & meritorie faceret, in illo nempe casu, quando aliquis potest licitè pro alio vitam exponere: quando verò imposuit falsum, & persona detracta non subit periculum vitæ, sed tantùm famæ, aut similiter etiam rerum temporalium, detractor verò si manifestet, vitæ periculum subit, tunc dubium est; & quamuis Caiet. loco allegato existimet, numquam obligari aliquem, cum periculo vitæ propriæ restituere famam aut res alterius, tamen ego puto cum Soto esse dicendum, quòd si notabilis sit infamia, tenetur etiam cum vitæ periculo restituere. De hoc tamen superius plura diximus, dum de restitutione tractaremus.

Tertium dubium est, cùm sunt duo, qui se inuicem infamarunt, an possit alter licitè non reddere famam alterius. Dico, cùm infamia æqualis est, id licitè potest fieri, sicut fit in pecuniis, cùm duo inuicem rapuerunt res alterius æqualis valoris, quamuis vterque peccauerit. Sed aduerte, quòd si vnus vult alteri famam reddere, iste tenetur etiam illi suam reddere, nec potest cogere, vt non reddat, sed, isto non reddente, non tenetur restituere.

De nono præcepto, Non concupisces res proximi. Ex cap. xx. Exodi.

CAPVT LXXI.

AVaritiæ peccatum in hoc præcepto prohibetur: In cuius explicationis gratiam, quid Auaritia sit, explicare oportet. Est autem Auaritia, *appetitus diuitiarum voluntarius, & immoderatus*; in qua descriptione quatuor sunt particulæ.

Prima

Prima est, *appetitus*. Voco appetitum, actum quo volumus, seu desideramus rem aliquam.

Secunda est, *diuitiarum*. Non enim appetitus cuiuscumque, Auaritia est: nam si est honorum, & propriæ æstimationis, Superbia est; si rerum carnalium, Luxuria; si verò diuitiarum, Auaritia.

Tertia particula est, *voluntarius*. Dicitur voluntarium, quod est spontaneum, & liberum, quod homo potest facere, & non facere: quando ergo homo sic appetit, quod in sua est potestate non appetere, sicut appetere, tunc talis appetitus dicitur voluntarius. Et hoc necessarium est, vt appetitus dicatur Auaritia; non enim peccatum est, quod voluntarium non est. Sed adhuc non sunt ista satis ad Auaritiam; sed opus est quarta particula, vt sit appetitus *immoderatus*, id est, sine modo, sine mensura, sine regula. Regula autem, qua talis appetitus mensurari debet, triplex est, Iustitia, Charitas, Liberalitas.

Quando igitur appetitus est contra iustitiam, tunc auaritia est; quod duobus modis contingit.

Primò, quando aliena appetit modo illicito habere, vel habita retinere: vt, qui vult pecunias alterius, ita, vt, si posset, etiã per furtum, vel rapinam, vel vim, vel modo simili habere, vtique acciperet; aut similibus modis habita vult retinere; & talis appetitus voluntarius est peccatum mortale, nisi materiæ leuitate fiat veniale.

Altero modo, quando vult habere, quæ ipsi non possunt iuste dari, nec data potest licitè retinere: vt, qui sciens se omninò indignum & ineptum, beneficium, aut officium deliberatè appetit, aut habitum vult retinere, peccat auaritia contra iustitiam.

Tunc autem est appetitus contra Charitatem, quando homo sic suis rebus afficitur, vt eas præferat diuino præcepto, & sit paratus retinere, quamuis præceptum dilectionis proximi non seruetur. Obligatur enim homo lege Charitatis, in extrema aut graui necessitate proximi, ei succurrere cùm potest. Cùm igitur aliquis sic appetit suas res, vt sit paratus in nullo casu subuenire, aut in tali casu nolit subuenire, auarus est, & est mortale peccatum talis appetitus sine modo Charitatis. Quando verò sic est appetitus ille, vt nec contra iustitiam sit, nec contra Charitatis præceptum, sit tamen contra liberalitatem, qua homo ex superfluis, & ex his, quæ non sunt

multùm necessaria, habet quandam obligationem subueniendi necessitatibus aliorum, quamuis non grauibus, tunc, vt plurimum, est veniale peccatũ, saltem ex genere suo, nec fit mortale, nisi contra iustitiam, aut contra charitatem sit. Est ergo auaritia, diuitiarum appetitus, voluntarius, & immoderatus. De auaritia tractat S. Thom. 2.2.q. 118. quæ est contraria iustitiæ, charitati, & liberalitati.

Quid Gabella, & quotuplex.

CAPVT LXXII.

VT Auaritia in particulari consideretur, oportet ab eractione gabellarum incipere. Videtur autem gabella sic definiri posse: *Gabella est tributum publicum, à Principe in communem vtilitatem exactum.* In hac definitione quatuor sunt partes.

Prima est, *tributum*. Voco tributum id, quod aliquis dat, seu contribuit, siue pecunia sit, siue pecunia æstimabile.

Secunda est, *publicum* : nam gabella non ab vno, aut altero exigitur, sed à communitate.

Tertia est, *à Principe*. Per Principem, intelligo publicam potestatem: non enim est priuati hominis exigere gabellas, nisi superioris potestatis, vt dicetur inferius.

Quarta est *in communem vtilitatem* : non enim gabella contribuitur, nisi in bonum, & vtilitatem publicam: vnde, si dantur aliquando ad Regis sustentationem, id est, quia Regis conseruatio vtilitas est publica. Vides in hac descriptione causam materialem, efficientem, & finalem. Materialis est, tributum; efficiens, est Princeps, seu publica potestas : finis est, communis vtilitas. Multis modis potest, & solet diuidi gabella, de quibus vide Sylu verb. gabella, 1. nec doctores sibi constant in his nominibus; modi tamen, qui magis videntur in vsu, quatuor sunt.

Primus modus, dicitur vectigal, à vehendo, quod ex mercibus, quæ inuehuntur in ciuitatem, soluitur. Fuit autem institutum istud tributum, ad expensas pro extructione pontium & viarum, & ædificiorum communium, etiam ad Principum sustentationem. Dicitur portorium, eò, quòd in porta ciuitatis soluitur. Dicitur Italicè, Doana. Dicitur etiam pedagium.

Secun-

Secundus modus est, qui soluitur pro ducatu vitæ, vt homo securum habeat iter à latronibus; & dicitur guidagium, quod aliquando è mercibus, aliquando è sola persona soluitur.

Tertius modus est, qui soluitur ex his, quæ in ciuitate emuntur, & venduntur, & dici potest vocabulo restricto, gabella; defectu enim nominis, commune applicamus particulari.

Quartus modus, dicitur Italicè tallia, id est, summa aliqua, quam Princeps aliquando, pro occurrentibus necessitatibus, solet exigere ab inferioribus: hæ species, seu modi gabellæ videntur communiores, & magis in vsu esse.

De iustitia exigentis vectigalia.

CAPVT LXXIII.

QVatuor sunt necessaria, vt prima species Gabellæ iusta sit.

Primum est ex parte causæ efficientis, vt sit imposita ab Imperatore, vel Rege, vel Concilio generali; vel sit tam antiqua, vt memoriam vincat hominum. Ita habet in c. super quibusdam, de verb. signific. Cùm Concilio Doctores intelligunt Papam, qui ex se potest exigere. Sub Rege, Tabie. & Armilla intelligunt ciuitates Italiæ, quæ mistum habent imperium, id est, in temporalibus nulli subsunt: vnde consequenter intelliguntur Dux Florentiæ, Dux Ferrariæ, & similes. Quando autem aliquis, absque facultate talium, noua imponit vectigalia, iniusta sunt; & excommunicatus est in Cœna Domini, qui, sine facultate, noua pedagia imponit. Etiam iniustum est, vetera augere; & aliqui volunt, etiam incurri excommunicationem prædictam. Tamen Armilla verb. gabella, §. 8. & Rosel. excommunicatione, quadragesimo quarto, §. 5. dicit, non incurrere; quia ibi solùm habetur, qui noua imponunt; pœnæ autem sunt restringendæ. At, in contrarium est communis opinio, quam tenet Angel. verb. pedag. §. nono, & Sylvest. excommunicatio. 8. §. 14. Nauarr. cap. 29. num. 58.

Secundum est, ex parte materiæ, super quam imponitur vectigal. Non enim de his, quæ in proprios vsus inuehuntur,

exigenda est gabella; hoc enim est prohibitum, C. de vectigal. l. vniuersi, vbi prohibetur, ne vectigal exigatur de his, quæ in proprios vsus inuehuntur, aut ad soluendum fisco, aut de his, quæ reuehuntur ad colendum rus. Talia autem vectigalia exigere, non solùm est peccatum, sed excommunicationi Cœnæ Domini annexum, vbi excommunicantur, qui prohibita pedagia exigunt.

Tertium est, ne exigatur à personis Ecclesiasticis; nam ea, quamquam, de casibus, prohibetur sub excommunicatione Episcopali, ne vectigalia exigantur à Clericis, quod intelligitur de his, quæ in proprios vsus inuehũtur, secus de mercibus, quæ negotiandi causa vehuntur. Dices, quæ igitur differentia est, inter ipsos, & laicos? Dico, quòd ante bullam Cœnæ, non erat excommunicatio contra exigentes à laicis, post bullam verò Cœnæ, est excommunicatio, non solùm à Clericis, sed etiam à laicis exigere, & iam non est Episcopalis. Rursus, vt dicemus, differentia est, quòd collectas ex proprio vsu licet à laicis, sed non à Clericis exigere, sine licentia Papæ.

Quartum est, vt sit gabella moderata. Quam moderationem Bald. assignat, super l. 2. C. de iure aureor. annul. vt non excedat tertiam octauæ partis mercium. His conditionibus, addo finem superiùs positum, vt sit communis vtilitas: nam cum Principes in proprios luxus, & prodigalitates exigunt, non excusantur à iustitia diuina. Nota, necessarium etiam esse, vt vectigalia non excedant 24. partem mercium, ex quibus exiguntur. Hic aduerte, Principes, videntes se non posse exigere gabellas ex his, quæ in proprios vsus inuehuntur, à ciuibus, nomen mutarunt, & idem pretium, & tributum exigunt, sed vocant collectas, quas dominus Caietan. non probat, verb. vectigal. Tabiena verò & Armilla probant cum limitatione, patà, cùm distinctione procedendo: Regibus, & potestatibus sæcularibus non licet, nisi cum duabus conditionibus, quas ponit Tabien.

Vna, vt sit propter grauem necessitatem.

Altera, quòd à proprijs subditis tantum exigatur, non à forensibus. At Pontifici, quia ipse non substat legibus Imperialibus, licet etiam à forensibus exigere per suum statum transeuntibus, non tamen sine vrgente necessitate, quæ in vtilitatem communem tendat: & reuera vix potest talis necessitas accidere; nam videtur iniustitia hic committi, cùm plus soluat, qui plus in proprios vehit vsus, plus autem inuehat,

qui plus indiget. Quomodo ergo iustum est plus exigere à plus indigente? Melius fieret, si talis gabella aliter suppleretur.

De iustitia exigentis Guidagia.

CAPVT LXXIIII.

TAbiena benè dicit, non licere dominis ista Guidagia exigere, quia ipsi tenentur suas terras securas facere, & quietas. Quòd si aliquid possint exigere, tunc tenentur ad restitutionem eorum, à quibus viatores spoliantur, cùm eorũ negligentia accidit, quia custodias non ponunt. Cùm igitur hoc in vsu non sit, non licet eis talia exigere. Licet tamen istis rusticis accipere aliquid à viatoribus, vt viam doceant, vt ipsos comitentur ad securitatem, quia ad hoc non tenentur isti de iustitia: ob id, pretium recipere possunt. Guidagia etiam nõ possunt imponi, nisi à quibus vectigalia, cap. super quibus, de verb. signifi. Circa primam verò speciem gabellæ, non videtur necessarium, vt imponatur ab Imperatore, Rege, vel alijs prædictis personis: potest enim imponi, etiam à dominis subditis Principibus: nam caput illud prohibens impositionem gabellarum omnibus, præter prædictas personas, non procedit, nisi de pedagijs, & guidagijs; reliquæ verò tres conditiones vt moderatum sit pretium, & non exigatur ab Ecclesiasticis personis, sine licentia Papæ; & non exigatur ex his, quæ in proprium vsum emuntur, & necessariæ sunt. Et quamuis istatia possint aliquando non seruari, tamen debet esse in necessitate aliqua vrgente, & in bonũ commune, vergente, cui aliunde vix, aut nullo modo possit succurri. Quæ quidem necessitas, vix potest occurrere. Vnde, tales gabellæ, quæ ex his, quæ ad sustentationem propriam emuntur, exigi solent, magnam speciem habent iniustitiæ, & vix possunt iustificari. Et ex hac parte, illa gabella, quæ apud Hispanos dicitur, *alcauala* videtur iniusta: quæ quidem exigitur, tum è mercibus, tum ex his, quæ in proprios vsus emuntur: nec solùm ex hac parte iniusta videtur, sed etiam quia iam cessauit finis, propter quem fuit imposita, puta, bellum Granatæ: & quamuis bellum esset, Reges illi sunt adeò diuites facti, & gabellæ etiam aliæ adeò pingues, vt possit prouideri sufficienter, absque tanta exactione.

Circa

Circa Talliam verò, obseruandæ sunt conditiones tres quarum vel vna deficiente, iniusta censebitur.

Prima, vt nõ imponatur, nisi ob communem & publicam vtilitatem, qua cessante, statim cesset. Vnde, non bene faciunt, qui exigunt gabellam, vel talliam aliquam quotãnis, pro murorum erectione, vel pro fortificanda ciuitate, vel pro alio bono communi, & cessantibus finibus his, adhuc exigunt tales gabellas.

Secunda est, vt non imponatur, nisi graui existente necessitate communis vtilitatis, cui vix potest ex aliis publicis redditibus succurri.

Tertia est, vt modo iusto imponatur, nec oneretur plus pauper, quàm diues; cùm iustitia potius exigat: vt, qui plus habet, plus ab eo exigatur. Est autem hic considerandum, quòd licet Principes possint facere aliquos exemptos à solutione gabellarum, debent tamen ita facere, vt quod ab illis exacturi erant, non oneretur super alios pauperes: esset enim tunc ex aliena arca facere eleemosynam. Hoc autem necessarium est in omni gabella, & cessante fine, propter quem imposita est, ipsa cessat, nisi alius æqualis finis successerit: ex qua parte, multæ gabellæ multum habent ex iniustitia admistum.

De iustitia soluentis Gabellas.

CAPVT LXXV.

QVatuor punctis continentur ea, quæ ad soluendas gabellas pertinent.

Primum est, nullus tenetur reddere pœnam impositam non soluentibus gabellas, quamuis nõ soluerit, nisi prius condemnetur per iudicis sententiã: v.g. est pœna, qui non soluit gabellam mercium, perdit totas merces, si quis est, qui noluit soluere, quamuis peccauerit, tamen non tenetur restituere talem pœnam, donec per Iudicem damnetur. Hæc est communissima doctorum sententia.

Secundum est, quando gabella cognoscitur iniusta, nullus peccat non soluendo gabellas, nec tenetur tales restituere. Est autem iniusta gabella, quando deficiunt conditiones superius positæ.

Tertium est, quando gabella est iusta, aut non est certum

esse

esse iniustam, tunc peccatum est non soluere, & obligatur homo ad restitutionem, quia est contra iustitiam. Dixi autem, quando non cognoscitur iniusta, quia subditus, nisi ei nota sit iniustitia, debet facta Principem vt iusta probare. Vnde, 23. quæst. 1. cap. quid culpatur, dicit Papa, milites posse pugnare in bello iusto, vel in bello, de quo non sunt certi, esse iniustum.

Quartum est, sufficit soluenti gabellas, vt sine vlla fraude merces suas vehat, paratus soluere gabellam: quòd si non exigatur ab eo, non tenetur ipse quærere exactores. Ista est Tabien. verb. pedagium, §. 8. & Soto lib. 3. de iusti. in fine. Dixi, *sine fraude*, quia non licet abscondere merces, nec paciſci cum custodibus, vel alijs vti dolis: tunc enim à restitutione non excusatur; sed debet apertè, & absque fraude, ac si gabella non esset exigenda, procedere. Adhuc autem limitandum hoc videtur, quando est consuetudo in illis terris exigere, & custodias ponere. Quòd si consuetudo esset, quòd ipsimet præsentarent merces, vtique tenerentur hoc facere in gabella iusta. Soto adhuc limitat, dummodo non sit magni momenti; sed ego puto, si dubia esset gabella, quòd adhuc non teneatur, dummodò, vt dixi, fraude non vtatur. Sunt autem valdè dubiæ istæ gabellæ, quæ exiguntur ex his, quæ in proprios vsus, & familiæ quis emit.

Quid beneficium, & quotuplex.

CAPVT LXXVI.

BEneficium, vt in præsenti sumitur, & aliàs sacerdotium dicitur, sic definiri posse videtur: Est *ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, clerico, propter diuinum officium, competens.*

In qua definitione quatuor sunt partes.

Prima est, *ius percipiendi fructus*, id est, facultas, seu potestas secundum iustitiam recipiendi, & exigendi fructus, putà, pecunias, vel alia in sustentationem necessaria.

Secunda pars, *ex bonis Deo dicatis*. Aduerte: in principio nascentis Ecclesiæ, illi Christiani sua bona, seu magnam partem eorum offerebant Deo, in sustentationem eorum, qui Ecclesiæ inseruiebant, & in præparationem eorum, quæ necessaria

erant,

erant diuino officio, putà, vasorum, templorum, & aliorum: vnde ex his bonis, & decimis, quæ etiam in tales vsus soluebãtur, collecta est magna summa reddituum Deo dicatorum, quæ post diuisa est in quatuor partes à Papa Sylu. vt habetur c. 4. suorum decretorum: Vna data est Episcopo, altera fabricæ ecclesiæ reseruata est; altera inter clericos talis ecclesiæ diuisa, pro ministeriorum qualitate; quarta pauperibus. Est ergo beneficium, ius exigendi fructus ex ista parte, quæ personis ecclesiasticis obuenit.

Tertia pars est, *clerico competens*; nam seculares non possunt de iure habere beneficia.

Vltima pars est, finis, nimirum, *ob diuinum officium*, quod in laudibus diuinis consistit, in sacrificio Missæ & sacrorum administratione, non quòd isti redditus dentur in pretium, sed in sustentationem talium personarum, vt à cura sibi prouidendi liberæ Deo melùs vacare possint. *In popali vilitatem*; In ista quarta parte differt beneficiũ à præbenda, putà, quòd non est annexa canoniæ: nam præbenda datur homini seculari, non ob tale officium, sed, vel quia benè meritus est de ecclesia, vel quia in spiritualibus seruit ecclesiæ, vel ob paupertatem, vel aliam honestam causam: vnde talis præbenda, est ius percipiendi fructus, sed non ob diuinum officium; ob id, non est beneficium: & in hoc eodem differt a pensione, quæ propter tale officium non datur, licèt in reliquis conueniat. Circa species, seu modos beneficiorum Sylu. verb. benefi. 1. dicit multa; mihi videtur magis ad rem, diuidi posse in quatuor genera. Quædam enim habent curam animarum, & iurisdictionem exteriorem, vt Episcopatus, Abbatiæ aliquæ, & Prioratus: Quædam neutrum habent, sed tantùm officium diuinum, vt beneficia dicta simplicia, cappellaniæ, &c.

Alia habent iurisdictionem, sed non curam animarum, quæ in administratione sacramentorum consistit, & huiusmodi sunt aliquæ Abbatiæ, quæ dicuntur iurisdictionales: similiter dignitates, vt Archidiaconatus, & Decanatus, quæ quandam iurisdictionem in choro habent.

Quædam, quarto loco, curam habent animarum, sed non iurisdictionem, vt beneficia, quæ dicuntur curata.

Quis possit conferre beneficia.

CAPVT LXXVII.

PArum ad Confessarios pertinet scire hoc, tamen ad doctrinæ plenitudinem dico aliqua.

Primum est: Papa, de plenitudine potestatis, habet facultatem conferendi vbique terrarum beneficia quæcunque: est enim summus dispensator rerum ecclesiasticarum.

Secundum est, de iure ad ordinarium spectat, beneficia suæ diœcesis conferre, nisi sit aliquod statutum in contrarium, vel aliqua immemorabilis consuetudo; tunc enim alius ab Ordinario posset conferre.

Tertium est, capitulum non potest conferre beneficia per se, nisi in tribus casibus.

Primus est, quando Ordinarius est suspensus à collatione beneficiorum, vt non possit conferre; aut excommunicatus c. tanta de excess. prælato.

Secundus, quando vacat sedes, & tale beneficium, quod capitulum cum Episcopo solebat prouidere; tunc enim Episcopo, aut Ordinario vacante, solum capitulum potest conferre; secùs, quando solus Ordinarius conferre debebat.

Tertius, quando est beneficium iure patronatus: quamuis enim solus Ordinarius conferebat, sede tamen vacante, potest capitulum. Extra istos casus non potest de iure: secùs, si aliquod speciale habebat priuilegium, vide Sylue. beneficium 2. Aduerte tamen, aliud esse beneficium conferre, aliud resignare, præsentare, & eligere. Conferre, est dare ipsum ius, & titulum exigendi fructus, & potestatem exercendi officium, & hoc solum ad prædictas personas pertinet. Resignare verò est, signare & determinare aliquem, cui beneficium conferatur; & hoc facit, qui vnũ habet beneficium, & vult in alterum transferre. Eligere verò est, vnum aliquem offerre Ordinario, vt beneficium cõferatur ei: & hoc possunt sæculares facere, & olim fiebat, & modo fit in aliquibus locis, in quibus populus, aut capitulum eligit vnum, vel duos, vt eis beneficium conferatur. Præsentare est, cùm absque suffragijs id facit aliquis, ex facultate sibi concessa: vt, qui habent ius patronatus, vnum præsentant, cui Ordinarius beneficium conferat. Hi tres modi semper indigent primo, qui fit per prædictas personas.

Con-

Contingit ergò modis quatuor, aliquem dare beneficium, aut per viam collationis, aut per viam resignationis, electionis, aut præsentationis.

Quomodo aliquis debeat dare beneficia altari.

CAPVT LXXVIII.

QVicumque aliqua via ex prædictis quatuor, alteri dat beneficium aliquod, duo debet obseruare.

Primum est, vt det gratis, id est, absque pretio vllius rei pecunia appretiabilis: tunc enim esset graue peccatū simoniæ, de qua dicemus inferiùs.

Secundum est, vt det iustè. Iustitia autem in duobus consistit.

Primum est, vt det digno; qui enim vllo modo dat beneficium indigno, quem scit indignum, grauiter peccat, & tenetur ad restitutionem ecclesiæ, cuius redditus malè locat. Quàm autem sit hoc peccatum, indignis beneficia cōferre, hinc videri potest.

Primò namque iniuria Deum afficit, quia ipsum priuat honore, & cultu suo, ad quem beneficium est institutum.

Secundò, iniurius est ecclesiæ, quia redditus ipsius male collocat, dando ipsi ministrum ineptum.

Tertiò, iniurius est multis dignis, quibus tale beneficium poterat dari. Graue ergo peccatum est, beneficium dare indigno. Dices, quæ sunt necessaria ad hanc dignitatem? Duo, tria.

Primò est necessaria scientia, saltem eorum, quæ ad suum officium spectant.

Secundò, morum compositio, & rectitudo: qui enim corruptis est moribus, ineptus est ad Dei officium, & consequenter ad beneficium.

Tertiò, aptitudo ad exercendum tale officium: qui enim doctus, & bonus est, tamen nescit exercere officium illud, vel non potest, quia alijs occupatus non potest vacare tali officio, vel quia, etiam si non occupetur, tamen non est datus praxi, & exercitio exteriori, tunc indignus censetur. Est igitur hoc aduertendum, ne indigno conferatur; qui aliter confert, peccat

conuincitur de acceptione personarum: non enim ex bona causa, & rationabili, moueri potest sic ad conferendum.

Secundum etiam est, in quo talis iustitia consistit, vt digniori detur beneficium: qui enim prætermittit digniorem, etiamsi conferat digno, peccat, vt tenet S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 2. quamuis ad restitutionem non obligetur. Similiter etiam, qui alia via à prædictis dat beneficium. Et licèt aliqui velint, non peccare, dummodo digno det, tamen probabilior, & communior opinio est, quòd peccat: ratio enim naturalis id videtur postulare; vt, si aliquis habet pecunias alterius, vt ei ministrum prouideat, profectò debet digniorem, & meliorem quàm potest, dare; alias, iniuria afficit ipsum, qui dedit pecuniam, & digniorem. Verum est, quod debet iste excessus percipi: quando enim est paruus, aut non benè dignoscitur, nullum est inconueniens, si digno detur, præsertim si speratur maior futura dignitas probabiliter, quàm sit in præsenti. De hoc tamen superiùs diximus, dum de Episcopo loquemur.

Duo sunt casus, in quibus potest dari beneficium digno relicto digniori.

Vnus est, in beneficijs patrimonialibus, in quibus distribuēdis potest relinqui dignior, si externus est, & eligi ciuis dignus si tamen indignus est, nō debet vllo modo dari, sed potius externus est admittendus.

Alter est, in beneficijs, quæ quis ex rebus proprijs instituit, & vult dari ijs, qui sibi sunt cognati, de quibus habetur 16. qu. 7. cap. monasterium. Talia possunt dari digno cognato, relicto digniori non cognato, cui non debet conferri: quamuis, quando talia curam habent animarum, non sit bona talis institutio; vt, si quis instituat monasterium, & velit suam cognatam esse Abbatissam. Sunt ergo beneficia ecclesiastica, gratis, & iustè conferenda.

(.˙.)

De accipiente beneficia.

CAPVT LXXIX.

NEceſſaria ſunt duo acipienti beneficia. Vnum eſt aptitudo ſubiecti. Alterũ, debitus modus. Circa prius, Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 4. ſtatuit, vt non habeat beneficia, niſi qui iuris conditiones habet.

Harum autem prima eſt, vt ſit clericus; qui enim ſaltem primam tonſuram non habet, non poteſt, abſque ſpeciali Papæ facultate, habere beneficium.

Secundò, vt ſit ex legitimo matrimonio; nec enim illegitimus abſque diſpenſatione poteſt accipere beneficium.

Tertiò, vt ſit legitimæ ætatis; cap. cum in cunctis, de elect. determinatur ætas in Epiſcopo, vt attingat trigeſimum annum; in Curato, vt attingat vigeſimum quintum. In Concil. verò Trid. ſeſſ. 23. c. 6. aſſignatur ætas aliorum beneficiorum ſimplicium, vt ſit quatuordecim annorum. Sine hac autem ætate, beneficij collatio nulla eſt, citra diſpenſationem.

Quartò opus eſt, vt non ſit iuris impedimentum, puta, irregularitas, excommunicatio, & alia huiuſmodi.

Quintò, vt ſit dignitas, quæ in tribus prædictis ſit, ſcientia, morum rectitudine, & aptitudine in officium, quæ in pueris licet actu non ſit, ſufficit eſſe in probabili ſpe.

Sextò, vt non habeat aliquot beneficium: qui enim vnum habet, non poteſt alterum accipere, ſine diſpenſatione. Occaſione huius, de beneficiorum pluralitate aliqua oportet conſiderare, quæ tam pœnitentibus, quàm Confeſſarijs neceſſaria ſunt.

An liceat plura habere beneficia ſimul.

CAPVT LXXX.

PLura beneficia habere, eſt de eorum numero, quæ mala ſunt, tamen poſſunt bona fieri, ſi aliquibus bonis circumſtantijs copulentur. Explico; ſunt aliqua, quæ ex ſe mala ſunt, & numquam poſſunt fieri bona, vt mentiri, quocumque modo, & fine quis mentiatur, ſemper peccat. Non eſt huiuſmodi, plura habere beneficia: nam aliquando licitum eſt, &

bonum.

bonum. Alia sunt, quæ ex se indifferentia videntur, nec mala nec bona, nisi fine determinentur, vt ambulare. Quædam ex se mala videntur, tamen cum aliquibus circumstantijs bona sunt, vt occidere hominem, malum sonat statim, tamen si fiat modo aliquo, putà, in propriam defensionem, aut in Reipub. vtilitatem, bonum est. Huiusmodi est hoc, plura habere beneficia, malum simpliciter est, quamuis, cum quibusdam circumstantijs, benè fieri possit. Statuamus ergo primò, quare malum secundum se sit.

Huius autem rationes multæ sunt.

Primò, quia priuatur Deus cultu suo; magis enim per plures ministros, quàm per vnum colitur.

Secundò, priuatur ecclesia suo iure: dum enim plura beneficia vnus vsurpat, ecclesia caret suis ministris, & sic destruitur.

Tertiò, fit iniuria alijs dignis, qui beneficio priuantur, dum vnus plurium loca occupat.

Quartò, videtur contra rationem naturalem; nam vnum membrum vnum habet corporis officium, & vnus minister vnum debet habere officium. Vnde Gregorius, distinct. 89. capit. singula, ita statuit, vt singuli singula haberent beneficia.

Quintò, datur locus ambitioni, dum vnus non contentus his, quæ habet, plura habere anhelat.

Sextò, pereunt studia bonarum literarum; nullus enim studio scripturæ sacræ incumbit, sed scientijs humanis, de pane lucrando, quia vident se non posse vllum pro merito consequi beneficium. Non ergo dubium est, quin malum sit secundum se, plura beneficia vnum possidere.

Quando liceat plura habere beneficia.

CAPVT LXXXI.

NOn est ita malum, plura beneficia habere, quin liceat, causis rationabilibus, ea retinere. Causæ autem istæ, quæ hominem in conscientia tutum faciunt, per tres sequentes regulas explicantur.

Prima est, licitum est, in casibus iure concessis, plura retinere beneficia, etiam curata. Pro declaratione aduerte, aliter se habere ius ante Concil. Trid. aliter pòst. In antiquo iure

licebat in sex casibus, plura simul habere beneficia, etiam curata.

Primus habetur 10.q.3.can.vnio; quando sunt exigui redditus beneficij, vt vnus non possit sustentare ministrum talem, quali indiget ecclesia illa, habita ratione personæ, loci, & temporis, tunc concedit ius, vt plura possint haberi, donec faciant conuenientem sustentationem, & sic 21.q.1.cap.illud, concessum est, vt vnus sit Archiepiscopus Tarraconensis, & Episcopus Fundensis. Sed attende, quòd isti redditus sunt mensurandi iuxta ministri qualitatem, quo ecclesia indiget: si enim ecclesia potest ministrari per ministrum, qui centum possit alij, non debet beneficium dari alteri, qui indiget mille, propter luxus suos, vel sublimitatem suam; sat est ecclesiæ, vt tot redditus dignum possit habere ministrum.

Alter casus habetur 21.q.1.c.clericus; putà, cùm est indigentia hominum, id est, cùm non sunt ministri plures, qui teneant beneficia, plura tunc vni conferri possunt. Sed intellige de indigentia, & defectu dignorum; licet enim multi sint, qui beneficia acceptent, tamen pauci digni sunt, tunc ex defectu dignorum, vni digno plura conferri possunt.

Tertius est, 21.quæst.1.c.qui plures, cùm vnum beneficium habetur in titulum, alterum in commendã: solebat enim tùc beneficium dari alteri beneficiato, donec quæreretur dignus, cui posset conferri, quia, qui beneficium iam habebat, dignus præsumebatur, & tunc dicebatur illud habere in commendam. Hac via potest vnus plura beneficia habere. Sed attende, quòd non debet esse hoc cum fraude legis, quales sunt commendæ perpetuæ, seu ad vitam; tunc enim permittit, ac in titulum habere. & è contra, ratione commendæ. Sed humana auaritia inuenit fraudes; cùm enim vnus non possit habere plures Episcopatus, aut beneficia, aut saltem beneficium, tunc habet in commendam perpetuam, quod profectò fraus est contra legem.

Quartus casus habetur cap.eam te.de ætate, qualitat.ordin. præfici. & cap.quia monasterium, de relig.domi. quando duo beneficia vnita sunt, & ad vnum redacta. Sed attende, istas vniones diuersarũ ecclesiarum non esse licitas, nisi in vtilitatẽ, vel necessitatem ecclesiarum ipsarum fiant, quia alter nõ possunt commodè ministrari; vel ob causas, quę in ipsarum commodum sint. Cùm enim tamen fiunt ob auaritiam, & ad dilatandas personas, contra bonum ecclesiarum, non sunt in con-

scien-

scientia securæ;& sic in Concil. Trid. multa dicta sunt contra istas vniones.

Quintus casus habetur cap. extirpandæ, de præb. quando aliquis habet canonicatum in ecclesia cathedrali, & habet aliquam parochiam annexam, ratione annexionis, potest vnus plura beneficia habere; quamuis olim, cùm iste casus concessus fuit, canonici erant Episcoporum consultores, ob id, eis cõcedebatur in cathedrali ecclesia residere, & vicarium in parochia constituere: modò autem, cùm iam non id faciant, sed aliquando otiosi sint, melius forsan esset, si in parochia resideretur, & vicarius in cathedrali poneretur.

Sextus casus habetur cap. de multa, de præben. Sublimibus, & literatis personis conceditur plura habere beneficia: sed hoc intellige, cùm talis sublimitas, & scientia sunt ornamento Ecclesiæ, & vtilitati, & aliàs non. Semper enim ante oculos habendum est, vt beneficium non detur, ne accipiatur, nisi in Ecclesiæ vtilitatem, cuius bona sunt, quæ distribuuntur. In his casibus; ius antiquum concedebat pluralitatem beneficiorum: tamen Concil. Trid. quatuor casus statuit de nouo, qui nostris temporibus magis conueniunt, sicut ius antiquum illo tempore conueniens fuit.

Primus habetur Sess. 24. c. 13. Non potest vnus plures sedes Episcopales habere, quamuis exigui redditus sint, quòd si conueniens videbitur, aliquando vni dari plures, tunc Conci. prouinciale debet causam examinare, & remittere Pontifici, vt disponatur quod iustum fuerit.

Secundus habetur ibidem; Nullus potest plura curata beneficia habere, nec quæ residentiam exigunt, vt sunt illa, quæ habent iurisdictionem, vel chorum. Quòd si aliquando redditus vnius valdè exigui fuerint, tunc poterit Episcopus dare beneficium simplex, non tamen cum cura, vel residentia; quòd si non fuerit, alatur tunc ex decimis, vel ex parochialium contributione.

Tertius est in eadem Sess. cap. 17. Nullus deinceps possit habere plura beneficia, etiam sine cura, quocumque modo, nec etiam ad commendam perpetuam, nisi cùm vnum ad sustentationem, pro ratione personæ, loci, & temporis non sufficit. Aduerte tamen, quòd Concilium aliter de curatis, aliter de simplicibus loquitur: nam de curatis, & Episcopatibus, vult, vt, qui ante Concilium habuerũt, relinquant, & cum eo maneant: de simplicibus statuit, vt in posterum fiat, vt di-

xi, antecedentes autem in possessione relinquit.

Quartus est, Sess. 7. c. 7. In annexis parochijs ad canonicatū, Episcopus sua manu constituat Vicarium perpetuum, cū tertia parte fructuum, nisi aliquando id videatur aliter conuenire. Hæc sunt, quæ modò obseruanda sunt post Concilium. Et prima posita regula sic procedit. Qui plura habet beneficia in casibus à Concil. concessis, tunc licitè habet: qui de nouo duo sunt pro posteris: primus quando simplex est cum curato, ratione exigui redditus: secundus quando ob eandem causam simplicia plura sunt: vnde, ius hoc idem ferè est cum antiquissimo Greg. can. singuli, dist. 89. in quo singuli, singula tantùm habere beneficia sinebantur.

Secunda regula, non obstante isto iure Concil. qui cū pontificis dispensatione plura, quæcumque, & quomodocumque beneficia habet, tutus est in conscientia. Sed aduerte, vt in foro exteriori possit illa habere, satis est dispensatio; tamen, vt in conscientia, & coram Deo tutus sit, necessaria etiam est causa dispensationis. Hæc autem causa debet esse in vtilitatem Ecclesiæ, vel ob ipsius Ecclesiæ necessitatem. Quando causa non est in bonum Ecclesiæ, non est bona dispensatio, nec est homo securus coram Deo. Rursus, quamuis ista causa sit, non potest sine dispensatione habere plura beneficia pinguia, quia est cōtra Concil. sed vtrumque est necessarium, dispensatio, cum causa conuenienti.

Tertia regula est: Qui hactenus ante Concilium plura simplicia habent beneficia, quamuis retinere possint, in foro exteriori securi, tamen in conscientia securi non sunt, nisi causa iusta sit huius pluralitatis: quæ causa debet esse aliqua ex sex concessis in iure antiquo, vel quæ sit in Ecclesiæ vtilitatem. Denique plura habere beneficia, quorum redditus excedunt conuenientem sustentationē, habita ratione personæ, loci, & temporis, malum est, nec in bona conscientia talis pluralitas retinetur: nec idem est de vno beneficio pinguissimo, quia hoc vnum habet officium; at plura beneficia, plura habent officia, quæ sine iusta causa, non debent dari vni, etiam digno. Hæc dicta sint de pluralitate, super est de residētia: sed iam diximus de ea in tertio præcepto. Non sat est istas habere conditiones, ad habendum beneficium, sed modus necessarius est, id est, vt sine simonia habeatur, sed gratis, & absque pretio: sed de simonia paulò inferiùs dicemus, postquam de pensionibus beneficiorum aliquid dixerimus.

Quid

Quid Pensio, quotuplex, in quibus à beneficio differat.

CAPVT LXXXII.

PEnsio sic potest describi: *Est ius percipiendi fructus ex alieno beneficio.*

In declarationem, nota in beneficio duo esse.

Vnum est, dignitas quædam ecclesiastica, ad aliquod officium in Ecclesia ordinata, & ista vocatur titulus.

Alterum est, ius quoddã percipiendi fructus ex bonis Deo datis. Aliquando vni, & eidem vtrumque ineſt, & tunc non est pensio; aliquando accidit, vt vnus habeat titulum, & alter habeat ius percipiendi fructus omnes, aut partem aliquam eorum, & tale ius dicitur pensio, & qui istud ius habeat, dicitur pensionarius. Ex hoc patet declaratio pensionis, quantum ad eius definitionem.

Pensio triplex est, quædam est temporalis, quædam spiritualis, quædam media, nec omninò temporalis, vt prima, nec spiritualis, vt secunda.

Temporalis est, quæ datur etiam laicis, pro aliquo ministerio temporali extra Ecclesiam exhibito, vt militi, vel duci pro Ecclesia pugnanti, dari solet pensio aliqua, siue perpetua, siue temporalis, ex bonis Ecclesiæ. Similiter alteri, negotia eiusdem ecclesiæ temporalia agenti, vt œconomis, & alijs huiusmodi. Tales sunt pensiones datæ Regibus Hispaniæ, qui habent tertiam partem decimarum: hoc enim est datum ab Ecclesia, pro defensione, & pace, in qua sustentant Ecclesiam ab inimicis.

Spiritualis est, quæ datur ob officium aliquod spirituale erga Ecclesiam, v. quæ datur Concionatori, propter concionem & coadiutori Episcopi, vel Parochi, vel Sacristano, vt Ecclesiã præparet, & ei inseruiat.

Media est, quæ datur alicui ob resignationem, vel cessionem beneficij, & hæc communiter hodie vsitatur: cùm enim, quis alteri suum resignat beneficium, retinere solet pensionem aliquam, vel cùm cedit iuri, quod habet circa tale beneficium.

Istæ tres pensiones multum à beneficio differunt, quamuis quædam minus, quædam magis. Beneficium enim, inter alias habet istas quatuor proprietates.

Prima est: Qui habet beneficium, tenetur persolvere singulis diebus horas canonicas, vt alias diximus.

Secunda: Non potest beneficium vendere, nec mutare pro re vlla, vel pretio temporali.

Tertia: Potest commutare cum altero beneficio, & dignitate spirituali.

Quarta, si ducit vxorem, perdit beneficium, nec potest vllo modo retinere. Ista competunt beneficio.

Pensiones autem non omnia ista habent.

Sed prima pensio, quæ temporalis est, habet quatuor contraria: non obligat ad persoluendum horas, nec ad aliud aliquid recitandum: potest etiam vendi, & mutari pro re temporali: non potest commutari pro beneficio ecclesiastico, quia esset simonia: nō perditur propter matrimoniū.

Secunda autem pensio spiritualis non obligat ad persoluendum horas, sed solùm ad exhibitionem ministerij, propter quod pensio datur: non tamen potest vendi, nec redimi: & in hoc cum beneficio competit; sed non potest commutari cum beneficio, & in hoc à beneficio differt: quamuis enim pensio hæc spiritualis sit, quia pro beneficij loco datur, tamen temporalitatem habet, quia titulo caret: perditur etiam per matrimonium, quando non potest cum matrimonio ministerium tale exhiberi.

Tertia pensio non obligat etiam ad persoluendas horas canonicas, quamuis Pius V. obligauerit ad recitandum officium beatæ Mariæ, nec; sine licentia Papæ, potest vendi, quamuis possit redimi: tunc autem dicitur redimi pensio, cùm, qui habet beneficium, conuenit cum pensionario, vt tantam accipiat summam, ne amplius exigat pensionem, quæ summa solet esse ex quinque annatis, vt, si est viginti aureorum, redimere centum aureis, quinquies enim viginti sunt centum. Rursus non potest pensio commutari cum beneficio, quia esset simonia. Talis etiam pensio perditur per matrimonium, vt habet Corrasius de pensionibus cap. 4. sed hoc de iure intelligitur: nam in c. vnic. de clericis coniug. in sext. habetur, quod clericus coniugatus non gaudeat vllo priuilegio clericali, nisi duobus, putà, ne conueniatur coram iudice sæculari, nec in ciuili, nec in criminali: & quòd, qui eum percutit, sit excommunicatus. His etiam duobus non gaudeat, nisi portet habitum, & tonsuram. Ex hoc sequitur, quòd pensionem hanc tertiam non potest habere, quia est clericorum priuilegium;

non

non enim datur, nisi habenti tonsuram saltem. Sed puto esse consuetudinem iam in contrarium, quod profectò mirabilis est abusus; dum multi relinquunt beneficia, retentis pensionibus, & ducunt vxores; immò hoc animo forsan receperunt: quod profectò pessimum est, nec in bona conscientia isti possunt tales retinere pensiones, vt statim etiam patebit.

Quomodo quis licitè pensionem habeat.

CAPVT LXXXIII.

TRes sunt conditiones, quibus omnibus, aut earum vna deficiente, non potest aliquis pensionem habere.

Prima est dispensatio. Nullus enim potest vllam retinere pensionem super bona Ecclesiastica, sine dispensatione. Hæc autem non pertinet ad vllum prælatum, nisi ad solum Papam; quamuis hoc ex iure non constat, sed ex consuetudine sola. Vbi ergo deest dispensatio, pensio licitè haberi, aut retineri non potest.

Secunda est, causa: sine causa enim non habet locum in foro interiori, & coram Deo dispensatio; sed tantùm in foro exteriori: vnde, qui pensiones retinent, etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima, securi non sunt nec excusantur, quia Papa dedit; & ipsius est considerare, quomodo dederit. Hoc, inquam, non excusat: si enim quis accipiat pecunias ab œconomo, quem scit malè dispensare res domini, & contra iustitiam, non potest tunc retinere. Papa autem non est dominus bonorum & reddituum Ecclesiæ, sed tantùm vniuersalis dispensator. Vnde, sicut, cùm dispensat in voto, non facit hominem securum in conscientia, nisi causa adsit, ita in pensionum & beneficiorum distributione. Causa autem hæc debet esse in vtilitatem Ecclesiæ, cuius sunt bona: si enim nulla via in Ecclesiæ huius vel vniuersalis vtilitatem tendat, nō est causa legitima.

In iure duæ causæ in particulari habentur.

Prima; cap. nisi essent. de præben. & cap. audiui, de colluſ. detegen. quando aliqui litigant & rixantur de beneficio. ne rixa cedat contra vtilitatem, & in damnum Ecclesiæ, quia priuatur illo tempore ministro, solet de licentia Papæ, illi, qui maiorem habet iustitiæ rationem, dari beneficium conueniente pensione alteri assignata.

Secunda causa habetur, c.ad quæstiones de rerum permutat.cùm vna ecclesia habet beneficium pinguius,altera minus pingue,& fit permutatio, tunc datur pensio ex pinguiori, ad supplendum fructus minùs pinguis beneficij; & hoc solet fieri cùm personæ permutant beneficia, sed cum dispensatione. Aduertendum tamen hic est,quòd pensio non debet dari, nisi pro fructibus tantùm,qui maiores sunt vnius beneficij: cùm enim datur pro ratione ipsius beneficij, quia est maior dignitas,vel honoratior titulus, tunc simonia est. Vltra has causas sunt etiam aliæ causæ conuenientes pensionum.

Tertia est, propter ministerium aliquod temporale erga Ecclesiam exhibitum.

Quarta,propter ministerium etiam spirituale exhibitũ Ecclesiæ, quia homo inseruit in temporalibus,vel in spiritualibus Ecclesiæ.

Quinta,quia est benè meritus de Ecclesia,licèt actu non inseruiat,& sic dari potest homini,qui suis lectionibus vel concionibus insudauit in Ecclesiæ vtilitatem, aut qui suas etiam operas consumpsit in vtilitatem temporalem Ecclesiæ.

Sexta,potest dari his,qui futuri sunt ministri Ecclesiæ, vt præparentur,& talia sunt illa, quæ Hispani vocant præstimonialia, quæ dabantur studentibus, & futuris ministris Ecclesiæ.

Septima est paupertas,præsertim clericorũ:sunt enim multi beneficio carentes,nec vnde viuant habentes, quibus sanctissimũ esset aliquas assignare pensiones.Etiam laicis possent dari:nam bona Ecclesiæ etiam pauperibus obueniunt. Denique causa pensionum debet esse pia,quæ in vtilitatem Ecclesiæ,& honestatem conuertatur.Nec solæ istæ conditiones sufficiũt, sed debet esse tertia,nempe modus.

Modus autem in duobus consistit.

Primò,ne pensio,quæ ab vno percipitur beneficio, sit adeo pinguis(Contra.tract.de sacerdot.cap. 4.num.7.)vt non remaneant fructus cum titulo, quibus possit conuenienter beneficium habens sustentari in suo officio. Vnde iniquissimum est nec excusabile,omnes fructus exigere pro pensione,& maximè ex beneficio habente curam. Olim non dabatur nisi tertia pars:nec in omni beneficio exigi potest: nam cùm omnes simul beneficij fructus exigui sunt,non est exigenda pensio.

Secundò,ne tot cumulentur pensiones, vt sustentationem excedant conuenientem hominis. Vnde mirabilis est abusus

corum, qui multis hinc inde se onerant pensionibus; cùm, vnde viuere possint pro conditione sua, habeant; & quod peius est, nulla adest causa, propter quam, vel vnam possint habere: quibus vix potest persuaderi, vt vel minimam pensionem à se expellant, sed morte coguntur malè possessa, & retenta dimittere.

De Simonia, quid sit.

CAPVT LXXXIV.

INter ea, quæ de simonia tractanda occurrunt, id primum est quid sit. Videtur autem sic posse describi. Simonia est *studiosa voluntas, contractandi pretio, rem spiritualem.* Sunt in hac definitione quatuor partes.

Prima est, *studiosa voluntas*, id est, actus voluntatis, seu volitio libera & deliberata: non enim peccatum consistit, nisi in voluntate libera, tunc autem volitio libera dicitur, cùm in manu hominis est, se cohibere à tali volitione. Hac parte prima vtitur S. Thom. 2.2. qu. 100. & alij communiter in definitione simoniæ.

Secunda est, *contractandi.* Per contractare, significamus quemcumque contractum, in quo pretium intercedit, siue sit emptio, siue venditio, siue locatio, siue permutatio, siue alius huiusmodi contractus: simonia enim in tali contractione consistit.

Tertia est, *rem spiritualem.* Contractare rem spiritualem, putà, emere, vendere, locare, permutare, simonia est. Dices, quæ res vocatur spiritualis? Dico vniuersaliter, omnem illam rem vocari spiritualem in præsenti, quæ à Deo, vt est auctor gratiæ, procedit, vel ad Deum, vt est auctor gratiæ, ordinatur. Explico, fides docet, Deum esse creatorem & Saluatorem, ea, quæ ad creationem pertinent, vt omnes hæ res sensibiles, & creaturæ omnes, secundum proprium suum esse, & proprietates, dicuntur pertinere ad Deum, vt est auctor naturæ; Ea verò, quæ ad Deum pertinent, vt est hominum & Angelorum etiã Saluator, qui creaturam rationalem ad suum finem supernaturalem producit, dicuntur pendere ab ipso, vt est auctor gratiæ, & dicuntur res spirituales. Huiusmodi autem sunt in quadruplici differentia.

Quædam dicuntur res spirituales essentialiter, quales sunt

virtu-

virtutes, & dona supernaturalia, quæ vi naturæ non possunt obtineri, vt Fides, Spes, Charitas, gratia, & alia huiusmodi.

Quædam dicuntur spirituales causaliter, quia sunt causa rerum prædictarum, vt septem sacramẽta Ecclesiæ, ad quæ reducuntur alia sacramenta, vt aqua benedicta, Catechismus, Exorcismus, Chrismatis confectio.

Quædam dicuntur spirituales effectualiter, quia sunt operationes ex aliqua spirituali potestate procedentes, vel operationes ad Deum ordinatæ, vt concionari, cantare in choro, sepelire mortuos, dispensare in voto, matrimonio & alijs excommunicare, & ab excommunicatione absoluere, & alia huiusmodi.

Quædam tandem sunt spirituales res ex annexione, quæ sunt in duplici differentia.

Quædam quę ad officium spirituale ordinantur, vel ex spirituali ordinatione dependent, vt beneficia omnia Ecclesiastica. Ius enim percipiendi fructus annexum est ordini & dignitati spirituale, & ad diuinum officium ordinatur.

Quædam quæ præparatoria sunt ad spiritualia, vt vasa sacra, vestes, candelæ benedictæ, campanæ, templa, & huiusmodi alia. Omnia hæc quatuor sub genere rei spiritualis concluduntur, & contractare ista, ad simoniam pertinet.

Quarta pars est, *prẽtio*: debet enim intercedere prẽtium in simonia; & vbi deest ratio pretij, non est simonia: vnde attentè considerandum est, quòd, quamuis det aliquis pecuniam, nisi detur vel accipiatur pro pretio rei spiritualis, simonia non est.

Pretium autem hoc communiter solet à doctoribus distingui in tria; & sumpta est dist. 1. q. 3. can. Saluator.

Est pretium muneris, putà, pecunia, vel res pecunia æstimabilis.

Est pretium linguæ, putà, laus vel vituperium, quę aliquando sunt pretia, cum æstimantur pecunia; vt, si quis conueniat cum aliquo se daturum beneficium, si ipsum laudet corã alijs, vel inimicum aliquem vituperet, tunc est pretium & simonia.

Est etiam pretium obsequij, cùm quis inseruit alicui in ministerijs temporalibus pro retributione; vt œconomus, vel alij huiusmodi ministri. Vbi ergo aliquod horum pretium intercedit, & tamquam pretium pro spirituali re simonia est. Hinc patet quid sit simonia. Dicta autem est simonia à Simone

Mago,

Mago, primo auctore huius peccati in lege Euangelica, cuius fit mentio Actuum 8. qui, vt habetur 1. quæst. 3. can. Saluator, voluit emere donum Spiritus sancti, id est virtutem miraculorum, vt idem posset vendere alijs cum lucro. Ab hoc ergo qui rem spiritualem vendere vel emere præsumit, simoniacus dicitur.

Quale peccatum sit simonia.

CAPVT LXXXV.

SImonia ex genere suo mortale peccatum est, contra religionem. Ex triplici autem capite peccat simoniacus.

Primò, quia vendit quod non est veniale: res enim spiritualis vel minima omnem excedit pecuniam & rem temporalem: vnde tali pretio non est venialis.

Secundò, quia vendit quod suum non est; nam 1. Corinth. 4. homo dispensator est rerum spiritualium, non dominus; qui ergo vendit rem spiritualem, alienam rem vendit.

Tertiò, quia facit contra originem rei spiritualis; gratis enim huiusmodi dona accepit homo, gratis ergo debet dare, non pretio. Est autem simonia prohibita iure diuino & naturali, & canonico. Iure diuino, ex illo Matth. 7. *Gratis accepistis, gratis date.* Act. 8. *pecunia tua tecum sit in perditionem.* Et in veteri testamento prohibita erat, vt patet de illo Giezi. qui lepram contraxit, quia pretium à Naaman exegit 4. Reg. 5. Est etiam iure naturali prohibita; nam quamuis res spiritualis sit supernaturalis, quia tamen est non venalis, simoniacus contra naturam peccat, cùm vendit quod veniale non est. Est etiã prohibita iure Canonico, vt patet 1. q. 3. per totam, & in multis alijs canonibus. Notandum est tamen aliquas esse simonias, quæ non sunt prohibitæ, nisi iure canonico, quando res non sunt omnino spirituales, vel non est verum pretium, tunc ex se simonia non est, nisi quia prohibita est à Papa. Et hoc modo permutare beneficium beneficio, absque licentia Pontificis esset simonia, quia prohibetur cap. quæsitum. de rerum permuta. Rursus 5. qu 3. can. saluator, prohibebatur vendere officium œconomi Ecclesiæ; & esset simonia vendere, non tamẽ ex se, quia illud temporale officium est. Hoc modo, puto, esset simonia, vendere pensiones sine facultate Papæ, quia consue-

tudo

tudo obtinet, non posse transferri sine licentia. Quando verò res est verè spiritualis, & pretium est temporale, tunc secundùm tria prædicta iura, prohibita est simonia; nec in talium venditione potest Papa dispensare, sicut in prima poterat.

De speciebus Simoniæ.

CAPVT LXXXVI.

TRes sunt species principales simoniæ; mentalis, conuentionalis, realis.

Mentalis duplex est; altera, cùm quis interiùs vult rem spiritualem pretio contractare, & voluntate deliberata, tamen non deuenit ad actum exteriorem; vel quia non inuenit cum quo contractet, vel quia pœnituit, vel alia quauis causa.

Altera mentalis est, cùm exteriùs aliquid spirituale tractat pretio, tamen non manifestat exteriùs esse pretium. Verbi gratia, aliquis dat centum aureos alicui, hac intentione, vt alter det beneficium ei, tamen nec implicitè, nec explicitè significat alteri pretium esse, tunc est simonia mentalis, quæ potest committi, aut ex parte vnius dantis beneficium, aut ex parte alterius dantis pecuniam, aut ex parte vtriusq; simul. Quando igitur pactum nec implicitum nec explicitum pretij intercedit, sed tantùm in intentione manet, & opus exterius sequitur tunc simonia mentalis est. Quando verò est pactum aliquod exterius implicitum vel explicitum, tamen non sequitur consummatio operis ex vtraq; parte, tunc est simonia conuentionalis; quæ tripliciter fit.

Vno modo, quando tantùm est pactum pretij, tamen nondum est datum pretium, nec translatum beneficium.

Altero modo, quando cum pacto est translatum pretium, sed nondum acceptum beneficium.

Tertio modo, cùm datum est beneficium, vel res spiritualis, nondum tamen est pretium acceptum. Omnes hæ simoniæ conuentionales dicuntur: quando verò est perfecta ex vtraq; parte consummatio, simonia realis est. Requiritur ergo ad realem, intentio interior pretio contractandi; exterius pactum implicitum vel explicitum. Quando autem datur pecunia vel pretium simul cum beneficij collatione vel promissione, præsumitur pactum implicitu, licèt nihil exprimatur. Requiritur etiam operis consummatio ex vtraq; parte, vt sit beneficij

neficij vel rei spiritualis translatio seu exhibitio: similiter etiã pretij acceptio: vno deficiente, vt dicit Armill. verb. simonia, non realis, sed potiùs conuẽtionalis aut mentalis est. Hæ sunt simoniæ species, quas multùm antè oculos habere oportet: multùm enim inter se differunt, quantum ad pœnam exteriorem, vt dicetur posteà, quãuis omnes tres ex genere suo, mortalia sint peccata.

De tribus regulis ad cognoscendam simoniam.

CAPVT LXXXVII.

IN particulari nunc oportet tractare, qualiter simonia in singulis spiritualibus committatur; ac antè omnia. quatuor generales regulæ sunt anteponendæ.

Prima fundatur in vno hoc suppositio; pecuniã, seu aliquid pecunia æstimabile, posse multis rationibus dari pro re spirituali: Vno modo per modum pretij: altero modo, per modum sustentationis, ipsis, ministris rerum spiritualium, seu per modum eleemosynæ: tertio modo, per modum oblationis, quæ fit Deo in suo ministro: quartò, per modum liberalitatis, seu spõtaneæ donationis & gratitudinis: quintõ, per modum laudabilis consuetudinis: nam consuetudines aliquando originẽ habent ex sustentationis ratione, seu ex oblatione; & sic; qui ex tali consuetudine dat temporale pro spirituali, videtur dare per modum oblationis aut eleemosynæ.

Hoc supposito, sit prima regula. Numquam simonia committitur, nisi cùm temporale datur tamquam pretium pro spirituali. Semper ergo aduertendum est, an intercedat ratio pretij: cùm enim datur temporale verè, non vt pretium, tunc ibi simonia non est.

Altera regula innititur alteri fundamento, putà, spiritualia se habere in triplici differentia. Quædam sunt pure spiritualia, nullam temporalem mixtionem habentia, vt virtutes supernaturales & potestates, ipsarumque vsus. Quædam sunt mixta ex spirituali & temporali, tamen plus participantia de spirituali, vt sacramenta, in quibus materia intercedit temporalis; similiter sacramentalia; similiter beneficia Ecclesiastica. Quædam sunt etiam mixta, sed plus habent de temporali, vt vasa sacra, templorum loca, officia cantorum & musicorum.

Hoc

Hoc suppositio sit secunda regula generalis: pretium dare vel accipere pro quacumq; re harum spirituali, ita vt pretium sit pro spirituali, simonia est. v. g. si ematur calix pluris, quia consecratus est, tunc simonia est.

Tertia regula generalis: cùm pretium intercedit pro re spirituali pura, aut plus habente de spirituali, simonia est; ac oportet distinguere, an illud pretium sit pro re, qua parte temporalis est: nam tota simpliciter censetur spiritualis; vnde quocumq; modo & titulo sacramentum, aut beneficium emere, simonia est.

Quarta regula: cùm pretium intercedit in mixtis plus habentibus de temporali, non est simonia, nisi specialiter detur pro spiritualitate. Vnde licet pretium accipere, vendere, aut simere calices etiam consecratos, pretio eodem quo emerentur, ac si non essent consecrati; similiter pretio vendere musicam organorum & cantorum officia, & sonare campanas, & alia hujusmodi, dummodò, vt dixi, nihil amplius accipiatur pro parte, qua spiritualitatem quandam habent.

De Simonia in primo & secundo genere rerum spiritualium.

CAPVT LXXXVIII.

NVnc magis in particulari ista tractanda sunt. Ad discurramus per illa quatuor genera rerum spiritualium, que posuimus, definitionem simoniæ explicantes. Circa quorum primum, dico tria.

Primum est, vendere, aut pretio contractare virtutum supernaturalium vsus, seu operationes, est simonia: v. g. si quis det pecunias pro alterius ieiunio, vel alterius oratione, vel aliquo alio actu virtutis, aut, vt audiat sacrum, & proximum corrigat, & similia. Aliis vijs quàm prædictis potest dari pecunia, vt per modum eleemosynæ, aut spontaneæ donationis aut sustentationis.

Secundum. Commutare huiusmodi spiritualia inter se nō est simonia, vt, orare pro vno, vt alter ieiunet pro te, & audire confessionem vnius, vt alter audiat tuam, & huiusmodi alia, simonia non sunt. Ista est contra Conrad 4. dist. 25. an. 3. Est tamen secundum mentem Soto libr. 9. de Iust. quæst. 5. in fine, &

ratio

ratio est aperta, quia commutare spirituale pro spirituali, non est prohibitum iure diuino, alias numquam liceret Pontifici dispensare in commutatione beneficiorum. Ergo est tantum de iure positiuo sed talis commutatio numquam habetur prohibita in vllo iure, nisi tantum in beneficijs, cap. quæsitum, de rerum permutat. Ergo illa licita est, nec vlla committitur simonia.

Tertium est, pro vsu virtutum naturalium, quæ naturaliter acquiruntur, pretium dare vel accipere, non est simonia; vnde licite lectores facultatum, etiam Theologiæ, pretium possunt accipere sui laboris, nec vllam committunt simoniam.

Erga secundum genus rerum, putà sacramentorum, & sacramentalium, dico etiam aliqua.

Primum est. Licet alicui exigere pretium pro labore antecedenti in administratione sacramentorum. Ista est Soto lib. 9. q. 6. ar. 1. Explico: Duplex est labor in sacramentorum administratione; Vnus est antecedens, qui non est per se coniunctus cum sacramento, nec sacramentum cum ipso; vt, si quis Sacerdos ad audiendam alicuius confessionem, duo aut tria millia conficiat, aut aliquas etiam expensas faciat, labor dicitur annexus; & pro hoc potest pretium exigi, & dari. Alter labor est concomitans, qui per se coniunctus est cum ipsa re spirituali, immò in ipso consistit, aut sine ipso esse non potest, vt labor in audiendo confessionem, in baptizando, in ordinando. Et de hoc.

Dico secundo. Pretium exigere pro tali labore in sacramentorum administratione, simonia est, non enim ille labor distinguitur ab ipsa re spirituali.

Dico tertio; Potest aliquis exigere pretium pro obligatione, qua se obligat ad Sacramentorum administrationem: v. g. si quis se obliget per annum vel duos, aut tempus aliquod ad sacramenta ministrandum seu celebrandum, pretium exigere pro tali obligatione potest absq; simonia. Ratio est, quia hic non vedit rem spiritualem, sed suam libertatem. Similiter, qui se obligat ad cantandum in choro, aut concionandum, potest pro sola obligatione pretium exigere. Ita habet Caiet. ver. simonia, & Glos. super ea significatum, de præben. immò deduatur ex tali c.

Dico quartò, pro ipsa administratione sacramentorum, nõ potest pretium exigi absq; simonia, potest tamen per modum

sustentationis; quamuis, si habet officium, vnde ex obligatione incumbit id facere, habeatque redditus sufficientes, non potest exigere isto titulo; potest tamen accipere datum per modum oblationis, aut spontaneæ gratitudinis. Est autem notandum, quod licèt diues sit Sacerdos, potest exigere per modu sustentationis, quando aliunde habet redditus, nec obligatur ex officio ob tales redditus ministrare: vnum tamen hic notandum occurrit circa Episcopos, quantum ad ordinum administrationem, ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. de reformatione, vbi tria instituuntur & ordinantur circa hoc.

Primum est, ne vllus Episcopus pro vllius Ordinis collatione, aut pro literis dimissorijs, aut pro sigillo quicquam possit accipere, quocumq; præ extu etiam sponte oblatum, sed omninò gratis ista exhibeantur. Vbi nota non excusari Episcopos titulares, qui in aliorum diœcesibus ordinant, ipsis principalibus consentientibus: isti enim nihil possunt accipere, sed petant à suis diœcesanis suam sustentationem. Nota insuper esse periculum etiam candelas accipere: nam Concilium generalissimè loquitur.

Secundum est circa notarios. Isti enim nihil possunt accipere pro huiusmodi negotio, nisi pro dimissorijs, decimam tantum partem vnius aurei; nec hoc possunt accipere, nisi duabus conditionibus existentibus.

Prima est, vt fuerit consuetudo ante Concilium accipiendi aliquid prius.

Secunda est, vt salarium non habeant: qui enim habent, accipere non possunt quicquam. Similiter nec illi, quando consuetudo erat nihil accipiendi.

Tertium est, circa notarium, similiter & Episcopum. Non potest Episcopus commodum aliquod habere per viam notarij, exigendo aliquid ab ipso notario, pro his, quæ notario eueniunt. Liberalis ergo, & omninò gratuita debet esse Ordinum collatio.

De simonia in tertio genere rerum spiritualium.

CAPVT LXXXIX.

TErtium genus rerum spiritualium, erat operationum ex officio aut potestate aliqua spirituali procedentium, quæ mixtæ sunt, quamuis aliquæ magis spirituales, aliquæ magis temporales sint.

Prima spiritualium, est operatio Episcoporum, id est, actus omnes, quos Episcopus, vt talis est, facit per potestatem iurisdictionis, seu ordinis; vt, dispensare in voto, relaxare iuramenta, absoluere à censuris, consecrare templa, & alia huiusmodi, quæ etiam ad Pontificem summum pertinent.

De his dico primò, quòd nullo modo potest pretium pro istis exigi, aut dari absq; simonia, cùm sint simpliciter spiritualia: & ita docet S. Thom. 2.2.q.100.art.3.ad 3.

Dico secundò. Cùm reddituꝰ sunt sufficientes Episcopo ad sustentationem, non licet, nec etiam per modum sustentationis exigere, sed solùm si sponte offerrentur.

Dico tertiò, non esse murmurandum contra Papam, qui exigit pro his pecunias, non per modum pretij; nam ista ad sustentationem dantur, qua multùm indiget tanta in Ecclesia dignitas. Dantur etiam aliquando per modum pœnæ. Dantur etiam per modum compositionis, id est, cuiusdam commutationis: nam qui petit ab onere alicuius legis liberari, iuste potest aliquo leuiori pecuniæ onere onerari, & hoc vocatur per modum compositionis; Concil Trid. sess. 24. cap. 3. de reformatione, ordinat, vt Episcopi tempore visitationis nihil accipiant, nec etiam munera oblata, nisi tantùm pro victualibus suis, quæ sint moderata & frugalia. Ordinat etiam cap. 6. vt dispensationes in matrimonio gratis fiãt. Hoc autem ad Papam non pertinet, qui non tenetur legibus hisce, licèt sit sanctissimum eas obseruare. Est aliud genus operationum spiritualiũ, nempe missarum celebratio.

De quo dico primo, simoniam esse, pretium accipere pro ipsa missa, cùm sit res spiritualis.

Dico secundò, potest accipi pecunia per modum sustentationis, aut oblationis gratuitæ, vt fit in alijs spiritualibus.

Dico tertiò, non licet sacerdoti paciſci de pretio, vt detur tantum pecuniæ, quo nõ dato celebrare nolit. Ita dicit S. Thomas 2.2.q 10.art.4. de simili operatione spirituali, puta, de funere: dicit enim, iniquum esse exigere pretium pro funeris solennitate, ita vt aliter nolit sacerdos opus facere. Caiet. quodlibet 1.q.9. temperat hoc quando sacerdos dives est: quando enim est pauper, potest paciſci de pretio sustentationis. Soto lib 9.q.6.art.1 dicit, non quidem esse simoniam, sed iniquum propter scandalum paciſci de sustentatione. Ego puto sic dicendum, quando sacerdos sustentationem habet suam, nec potest sustentationem exigere, tunc non potest paciſci, quia si paciſcatur, iam videtur esse pretium rei spiritualis: non enim talis titulum alium habet accipiendi, nisi ex oblatione, in qua exactio non est Quando verò sustentari debet absq; aliis, tunc, nisi sit scandalum, potest de pretio conuenienti sustentationis paciſci. In plurimum autem scandalum est, pro missarum celebratione paciſci, etiam pauperes: non tamen est simonia, quòd sacerdos quærat loca, in quibus pinguiores sustentationes pro sacris celebrandis ministrantur, & deserat loca, in quibus minus datur. Eodem modo dicendum est de concionibus, quæ operatio etiam quædam spiritualis est, & absq; pretio debet esse, licèt possit per modum sustentationis aut oblationis accipi, & possent queri loca, in quibus pinguiores fiunt eleemosynæ, sed cauendum est, ne dum simonia vitatur, in auaritiam lapsus fiat. Nam qui suæ sustentationi, quantum sat est, habet, & similia loca quærit, & non vbi magis fructificare possit spiritualiter, auarus est Alia etiam quarta operatio spiritualis, est ingressus religionis, præsertim monialium solent enim dari pecuniæ ministerio: S. Thom. loco citato respondet ad hoc.

Primò, dare, aut accipere pecunias pro ipso ingressu religionis, simonia est, & sic habetur 1.q.2.c.quod pio.

Dicit secundo, potest aliquid dari monasterio, cùm pauper est, pro victu & sustentatione ipsius monachæ. Intelligetiã, quòd liceat paciſci. Dices, quid, cùm monasterium dives est, & habet redditus sufficientes pro sustentatione monialiũ? Sylu. ver. simonia, §. 15. refert quosdam Canonistas, dicentes esse simoniam, paciſci, cùm monasterium est opulentum; tamen ipse Sylu bene limitat, præsumi quidem simoniam, quia videtur tunc potius pro ingressu quam pro victu dari, si tamen verè pro ipso victu daretur, non esset simonia; gratis verò ob-

larum

latum accipere, nec præsumitur simonia, nec est. Per has spirituales operationes possunt iudicari aliæ huiusmodi. Sunt tamen aliæ mistæ, plus habentes de temporali, vt officium musicorum & cantorum, & mundantium templa & præparantiũ; ista vendi possunt secundum omnes, & emi, dummodò nihil pro ipsa spiritualitate accipiatur. Et eodem modo dicendum est de rebus spiritualibus, quæ plus habent de temporali, vt vestes & vasa sacra, quæ ratione materiæ vendi possunt, dummodò nihil pro consecratione accipiatur; immò in vsus prophanos vendi possunt, dummodò prius vasa frangantur, & vestium formæ auferantur, vt habet S. Thom. loco citato. Hoc modo vult Soto loco citato, quòd terra sepulturæ vendi possit, quamuis securius sit, per modum oblationis aliquid accipere, quàm exigere pretium, vt dicit S. Thom. Hæc sunt ergo operationes notanda.

De simonia in sacerdotiorum venditione, & emptione.

CAPVT XC.

QVartum genus rerum spiritualium, erat sacerdotium, seu beneficium, Ecclesiasticumq; officium. Simonia ergo hæc potest consistere in tribus, aut in emptione & in venditione eorum, aut in permutatione, aut in locatione. Ac primò de emptione & venditione tractandum est.

Circa quod dico primò, vendere aut emere sacerdotium spirituale vllum, simonia est; est enim prohibitũ. 1. quæst. 3. c. si quis, & alijs capitibus ibidem. Vbi nota quòd non est opus vt intercedat pecunia, aut res aliqua, quæ vendi pecunia solet, sed si etiam intercedat aliquid temporale, pecunia appretiabile, vt obsequium in temporalibus licitis aut illicitis, similiter laus linguæ, similiter matrimonium: qui enim daret beneficium vni consanguineo, hac conditione, vt eius sorori nuberet fratri suo, simoniam committeret, quamuis dare beneficium consanguineo, quia talis est, non sit simonia, vt dicit S. Thom 2. 2. quæst. 100. art. 5 ad 2. Aduerte autem, quòd ista debent dari aut accipi, vt pretium: si enim non intercedat ratio pretij, non est simonia, vt sæpè diximus: vnde qui inseruit Episcopo, vt Episcopus sua obsequia respi-

ciens, gratus sit, & det beneficium via gratitudinis, non tamen solutionis pretij, non est simoniacus. Similiter, neque Episcopus, qui respiciens huiusmodi obsequia, hoc modo dat.

Dico secundò; vendere, aut emere actiones, per quas habetur beneficium, & quæ ordinatæ sunt ex se ad illud, est simonia: verbi gratia, vendere, aut emere, seu dare pretium pro resignatione beneficij, aut pro electione, aut pro collatione, aut pro possessione, simonia est: immò pro ipsa etiam interuentione: qui enim daret alicui pecuniam, vt interueniret, aut pro ipso peteret beneficium, simoniacus esset. Hic notat vnum Caiet. quodlibet. 1. q 9. quòd, quando electio esset nimis perniciosa Ecclesiæ, posset dari pecunia, ne fieret talis electio: non tamen vt vlla electio fieret; & ponit exemplum; si Cardinales vellent eligere Papam vnum nimis pernicioſum futurum Ecclesiæ, tunc posset eis dari pecunia, ne eligerent. Soto lib. 5. q. 6. art. 1. addit, non solùm pro hoc, sed pro ipsa electione licere, quando non esset nisi vnus dignus Papa, alij autem essent pernicioſi: tunc enim perinde est, dare pro non electione, ac pro electione: non tamen licet quando sunt multi digni, dare pretium, vt vnus eligatur, quamuis dignissimus sit. Fundamentum Soto est etiam, quia putat non esse simoniam tum prohibitam iure diuino & naturali, quin in aliqua grau & extrema necessitate spirituali liceat dare pecuniam pro spirituali, & mihi probabile videtur, quamuis rarissimus sit talis casus.

Tertiò dico, simonia est, etiam vendere, aut emere ius ad beneficium: nam illud spirituale etiam est: v. g. si quis habet ius ad beneficium aliquod, & illud vendat alteri, simonia committitur. Rursus, duo litigant, & vnus cedit iuri ob pecuniam, simonia etiam committitur, quamuis, cùm causa ex vtraq; parte dubia est, potest vni dari pensio, vt suprà diximus, sed interueniente Papæ auctoritate.

Rursus, vendere ius patronatus, simonia est; nam ius hoc spirituale est, & sic est prohibitum Concil. Trid. sess. 25. cap. 9. tamquam contra canones: cum tamen tale ius est annexum villæ, aut castello, aut rei temporali, potest vendi cum illa re, dummodo nihil accipiatur plus, ratione talis iuris, sicut dictum est de vestibus & vasis sacris. Ita habet Pan. e querela, ne prælati vic. su. & Armilla, ver. Simo. §. 40 Et sic intellige S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 4. vbi dicit, posse vendi hoc ius. Vnum tamen

nota

nota ex S.Thom.q.citata,art.2. ad 5. quod licet alicui dare pecuniam ad redimendam vexationem,sed non ante consequutionem iuris ad beneficium; sed postquam iam ius habet iustum, licet pecuniam dare ad arcenda impedimenta iniusta: vel.grat.aliquis est electus iustè,& debitè,vel aliquis habet beneficium iam iustè,alij volunt lite iniusta extorquere, vel impedimenta iniusta opponere,ne suo gaudeat beneficio, licet tali pecunia placare insequutores hos, sed tamen antequam habeat ius vllum,non licet.Soto lib,9.q.6.art.1.temperat benè hoc:quando violentia aut vis infertur,tunc licet pecunia auferre illam,etiam ante consequutionem iuris: verbi gratia, incarceratur aliquis,ne compareat in tempore proposito coram Episcopo ad beneficium consequendum, quæ violenta est detentio;aut detinetur vi,ne,debito tempore suam possessionem accipiat: tunc iniustos detentores potest pecunia placare.

Dico quartò,non solùm est simonia, cùm aliquis pro se emit beneficium,sed etiam,cùm emit pro altero,& tenetur hic relinquere beneficium,cùm sciat simoniacè esse habitum:vnde,cùm patres pro filiorum beneficijs pecuniam dant, simoniam committunt; & filij, cùm primùm sciunt,tenentur dimittere beneficia,extrà.c.ex insinuat.de simon. Rursus;Simonia est, non solùm cùm datur pretium ipsi danti beneficium, sed etiam alteri ad petitionem ipsius: vnde,si quis det pecuniã cognato Episcopi, vt ab Episcopo consequatur beneficium, quia Episcopus illi dare noluit,simonia est. Hic est vnum dubium,de eo,qui promitteret dare pecuniam pro beneficio, animo verò non dandi,sed fictè, & sic accepit beneficium,an esset simonia. Ad hoc Soto lib.9.qu.8.artic.1.& Caieta. quodlibet.1.quæst.9.dicunt non esse,quia actus exterior ab interiori rationem sumit:vnde,licèt talis promissio ficta instrumento confirmaretur,non esset simonia, quamuis in foro exteriori iudicaretur simonia, quia non considerat interiora.

Ego ita credo;quamuis Nauar. super c.fin.de simonia.nu 9 alia procedat via, sed hæc est melior.

De simonia in permutatione, & locatione.

CAPVT XCI.

NOn solùm in venditione, sed etiam in permutatione sacerdotiorum simonia potest accidere.

Erga quam dico primò. Permutare spirituale temporali officio, simonia est; vt, si quis sacerdotium officio secularí permutaret.

Dico secundò, Etiam est simonia, spirituale beneficiũ permutare cum illo spirituali, quod maiori ex parte temporale est; & hoc modo permutare beneficium cum pensione, simonia est.

Dicò tertiò, etiam permutare beneficium, simonia est, nisi adsint debitæ conditiones. Et quamuis Innocen. putet hoc nõ esse intelligendum de beneficijs in eadem Ecclesia, & eiusdem qualitatis, tamen Syl. v. permutatio, §. 1. melius dicit, vniuersaliter intelligendum esse, de quorumcumq; beneficiorum permutatione: nam vniuersaliter prohibetur, cap. quæsitum, de rerum permutatione.

Conditiones autem sunt tres assignatæ à Tabiena, beneficium 3. §. 16.

Prima, ne sit ista permutatio sine facultate superioris. Vocamus autem in hac parte superiorem, illum, qui potest beneficia illa conferre. Quoties ergo sine licentia fit, simonia est.

Secundò, vt non fiat absolutum pactum permutationis ante facultatem. Possunt quidem illi tractare de permutatione, sed non pacisci absolutè, nisi in ordine ad superiorem, in cuius manu sunt beneficia relinquenda; quamuis possint renunciari in eius manus cum conditione permutationis: pacisci autẽ absolutè inter se, simonia est.

Tertia, ne intercedat spirituale pretium in permutatione: si quis enim pretium daret alteri, quia alterum beneficium maioris est dignitatis, simonia esset; quamuis, cum vnum beneficium pinguius est, licitum sit exigere pensionem aliquam pro satisfactione fructuum, vt habetur c. ad quæstionem, de rerum permuta. sed id non debet fieri, quin exprimatur pensio ipsi Papæ, vt dicit benè Soto lib. 9. q. 7. art. 2. Adde, permutationem non debere fieri ob aliquod commodum temporale, vt pretium: tunc enim simonia esset; vt, si quis permutaret beneficium cum altero, vt eius soror nuberet fratri suo, aut re-

mitteret iniuriam,aut ob aliquid tale. Permutatio ergo,his conditionibus positis,licita est;cum verò vna deest, committitur simonia. Quando duæ priores deficiunt, simonia est de iure positiuo;quando verò duæ posteriores, est contra ius diuinum: nam iam est venditio, & emptio quædam rei spiritualis.

Atque hæc de permutatione notanda sunt. Simonia etiam committitur in locatione sacerdotiorum,& spiritualiũ. Ergaquam dico aliqua.

Primò;Locare potestatem iurisdictionis, seu vices spirituales,simonia est: V g si quis Episcopus locet suã potestatem iurisdictionis suprà alios,simoniacus est. Similiter, si curatus potestatem ministrandi sacramenta locet,simoniacus est. Ita habet *Sylu.* ver.simonia,§.14.

Dico secundò;Locare, aut vendere obuentiones,& oblationes ecclesiasticas,non est simonia; v. g. si Episcopus locet,aut vendat commoda,quæ sibi obueniunt ex iurisdictione. Similiter,si curatus vendat,aut locet, quæ in ecclesia sibi offerũtur,non est simonia.

Ita habet Sylu.ver.simonia,§ 14. Notat tamen, cùm huiusmodi venduntur,aut locantur,non est permittendus laicus recipere, & in ecclesiam ad oblationes colligendas intrare,sed clericus est substituendus,qui pro illo huiusmodi munus accipiat.

Dico tertiò; Non est simonia, vendere, aut locare fructus beneficiorum,aut sacerdotiorum,si fiant ad concessum tempus.Ista est communis omnium,sed tamen variant in temporis quantitate.

Est enim extrauag.ambitiosè,de rebus eccles.ex Paulo secundo, vbi solùm conceditur huiusmodi alienatio ad triennium, & alienantibus vltra hoc, infligitur excommunicatio Episcopalis,& ipso iure,priuatio eorundem beneficiorum. Et, si ista Paulina vbique seruaretur, & recepta esset, non esset controuersia; sed non ita est,vt dicit Nauar.cap.27.summæ, num.149.& Caiet.verb.excommunicatio;in multis enim locis non seruatur: & nullibi quantum ad pœnam priuationis beneficiorum.

Vbi autem non seruatur,Nauar.dicit posse locari, aut vendi huiusmodi fructus ad septennium, secundum ius, ca.quetelam, ne prælati vic. fu. sed ex hoc capite solum habetur,

quòd Papa iussit locantem ad septennium stare pacto, non tamen determinauit, non posse vltra hoc tempus locari huiusmodi redditus. Ob id Sylvest. ver. locat. §. 3. & Tabien. eod. ver. dicunt posse per modicum tempus, id est, per nouem annos: in iure enim tempus modicum, est minus decem annis. Tamen Panorm. c. querelam, allegato, dicit posse per tempus vitæ locantis, locari, & vendi fructus, etiam sine licentia superioris; nec est vllo iure prohibitum hoc. & allegat Hostien. ad hoc; & Federicum.

Immò idem Sylvest. ver. simon. §. 14. dicit, non est prohibitum iure, vendere fructus sacerdotis ad vitam; licet non sit honestum facere: & ego ita credo. Vbi ergo Paulina non est recepta non est simonia locare fructus, ad quodcumque tempus. Paulus Quartus renouauit bullam Pauli II. facens nullas locationes, vltra triennium, sed non est etiam in vsu. Alia dici poterant de locatione, sed parum pertinent ad præsens institutum. Vide Summistas, ver. locatio, & etiam verba lienatio, qui alia circa hoc dicunt. Hæc tamen tria dicta sensus. Vide Conc. Trid. Sess. 25. c. 11. vbi statuitur circa locationes, ne fiant in præiudicium succedētium in beneficijs, quando fadæ fuerunt anticipata solutione.

De Simonia in pensionibus.

CAPVT XCII.

SVperiùs plura, diximus de pensionibus, nunc pauca, quæ ad simoniam spectant, addemus.

Dico primò; pensiones, quæ loco beneficiorum dantur, vt, quæ dantur pro adiutorio in officio spirituali, aut pro aliquo officio spirituali, non licet emere, aut vendere, absque simonia: sunt enim pro spiritualibus habendæ, cùm loco beneficiorum institutæ sint.

Dico secundò, sæculares illæ pensiones, quæ dantur ob sæculare officium erga Ecclesiam, vt militibus, aut ducibus datæ, vendi, & emi possunt absque simonia. Ita habet Sot. lib. 9. quæs. 7. art. 2. Atque huiusmodi sunt illæ, quæ vocantur commendæ.

Dico tertiò, pensiones hæ, quæ ob resignationem alicuius

bene-

beneficij dantur, quæ modò sunt communissimæ, possunt redimi absque simonia, immò etiam sine facultate alia: solent enim quinq; annis redimi. Quòd si modò cum facultate, fit redemptio, est ad maiorem securitatem, ne alter negare possit factam redemptionem, Aduertendum tamen, hic posse committi simoniam hoc modo, si quis dat alteri beneficium cum pensione, & facit pactum, vt statim redimatur pensio, simoniacus est, vt habet Caiet. opusc. 16 q. 10. quamuis enim posteà possit redimi pensio, non tamen potest resignari beneficium cum pacto redemptionis huius.

Dico quartò; Pensiones huiusmodi non licet vendere, aut emere absque simonia; sunt enim spirituales etiam, cùm non nisi clericis dentur, & tunc loco beneficij resignati concedantur. Non ergo licet vendere huiusmodi ius. Quod si quis dicat, non esse prohibitum vllo canone; dico esse prohibitum consuetudine nam Romæ punitur vt Simoniacus qui huiusmodi pensiones vendit absque facultate. Sicut etiam non est prohibitum iure, Episcopis imponere pensiones; ob consuetudinem tamen, & communem stylum Romanæ curiæ, si quis sine Pontificis summi facultate, pensiones haberet, simoniacus esset. Cauendum ergo est à talium venditione.

De pœna simoniaci.

CAPVT XCIII.

QVadruplex est simoniaci pœna, quam vide in Sylu. ver. simonia. § 19. sed duæ sunt præcipuæ.

Vna est, excommunicatio Papalis in ipso facto.

Altera est, priuatio beneficij ipsius venditi, aut empti, & obligatio ad restituendam pecuniam acceptam, & excommunicatio contra scientes, & non manifestantes simoniacos, vt habetur extra cùm detestabile: sed non est in vsu hoc, vt habet Tabien. verb. simonia. § 75. aut debet esse, cum noti sunt omninò simoniaci.

Erga pœnam verò contra ipsos simoniacos, dubium est, an sit contra omnem simoniam, mentalē, conuentionalem, realē. Et quidem omnes conueniunt, nō esse cōtra mentalem, quæ solum cōsistit in mente, & ad nullum actum exteriorem

pro-

progreditur. Tamen de mentali, quæ progreditur exterius, licet non exprimatur pactum, aut pretium, sed solum maneat in intentione, Soto libr 9. quæst.8. putat incurri pœnam. Tamen contrarium est tenendum: nulla enim simonia mentalis incurrendi pœnam est causa; sed solum est peccatū. Ita habet Panorm. super c.mandato, de simon. imò ipsum caput determinat hoc idem: hoc etiam tenet Sylu. verb. simonia, §.20. & Caiet. verb. simonia, cap.2. Circa conuentionalem etiam conueniunt, primam conuentionalem, quæ ex neutra parte ad opus venit sed solùm in pacto stetit, non incurrere pœnas.

Similiter etiam nec incurri pœnam ob conuentionalem illam, qua vnus accepit pretium, sed nondum tradidit beneficium: sed est peccatum mortale, obligans ad restitutionem, ad pretium idem, quod acceptum est, vt tenet Caiet. & Soto loco citato.

In tertia verò, qua vnus dat beneficium, & non alter dedit pretium, sed promisit, discordia est. Nauar. c.fi. de simonia, tenet non incurri, donec detur pretium. At communis sententia tenet contrarium; & Soto conatur probare lib. 9. q.8. §.1. hanc communem sententiam, quā profecto ego etiā teneo, & credo verissimā esse. Et est vnū caput notandū, quòd doctis illi nondum aduerterunt c.cum sup. de Confess. vbi Papa damnauit simoniæ quendam canonicum, qui vendiderat electionem cuiusdam, quingentis aureis promissis, & nondum acceptis, & spoliauit illum beneficio.

Rursus stylus Romæ communiter tenet, hunc esse simoniacum. Rursus est etiam cap. nobis fuit, de simonia, vbi simile quid habetur. Rursus Pius IV in bulla reformationis pœnitentiariæ, reseruauit sibi dispensationem, in retinendo beneficio, & fructibus per simoniam conuentionalem, & occultam perceptis.

Rursus etiam ratio fauet: nam ad tradendum beneficium, & cum promissione pretij, verissima est venditio, & emptio realis: ergo & simonia realis. Nec iste doctor vllum habet suæ opinionis fundamentum.

At quia hodie multi ipsum sequuntur, crederem licere aliquando vti eius opinione, cùm res hæc moralis sit, & in opinione posita; sed non est semper à sententia communi hac discedendum.

In rea-

In reali simonia, omnes conueniunt, pœnas incurri, cùm ex vtraque parte perficitur traditio beneficij, & pretijs tunc beneficium est dimittendum in manus conferentis, & pretium restituendum. Soto loco citato, dicit esse reddendum ei, à quo acceptum est. Sanctus Thom. 2.2, q. 100. art. 6. cum communi sententia tenet, esse pauperibus, aut Ecclesiæ reddendum, non simoniaco. Et communis est sententia tenenda. Potest autem compositio fieri cum Papa. Istæ pœnæ non sunt contra omnem simoniam, nisi contra simoniam in ordine, & beneficijs.

Et hæc sint pro præsenti libro, in quo egimus de præceptis secundæ tabulæ. De decimo præcepto nihil est dicendum, præter ea, quæ diximus in 6. præcepto de fornicatione. Est autem decimum præceptum. *Non concupisces vxorem proximi tui.*

(.˙.)

Laus Deo. Finis libri Quinti.

INSTRVCTIONIS SACERDOTVM,

LIBER VI.

De præceptis Ecclesiæ.

De Ieiunio. Quid sit Ieiunium, & quotuplex sit.

CAPVT I.

POSTQVAM decalogi præcepta absolutimus, oportet præcepta Ecclesiæ breuiter explicare, & à ieiunio initio sumpto, quid ieiunium sit, exprimendum est. Videtur autem sic posse vniuersaliter definiri; *Ieiunium est abstinentia ab his, quæ gustu percipiuntur.* Cuius definitionis duæ sunt partes.

Altera est, *abstinentia*, id est, actio seu priuatio quædam. Altera est, *ab his, quæ gustu percipiuntur*: priuatio enim gustabilium, ieiunium dicitur. Aduertendum est, tria esse genera gustabilium, seu eorum, quæ gustu percipiuntur. Quædam dicuntur cibi, & hæc sunt, quæ sumuntur ab hominibus in corporis nutritionem; quædam dicuntur potus, & hæc sunt, quæ sumuntur ad sitim sedandam: potus enim siti, cibus fami opponuntur. Quædam sunt medicinæ, quæ sumuntur ob infirmitatem aliquam vitandam, aut expellendam.

Aduerte rursus, quòd ista sunt distinguenda per fines ipsos, ad quos ex se ordinantur: aliquando enim medicina nutrit, qualia sunt multa electuaria; tamen, cùm non ob nutritionem, sed ob infirmitatem sumuntur, non dicuntur cibi. Rursus, potus, multi etiam nutriunt, vt vinum, & cerusia,

tamen

tamen quia contra sitim ex se sumuntur potus dicuntur, sicut aqua, quæ non nutrit. Rursus aliquando potabile aliquod inter cibos computatur, quia communiter in cibum, non in potum sumitur, vel lac, mel & alia huiusmodi. Est igitur ieiunium priuatio quædam horum, aut omnium, aut aliquorum. Attende autem, quòd non quæuis priuatio horum est ieiunium, sed tunc est, cùm non intra fauces sumuntur: si enim quis ita deglutiat, non gustando, ieiunium non est; at si gustet solùm lingua, aut palato, non tamen deglutiat, non soluit ieiunium. Vnde coqui gustantes cibos in die ieiunij, vt cõdiant; imò carnes, dummodò nihil intrò sumant per modum cibi, non soluunt ieiunium: nec soluit Sacerdos, qui oblitus celebrationis futuræ, incipit cibum mordere, tamen nihil adhuc deglutiuit: potest enim celebrare ieiunus, emittens cibum ab ore. Tamen semel sumptus cibus interiùs, quamuis euomatur soluit ieiunium.

Ieiunium sic in genere definitum, triplex est, naturale, ecclesiasticum, metaphoricum, seu spirituale. Naturale est perfecta abstinentia ab illis tribus gustabilibus, cibo, potu, medicina modo quodam. Dictum est, à principio diei computatione facta: dies autem, vt statim dicemus, à media nocte præcedenti, vsque in mediam noctem sequentem durat.

Ille ergo est ieiunus naturali ieiunio, qui, à media saltem nocte, nihil adhuc deglutiuit. Istud ieiunium est necessarium ad celebrandam missam, ante celebrationem: similiter ante communem; nisi cùm ob infirmitatis necessitatem fit: vnde qui vel potum, vel medicinam sumpsit post mediam noctem, non debet celebrare illo die sequenti.

Ieiunium verò ecclesiasticum, est *abstinentia voluntaria à cibo, iuxta Ecclesiæ ritum.* Dixi, *abstinentiam voluntariam*; nam ieiunium est actus virtutis, qui liber est, & voluntarius. Dixi *à cibo*, nam potus, quamuis sit vinum, non soluit ieiunium, siue sumatur ante prandium, siue post, dummodò, vt diximus, potus sit: nam lac siue ante prandium, siue pòst, soluit ieiunium, quia per modum cibi communiter sumi solet. Rursus, nec id, quod sumitur per modum medicinæ soluit ieiunium hoc, vt potiones, & pharmaca; imò licèt nutriant, cùm ob infirmitates sumuntur: vnde, non soluunt ieiunium, qui ob stomachi debilitationem, vel ob capitis dolorem manè aliquid cibi sumunt; similiter, qui negotiaturi sunt, vel lecturi in mensa, vel dilaturi prandium ob aliquam causam;

deni-

denique, qui per modum medicinæ, aliqua rationabili causa existente, aliquid sumũt. Hac etiã ratione dicit Syl. verbo, ieiunium, posse aliquem, cùm bibit interdiu, aliquid sumere per modum medicinæ, ne noceat. Ad hoc reducitur id, quod faciunt Architriclini: degustant enim parum cibi, antequam dominis porrigant, & tamen secundum Caiet. ver. ieiunium, non soluunt propter hoc ieiunium: nec enim per modum cibi proprij sumunt, sed per modum probationis cuiusdam, ob necessitatem officij sui.

Dixi rursus in definitione, *iuxta ritum Ecclesiæ*: nam sunt certæ quædam conditiones in tali abstinentia obseruandæ, vt sit ieiunium ecclesiasticum, de quibus dicemus c. sequenti. Ieiunium autem spirituale est per metaphoram ad huiusmodi ieiunia; affectiones enim, & cogitationes sunt cibus animæ. Cùm ergo anima cessat à cogitationibus, & affectionibus, ieiuna est; &, si tales sunt malæ, bonum est ieiunium, si bonæ, malum est ieiunium. De Ecclesiastico ieiunio est in præsenti sermo.

Quis finis Ieiunij, & qualis modus sit.

CAPVT II.

IEiunij finis triplex est.

Primus refrænare carnis concupiscentias: maximè enim carnis furor temperatur per cibi subtractiones, iuxta illud commune dictum, *sine Cerere, & Baccho friget Venus*. Hinc consultissimè Ecclesia, præcipuum ieiunium, quod est in quadragesima, instituit in principio ferè æquinoctij hyemalis: tunc enim ex solis accessu, caro incipit vigere, & sanguis feruere, & consequenter corpus spiritibus, qui multum ad luxuriam prouocant, repleri, quod aues continuo suo garritu ostendunt, & anima suo motu, & inquietatione. Debuit ergo iste nostræ carnis furor, hoc præcipuo tempore, ieiunio temperari.

Aliter finis est, diuinorum contemplatio. Corpore enim plenus cibis, non potest mens libere vacare contemplationi diuinorum; ob id, institutæ sunt aliquot vigiliæ Sanctorum, & festorum, in quibus ieiunium præcipitur, vt mens possit melius solennitatibus vacare.

Ter-

Tertius est, satisfactio pro pœnis peccatorum; quamuis enim culpa peccati remittatur per contritionem, & per sacramenta, tamen sæpè non remittitur tota pœna, sed manet obligatio pœnæ temporalis in Purgatorio soluendæ, nisi in hoc mundo satisfactio fiat: quia autem cognoscit Ecclesia, illas pœnas esse nimis graues, & posse peccatorem in isto mundo leui pœna satisfacere pro peccato, quod grauissima non satisfaceret pœna in Purgatorio, instituit hoc ieiunium, quod est pœnale, in pœnarum peccatorum satisfactionem; maximè cùm satisfactio huiusmodi in hoc excedat satisfactionem Purgatorij: non solum, quia leuior multò est, sed quia, cùm in gratia fit, est meritoria gratiæ augmenti, & gloriæ, quod non habet satisfactio Purgatorij, vbi iam cessat merendi tempus. Hos ieiunij fines explicat Ecclesia, in Missæ præfatione, *Corporali*, inquit, *ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris, & præmia.* Nunc autem modus, quo ecclesiasticum ieiunium fieri debeat, considerandus est.

Est autem duplex modus.

Vnus intrinsecus, qui necessarius est, vt sit ieiunium.

Alter est extrinsecus, qui non quidem est necessarius, vt sit ieiunium, sed vt benè, & perfectè fiat. Modus intrinsecus consistit in substantia ciborum, à quibus abstinendum est, & in quantitate, & in tempore.

Circa substantiam ciborum, abstinere oportet à carnium esu, & ab ouis, & lacticinijs, & quæ ex lacte fiunt: ista enim sunt, quæ carnem multum roborant. Est tamen duplex differentia inter carnes, & lacticinia, & oua.

Prima est ex S. Thom. 2.2. q. 147. art. 8. ad tertium, in omni ieiunio cauendum est ab esu carnium vniuersaliter, at verò à lacticinijs, & ouis, non nisi in quadragesima: nisi consuetudo etiam fuerit in illis locis, abstinere ab his omnibus in reliquis ieiunijs. Vult dicere S. Thomas posse esse consuetudinem vescendi lacticinijs in alijs ieiunijs, præter quadragesimam, & excusantur homines; tamen non possunt excusari, nec est ieiunium, si vescantur carnibus. Nauar. c. 21. nu. 13. dicit etiam posse excusari consuetudinem lacticiniorum in quadragesima, quando à quadraginta saltem annis est præscripta: quòd si nulla esset consuetudo, nec vescendi illis, nec abstinendi, vt in terris Indorum, in quibus de nouo fides viget, tùc posset concedi istis in aliquib. diebus, præter quadragesimam: nam prohibitio hæc in consuetudine fundatur.

Altera differentia est Caiet.eadem q.art.7.& Nauar.c.21.nu-25.quòd cùm dispensatur alicui, vt vescatur lacticinijs, non ob id liber est à præcepto ieiunij;cùm verò dispensatur in carnium esu,non, tenetur ieiunare.

Circa quantitatem:nota esse quantitatem continuam,quæ consistit in multo,& pauco;& esse discretam,quæ consistit in pluralitate manducationum. Dico,quantum ad discretam, semel esse in die prandendum,seu manducandum;qui verò pluries manducat,soluit ieiunium,nisi inaduertenter id faciat. Aliquando enim accidit, quòd aliquis non recordatus diem ieiunij esse,ientaculum solitum sumit, hic ieiunium non soluit,& tenetur ieiunare,ac si nihil sumpsisset. Aliquãdo etiam, aliqua de causa,prandium diuidere licet, absque solutione ieiunij,vt cùm quis in medio, impeditus negotio aliquo,non potuit ipsum perficere,potest,cùm vacauerit,absoluere, adhuc ieiunio saluo:non tamen, propter hanc vnitatem prandij,intendimus auferre,quas nostri vocant collationes: licet enim olim tantùm per modum medicinæ sumerentur,quia prandium prope noctem fiebat, tamen iam consuetudo probata obtinuit,vt etiam aliquid per modum nutritionis sumatur,& dicit Caiet.v.ieiunium posse fieri cum pane. Nauar.c.21.num.12.addit posse similiter cum pane sumi vnum, aut duo genera fructuum,dummodo non sit tanta quantitas, vt potius cœna sit,vt statim dicemus.

In continua autem quantitate prandij, non est certa mensura ratione ieiunij,sed quamuis aliquis multùm excedat,non ob id soluit ieiunium,peccat tamen contra sobrietatem. Regula ergo debet esse sobrietas,sicut quando non est ieiunium: licet tamen tempore ieiunij,aliquid plus accipere in prandio, dummodò prædictus seruetur modus. In collatione verò est mensura: non debet enim esse tanta,vt potius sit cœna:tunc enim solueretur ieiunium.quanta tamen debeat esse,considerãda est consuetudo communis patriæ,quę viget communiter apud homines bonos,& timoratos:non enim est peccatũ mortale,talem consuetudinem seruare,licèt quantitas sit aliquantulum grandis:tamen Armilla, ver.ieiunium.§.12 probat collationes, quæ fiunt Romæ secundum consuetudinem tinelli,ob consuetudinem,& quia Pontifex tolerat, cùm sciat: nec ego auderem damnare, quamuis misti sint abusus hominum parùm timoratorum. Qui profectò cœnam lautam,nõ collationem faciunt,hi non sunt vllo modo probandi. Atque

hic

hic est modus in quantitate. Modus in tempore est, vt prandium fiat solito tempore. Olim fiebat hora nona, tribus horis post meridiem, sed iam hoc abolitum est: communiter enim solent homines prandere per horam, aut duas ante meridiem. In hoc consuetudo communis loci est seruanda, cùm homines illius loci communiter prandere solent. Potest anticipari hora, iusta causa; vt, quia aliquis facturus est iter, vel hospites habet, vel negotia expectat, quæ impedient horam prandij, & sic excusantur famuli, qui ante tempus prandent, vt possint ministrare posteà dominis, quamuis isti possint, cùm dilaturi sunt prandium, aliquem cibum sumere, vt possint facilius sustinere, moderatum tamen, vt dicit Gabr. 4. dist. 16. q. 3. Qui autem sine causa horam prandij anticipant solitam, Nauar. c. 21. num. 27. putat peccare mortaliter, sed ego credo peccare venialiter: & ita dicit Alex. 4. p. q. 103. memb. 3. & Inno. rubr. de obseru. ieiunij, dummodò id in contemptum ieiunij non fiat. Hic tamen nota, esse aliquos, qui collationem nocturnam faciunt manè, & prandium differunt: quod Caiet. v. ieiunium, & Nauar. num. 12. non probant, nisi aliqua causa rationabilis id exigat, quia nō est consuetudo, nisi tempore noctis, illam collationem facere; & ego ita credo: sed puto, licèt non esset causa rationabilis, solùm esse veniale. In his tribus dictis, substantia, quantitate, & tempore, modus internus ieiunij consistit. Externus autem modus, in gratia, & charitate est, sine qua nullum opus bonum valet ad vitam æternam consequendam: vnde consilium laudandum est, in principio Quadragesimæ confessionem præmittere, qua homo gratiam, quę amissa est, recuperat, vt ieiunium sit validum: non tamen dicat quis propterèa, ergo, si in peccato sum, nolo ieiunare; decipietur, qui hoc dixerit: nam ieiunium hominis in peccato existentis, licèt non sit meritorium vitæ æternæ, valet ad multa.

Primò, ne nouum peccatum mortale committat contra obedientiam Ecclesiæ exhibendam, quæ præcipit ieiunium.

Secundò, quia adhuc carnis concupiscentia frænatur.

Tertiò, quia homo assuefit bono operi, ne posteà in gratia existens tantam habeat difficultatem.

Quartò, quia à Deo impetrat faciliùs peccator pœnitentiam, & cordis contritionem. Nullus ergo, quamuis se peccatorem cognoscit, à bono opere vacare debet.

Quando sit ieiunandum, & qualis obligatio.

CAPVT III.

IEiunia communia populo Christiano sunt hæc, quadragesima, quatuor tempora, vigilia Natiuitatis, vigilia Pentecostes, vigilia Assumptionis Beatissimę Virginis, omnium Sanctorum, & vigilia Apostolorum Petri & Pauli, vigilia S. Ioannis Apostoli, & Philippi & Iacobi, quæ est inter Pascha, & Pentecosten, vigilia Sancti Ioannis, & S. Laurentij. Vltra hæc sunt aliquot particularia in locis aliquibus obligantia. Hæc omnibus nota sunt. At circa obligationem aduerte, esse distincta ista tria, præceptum ieiunij, præceptum abstinendi à lacticinijs, & ouis, & præceptum abstinendi ab esu carnium. Ista autem distinctio consistit, seu percipitur in multis.

Primò, in eo, quòd præceptum ieiunij includit alia: cum ieiunio enim lacticinia, & caro prohibentur, nisi, vt diximus, consuetudo excuset à lacticinio. At verò non contrà: aliquando enim prohibentur caro, & lacticinia, tamen non est ieiunium, vt in dominicis quadragesimæ. Aliquando etiam prohibetur caro, non tamen lacticinium, vt in diebus veneris communibus, & Sabbatis intra annum.

Secundò cùm dispensatio fit, aut excusatur aliquis à ieiunio, non statim liber est ab alijs, vt iuuenes, qui ante vigesimum primum annum non tenentur ieiunare, tenentur tamen obseruare alia duo. Similiter multi alij à ieiunio excusati. At verò qui dispensatur in carne, dispensatur in alijs duobus: nec enim tenetur ieiunare, nec abstinere à lacticinio. Qui verò in lacticinio dispensatur, non ob id in ieiunio, aut in carne dispensatur, sed ieiunare & abstinere debet à carnibus, nisi alia adsit causa.

Tertiò, præceptum abstinentiæ à carnibus, est vniuersalissimum; comprehendit enim pueros ante annos discretionis. Lacticinia similiter non prohibentur pueris ante annos discretionis, prohibentur tamen ante vigesimum primũ annum, post quem obligat ieiunium.

Quartò, qui semel soluit ieiunium, non tenetur illo die ieiunare, nec nouo peccato mortaliter peccat, quamuis pluries comedat, nisi in contemptum ieiunij id faciat: ita tenet Duran. 4. dist. 15. 4. & Tabien. Syluest. verb. ieiunium, contra aliquos. At

verò

verò peccat mortaliter toties, quoties in die vescitur cibis prohibitis, carne, aut lacticinio, quia ista præcepta sunt negatiua de non comedendo, quæ franguntur, quoties comeditur, & præceptum ieiunij est affirmatiuum, & semel fractum, non potest illo die iam seruari; sic nec nouum mortale committit, qui de nouo vescitur, sicut de carne, ac lacticinio, vt tenet Nauar. num. 25. Sermo igitur est de hoc præcepto ieiunij, quod, secundum omnium Sanctorum Doctorum sententiam, obligat sub mortali peccato. Ita habet S. Thom. 2.2. q 147. art. 3. & alij omnes: consuetudo enim Ecclesiæ est talis, vt sub mortali ieiunium sit obseruandum. Aduerte tamen, obligari hominē, non solùm præcepto hoc ecclesiastico, sed & præcepto diuino ieiunare, cùm aliter non potest prouideri saluti suæ spirituali: nam qui periculo se exponit peccandi mortaliter, nisi ieiunio frænet carnem, ieiunare tenetur diuino præcepto, & hoc obligat omnes cuiuscumque ætatis, & conditionis, & quocumque tempore, licet sit dies dominicus: tenetur enim abstinere, quantum necessarium est, pro salute spirituali, licèt non sit ieiunium eodem modo quo Ecclesiasticum obseruandum: nam si non potest prouidere sibi, vescendo carnibus moderatè, aut abstinendo à vino, tunc ad id solùm tenetur. Aliquando etiam tenebitur aliquis ieiunare in pane & aqua, si opus est. Tenetur aliquando homo ieiunare ratione alicuius voti facti: aliquando ratione pœnitentiæ impositæ à Confessario, & aliquando pro salute corporali. Nam dietas necessarias saluti corporum, sine quibus manifestè periclitatur corpus, obseruare tenetur, prout expedire cognouerit, licèt non teneatur obseruare, quando non sperat nocumētum notabile: loquor enim de peccato mortali.

Qui excusentur ab obligatione ieiunij Ecclesiastici.

CAPVT IV.

MVltæ sunt causę à ieiunio Ecclesiastico liberantes homines; mihi ad quatuor capita reduci posse videntur, quæ sunt hæc, infirmitas, paupertas, labor, pietas.

Infirmitas à Gabr. 4. dist. 16. q. 3. distinguitur, quadrupliciter: est enim infirmitas languoris, complexionis, ætatis, & conditionis.

Infirmitas languoris est, cùm quis morbo aliquo laborat, & hic excusatur à ieiunio; vt febrim, aut morbum alium patientes.

Infirmitas complexionis est, cùm quis facilè in morbum labitur, vt valetudinarij: similiter qui inedia statim in dolores vehementes capitis, aut stomachi incidunt, similiter, qui ita debiles sunt, vt non possint vnico prandio necessarium victum accipere, sed indigent frequenti cibatione. Infirmitas ætatis est, cùm nondum est vigesimus primus annus completus: secundum enim communem sententiam, ante vigesimum primum annum completum non obligat ieiunium Ecclesiasticum, quia tunc indigent adolescentes cibo ad nutritionem, & augmentum, licèt sanctum consilium sit, assuefieri iuuenes hos aliquibus ieiunijs: similiter, senes post septuagesimum annum, secundum communem sententiam, excusantur, licèt in hoc non sit regula certa: aliqui enim senilem contrahunt debilitatem ante sexagesimum, aliqui robusti sunt etiam post septuagesimum, vt plurimum tamen septuagesimus annus excusat.

Infirmitas conditionis est in mulieribus grauidis, & lactantibus: quæ quia indigent cibo pro se, & pro fœtu, secundum communem sententiam liberæ sunt à ieiunio, sed non à qualitate ciborum, licèt medici possint licitè vsum lacticiniorum ipsis concedere.

Secunda causa erat paupertas: cùm enim aliquis non potest habere vnum cibum integrum, vt isti, qui eleemosynam ostiatim petunt, & modò hic parum cibi, modò illic parum habent, non tenentur ieiunare; secus si vnum possent habere integrum, & sufficiens prandium. Eodem modo excusantur secundum Gabr alij, licèt nõ ostiatim petant, qui propter paupertatem, miserum prandium, & insufficiens habent; possunt cœnare, & interdiu comedere.

Tertia causa excusans, est labor: labor enim corporeus macerans, & defatigans notabiliter corpus excusat, propter quod fossores, messores, aratores, seminatores, fabri lignarij, ferrarij, & oẽs alij, vt lapicidæ, cursores, iter facientes pedites, & vt dixi, omnes huiusmodi laborantes excusantur à ieiunio, sed non sutores, & qui vestes faciunt, & alij huiusmodi artifices, qui non multùm corpus exercent, à iejunio excusantur. Aduertendum tamen, laborem hunc excusare, cùm prouenit ex vna trium causarum.

Prima

Prima est, cùm labor competit alicui ex officio : qui enim ex officio huiusmodi labores habent, excusantur, licèt diuites sint: non enim tenentur cessare à labore, ob ieiunium, & ita concessum est ab Eugenio in bulla quadam, cuius meminit Sylu. verb. ieiunium, §. 24. quòd diuites laborantes non teneantur ieiunare. Quòd si ex officio non habetur, excusantur, cùm id faciunt in vtilitatem Reipub. aut communitatis; vt qui tempore belli iuuant ad fabricas, vel muros constructendos, quamuis id ex officio non habeant, soluuntur à præcepto ieiunij, si fortè tunc temporis occurrat, quia in vtilitatem communem talis labor est. Quòd si nec hoc modo sit, excusantur, & cùm est ad vitandum damnum proprium, vel proximi temporale, & multò magis spirituale. Et sic excusantur qui tempore ieiunij laborãt, vel extinguendum incendium in re propria, vel proximi; vel ad aliud opus corporale faciendũ, quod nisi fiat, inducit damnum. His causis labor huiusmodi excusat à ieiunio.

Quarta causa excusans est pietas, nempè officia spiritualia, & opera misericordiæ, quæ cum ieiunio esse non possunt, vt concionari, legere, & secundum Caiet. confessiones audire, inseruire hospitalibus, peregrinari per loca pia. Nota tamen, quòd huiusmodi non excusantur, nisi cùm ex officio fuerit, aut ex obedientia, aut ex voto aliquo præcedente. Sylu. ver. ieiunium, §. 26. dicit, quòd cùm conciones alicuius sunt multùm vtiles populo, posset excusari à ieiunio, licèt sine obligatione vlla, sed ex propria deuotione faceret. Adde etiam quòd isti, qui in vniuersitatibus legunt, non ex officio, sed ad sui notitiam, & opinionem comparandam, possent legere, & excusari à ieiunio, cùm detrimentum illis obueniret, nisi lectiones continuarentur. Circa peregrinationem autem omnes notant, non licere peregrinari tempore ieiunij, & ieiunium soluere, nisi cum ex voto peregrinatio est, nec potest commodè differri in aliud tempus. Addit Nauarr. num. 19. posse fieri, cùm ex deuotione aliqua magna fit; sed vt credo, non licet absque consilio Confessarij, iudicantis plus spiritui profuturam peregrinationem, quàm ieiunium. Licet etiam peregrinari die ieiunij, ad vitandum detrimentum temporale aliquod; putà, cùm habet socium viæ, quem amittet, nisi iter illo tempore conficiat, aut cùm timet aliquod periculum. Excusatur & à ieiunio, qui non potest reddere debitum vxori ieiunando. Rursus excusatur vxor, quæ ad vitandas

rixas,& odia cum marito,cœnat cum ipso,& ieiunium soluit, ita dicit Tabien. verb. ieiunium, §.20.& Sylvest.§.15. sed intellige,cum maritus non facit id in fidei contemptum, tùc enim potius est subeunda mors ; quod potest accidere modo, cum maritus Lutheranus est,& vxor Catholica, atque ille petit ieiunium solui,in fidei contemptum , tunc non est vllo modo acquiescendum.Hæ sunt causæ excusantes. Erga quas,duo vniuersaliter sunt considerandа.

Vnum est,cùm quis habet aliquam causam dubiam , an excusет vel non,tunc debet petere declarationem, vel à Confessario, vel à viro docto,vel à medico,vel à superiore,puta Episcopo,vel prælato:hi enim duo possunt cum subditis dispensare in ieiunio,cæteri dicti,declarare. Aduertant autè medici,ne sint prodigi in hac parte,cautè enim debent perpèdere causas, & non quauis leui causa concedere facultatem, seu declarare causam sufficientem,ad soluendum ieiunium , aut vtendum cibis prohibitis.

Alterum est, cùm pœnitens bona fide putat se habere causam sufficientem non ieiunandi,licèt verè non sit sufficiens, solùm venialiter peccat,nec debet à Confessario statim damnari de mortali:immò nec debet illum à sua fide,& conscientia deponere,sed solùm exhortari, vt experiatur ieiunare. Ita docent Anton.2 p.tit.6. ca.2.Palud.4.dist.15.q.4 art.1. Caiet.2. 2.q.147.art.3.

De obligatione ieiunij respectu aliorum.

CAPVT V.

ALiquando homo non solùm obligatur ieiunare , sed etiam,siue ieiunet ipse,siue non,aliorum ieiunio attendere;& peccat,quia alij non ieiunant.Est autem regula: quoties aliquis est causa,vt alij ieiunium soluant , qui aliter tenebantur ieiunare,peccat,ac si non ieiunaret. In particulari autem sunt iuxta istam regulam casus aliqui.

Primus est: qui habet seruos , aut famulos,& cogit illos laborare aliquo die ieiunij ita , vt non possint implere ieiunium,peccat mortaliter , nisi labor ille non possit differri in alium diem , quin damnum alicuius momenti obueniat, tunc enim non peccaret,& famuli excusarentur à ieiunio. Ita

habet

habet Palud.4.d.14.quæst.4.art.1.Gabr.4.d.16.q.3. art.1. notabili 4.

Secundus casus,patresfamilias,villici, curam domus habẽtes,& alij domini debent curam gerere filiorum,famulorum, & aliorum,qui domi sunt, ita quòd si ministrant eis cœnam, vel cibos,quibus ieiunium soluant,mortaliter peccent : cooperantur enim aliorum peccato. Et in hoc multa solet esse apud multos negligentia:non enim debẽt eis ministrare arma malitiæ vllo modo.Ita habet Gabr.q.3,allegata.

Tertius est casus,ex eodem Gabr.quæst.3.art.3. dub.6. Caupones, & qui paratas habent mensas aut tabulas prandendi, peccant mortaliter ministrando cibos prohibitos ijs . qui non possunt comedere, & ministrando cibum,quo alij soluunt ieiunium,peccant, & mortaliter in eo solo, quòd parati sunt omnibus dare cibum,licet ipsi ieiunium seruent: non enim licet ministrare , nisi ijs, qui non tenentur ieiunare, vel, quos ipsi probabiliter credunt à ieiunio excusari : cæteris verò tantùm debet prandium conueniens ieiunio ministrari.

Quartus est eorum,qui cùm ipsi non ieiunent,vel quia nolunt,vel quia excusantur,inuitant alios ad cœnandum, vt faciant soluere ieiunium,quod aliter non soluerent ; hi enim causa peccati sunt,& consequenter peccant.

Quintus est,eorum qui nolunt conducere operarios , nisi soluant ieiunium;quamuis si aliqua vrgeret necessitas , vt illi multum laborarent, posset hoc ab illis exigi , sed debet esse communis vtilitas,aut ad vitandum graue damnum aliquod. Vnum tandem dubium occurrit in materia de ieiunio : an quando aliquis peruenit ad locum , in quo ieiunatur tali die, in quo non ieiunatur in loco,à quo profectus est, teneatur ieiunare & abstinere à cibis prohibitis, respondet Syluest.verb. ieiunium,in fine cum distinctione : cùm enim illuc peruenit commemorandi causa,tenetur obseruare tale præceptum; cùm verò non,sed animo remeandi, vel vlteriùs transeundi,non tenetur,si citra scandalum id potest facere.

De secundo præcepto audiendi sacrum.

CAPVT VI.

HOc præceptum habetur, de consecrat. dist. 1. can. missas. Oportet prænidere quid est sacrum, seu missam audire.

In primis non est audire sacrum, intelligere, & intellectu percipere quæ in missa dicuntur: non enim rustici missam audirent. Rursus, non est auribus voces percipere; surdi enim tunc audire sacrum non possent, nec ij, qui longè à sacerdote celebrante distant, quos tamen certum est implere præceptum. Rursus, non est videre ea, quæ in missa aguntur: nam cæci tunc non possent implere præceptum, quos tamen implere certum est, vnde, potest aliquis clausis, ne diuagentur oculis missam audire. Rursus, non est aliquo vti sensu erga ea, quæ in missa aguntur: solent enim aliqui, dum hostia eleuatur, manum eleuare contra hostiam, & propriam faciem ter tangere, solentque aliæ huiusmodi ceremoniæ fieri, in quarum nulla consistit audire sacrum. Est ergo audire sacrum corpore adesse, & mente attendere: nam domi aliquis existens, non potest audire sacrum, quod fit in Ecclesia. Dico, mente attendere: nam nõ audit sacrum, qui præsens est corpore, sed dormit, dum dicitur sacrum. Opus est ergo aduertere, vt dicatur mentaliter esse præsens rei quæ fit. Ista autem mentis aduertentia ad hunc modum intelligenda est, quod homo ita attendat vt non diuagetur affectata diuagatione: cùm enim aliquis venit audire sacrum, & posteà raptus alijs cogitationibus parum aut nihil aduertit, dicitur quidem præceptum missam audiendi implere, nec tenetur audire aliam, dummodò non sit affectata diuagatio & inaduertentia. Tunc autem talis est, quando homo aduertens se diuagari, voluit diuagari, nullam q; fecit diligentiam vt attenderet; aut quando eligit facere opus, quod ex se diuagationem habet annexam: vt qui cùm audit sacrum, vellet scribere, pingere, aut studere, vel quid simile facere, illi censentur affectatam habere inaduertentiam, nec audiunt sacrum. Dubium hic occurrit, an, dum quis audit missam de præcepto, possit recitare horas canonicas, quas tenetur ex officio recitare aut dicere coronam ex deuotione, aut ex iniuncta pœnitentia. Angel. ver. feriæ. §. 46. dixit id fieri non posse, sed contrarium est tenendum: dummodò quis attendat, saltem

tem virtualiter, se adesse missæ,& esse coram altari, satisfacit præcepto ; cum qua attentione potest simul recitare, præsertim quia ista ad vnum & eundem finem ordinantur ; putà, Deum ipsum, & mentis eleuationem in ipsum. Ita habet Adrian.tract. de satisfact.quæst.7. & Medina tract.2. de pœnitentia iniuncta, & Caietan.verb.dies festus, & Nauarr.cap. vigesimoprimo, num.nono. Consilium tamen esset, si attenderet potiùs mysteria missæ , aut attenderet saltem ad ea quæ dicuntur in Euangelio & epistola : qui tamen ista non potest præstare, vel quia ignorans est, vel quia non potest attendere,sed statim diuagatur, nisi recitet, adhuc meliùs est recitare.

Quæ missa,quo loco,& quanta sit audienda.

CAPVT VII.

MIssa non eodem modo celebratur,sed aliqua est particularis,aliqua solennis, quæ voce alta decantatur,& dicitur missa maior. Aliqua est de requiem,aliqua de feria,aliqua de sancto, aliqua ex deuotione. Nullus tenetur certam missam audire ex præcepto,sed potest satisfacere præcepto,si audiat missam de requiem in die dominico: solùm enim obligatio est audire missam,siue priuata,siue solennis,siue de feria sit,siue non. Ita habet Anton.2. p.tit.9. cap.10.§.1. Tabien.ver.missa.nu.48.& est communis doctrina, licèt aliqui contradicant,sed non sunt audiendi. Consilium est vtile, curare audire sacrum tempori accommodatum,præsertim etiam solennes missas & maiores in dieb. solennibus,& magnæ festiuitatis,sed non est hoc præceptum. Rursus,non est obligatio audiendi eā in parochia propria: satisfit enim præcepto, quamuis domi,& extra Ecclesiam audiatur,aut in Ecclesia audiatur aliena,vt dicit Sylu.ver.Missa.2.§.5. & Tabien.v.missa. §.51.quamuis non desint qui contradicant. Verum est, quòd peccaret,qui ex contemptu propriam dimitteret parochiam, aut si ex dimissione scandalum sequeretur, aut quando in parochia declarantur aliqua, & traduntur, quæ debet omnis parochus scire: tunc enim peccaret, dimittendo. Credo tamen,quòd semper impleret præceptum audiendi sacrum per

missam

missam quouis loco auditam: sunt tamen monendi, exhortandique omnes, vt suas parochias frequentent, maximè diebus solennibus; & Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. post can. 9. ita monet.

At de quantitate missæ dubium est, quanta sit audienda. Secundum communem opinionem sufficit vna: nullus enim tenetur plures audire; immò, nec in die Natalis Domini, quando quilibet sacerdos ter celebrat; sufficit enim vnam audire ad satisfactionem præcepti; vt Nauar. cap. 21. nu. 7.

Dico secundò, & omnes conueniunt esse audiendam missam, ita vt non dimittatur notabilis pars, puta, media, aut tertia pars: tunc enim non impleretur præceptum, si talis pars amitteretur. In particulari autem Tabien §. 50. & Nauar. num. 2. dicunt, quòd si dimitteret vsq; ad Epistolam inclusiuè, tunc nò impleretur præceptum, quia est notabilis pars; quamuis, si dimitteretur totum, quod est ante Epistolam, adhuc posset impleri præceptum: & ego ita credo; quamuis non desint, qui dicant, posse & Epistolam dimitti; sed non est securum, nisi ex necessaria causa id prouenerit. Hic tamen aduertendum est, quod si, qui inseruiunt sacro aliquando coguntur partem missæ non audire, vt ferāt ea, quæ necessaria sunt sacro, putà, cùm discedunt, vt adferant thus, vinum, hostiam, vel quid simile, non reputantur abesse, sed illis computatur illud, ac si audiuissent. Ita habet Anton. 2. p. tit. 9. cap. 10. §. 1. Syl. ver. missa, 2 §. 1. & Tabien. ver. missa, §. 50.

Dico tertiò, aliqui volunt, quod si quis mediam missam audiret ab vno sacerdote, & residuum ab aliquo alio, quòd satisfaceret præcepto; nam missam integram audiuit: ita tenet Maior. dist. 45. quæst. 2. Nauar. cap. 11. num. 2. Idem Soto 4. distinctio. 13. quæst. articul. 1 & mihi probabile videtur; quamuis, si aliquis id feciſſet, si tempus esset, quo vacaret audire sacrum vnum aliud vnius, monerem & consulerem: nam profectò non est visus audire missam integram, sed duas medietates duarum missarum, quæ inter se non faciunt integritatem. cap. Missas de consecr. d. 1. præcipitur expectari benedictionem, vide Pan. cap. vt laici de vita & hon. cler.

A quo. & quando, & qua obligatione sit missa audienda.

CAPVT VIII.

NOn à quouis missa est audienda. Cauere enim debemus audire missam à Sacerdote nominatim excommunicato, suspenso, aut interdicto, & à publico clerici percussore, & à concubinario notorio & denunciato, vt dicit Sylu. ver. missa, 2. §. 3. aliorum verò missas, licèt excommunicati sint à iure, vel ab homine, dum non sint nominati, possumus audire, non enim tenemur ab omni excommunicato fugere, vt diximus in lib. 1. in materia de excommunicatione. Similiter etiam degradati, aut depositi missam non possumus audire, sicut nec possumus audire à nominatim excommunicato. Tempus autem obligationis solùm est in diebus dominicis & festis de præcepto. In alijs diebus non tenemur, licèt sint dies Quadragesimæ, nec contra hoc probat cap. solent, de consecr. d. 1. & cap. fin. de priu. in 6. vbi videtur contrarium dici: ista enim capita, vt dicit Tabie. v. missa, §. 45. sunt de consilio intelligenda; nam cap. fin. loquitur de Episcopis; cap. verò solent, de omnibus, in diebus tamen quadragesimæ, & neutrum obligat sub præcepto. Est enim consilium vtilissimum quotidie audire, aut saltem quoties homo commodè potest: obligatio autem est præcepti obligantis ad mortale: qui enim non audiret sacrum, quo tempore tenetur, mortaliter peccaret, secundum omnes, sicut peccat, qui ieiunium non seruat. Obligat autem hoc præceptum omnes habentes vsum rationis, cuiuscumq; sint ætatis, sexus, & conditionis.

Quæ causa excuset ab audiendo sacro.

CAPVT IX.

MVlti sunt casus, in quibus homo excusatur ab isto præcepto Ecclesiastico; omnes tamen possunt reduci ad quinque causas, ex quibus quinque regulæ generales possunt desumi.

Prima causa est, ad vitandum damnum spirituale, proprium, aut alienum; vnde est regula: quoties ex sacro audiendo sequi

tur damnum seu detrimentum spirituale, putà, peccatum proprium aut proximi, non teneretur homo audire sacrum. Per hanc causam & regulam excusantur excommunicatus, interdictus nominatim, & interdictus generaliter, non habens priuilegium aut diploma, vt audire possit: tunc enim non excusatur, vt dicit Nauar. c. 21. nu. 4. Similiter qui iuramento se adstrinxit non egressurum domo, in qua, loco carceris tenetur: hi non tenentur audire; quia si audiant, peccant, quia obligati sunt, aut impediti alia via. Similiter mater quæ timet filiabus suis, si domo egrediatur, ad vitandum damnum filiarum spirituale, potest manere domi, licèt non audiat sacrum, dum sit periculum probabile talis damni. Huiusmodi possunt occurrere alij multi casus.

Secunda causa est; ad euitandum damnum aliquod corporis notabile: vnde est regula: Quoties sequitur, aut timetur damnum corporeum aliquod notabile, aut alicuius momenti, tunc non obligatur homo audire sacrum. Per hanc causam excusantur infirmi, qui absq; detrimento non possunt à lecto surgere & ambulare. Excusantur etiam qui inseruiunt infirmis, & non possunt audire, nisi ipsos solos deserant. Similiter matres, quæ habent domi paruulos, nec possunt relinquere absq; periculo probabili alicuius damni. Similiter qui faciunt iter cum alijs, nec possunt audire sacrum, nisi perdant socios, vnde detrimentum patiuntur, quia vel viam nesciunt, vel timent latrones. Similiter, qui habent inimicos, nec possunt exire domo securi. Similiter mancipia & serui, qui timent verbera & iniurias à dominis, si deserant domum, quamuis domini non excusentur à peccato, non concedendo istis tempus audiendi sacrum, cùm absq; damno notabili possint. Similiter vxor quæ timet rixas & percussionē à marito, vel non potest necessaria domi præparare ad victum, si domo egrediatur. Omnes hi excusantur, quia damnum corporum contrahunt, si sacrum audiant.

Tertia causa est, ad euitandum damnum honoris: vnde regula est. Quoties non potest quis absq; læsione honoris, aut famæ propriæ vel alienæ audire sacrum non tenetur. Per hanc causam excusantur, quibus non sunt vestes conuenientes suæ personæ, vt domo possint exire. Rursus, filiæ nobiles, quæ non possunt ita facilè egredi domo, sed timetur infamia aliqua; quamuis non excusentur, cùm egrediuntur ad choreas, & festa vana: tum enim non videntur habere causam, cur non egre-

diantur

diantur ad audiendam missam, vt dicit Tabien. §. 46. quamuis si non permittantur à matribus, excusentur, licèt matres peccent, nisi rationabili causa faciant. Excusantur etiam viduæ, quæ, certo tempore post obitum coniugis, solent domi clausæ manere. Tabiena §. 46. dicit licere hoc saltem per mensem; tamen Nauar. nu. 4. dicit meliùs, licere etiam per annum, dum talis sit loci consuetudo; ita vt citra infamiam non liceat egredi: nec in hoc est limitatum tempus, nisi iuxta consuetudinem loci, quamuis istæ consuetudines debeant corrigi per Episcopos. Qui tamen vltra consuetudinem loci maneret, & prætermitteret sacrum, peccaret mortaliter.

Quarta causa est, cùm timetur damnum rei propriæ, aut proximi, tunc ea est regula. Quoties aliquis in re propria, vel proximi detrimentum patitur, excusatur.

Per hanc excusantur, qui custodiunt arces aut carceres, nec possunt dimittere absq; detrimento. Rursus, qui seria negotia ex officio, vt consiliarij, & alij huiusmodi tractãt, nec possunt differre absque detrimento. Rursus, qui custodiunt aut seruant in agris oues, armenta, vineas, & alia huiusmodi, nec possunt sine detrimento deserere. Rursus, qui non possunt suas negotiationes perficere sine detrimento, nisi iter faciant; vnde sacrum audire non possunt. Rursus, qui timent latrones, si domum sine custodia deserant. Rursus famuli, qui non possunt alios inuenire patronos, & ab his, quos habent, non datur tempus audiendi sacrum; quamuis in hoc peccent patroni, quando sine detrimento possunt tempus concedere famulis audiendi missam, & non concedunt: famuli verò tenentur ipsos deserere, si continuò non detur eis tempus tale.

Quòd si id non fit continuò, sed aliquando non tenentur, nec peccant obediendo. Quòd si non possunt facilè inuenire alios, quibus seruiant, adhuc non tenentur, licet non audiant sacrum, dummodo patroni non faciant id in fidei contemptum: tunc enim nullo modo eis esset acquiescendum: quia est contra ius diuinum.

Vltima causa est, impotentia: per quam incarcerati, & qui iter longum, siue per terram, siue per mare faciunt, tamẽ non inueniunt loca, in quibus celebretur: nec tenentur audire missam, si eant in mari. Similiter, qui non habent copiam sacerdotum, qui celebrent, & alij huiusmodi excusantur. In omnibus his casibus notandum est, quòd quamuis aliquando de

facto non sit vera causa excusans, tamen aliquis putat bona fide esse veram & sufficientem causam, non peccat mortaliter, sicut etiam diximus de ieiunio.

Quomodo audiendum sacrum, & quæ utilitas ex auditione.

CAPVT X.

QVi cum fructu & vtilitate sacrum audire nititur, debet sic dispositus accedere. Primò opus est fide, qua credat, in sacramento, quod in missa adoratur, & sumitur, verè, realiter, ac præsentialiter Christum esse totum. Rursus, ipsa missa verè offerri à sacerdote iuge sacrificium Deo Patri acceptissimum. Opus est etiam, vt cum dilectione accedat: in missa enim celebratur, & representatur ipsa passio Christi, quæ fuit vnum ex summis beneficijs à Christo Domino nobis collatis, propter quod, homo in ipsius amore & dilectionem perpetuò deberet rapi: cumq; in missa memoriale tanti beneficij celebretur, ipsumq; memoriale sit magnum, quoddã beneficium ingrati animi est, accedere sine amore & dilectione; quod vnum solent præstare, qui gratias referre non possunt, nec etiam pares agere. Opus etiam est, cum reuerentia accedere, non solùm interiori, qua homo ipsum Christum & & Dominum, & Deum recognoscat, seque infirmum & indignum tanto beneficio iudicet, sed & exterius, quæ in modestia & decentia corporis consistit: in quo reprobandus est abusus multorum, qui vno genu flexo adstant, & qui oculos huc illuc immodestè vertunt; & aliquando inter se colloquuntur, quod coram terrenis Dominis, qui nihil sunt respectu summi Dei facere nefas esset.

Istam autem reuerentiam homo multis de causis debet exhibere.

Primò, quia adstat coram Christo Domino, cui omne genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum debet incuruari.

Secundò, quia est in Angelorum consortio: adsunt enim Angeli coram Sanctissimo Sacramento, vt docent Gregor. & Ambr. & nobiscum sunt præsentes in missæ sacrificio. Quis autem est, nisi inconsideratus homo, qui renuat cum Angelis

adesse,

adesse, & non curet, vt potest, quam ipsi exhibent reuerētiam, & ipse exhibere?

Tertiò, quia, qui audit sacrum, multa petit à Deo, vnde sacerdos frequenter dicit, Oremus, & omnium nomine orationes fundit: quis autem petit aliquid impetrandum ab altero, & non se erga eum, saltem propter hoc, reuerenter gerit? Pauperiores sumus nos respectu Dei, quam sint homines mendici respectu diuitum; & tamen hi ob vnum obolum, quot genuflexiones & nudationes capitis facere solent.

Quartò, ratione officij, quod exhibent qui audiunt sacrum. Non putes solum sacerdotem offerre illud sacrificium Deo: offerunt enim & circumstantes, licèt mediante sacerdote. Si ergo, qui vas aureum Principi offerendum portat, vasi inanimato reuerentiam quandam exhibet, dum ille manus lauat, dum se ornat; quanto maior est reuerentia exhibēda huic oblationi, quæ Christus ipsemet est, & non terreno Principi, sed Deo Principi, Omnipotentiq; Patri offertur? Hæc est dispositio audiendi sacrum, quæ cum attentione & consideratione coniuncta est; ad quam sacerdos nos exhortatur, dicendo, *Sursum corda.* faxit Deus, ne aliqui mendaces inueniantur, respondentes, *Habemus ad Dominum.* Qui tali dispositione accedit, fructu huius sacrificij non priuatur, qui licèt multiplex sit, tamen aliquot præcipuæ vtilitates proponentur.

Prima est, gratiæ augmentum: qui enim in gratia est, sacrū audiendo, gratiæ augmentum consequitur, tum quia offert, tum quia pro ipso etiam sacrum offertur.

Rursus secundo, consequitur pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ, remissionem.

Rursus tertiò, quod petit facilius impetrat: nam Deo Patri oblationem acceptissimam, puta Christum, offert. Solent autem facilè impetrare ab hominibus, qui dona secum ferunt ipsis offerenda, & eò facilius, quò dona gratiora sunt.

Rursus quartò, actus virtutum exercentur, & præcipuè triū, quæ sunt magni meriti. Exercetur fides, dum creditur ea, quæ in mysterijs celebrantur; exercetur charitas, dum in Christum præsentem fertur voluntas per amorem; exercetur religio per adorationem & latriam Christi in sacramento.

Rursus quintò, comparet homo in præsentia Christi, & eo, quo potest, modo, puta per fidem, præsentem videt Christum, & habet, ac impetrat, quod impetrarēt, si videret, si debito

modo petat: vnde cæcus, qui ex turba prætereuntē cognouit Christum, nō minùs obtinuit, quod petijt, ac si vidisset: & hoc puto dat magnam pacem animæ, & gaudium spirituale, dum homo videt saltem vbi Christus continetur, potestq; dici de huiusmodi audientibus sacrum: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Quòd si illi non possunt videre oculo corporeo, id poterit dici: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.*

De tertio præcepto Ecclesiæ.

CAPVT XI.

PEccata tua sacerdoti proprio, aut alteri cum eius facultate, singulis annis confitetor. Tertium præceptum est, confessio. Et quia multa diximus in libro 3. pauca modò attingemus.

Primum est, præcepto confessionis, omnes habentes vsum rationis, cuiuscumque ætatis, sexus, & conditionis sint, obligari sub peccato mortali, vt habetur c. omnis vtriusq; sexus, de pœnit. & remiss. Hoc autem præceptum non obligat, nisi ad confitendum omnia mortalia, quæ homo memoria consequi potest. Venialia non sunt de necessitate confessionis; quamuis vtile & sanctum cōsilium sit, confiteri ea, præsertim quando mortalia desunt. Obligatio hæc est, semel in anno cōfitendi, adeò quòd, qui confessus iam est in Natali, aut alio anni tempore non teneatur confiteri in Quadragesima, nisi velit communicare: tunc enim, si post confessionem præcedentem mortaliter peccauit, iterum debet confiteri. Quòd si non mortaliter peccauit, aut non debet sumere Eucharistiam, non tenetur; quamuis propter scandalum, si aliquando sequitur, præsertim si communicare vult, teneatur accedere ad confessionem, & confiteri venialia, aut dicere se non habere materiā necessariam confessionis. Aliquando autem tenetur homo statim post mortale confiteri.

Primò, quando est mortis articulus, aut periculum mortis; vt, qui intrat mare, bellum; aut mulier, quæ est prope partum.

Secundò, quando probabiliter credit, quòd nisi tunc confiteatur, non habebit illo anno copiam sacerdotum, seu Confessariorum.

Ter-

Tertiò, quando vult sumere Eucharistiam, & est conscius mortalis peccati.

Quartò, quando vouit, aut in iniuncta pœnitentia habet, pluries, & statutis temporibus in anno confiteri. Extra hos casus solùm tenetur semel in anno : & quamuis non sit tempus determinatum, tamen propter communionem consuetudo obtinet, vt fiat in Quadragesima, non tamen obligat eum, qui alias est confessus, nec iterum mortaliter peccauit, vt diximus. Ista autem confessio est cum Confessario proprio facienda. Vocamus autem proprium in præsenti, vnum ex tribus, aut qui ex officio habet facultatem absoluendi, vt Prælatus, & Parochus, aut commissione superioris Episcopi, aut Pontificis, qualem habent multi religiosi, aut ex facultate pœnitenti cõcessa: multi enim pœnitentes per priuilegia, aut diplomata, seu bullas, possunt sibi eligere Confessarios proprios, quocumque modo sit proprius, satis est ad audiendas confessiones. Plura hic dici poterant de confessione, sed vide quæ dicta sunt libro tertio. Nunc autem, quòd vtile sit frequenter confiteri in anno, immò in mense, ostendam ex multis notandis vtilitatibus quæ proueniunt ex hoc, inter quas aliquot recensebo.

Prima est, gratiæ augmentum: quoties enim homo confitetur, si debito modo accedat, si in peccato est, consequitur gratiam & peccati remissionem; si autem est in gratia, consequitur augmentum gratiæ. Vnde, si quater in mense confitetur, quater etiam augetur gratia, & si pluries confitetur, pluries augetur gratia. Quanti autem valoris sit gratia, vix potest cognosci; hoc tamen est certum, eligibiliorem esse minimum gradum gratiæ, quàm possidere perpetuò vniuersum orbem, & in altero mundo datur maior gloria essentialis, duratura in æternum, ei, qui in hoc mundo maiorem habet gratiam.

Secunda vtilitas est, remissio pœnæ temporalis: quoties enim homo confitetur, ei remittitur pars pœnæ peccati soluẽdæ in purgatorio. Si autem quis consideret, quàm acerba sit pœna purgatorij, suam profectò damnabit negligentiam, & ad hoc sacramentum pluries accedet : hoc enim certum est, nullam in hoc mundo à quouis crudelissimo tyranno posse pœnam corporalem infligi, quæ adæquet minimam, quam anima patitur in Purgatorio.

Tertia est, inimicus debilitatur: Dæmon enim multum in-

surgit contra hominem, dum peccata secum recondita habet, nec medico spirituali aperit, iuxta illud: *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea.* At cùm homo ad confessionem confugit, timet Dæmon, nec audet accedere ei, qui omnes eius suggestiones Confessario manifestat. Caro etiam multùm succumbit spiritui, propter augmentum gratiæ quod habet anima ex frequenti confessione.

Quarta vtilitas est, peccatum non ita fortiter radicatur in anima. Hoc dico propter aliquos, qui frequèter solent in mortale aliquod prolabi; & quamuis modò confiteantur, iterum solent in idem peccatum recidere ex aliqua fragilitate. Istis profectò frequens confessio hoc præstat, quod illud peccatum semel commissum, nisi pœnitentia & confessione deleretur, adeò frequenti, fortiùs animæ inhæreret, aliisq; superuenientibus, in habitum quendam difficillimum postèa ad expellendum, transiret: at confessio ista impedit radicationem & emendationem faciliùs & citiùs consequitur. Vnde legimus de illo, qui duas ollas luto plenas habuit, vnam singulis diebus mundabat, & iterum luto implebat, alteram multo tempore primâ reliquit; postea, cùm ab hac lutum extrahere vellet, vix potuit, nisi ollam rumperet.

Quinta vtilitas est: nam, cùm ex frequenti confessione plurimes sit in gratia, plura bona opera facit in gratia; & licet postèa peccet, tamen, cùm iterum redit ad gratiam, illi restituuntur bona illa opera, quæ per peccatum mortificata erant. At opera in peccato factà, numquam sunt meritoria vitæ æternæ, licèt homo ad gratiam redeat. Quòd si est in gratia semper, cum illi augeatur gratia per confessionem, eadem opera bona fiùt magis meritoria, quæ non essent, si in tanta gratia homo non esset.

Sextà, minus est expositus periculo, qui sæpè confitetur: nam, si sæpè peccat, sæpè est in gratia: facilius autem est mori in gratia ei, qui sæpè eam habet, quam ei, qui raro.

Septima est, homo suam melius scrutatur conscientiam: isti enim qui semel in anno confitentur, vix tertiam partem peccatorum confitentur.

Octaua, liberatur homo à graui fastidio & timore: qui enim rarò confitentur, cùm tempus confitendi aduenit, dolores parturientis sibi pati videntur, & magna angustia & timore semper procrastinant, vsque in diem vltimum Quadragesimæ; &, quod peius est, aliquando negligunt præceptum Ec-

clesiæ:

clesiæ:& quod adhuc pessimum, in mortis articulo adeo magna hac angustia premuntur, vt aliquando desperent.

Vltima est, qui in gratia est, conseruatur multum in ea per confessiones frequentes: homo enim est magis illuminatus, vt se cognoscat, & ea, quæ nocent animæ, intelligat. Multa alia bona frequens confessio homini affert, sed ista enarrasse sufficiat. Hæc & alia experietur, qui consilium hoc opere compleuerit.

De quarto præcepto, quid sit Eucharistia.

CAPVT XII.

QVartum præceptum Ecclesiæ, est præceptum communionis, puta sumptionis Eucharistiæ. Est ergo breuiter considerandum, quid sit Eucharistia. Videtur autem sic posse describi, *species sensibiles panis, & vini, & corpus, & sanguinem Christi significantes, & realiter continentes.* In qua descriptione sunt tres partes.

Prima est, *Species sensibiles panis & vini.* Vocamus species, accidentia ipsa, quæ erant panis, & vini, nempè quantitatem, odorem, saporem, colorem, quæ omnia sensu percipiuntur.

Secunda pars est, *corpus, & sanguinem Christi significantes:* ista enim accidentia sunt signa quædam; corporis quidem Christi, ipsæ species panis; sanguinis autem, ipsæ species vini signa sunt.

Tertia pars est, *realiter continentes.* Non enim illæ species habent significare tantùm corpus & sanguinem, sed verè continent ipsa: sub speciebus enim panis realiter Christi corpus est; sub speciebus vini, realiter sanguis Christi est. Totum ergo hoc, nimirum species prædictæ, corpus & sanguinem Christi continentes, & significantes, dicitur sacramentum Eucharistiæ. εὐχαριστία autem, idem est Græcè, quòd Latinè gratiarum actio. Hoc autem sacramentum dicitur Eucharistia, quia est vnum grande & insigne beneficium, propter quod Christo Domino perpetuas gratias agere debemus. Est autem notandum, quòd in hoc sacramento, Catholicus debet secundum fidem has quatuor veritates recipere, quæ habentur ex Concil. Triden. sess. 13.

Prima est, sub illis speciebus, non esse post consecratio-

nem panis aut vini substantiam, sed omnino conuersa est in Christi corpus & sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus.

Secunda est, sub eisdem speciebus verè & realiter esse corpus & sanguinem Christi.

Tertia est, sub vtraq; specie, & sub altera tantùm esse totum Christum: verbi gratia, sub speciebus panis esse totum Christum, nempe corpus & animam vnitam diuinitati. Similiter totum Christum esse sub speciebus vini. Dices, si totus Christus est sub speciebus panis, & totus sub speciebus vini, quare dicitur communiter, quòd species panis continet corpus, species vini continet sanguinem? Respondeo quodam exemplo. Cùm tu vocas famulum tuum, aut amicum, hic autem venit coram te, clarum est, amicum esse coram te, & non solum ipsum, sed ipsius vestimenta; nam vestitus venit: si ergo petam à te, tu vocasti amicum, quomodo & hic sunt vestes: respondebis, ex vi verbi mei, quo vocaui, solus amicus adest, & quia ipse vestitus erat, ratione coniunctionis vestimẽtorum, etiam sunt hic vestes. Eodem ergo modo intelligas; sub speciebus panis est tantùm corpus Christi, ex virtute verborum consecrationis, quæ erat, *hoc est corpus meum*; at quia corpus est cum anima & diuinitate, fit, vt ratione concomitãtiæ totus sit Christus. Similiter sub speciebus vini ex vi verborum sanguis est: dicitur enim, *hic est calix sanguinis*; tamen quia sanguis est cum corpore, & corpus cũ anima, & hæc diuinitati vnita sunt, sunt & ista omnia sub illis speciebus. Quando ergo audis, sub speciebus panis esse corpus, sub vini, esse sanguinem, intellige, ex vi significationis, tamen ratione concomitantiæ, totus Christus est sub altera specie.

Quarta est, illa accidentia panis & vini per se sunt, nec subsistunt in corpore Christi, sicut sustentantur in pane. In his quatuor veritatibus, præcipuè innititur ratio huius sacramenti.

Quare instituta est Eucharistia.

CAPVT XIII.

SAcramentum hoc à Christo Domino in vltima cœna institutum est, in hos quatuor præcipuos vsus.

Primus, vt esset memoriale quoddam mortis & passionis

nis eius. Repræsentat autem optimè hoc sacramentum mortem & passionem Christi: in hoc enim, quod species panis ex vi significationis repræsentant & continent corpus, vt à sanguine separatum: & species vini continent, & repræsentant sanguinem à corpore separatum, mors non quæcumque, sed quæ per passionem significatur, repræsentatur. Est autem repræsentatio maxima: nam ipsamet quæ repræsentantur, seu significantur, sunt præsentia, putà, corpus & sanguis.

Secundus, fuit institutum in argumentum maximi & feruentissimi amoris Christi erga nos: discessurus enim ad Patrē ex hoc mundo, seipsum in pignus amoris reliquit.

Tertius, fuit etiam institutum in cibum spiritualē: vt enim corpus cibo naturali indiget, vt in vita sua sustentetur, ita anima indiget cibo spirituali, vt in vita gratiæ conseruetur & augeatur. Hic cibus est ipsemet Christus Dominus sub speciebus panis & vini nobis datus.

Quartus, fuit institutum in sacrificium Religionis Christianæ: voluit enim Dominus nos habere sacrificium, quod Deo in remissionem peccatorum offerremus. Hoc autem noluit esse tauros vel vitulos, vel alia huiusmodi, sed quod ipse obtulit, hoc idem voluit nos offerre. Ipse autem seipsum obtulit in cruce per passionem & mortem, & nobis etiam ipsum reliquit offerendum, sub panis tamen & vini specie. Vide quantum excedat hoc nostrum sacrificium omnia legis veteris sacrificia; in qua creatura, in nostra autem creator offertur. Hæc est oblatio munda, quam Deus Zach. 1. dicebat sibi ab ortu solis ad occasum, id est, in toto mundo offerendam. Omnia hæc quatuor in vno hoc sacramento venerabili simul continentur, & coniunguntur, vt sit passionis memoriale; amoris argumentum & pignus; cibus spiritualis; & sacrificium mundum.

De fructibus sumptionis Eucharistiæ.

CAPVT XIV.

MVltiplex est fructus, qui ex hoc prouenit sacramento. Primus est, viuificare. Iuxta illud Ioann. 6. *qui manducat me, & ipse viuit propter me.* Dat ergo vitā, quæ est per gratiā: vnde quoties homo sine conscientia mortalis peccati accedit, probabiliter, & rationabiliter putans se esse in

gratia, licèt verè non sit, per hoc sacramentum consequitur primam gratiam, & mortalis peccati remissionem; vt dicit S. Tho. 3. p. q. 79. art. 1.

Secundus est, nutrire: sicut enim cibus corporalis nutrit corpus, augendo substantiam & reparando quod deperditi est: sic etiam sacramentum gratiæ dat augmentum, & quod deperditum est ex feruore per venialia, reparat, & renouat.

Tertius est, confortare. Anima enim fortis fit, & vigorem quendam acquirit, & vt tentationes vincat, & vt mundi calamitates, & corporis labores fortiùs ferat, sicut corpus cibo fortificatur.

Quartus est, perseuerare: in gratia enim susceptæ conseruat hominem, & à peccatis futuris præseruat: sæpe enim homo in peccata laberetur, à quibus virtute cibi huius liberatur.

Quintus est, satiare. Anima enim Dei capax non impletur creaturis; ob id, sæpe est in appetitu homo, & ignorat quid appetat. Rursus, habet appetitus, modò horum, modò illorum, hoc sacramentum animam satiat.

Sextus est, lætificare. Dat enim pacem, & gaudium animæ. O quoties homo tristatur, & patitur melãcholias, & angustias, ob res creatas, quæ expellerentur communione sanctissima, si ad eam non accederet?

Septimus est, sedare: vt enim dicit Cyrillus lib. 4. sup. Ioan. cap. 17. sacramentum hoc sedat sæuientem membrorum legem, & animi perturbationes extinguit.

Octauus, copulare & vnire. Vnit enim hominem cũ Christo, & ipsos homines concordia quadam inter se conglutinat: nam multùm valet Sacramentum hoc ad pacificandos animos inter se discordes.

Nonus est, inflammare. Accendit enim deuotionem ad charitatem erga Deum, & hominem facit feruere.

Vltimus est, perducere, putà, ad gloriam. Dat enim in via ista desiderium mirabile status illius beati, quem speramus, & illuc transportat corda, vt à terrenis homo separatus *verè dicat ibi nostra fixa sunt corda, vbi vera sunt gaudia.* Hos, & plures fructus Eucharistia facit in animabus fidelium, qui debitè ad ipsam accedere student, & satagunt.

Qualis debeat esse susceperus Eucharistiam.

CAPVT XV.

MVlta debet habere ille, qui competenter ad Eucharistiæ susceptionem accedere debet.

Primò, debet esse baptizatus: nulli enim ante baptismum, etiam habenti fidem, & gratiam, qualis est catechumenus, ministranda est Eucharistia, nisi post baptismum; imò nec debet vllus non baptizatus permitti videre sacramentum hoc, sed ejiciendus est, vt habet S. Thomas, 3.p. quæst. 79. art. 1. Potest autem ista conditio, cum alijs sequentibus, memoriæ causa, reduci ad duo carmina hæc.

Lotus, discretus, sanus, ieiunus, & aptus.
Contritus, fassus, mundus, rectè que paratus.

Lotus, id est baptizatus debet esse, iam de hoc diximus.

Discretus. Debet habere iudicium rationis: vnde pueris ante annos discretionis non debet dari Eucharistia. Rursus, non quælibet discretio, & ratio sufficit, sed quæ sit mediocriter apta ad cognoscendum cibi huius qualitatem. Tamen secundum Alexan. 4. p. quæst. 49. membr. 5. Palud. dist. 9. q. 4. Sylu. ver. Eucharist 3. § 5. non debet dari, nisi pueris iam 10. aut 12. annum agentibus; nisi in aliquo citius vigeat multum ratio, quod Confessariorum iudicio relinquitur: quamuis non requiratur tantus vsus rationis ad confessionem: sufficit enim annum septimum superasse, in quo frequenter tempore vsus rationis lucescere incipit, & homo peccare potest. Rursus, neque amentibus, sicut neque pueris danda est Eucharistia, si amentes sunt à natiuitate, vt habet S. Thom 3. p. quæst. 80. art. 9. Quòd si non sunt à natiuitate, sed aliquando habuerunt iudicium rationis, si, dum ipsum habebant, petierunt sacramentum hoc, aut pœnitentes fuerunt, danda est eis Eucharistia in mortis articulo, vt ibidem dicit S. Thom. & idem habetur 16. q. 6. c. si quis. Tamen phreneticis in mortis articulo ministranda est Eucharistia, si ante phrenesin confessi sunt, aut contriti apparuerunt, aut petierunt eam, nisi sint furiosi, ita vt timeatur irreuerentia aliqua sacramento inferenda.

Sanus: etiam debet esse sanus, qui susceperus est Eucharistiam, non tamen quæcumque infirmitas prohibet susceptio-

nem Eucharistiæ illa, ex qua irreuerentia sacramenti timetur; vt, cùm infirmus patitur frequentes vomitus, aut tussim, vt probabiliter timeatur expulsio Eucharistiæ; tunc enim nõ est ipsi ministranda.

Ieiunus. Debet etiam esse ieiunus, qui sumpturus est Eucharistiam, non solùm à cibo, sed à potu, & medicina, vt sit ieiunium naturæ: qui enim aliquid horum sumpsit, nisi sit infirmus, ita vt timeatur mors, nõ debet suscipere Eucharistiam. Nec soluitur hoc ieiunium per hoc, quòd aliquando, dum aliquis lauat os, aliquid parum humoris decidit per guttur, aut cùm micæ, vel particulæ cibi, quæ manent inter dentes ex cœna antecedenti, deglutiuntur: hæc enim per modum saliuæ sumuntur, nec soluunt tale ieiunium, vt dicit Sanctus Thomas loco citato. artic. 8. Hoc autem ieiunium incipit à media nocte diei antecedentis: vnde, si quis post mediam noctem aliquid sumpsit, quamuis dormierit posteà, non potest communicare illa die: si tamen ante mediam noctem sumpsit, potest communicare, licèt tota nocte non dormierit, nec cibus sit digestus, vt ibidem docet Sanctus Thomas. Infirmis per modum viatici confertur, etiam non ieiunis; & in eadem infirmitate potest sæpè conferri, etiam non ieiunis, si per aliquot dies pericula mortis euadant, sacro tunc peracto post præcedens viaticum Ita habet Tabiena verb. communicare, §. 48. & ármill. v. communio. §. 18.

Aptus. Debet is, qui susceperturus est sacrosanctam Eucharistiam, esse aptum subiectum. Fit autem ineptus per excommunicationem, vel interdictum: nam, qui excommunicatus est, quacumque excommunicatione, aut interdictus, peccat accedẽdo ad Eucharistiam, quia impeditus, & ineptus est propter censuram ecclesiasticam.

De alijs conditionibus suscipientis Eucharistiam.

CAPVT XVI.

ALiæ etiam sunt conditiones suscipientis Eucharistiam, quæ secundo carmine continentur.

Quarum prima est, *contritus*: nullus enim debet accedere ad communicandum cum conscientia peccati mortalis:

qua

qui enim existimat se esse in peccato mortali,& accedit communioni,licèt verè non sit in peccato mortali,peccat mortaliter;&,si habebat gratiam,perdit eam:nam ratione conscientiæ malæ contemnit sacramentum. Rursus, si in peccato est,debet accedere contritus,& cum pœnitentia peccati: non quòd opus sit vera contritione, sed quòd saltem homo probabiliter puter,se esse contritum,& se non esse in mortali:qui sic accedit,non solùm non peccat accedendo, sed consequitur peccati remissionem,vt S.Tho.dicit 3.p.q.79.art.1. & 2.At verò,qui mortaliter peccauit,&, nulla præparatione facta,accedit, siue recordetur peccati, siue non, mortaliter peccat, secundum omnes.

Confessus,seu *fassus*, quod idem est.Non satis est contritio in eo,qui mortaliter peccauit,ad accedendum communioni, sed opus est præmittere confessionem sacramentalem : nam qui accedit post peccatum mortale, seu post conscientiam mortalis ad Eucharistiam,licèt sit contritus,si non est confessus,mortaliter peccat.Hoc est contra Caiet. ver.communio,& Armill.ver.communio,§. 1. qui dixerunt, sufficere contritionem,quamuis possit homo confiteri,& sit copia Confessariorum. Sed hæc opinio iam non potest sustineri, quia oppositum statuit Concil.Trid.sess.13.cap.7.& can.11. vbi excommunicat lata sententia talem opinionem docentes, prædicantes, asserentes,& defendentes.Est ergo necessaria confessio. Excipit vnum casum ipsum Concilium, cum non est copia Confessarij:tunc enim posset homo accedere cum sola contritione;dum tamen, cùm primùm habuerit copiam Confessariorum,confiteatur,quæ exceptio,secundum Doctores,intelligitur,cùm necessitas adest communionis. Vnde in his casibus potest hoc contingere.

Primus est,cùm vrget articulus mortis, tunc si sacerdos solus esset in templo,quod vndique comburitur,nec spes esset salutis,licèt esset in peccato, seu conscientiam haberet peccati,posset per contritionem se disponere, & accedere ad Sacratium,& communicare, idemque in similibus casibus mortis fiet,si absit sacerdos.

Secundus, cùm est necessitas exequendi officium diuinum: v.g.est Parochus,qui habet conscientiam mortalis,tamen nō habet præsentem Confessarium,&,si expecter,populus priuabitur sacro in die aliquo solenni,tunc potest celebrare cū contritione,& pòst,Confessarium adire,cùm copia fuerit.

Ter-

Tertius est, cùm aliquis contrahit infamiam, si non communicet: v.g. aliquis est monachus, qui habet reseruatum casum Prouinciali absenti, tunc tamen occurrit dies solennis, in quo omnes cõmunicant monachi, si iste desit, infamiam contrahit, potest cum contritione accedere.

Quartus est, cùm est necessitas præcepti: v.g. occurrit dies, in quo tenetur communicare de præcepto, nec habet Confessarium, cui aliquem casum reseruatum communicet, tunc cum contritione potest accedere. Sed Soto 4.d.18.art.4. limitat hoc, cùm scandalum, aut infamia sequitur, si non communicat; alias debet seruare præceptũ præmittendi confessionem; quod fortius est, cùm sit diuinum, quàm illo die cõmunicare, quod est ecclesiasticum.

Quintus est, cùm est in actu communionis: vt sacerdos, qui post sacrum incæptum recordatur peccati debet continuare cum contritione. Similiter laicus, qui iam est ad altare, vt cõmunicetur, nõ debet se separare, si alicuius peccati recordatur, sed communicare, & postea confiteri, vt dicunt Soto loco allegato, & Ledesm 4.q.21.art.4. In his casibus reputatur esse inopia Confessarij, & in alijs his similibus. Extra hos præmittenda est confessio.

Mundus, debet etiam suscepturus Eucharistiam accedere mundus, id est, non pollutus: qui enim illa antecedente nocte passus est pollutionem, non debet accedere die illo ad cõmunionẽ. Tamen, vt hoc percipiatur, aduerte pollutionem posse esse triplicem.

Aliqua est peccatum mortale, cùm fit in vigilia, aut in somnis, tamen homo procurauit illam, vescendo cibis hac intentione, vel alia mala causa; & tunc, si ante cõmunionem homo pœniteat, & confiteatur, non est peccatum mortale accedere; quamuis sit veniale, nisi aliqua deuotio magna, aut aliqua causa necessaria excuset.

Aliqua est veniale peccatum, vt, cum ex negligentia aliqua veniali se polluit in somnis, aut in vigilia, sed contra voluntatem, licèt homo aliquam delectatiunculam imperfectam habeat: & tunc nulla est culpa accedere; sed melius est non accedere, nisi sit aliqua causa rationabilis, puta, cùm homo deuotionem habet celebrandi quotidie, aut illo die cõmunicandi, aut est dies præcepti, aut quid simile, tunc enim melius facit communicando.

Aliqua est sine omni peccato, vt actus coniugalis, & pollutio nocturna, non præcedente causa culpabili, & tunc non impedit communionem ex necessitate: cùm tamen potest differri communio, nec est aliqua necessitas, nec causa particularis, vt illo die fiat communio, melius est differre. Debent tamen coniugati abstinere, ex decentia, aliquo tempore ante communionem, & ita consulitur, de consecrat. omnis homo, vt tribus, quatuor, aut octo diebus abstineant. Ita est intelligenda ista conditio. Vide Petrum de Palud. dist. 9. quæst. 3.

Rectèque paratus. Hæc est vltima conditio suscepturi, vt conuenienter accedat, & totum fructum percipiat Eucharistiæ, vt sit rectè paratus. Quando Sacerdos extra Missam sumit Eucharistiam, debet esse cum stola, vt habetur can. Ecclesiasticam 13. Hæc præparatio, vltra dicta, consistit in tribus.

Primò in fide: debet enim accedere cũ fide, qua credat huius mysterij excellentiam, & discernat cibum hunc spiritualem à cibis communibus.

Secundò, in iudicio, vt conscientiam examinet, etiam venialium peccatorum, licèt non sit necessarium; &, vt, mundetur à macula, etiam veniali, si fieri possit, antequam accedat. Saltem doleat de omni culpa, & imperfectione sua.

Tertiò, cum reuerentia, & amore accedat; & reuerẽtia, quia Christum sumpturus accedit; amore, quia summum ab eo recepturus beneficium venit: &, quantum fieri poterit, non diuagetur, sed actualiter consideret; licet, si aliquando diuagatur, non priuetur gratia habituali, quæ in sacramento datur, vt dicit S. Thom 3. p. quæst. 79. artic. 8. Ex his sequitur, cùm isti, qui capite damnantur, omnes has conditiones habere possint, quod non est, cur Eucharistia priuentur, & optimè fierent, si in locis, in quibus hoc non fit, deinceps fieret: nam in antiquis canonibus, hoc habetur præceptum, vt patet 13. quæst. 2. can. quæsitum, & cap. super eo, de hæret. in 6.

De administrante Eucharistiam.

CAPVT XVII.

MInister Eucharistiæ, qui alios est communicaturus, debet esse sacerdos, vt habetur can. peruenit, de consec. d 2. quamuis, ex necessitate, possit ministrare diaconus de licentia Curati, si adsit, & absque ea, si non adsit, vt habetur, d. 93. can. diaconos. Nec sufficit, quòd sit sacerdos, sed debet esse Curatus, & habens iurisdictionem super illum, quẽ communicat, aut de licentia Curati, vel habentis iurisdictionem: alias non potest communicare, etiam extra tempus præcepti; & si religiosus est, incurrit excommunicationem papalem latam Clement. Religiosi, de priuilegijs. Iam tamen multi religiosi habent à Papa hanc facultatem, vt Dominicani, & Franciscani à Leone: nostra etiam Societas IESV habet similem facultatem: tamen in die Paschæ debet quisque communicare in sua parochia, nisi licentiam habeat Curati: & facultates concessæ procedunt de alijs communionibus extra diem hunc.

Minister autem in multis potest delinquere.

Primò, si ministrat Eucharistiam sub vtraque specie, in locis, in quibus non dispensauit summus Pontifex: hoc est prohibitum in Concil. Constantiensi sess. 13. sub pœna excommunicationis.

Secundò, si ministret Eucharistiam infantibus, ante vsum rationis.

Tertiò, si ministret amentibus, extra mortis articulũ. imò nec his tunc ministrare debet, nisi habuerint aliquando iudicium rationis, vt superius dictum est.

Quartò, si ministret infirmis, in quibus est probabile periculum vomitus, aut irreuerentiæ, vt superiùs dictum est.

Quintò, si ministret excommunicatis, etiam minori excommunicatione, scienter: si verò ignoranter faciat, excusatur à peccato, nisi ignorantia sit crassa, quando nulla præmittitur diligentia, & timetur, an, qui accedit, sit excommunicatus.

Sextò, si ministret publicis peccatoribus, ante pœnitentiam publicam, & manifestam; vt, publicis concubinarijs, vsurarijs, histrionibus, & similibus: his enim neganda est Eucharistia,

nisi

nisi pœniteant, & sit nota pœnitentia, vt notum est crimen: ita prohibetur de consecr. distinct. 2. cap. pro dilectione: quamuis occultè posset eis dari Eucharistia, post pœnitentiam secretam, sed non publicè. Occultis verò peccatoribus, si in publico petant, danda est eis Eucharistia, vt habet S. Thom. 3. p. q. 80. art. 6. exemplo Domini, qui suum corpus Iudæ occulto peccatori non denegauit coram alijs: at verò, si in occulto petant, communis est sententia, quòd debet eis negari. Ita tenet Alexan. 4. p. q. 49. mem. 1. & Duran. dist. 9. q. 5. S. Thom. dist 9. art. 5. quæst. 1. & licet aliqui aliter sentiant, securior est opinio communis.

Septimò, peccat etiam minister, si sua culpabili negligentia infirmus decedit è vita sine communione: vbi abusus quorundam est reprehendendus, qui infirmo satis esse putant, si ei corpus Domini ostendatur adorandum: in quo errant; debent enim manducandum dare, nisi causa legitima excuset; vt, quia vomitus timetur, aut deglutire non potest: semper enim sacramentum dispositio dat gradum gratiæ ex opere operato, citra deuotionem receptionis, quo priuatur, qui realiter sacramentum non accipit.

De obligatione communionis.

CAPVT XVIII.

PRæceptum hoc communionis obligat sub peccato mortali: habetur autem hoc præceptum cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. Obligat autem semel in anno, & in die Paschæ, nisi Confessarius aliter expedire iudicauerit. Per diem Paschæ, declarauit Eugenius in bulla, cuius meminit Sylvest. Eucharistia 3. §. 15. à die Iouis Sancti in diem octauum post Pascha. Iam consuetudo obtinet ferè vbique, vt incipiat à die Palmarum, & in aliquibus locis per totam Quadragesimam. Aduertendum tamen, hoc præceptum in duobus differre à præcepto confessionis. Primum est, quòd hoc communionis præceptum debet statuto tempore impleri, adeo quòd, si quis sæpè intra annum communicet, tenetur tamen communicare in die Paschæ ad sensum expositum: at verò, qui semel in anno confitetur quocumq; anni tempore, nō amplius illo anno tenetur cōfiteri, nisi postea morta-

liter

liter peccet, & velit communicari. Tunc ratione communionis præmittenda est confessio. In hoc omnes conueniunt.

Alterum est, qui tempore statuto non communicat, peccat quidem, sed iam non tenetur communicare pro illo anno: sicut, qui non audiuit sacrum in die Dominico, non tenetur audire die lunæ; neque, qui soluit diem ieiunij ex præcepto, tenetur alio die ieiunare; sed peccat, nisi iusta excusetur causa, ita dicit Anton. par. 2. tit. 9. §. 3. & Sylvest. verbo Eucharistia 3. §. 15. Tabien. verbo communicare, §. 7. Medina qu. de confessione. Soto 4. dist. 18. q. 1. art. 4. quamuis Nauar. cap. 21. sum. num. 46. contrarium teneat. At verò, qui non est confessus toto vno anno, semper obligatus manet confiteri; & peccat de nouo, quoties occurrit commoda confitendi occasio. ita habent Soto, & Medina locis citatis: licèt Sylue. loco citato, & Ang. 3. p. tit. 14. c. 19 §. 3. teneant idem esse de confessione dicendum; sed contrarium est probabilius, vt aliàs probauimus, 3. p. q. 80. art. 11. At verò præter hoc tempus, est aliud etiam obligans, pura, in infirmitate, quando timetur probabiliter mors, qui dicitur mortis articulus: tunc enim obligatur communicare, vt habetur, 26. q. 6 de ijs, ex Concilio Nicen. vbi dicitur, legem antiquam esse, communicare in mortis articulo, & ita habet consuetudo Ecclesiæ, quamuis Palud. d. 9, quæst 1. dicat, si quis ante communicauit, non obligari sub mortali, iterum nunc communicare; & probabile hoc est.

De frequentia communicandi.

CAPVT XIX.

PLura dixit de hac materia super 3. p. S. Thom. q. 80. art. 11. At verò, eorum breuis resolutio in aliquibus his conclusionibus consistit.

Prima, nullus de præcepto, & sub mortali tenetur communicare, vltra tempus prædictum in capite præcedenti. Olim quidem frequentior præcipiebatur communio, puta, ter in anno, vt habetur de consecr. d. 2 c. & si non frequentius, in Paschate, Pentecoste, & Natali; at modò præceptum est, semel in anno, prædicto tempore communicandi.

Secunda, laudabilis, & multum vtilis est cõmunio frequentior, & magis assidua.

Hoc

Hoc primò probatur ex eo, quòd Eucharistia instituta est in cibum spiritualem: cibus autem frequens debet esse.

Secundò, quia est continua indigentia, datur enim Eucharistia in venialium remissionem, quæ feruorem charitatis remittunt, & in præseruationem à mortali peccato: homo autē frequenter incidit in venialia, & continuò indiget præseruari à peccato, & in gratia recepta conseruari.

Tertiò ex fructu multiplici, qui prouenit ex communione, de quo suprà diximus. Hoc tamen præcipuè debet inducere homines ad frequentiam, quòd experimur multos varijs peccatis, & grauissimis irretitos, ex frequenti communione sic esse ad dominum conuersos, vt non peccasse videantur.

Tertia, non eadem frequentia omnibus est consulenda, præsertim laicis: sunt enim quidam, qui non multùm pollent cognitione, & discretione, qua sacramenti dignitatem penetrent, vt rustici, & serui, & alij huiusmodi: & his sufficeret singulis mensibus semel communicare, donec magis à Deo per donum intellectus, & sapientiæ illuminarentur. Alij magis callent, sed cura domus, & familiæ, & negotijs secularibus occupati, non possunt ita mentem habere à cogitationibus terrenis alienatam; & his sufficeret singulis quindenis communicare. Alij, licèt occupati negotijs, non tamen tantùm distrahuntur, vt scholastici, & alij etiam coniugati; & his esset expediens singulis communicare dominicis. Frequentior communio non est in vniuersali consulenda, sed remittendum hoc est ad iudiciū Confessariorū; qui interiùs & exterius considerabūt diligenter, quid in particulari cuique sit magis expediens. De communionis frequentia, est singularis canon. August. de consecrat. dist. 2. quotidie communicare, nec laudo, nec vitupero; at singulis dominicis communicare, suadeo, & vehementer exhortor.

De Decimis.

CAPVT XX.

VLtimum Ecclesiæ præceptum est, de solutione decimarum, quòd habetur cap. tua nobis, de decimis. Et in alijs canonibus. Vide S. Thom. 2. 2. q. 87. & Summistas ver. decima.

In cuius declarationem, aduerte primò ex Leuit. 23. quòd Dominus, ex duodecim tribubus, quibus continebatur totus populus Iudaicus, elegit vnam, putà, Leuiticam, ex qua sibi ministros faceret: & quia hi occupati diuino ministerio, non poterant vacare agriculturæ, præcepit alijs tribubus, vt ex his fructibus terræ, quos colligerent, singuli darent decimam partem in sustentationem huius tribus, quæ occupata erat diuino ministerio in templo; & hæc quota dicebatur decima. Quod præceptum fuit iudiciale, & cessauit cum illa lege: tamen quia in noua lege sunt etiam ministri diuino cultui intenti, Pontifices instituerunt, vt eædem decimæ soluerentur in sustentationem ministrorum. Vnde aduerte, quòd solutio decimarum, partim est de iure diuino; nimirum, quantum ad hoc, quòd alantur ministri, & alij ipsos sustentent; immo est de iure naturæ: dignus est enim operarius mercede sua. Tamen, quantum ad quotam partem, quòd sit decima, non octaua, aut vndecima, aut alia, hoc est de iure positiuo ecclesiastico in noua lege; in antiqua enim erat de iure diuino: nam Deus assignauit, tantam partem esse contribuendam.

Aduerte secundò, tres esse species decimarum: quædam sunt prædiales, quæ proueniunt ex terræ fructibus, oleo, frumento, vino, & alijs huiusmodi: & has solum soluebant Iudæi: Quædam sunt personales, quæ soluuntur ex fructibus, quos homo facit sua industria, vt ex venatione, negotiatione, & alijs actibus: Quædam sunt mistę, quę partem ex vno, partem ex altero habent: vt decimæ ex fœtura animalium, quæ ex terra pascuntur, & tamen industria humana opus est. Et hæ soluuntur in lege noua, licèt non omnes in omnibus locis.

Aduerte tertiò, obligari hominem sub peccato mortali soluere decimas, secundum omnes Doctores; tamen hoc intelligendum est, vt dicit Caietan. ver. decima, vbi est consuetudo soluendi, debent solui, & tenet Syluest. verb. decima, §. 9. quòd decimæ debentur ex fructibus, non deductis expensis, nec his, quæ homo seminauit, vel apposuit, sed ex eo toto, quod homo colligit, decima est soluenda: Vbi verò non est consuetudo soluendi, non tenetur homo soluere, dummodò Parochus habeat suam sustentationem; alias tenentur parochiani ipsum alere. Vbi etiam est consuetudo soluendi, non tenetur homo soluere, si is, cui debentur, remittat. In multis locis, præsertim

Italiæ

Italiæ, non est consuetudo soluendi. Aliqui dicunt, quia à principio fuit extracta decima. Quicquid sit, in his locis non obligantur homines soluere: & breuiter dicendo, consuetudo seruanda est, etiam de quota, donec aliud per maiores disponatur.

Aduerte quartò, ex Clem. cupientes, de pœnis, quòd est excommunicatio lata contra eos, qui in concione aliquid dicũt hac intentione, vt auertant animos fidelium à solutione decimarum; sed hæc excommunicatio non est contra omnes Concionatores, sed contra solos religiosos, & ipso facto incurritur; non tamen est Papæ reseruata, sed potest ab Episcopo absolui. Hæc pauca de decimis sufficiant, plura non puto Confessario necessaria esse.

De indulgentijs. Quid sit indulgentia.

CAPVT XXI.

POst completam materiam de pœnitentia, quam per multos libros, & capita digessimus, sequitur materia quædam multùm ipsi annexa, putà, de indulgentijs: nam pœna, quæ sæpè per pœnitentiam non aufertur, per indulgentiam relaxatur. Primum ergo discutiendum est, quid sit indulgentia: videtur autem sic posse describi; est *remissio pœnæ temporalis pro actualibus peccatis debitæ, extra sacramentum facta, ex thesauri ecclesiastici dispensatione*. Pro cuius explicatione aliquot sunt notanda fundamenta.

Primum est, homo pro peccato incurrit culpam, & reatum pœnæ; quamuis non eodem modo in peccato mortali, & veniali. Explico: Cùm homo peccat mortaliter, incurrit culpam, quæ consistit in hoc, quòd perdit amicitiam Dei, & contrahit inimicitiam eius; perdit amorem, & acquirit odium: incurrit etiam pœnam; nam propter hanc culpam, est obligatus pœnæ sempiternæ infernalis ignis post mortem corporalem. At cùm homo venialiter peccat, quamuis sit in gratia, contrahit quandam culpam, sed multò minorem: non enim fit inimicus, neque perdit amicitiam, sed remittitur feruor amicitiæ, vt non cum tanto feruore, & intensione charitatis amet, sicut amabat sine tali culpa. Demum, contrahit etiam reatum pœnæ, sed non æternæ, sed temporalis,

in hoc mundo per pœnitentiam, & satisfactionem soluendæ, vel in Purgatorio post obitum. Est ergo in peccato, tam mortali, quã veniali, tam culpa, quàm pœna. Aduerte ergo, quòd non, quoties remittitur homini culpa, remittitur etiam tota pœna, sed sæpè remittitur culpa, & pars pœnæ tantum. In primis, cùm alicui remittitur peccatum mortale, tunc culpa tota deletur, & remittitur etiam pœna æterna, quantum ad hoc, quòd non manet obligatus ad æternam pœnam; tamen manet illa pœna commutata in temporalem, in hoc mundo, aut in Purgatorio soluendam. Similiter etiam aliquando remittitur culpa venialis, non tamen tota pœna: sicut per aquam benedictam remittuntur venialia, quantum ad culpam, non tamen quantum ad totam pœnam; quamuis, quoties culpa remittitur pars pœnæ remittatur. Aliquando autem tota remittitur, vt in baptismo, in quo omnia peccata, & quantũ ad culpam, & quantum ad totam pœnam remittuntur. Et similiter, cùm aliquis vehementi quadam contritione, & deuotione accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, aut ad aliud sacramentũ: tunc enim pro quantitate talis deuotionis, & cõtritionis, minuitur etiam quantitas pœnæ debitæ.

Sit secundum fundamentum; opera bona iusti hominis, & in gratia existentis duo habent, & sunt meritoria, & sunt satisfactoria. Meritoria quidem, vitæ æternæ, & augmenti gratiæ: nam iusto, per bona opera eius, gratiæ augmentum datur, per quod meretur, vt post mortem maior ei detur gloria essentialiter: sunt etiam eadem opera satisfactoria pro pœnis, quas debet pro mortalibus iam remissis, quoad culpam, & nõ quoad pœnam totam, & etiam pro venialibus. Vnde pro quantitate operum, minuitur etiam quantitas pœnæ temporalis debitæ. Est autem vnum discrimen inter meritum, & satisfactionem hanc, quòd nullus iustus potest per sua opera mereri alteri homini gratiã, sicut meretur sibi: gratia enim non datur à Deo vllis, nisi per opera ipsiusmet gratiam accepturi; quamuis iustus aliquando impetret à Deo, vt det alteri huiusmodi opera, per quæ consequatur gratiam, tamen non meretur de condigno alteri gratiam. Solus Christus Dominus est, qui omnib. nobis meruit gratiam: Gratia enim homini data, ex merito Christi est. Ob id dicitur Ioan. 1. *Habitauit in nobis plenus gratiæ.* At verò vnus Iustus potest pro altero satisfacere, quoad pœnam, sicut pro se: verb. gr. si Petrus ieiunat pro Paulo, remittit Deus pœnam, quam debet Paulus, ac si ipse ieiunaret. Meri-

tum

tum ergo non communicatur ab vno in alterum, sed sola satisfactio.

Tertium sit fundamentum. Multi sunt iusti, qui ob nulla, aut pauciſſima, eaque venialia peccata, quæ committunt, aut nullius, aut paucæ sunt pœnæ debitores: & in his redundat satisfactio, quia illorum bona opera sunt satisfactoria; tamen, quia non debent pœnam, satisfactione non indigent; aut non tanta satisfactione, quia maiora sunt opera, quàm pœna debita. Quòd hoc ita sit, habemus ex scriptura Iob. 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior quasi arena maris, hæc grauior appareret.* Habemus etiam hoc ex capite nostro Christo, qui nullum peccatum fecit, & tamen opera ipsius satisfactoria erant pro pœnis infinitis. Habemus & ex beatissima Virgine Maria, quæ nullum habuit, neque originale peccatum, & tamen opera eius fuerunt maiora omnibus alijs operibus omnium iustorum, præter Christum. Habemus hoc ex Apostolis, ex Martyribus, & ex multis, immò ferè omnibus iustis.

Aduerte tamen, quòd quamuis ista satisfactio non profuerit ipsis, tamen nō perijt, sed prodest nobis omnibus peccatoribus, qui satisfactione indigemus. Dices, quomodo hoc esse potest: Dico hoc fieri, quia vt habetur ad Rom. 12. *Omnes sumus vnum corpus in Christo, ipse caput est, reliqui omnes membra.* Ratione ergo vnionis, quod vnius est, alteri communicatur, cùm ille non indiget, & quia etiam ratione gratiæ cognati sumus, bona aūt vnius in hæredes cognationis transeunt, satisfactio autem Christi prodest, quia ipse caput est, à quo virtus solet in membra diffundi. Omnes ergo istæ satisfactiones Christi, & omnium iustorum à primo Abel, vsque ad vltimum, conseruatæ sunt, & repositæ in isto corpore Ecclesiæ, vt ex ipsis fiat in indigentia membra communicatio: & tales satisfactiones dicuntur thesaurus Ecclesiæ militantis, qui quidem infinitus est; nam sola Christi satisfactio infinita fuit.

Sit quartum fundamentum. In Ecclesia est potestas dispensandi hunc thesaurum membris indigentibus: frustrà enim esset thesaurus, si non esset clauis aperiens, & potestas distribuens. Hæc residet in capite, & Vicario Christi: potest hic dare, & dispēsare thesaurū: Quoties ergo mihi, tibi, vel alijs dat ex hoc thesauro, vt pro nostris debitis pœnis satisfaciamus, tūc talis dispensatio dicitur indulgentia. Vnde Catholicus debet secundum fidem cōfiteri, & asserere has tres veritates.

Prima est, esse hunc thesaurum infinitum satisfactionem Christi, & Sanctorum in Ecclesia: ita determinatur in extrauag. vnigenitus, à Clemente V I.

Secunda est, esse hanc potestatem in Ecclesia, dispensandi membris hunc thesaurum. Hæc determinatur à Concil. Trid. Sess. 25.

Tertia est, esse vtiles indulgentias, & prodesse fidelibus, qui conuenienter eis vtuntur: ita determinatur in Concil. Lateranens. Viennen. Basilien. Ex supradictis facilè est definitionem indulgentiæ intelligere, quæ superiùs posita est, cuius singulæ partes in sequenti capite exponuntur.

Expositio singularum partium definitionis indulgentiæ.

CAPVT XXII.

INdulgentia dicitur remissio, quia per eam fit quædam relaxatio, & condonatio. Vnum tamen nota hic, quòd multum considerandum est, in indulgentia intervenire misericordiam simul, & iustitiam quandam. Sit exemplum, si aliquis debitor, seu damnatus ad triremes, constituitur aliquis loco eius, qui talem patiatur pœnam, hic misericordia quædam est in eo, quòd acceptetur iste, vt pro eo soluat; tamen etiam iustitia quædam est: nam vera est solutio pœnæ. Similiter, cum quis est debitor centum aureorum, & ex ærario publico ei dantur, vt soluat; ita in præsenti, condonatio, & misericordia est, quòd huic detur pœna, & satisfactio alterius; tamen iustitia est; nam pœna soluitur: vnde sanctus Thomas, 4. sent. dist. 20. dixit, indulgentiam non esse tam remissionem, quàm commutationem pœnæ, qua vnius pœna mutatur in pœnam alterius Dicitur ergo indulgentia, remissio, condonatio, relaxatio, respectu illius, cui fit.

Rursus, in definitione dicitur, *pœnæ*, quia culpa non remittitur per indulgentiam, sed pœna debita culpæ. Sacramentum est, quod culpam tollit. Dices, si per indulgentiam non tollitur & culpa, quare in concessione indulgentiarum aliquarum dicitur, *à culpa, & pœna*? Dico, multos Doctores reprehendere istud verbum, & dicunt non esse profectum à sede Apostolica, sed ab istis Quæstuarijs; tamen non est cur ita seuerè re-

preh-

prehendatur: declaratur enim ab Anton. 1. p. tit. 10. c. 3. cùm aliquis accedit ad indulgentias consequendas, supponitur, quòd debet deuotus, & contritus accedere; non enim prosunt existentibus in mortali. Ratione ergo præparationis huius, culpa remittitur, ratione ipsius indulgentiæ, pœna. Ob id, semper ponitur in indulgentia opus aliquod bonum exequendū, quod si bene, & meritoriè fiat, culpa remittitur: Ob id ergo tale verbum ponitur; non tamen, quòd ipsa indulgentia, ratione sui, remittat culpam, sed tantùm pœnam. Rursus, *temporalis*: non enim pœna æterna, quæ mortali debetur peccato, remittitur per indulgentiam, sed per confessionem, vel contritionem, qua ipsa remittitur culpa, *pro actualibus peccatis debitæ*; nam pœnæ pro originali peccato inflictæ, vt mors, morbus, & alia huiusmodi non remittuntur per indulgentias, *extra sacramentum facta*: nam sacramentum ipsum remittit etiam aliquando pœnæ partem, aut totam, non tamen dicitur indulgentia: hæc enim extra sacramentum est.

Additur tandem in definitione, *ex dispensatione Thesauri Ecclesiastici*, quia etiam per bona, quæ quisque extra sacramentum facit, consequitur remissionem pœnæ debitæ pro peccatis, non tamen dicitur indulgentia: hæc enim ex Thesauro Ecclesiæ, vt dictum est, fit. Ex his patet, quid indulgentia sit. Nunc quare sic dicatur, considerandum est. Indulgentia apud Latinos aliquando sumitur in malam partem, pro quadam blanda permissione licentiosa culparum: vnde Valla dicit: Indulgere, est concedere obsequenter, & blandè tribuere: vnde dictum est, *Blanda patrum segnes facit indulgentia natos*. Aliquando sumitur in bonam partem, pro quadam clementia, & lenitate, qua homo non exigit omnia secundum summum rigorem iustitiæ, & ad omnimodam mensuram; vnde dicit Cicero ad Atticum, *Cæsarem, pro sua indulgentia in omnes probaturum spero*. Sic Deus indulget nobis, dum non exequitur rigorem suæ iustitiæ in nos. Quia ergo rigor iustitiæ exigere videtur, vt, qui debet pœnas, soluat, cùm aliena satisfactio alteri tribuitur, indulgentia quædam dicitur. Non est noua indulgentia in Ecclesia Dei, sed antiqua: habetur enim ex verbis Christi Matth. 16. *quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cælis*. Cùm dicitur, *quodcumque*, omne vinculum intelligitur, tam culpæ, quàm pœnæ, & Ioann. 20. *quorum remiseritis peccata*. Peccatum non integrè remittitur, nisi cùm & pœna aufertur: & Christus Dominus suo facto indicauit,

dum paralytico non solùm peccata dimisit, sed eum à pœna liberauit, & adulteram à pœna capitis fecit liberam: & 2. Cor. 2. legimus Paulũ remisisse aliquid pœnæ illi Corinthio. Huius remissionis mentio habetur, imò fit in Concil. Ancyr. can. 2. & Nicen. c. 11. & Chalce. act. 1. In quibus remissiones aliquot pœnarũ factas legimus, licèt non tam amplas, vt modò fiunt; quia tunc illi homines feruentiores erant in bonis operibus, & minùs indigebant indulgentijs, quam nos; tamen tunc indulgentiæ erant. Quæ Concilia antiquissima sunt, & idem in multis alijs Concilijs inuenitur.

De modo concedendi indulgentias in communi.

CAPVT XXIII.

POst eius definitionem, nunc, quibus modis indulgentia concedatur, considerandum est. In cuius rei declarationem sunt aliquot prænotanda.

Primum est, duplex quantitas in aliqua pœna consideratur, vna extensionis, quæ attenditur secundum maius, aut minus tempus, quo talis pœna durat. Altera intensionis, quæ secundum grauitatem ipsius pœnæ attenditur. Potest autẽ esse, quod vna pœna sit maior altera quantum ad extensionem, non tamen quantum ad intensionem.

Hoc supposito, aduerte, pœnam Purgatorij esse maiorem pœna huius mundi, quæ pro peccatis datur, quantum ad intensionem, non tamen quantum ad extensionem: plus enim durat pœnitentia pro vno peccato in hoc mundo, quam in altero; tamen non est tam acerba pœna, idque meritò: nam in isto mundo homo debet esse alijs intentus, & vacare operibus necessarijs ad vitam, hoc non posset præstare, si pœna vnius anni esset vna hebdomada subeunda: tunc enim deberet esse intensa multùm, & homo vix posset alteri operi attendere.

Secundò, quia homo debet conseruare vitam temporalem corporis, cui multum nocet pœna multum intensa.

Tertiò, quia homo debet omni tempore bona operari, ad quod inducitur magis per pœnitentiam extensiorem. In Purgatorio verò, non sic, sed pœna debet esse grauior, & acerbior,

quia

quia locus est satisfaciendi, in quo diuina iustitia exercetur. Debet etiam esse breuior, ne animæ iam Deo inseparabiliter adhærentes diuino aspectu multo priuentur tempore.

Secundò notandum est, olim in pœnitentiæ foro dari solitas pœnas graues pro vno mortali peccato: hoc enim commune erat, vt pro vno simplici mortali infligerentur septem anni pro pœnitentia, aliquando verò plures duodecim, secundum grauitatem peccati. Cuius rei aliquot sunt exempla in Concil Eliberitano c.5. pro homicidio casuali infligebantur quinque anni; pro voluntario verò, quia erat mortale, septem. & in c.64. pro adulterio infligebatur pœna decem annorum: & in synodo Romana sub Syl. vt habetur 82.d. can. presbyter, fornicario sacerdoti infligebatur pœna decem annorum, & 30.q.1.can.si quis sacerdos, habetur quòd rem cum filia spirituali habenti infligebatur pœna duodecim annorum peregrinationis, & post peregrinationem, perpetuo claudebatur monasterio. Huiusmodi sunt multi antiqui Canones. Circa quas pœnas notandum est, non respondere omnino tempus pœnæ purgatorij pœnis huius mundi: v.g. si quis imposita pœna decem annorum, & ea non impleta, obiret, non puniretur in Purgatorio decem annis; & ratio est, quia in purgatorio pœna est acerbior; & breuior pœna, quātum ad extensionem, æquatur alteri extensiori, sed minus intensæ. Rursus notandum est, non esse istam canonicam pœnam totam, qua homo propter peccatum dignus erat secundum Dei iustitiam; si enim taxandum esset demeritum, adhuc maior, & quoad intensionem, & quoad extensionem pœna esset infligenda. Vnde fit, vt non semper illa pœna soluta, statim homo euolet ad cœlū, sicut nec modò soluta pœna in confessione imposita, sed aliquid restat in Purgatorio soluendum.

Tertiò notandum est, ex S. Thom. dist 20. & Alberto & Antonino, p.p.tit.10. cap.10. quòd indulgentia non solum remittit pœnam, quæ secundum canones infligitur, aut infligenda esset, & consequenter pœnam purgatorij, quæ ei respondet, sed & remittit pœnam, quæ secundum Dei iustitiam esset infligenda. Vnde cùm remittitur pœna vnius peccati mortalis deleti quoad culpam per indulgentiam, tunc nulla pœna restat illius soluenda; cum autem remittitur pœna omnium, tūc omninò liber est homo ab omni pœna. Ista autem pœna computatur secundum dies, seu tempus huius sæculi. Ex quo intel-

liges rationem, quare in indulgentijs aliquando concedantur mille, & plures anni indulgentiarum : nam remittitur pœna, pro qua homo deberet satisfacere per mille annos pœnitentiæ in hoc mundo. Nec mireris tantam summam annorum; nam multi plura peccata mortalia mille commiserunt, & secundum canones deberent septem millia annorum in pœnitentia transigere : &, si essent secundum iustitiam Dei pœnæ infligendæ; adhuc plures essent ; quamuis in Purgatorio non sit ista pœna soluenda tam extensa, sed in maxima parte conuertenda in intensiorem. totum hoc deletur per indulgentiam.

Quartò, notandum est cum communi sententia contra Caiet. quod cùm absolutè conceditur indulgentia, non apponendo illam particulam, *de iniunctis*, tunc valet quantum ad remissionem pœnarum, quæ in confessione nobis iniunguntur à Confessario, & quæ etiam essent iniungendæ, vel in confessione, vel in Dei iusto iudicio, & modò sub tali forma conceduntur. Ex hoc sequitur vnum illud, nimirum, quòd per indulgentias concessas satisfacit homo pœnis impositis in confessione; vt, si confessarius imposuit ei disciplinam, ieiunium, eleemosynam, vel similia aliqua opera exercenda, si indulgentiam consequatur, non tenetur illas subire pœnas, vt habet Anton. loco citato, Sylu. Armill. ver. indulgentia. Duran. dist. 20. quæst. 4. & ita omnes sentiunt. Tamen optimum consilium est, illas implere pœnitentias: & quamuis multæ huius sint causæ, hæc vna est præcipua : nam per illa opera homo consequitur augmentum gratiæ ; per solam verò indulgentiam pœnæ remissio fit: plus autem valet vnus gradus gratiæ, quàm magna pœnæ remissio.

De modis particularibus indulgentiarum.

CAPVT XXIV.

HIs suppositis, facilè erit modos plures, quibus indulgentiæ conceduntur intelligere. Hi autem sunt sex.

Primus est, cùm conceditur indulgentia plenaria, & tunc remittitur pœna peccatorum mortalium remissorum, & venialium; ita vt nec vlla in hoc mundo, nec in Purgatorio maneat soluenda pro illis, si debitè sit homo consecutus indulgentiam. Aliqui ponunt differentiam inter plenam, & plenio-

niorem,& pleniſſimam indulgentiam;inter quos eſt Palud. d. 20.q.4.ſed communiter nulla ponitur differentia in re.

Secundus modus eſt, cùm conceditur limitata indulgentia tertiæ,aut quartæ partis peccatorum,& nihil amplius; & tunc intelligitur de pœna debita pro tanta parte peccatorum mortaliũ,& venialium,quanta ſignatur in indulgentia.

Tertius,cùm conceditur limitata indulgentia temporis,vt mille annorum,aut bis mille,aut plurium,aut pauciorum; & tunc remittitur pœna illa,quæ remitteretur, ſi homo illo tempore toto pœniteret, ſecundum canones, aut ſecundum Dei iuſtitiam pœnitentia taxata, & conſequenter pœna purgatorij ei reſpondens.

Quartus modus eſt,cùm conceditur indulgentia annorum aut temporis alicuius,cum numero quarentenarum. In cuius gratiam nota,iſtas quarentenas eſſe dierum,nec debere computari extra tempus annorum conceſſorum; &,ſi conceduntur viginti anni,& decem quarentenæ, iſtæ quarentenæ ſunt etiam in illis viginti annis.Scito enim,cùm olim pro peccato infligebatur pœna ſeptem,aut plurium annorum, non in his æqualis erat ſubeunda pœna;ſed erant certi dies, in quibus acrior multò pœna dabatur,& hi dies intelliguntur per quarentenas:v.g.d.82.can.presb.imponitur ſacerdoti fornicario pœnitentia decem annorum, ſed arctior in tribus menſibus primis, vt nimirũ remotus à quacumq; conuerſatione,pane tantùm veſcatur,& aquam puram bibat, & in diebus feſtis paruis piſciculis,& leguminibus,& modico vtatur vino,reliquo tempore non tam arcta erat pœnitentia. Huiuſmodi ergo arctiores pœnæ dicebantur quarentenæ; modo autem remittitur per indulgentiam pœna purgatorij,quę remitteretur,ſi homo talem faceret pœnitentiam.

Quintus modus eſt,cùm conceditur indulgentia tot annorum,& aliquando plenaria,& adiungitur cum tertia parte peccatorum,vel quarta parte, & aliquando à tota pœna & culpa, & tunc per culpam,ſeu tantam partem peccatorum poſſumus intelligere venialia ipſa. In cuius gratiam,nota vnum ex Palud.d.20.q.4.& Anton.1.p.tit,10.c.3.§.1.per opus ipſum, quod in indulgentia ab homine exhibetur, nimirum,per *Pater noſter*,aut eleemoſynam,aut quid ſimile, cum ipſa indulgentia remitti venialia omnia aut tantã partem ſignatam;quod opus per ſe non poterat facere tantam remiſſionem: Eccleſia enim habet poteſtatẽ inſtituendi ſacramentale in remiſſionẽ venia-

lium

lium culparum ; vnde ficut deuotio, quæ adhibetur in sumptione aquæ benedictæ, aut benedictionis Episcopalis, remittit venialia, ratione ipsius sacramentalis, ita & de indulgentia. Et hæc est optima declaratio profecto huius modi concedendi indulgentias, quò numquam sedes Apostolica vteretur, nisi aliquid verum contineret.

Vltimus modus est, cùm conceditur indulgentia Iubilæi. Et quidem ista indulgentia non differt per se à plenaria à culpa, & à pœna, nisi in adiuncto; quia frequenter in Iubilæo conceditur facultas absoluendi à reseruatis casibus, & commutandi vota multa ; olim non concedebatur nisi rarissimè. Bonif. 8. extrauag. antiquorum; qui videtur fuisse primus, qui concessit indulgentias plenarias, concessit hoc Iubilæum centesimo quoque anno visitantibus vrbem Romanam, ob reuerentiam sedis, quæ in ea est, & vt fideles in fide confirmarentur, & in charitate accenderentur visitantes Martyrum sepulchra: posteà Clem. 6. in extrauag. vnigenitus, transtulit in quinquagesimum quemque annum. Posteà Paulus II. in vigesimum quintum quemque; & sic manet: Nomen Iubilæi venit ab Hebræo nomine יובל, quod significat corru arietis: solebant enim Iudæi in signum liberationis alicuius sonare hoc cornu, quia Dominus liberauit Isaac offerendo arietem, quem Abraham sacrificauit loco Isaac. Vnde Leu. 25. in anno illo quinquagesimo, quo tanta liberatio fiebat, tunc enim vacabat terra à labore, tunc possessiones venditæ redibant ad Dominos suos; tunc serui ex filijs Israel liberi erant, solebant vti sonitu cornu huius: ob id, ille annus dicebatur Iubilei; & sic apud nos ob tantam remissionem spiritualem indulgentiarum dicitur, Iubilæum, id est, remissio, sumpta significatione seu analogia à prædicta causa.

Quis possit indulgentias concedere.

CAPVT XXV.

INdulgentias concedere possunt Pontifices, Concilium generale, Episcopus, & Legati Pontificis, sed cum triplici discrimine.

Primum est, Pontifex, & generale Concilium possunt indulgentias concedere, etiam plenarias, & sic concessit Concil.

Later.

Lateranen. indulgen: plenariam; similiter quorumcumq; annorum: at verò Episcopi, Legati, & Archiepiscopi tantū quadraginta dierum, & in dedicatione Ecclesiæ, vnius anni: ita habetur cap. cùm ex eo. & cap. nostro, de pœnit, & remiss. vbi restringitur Episcopo, & Archiepiscopo potestas ista dandi indulgentias. Felin. autem in tract. de indulgentijs, idem dicit esse iudicium de Legato.

Secundum est, quòd Pontifex & Concilium possunt perpetuas concedere indulgētias: at verò reliqui temporales solùm præter Legatum, qui potest suas indulgentias perpetuas facere. cap. fin. de offic. deleg.

Tertium est, quòd Pontifex in toto mundo concedere potest indulgentias: at verò Episcopi in sua diœcesi, & Archiepiscopi in sua prouincia, vt habetur in alleg. cap. Legatus autem tantùm in sua legatione. Hæc dicta sunt citra speciale priuilegium Pontificis: potest enim concedere alicui maiorem potestatem concedendi indulgentias. Cardinales etiam habent facultatem à Papa concedendi indulgentiam certam.

Indulgentia prodest mortuis in Purgatorio.

CAPVT XXVI.

NOn solùm viuis, vt statim dicemus, prodest indulgentia, sed & mortuis. Et hęc veritas fide tenenda est: si quis enim negaret, indulgentiam quidpiam prodesse existentibus in Purgatorio, esset hæreticus, tum quia obuiaret determinationi Concilij Tridentini sess. vlt. vbi hæc veritas catholica stabilitur; tum quia contradiceret vtili ritui Ecclesiæ, quæ indulgentias mortuis applicat; tum quia negaret facta multorum Pontificum, qui animabus Purgatorij indulgentias concesserunt; tum etiam contraueniret rationi ex scriptura sumptæ Machab. li. 2. ca. 4. *sanctum est, & salubre pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Si ergo bona opera fidelis boni & iusti, pſunt mortuis, multò magis satisfactio, & opera matris Dei, Apostolorum, Martyrum, Sanctorum, quæ applicanda Ecclesiæ vt matri reliquerunt. Quo autem modo prosint indulgentiæ mortuis considerandum est; circa quod dico aliqua.

Primum

Primum est, indulgentias prodesse mortuis per modũ suffragij, hoc patet ex multis Pontificibus, qui modo hoc rales indulgentias concesserunt. Paschalis enim I. concessit Ecclesiæ S. Praxedis indulgentias pro mortuis, per modum suffragij, qui ferè fuit primus, qui pro mortuis concessit iam a quadringentis annis. Has easdem indulgentias vndecim sequentes Pontifices confirmarunt, vt habetur in Bulla S. Praxedis. Rursus, Sixtus, & Calixtus hoc modo eas concesserunt, vt refert Gabr. lect. 57. super canonem, & Leo X. in epistola ad Cajetan. declarauit, viuis, per modum absolutionis, mortuis per modũ suffragij prodesse: & Pius Quartus sic etiam nostro tempore voce viua declarat eas prodesse. Rursus, omnes Doctores Scholastici ferè hoc modo docent indulgentias ad mortuos peruenire.

Secundum est, secundum communem sententiam antiquorum Theologorum, dare indulgentias per modum suffragij, est liberare a pœna, applicando solum satisfactiones aliorum in pretium. Sit exemplum: Est aliquis in carcere, comprehensus à iudice ob debitum centum aureorum: aliquis amicus pro illo dat centum aureos ex thesauro publico; hic verè dicitur liberare eum à carcere, sed aliter quàm iudex: hic enim per modum potestatis & absolutionis iuridicè liberat; amicus verò per modum adiuuantis & offerentis pretium liberationis. Sic intelligas, Pontificem per indulgentias liberare à pœna debita viuos per modum potestatis & absolutionis, quam exercet super terram; at mortuos, per modum adiuuantis, offerendo id, quod soluere tenebantur: & hoc est per modum suffragij. Ita explicant Alex. 4 p. q. 83. membr. 5. & Bonaudro. q. 5. Dicitur, & ob aliam causam dare indulgentiam mortuis per modum suffragij, quia viui pro mortuis faciunt illud opus, quod in consecutione indulgẽtiarum imponitur; & quia causa, pro qua datur viuis, etiam se extendit ad mortuos. Viui ergo suffragantur in opere, & in causa mortuis, quantum ad indulgentiarum consecutionem. Hic est modus suffragij, secundum communiorem Doctorum sentẽtiam. Non tamen hinc existimes indulgentias esse incertas mortuis, quia Ecclesia applicat per modum suffragij: semper enim eas Deus acceptat, sicut etiam pro viuis: hoc enim est ex pacto diuino, seu ex merito Christi satisfactionum, & Sanctorum, quod prosint indigentibus membris. Vnde malè in hac parte loquutus est Cajetanus, qui dixit esse incertas; quod profectò est contra Ec-

clesiæ

cleſiæ dignitatem & ritum: non enim oraret, niſi cognoſceret mortuis prodeſſe, vt expreſsè dicit Dion. cap. 7. de Eccleſiaſt. Hierarch.

Tertium eſt, ſi quis ſit in peccato mortali, dum ſumit pro mortuis indulgentias, faciendo id opus, per quod eis applicãtur in peccato, indulgentiæ valent mortuis ipſis, qui in gratia Dei ſunt, & in purgatorio detinentur. Aliqui tenent, nihil prodeſſe, ſed mihi magis placet quod dixi, & ita Gab. ſentit lect. 57. ſuper can. Et ratio eſt, quia ratio ſatisfactionis, ſeu pretium pœnarum, non eſt opus illius, qui eſt in peccato, ſed indulgentia ipſa, & theſaurus meritorum Chriſti, & Sanctorum. Illud autem opus particulare, per quod indulgentiæ applicantur, fit ab illo, nomine Eccleſiæ, in qua numquam deeſt gratia. Opus autem, cùm ab aliquo fit nomine alterius, non perdit valorem, quamuis, qui facit immediatè, non ſit in gratia: ſicut qui dat eleemoſynam per ſeruum, qui dum dat, cum vana gloria dat, non perdit valorem, ſi, qui iuſſit, bene iuſſerit dandam. Eccleſia autem eſt, quæ conſtituit viuos, vt conſequantur indulgentias pro mortuis: opera viuorum huiuſmodi non perdunt valorem pro mortuis, licèt inſtrumenta, per quæ fiunt, mala ſint.

Quòd indulgentia proſit viuis.

CAPVT XXVII.

INdulgentiam in hac adhuc vita exiſtentibus prodeſſe, ſatis aperte ſuperiùs oſtendimus, fide catholica eſſe firmiter tenendum; non tamen modo eodem, quo mortuis, ſed per modum abſolutionis & poteſtatis iuridicæ, quam Papa habet in viuos, vt explicauimus; vnde, non dicuntur indulgentiæ viuis per modum ſuffragij concedi. Aduertendum tamen, eos, quibus ſuffragia profutura ſunt, debere quibuſdam conditionibus non carere.

Quarum prima eſt, quòd in gratia ſint: exiſtentibus enim in mortali non proſunt indulgentiæ; & ratio huius eſt, nam ſatisfactio vnius non prodeſt alteri, niſi quia coniunctus eſt ei in vno corpore myſtico; quæ coniunctio ſit per gratiam: in hoc autem indulgentia fundatur, vt diximus.

Secunda eſt, quòd ſit cauſa pia, propter quam indulgentia conceditur: non enim indulgentia concedi debet abſq; cauſa

pia:

pia:illa autem est pia causa, quæ ad Dei honorem, vel Ecclesiæ vtilitatem pertinet.

Tertia, aliquod opus particulare, per quod singulis indulgentia applicatur; vt visitatio templi, vel eleemosyna, vel aliquid simile: hoc autem eatenus est necessarium, quatenus pertinet ad piam causam, propter quam datur indulgentia: non enim idem sunt, causa, & opus particulare: aliquando enim posset esse causa magna, & opus paruum; vt, si indulgentia cōcedatur, vt omnes orent pro vna vrgenti Ecclesiæ necessitate, tunc magna est causa, præsens necessitas Ecclesiæ; at opus potest esse paruum, putà, vnum, *Pater noster*: immo aliquando posset dari sine tali opere, sed cum sola causa; vt, si illis, qui Ecclesiam defenderunt, Pontifex simpliciter indulgentiam concederet. Quando verò imponitur opus aliquod in indulgentia, tunc implendum est; aliter homo non consequeretur indulgentiam. Dubium autem posset hic suboriri, si quis opus hoc facit in mortali, cùm tamen consequenda est indulgentia, est in gratia, an obtineat indulgentiam: v.g. datur indulgētia ter ieiunantibus in hebdomada, & in dominica communicantibus, quando indulgentiam consequuntur, si quis ieiunauit in peccato, tamen pœnituit in dominica, an consequatur indulgentiam; aliqui negant, sed contrarium magis placet mihi, quòd consequatur. Et ita tenet Ant. 1.p.tit. 10.c.3. Sylu. v.indulgen.§.32.Sot.4.d.21.q.2.art.3. Duo tamen hic sunt notanda.

Alterum est, cùm dicitur in indulgentia, confessis & contritis, non est opus confiteri statim, nisi alijs verbis explicetur hoc in concessione, sed satis est illo anno fuisse confessum, & habere tunc contritionem cum proposito confitendi tempore debito. Ita tenet Sylu. ver. indulgentia. §.20. Armilla ver. indulgentia, §.18. Panor. super cap. omnis vtriusque sexus, de pœniten, & remiss.

Alterum est, cùm in Iubilæis quibusdam conceditur facultas absoluendi à casibus aliquibus reseruatis, si fortè qui confessus est, & oblitus est, absq; sua culpa, alicuius reseruati, posteà recordetur, potest absolui à quolibet Cōfessario proprio, ac si tale peccatum non esset reseruatum, quamuis alias habuisset censuras: nam verè per illam confessionem remissum est. Confessio enim & indulgentia extendunt se, non solùm ab ore confessa, sed etiam ad oblita, facta tamen morali negligentia.

De causa indulgentiæ, seu ipsius valore.

CAPVT XXVIII.

ALiqui dubitant, an magnæ indulgentiæ concessæ pro causis paruis sint validæ, & respondent negatiuè. Inter quos sunt Adria. & Caiet. opusc. de indulgentia: dicūt enim, indulgentias magnas pro exiguis causis concessas, esse nullas: alij dicunt non esse prorsus nullas, sed valere aliquid, quantum talis causa exigit. At verò mihi videtur, per aliquot dicta esse ad hoc respondendum.

Primò, peccat ac malefacit, qui pro causa parua indulgentias largissimas concedit.

Hoc probatur prima, quia non est dominus, sed dispensator, collator indulgentiarum. Dispensatoris autem est, conuenienti causa res sibi creditas dispensare, & distribuere.

Probatur secundò, quia maiores nostri non nisi ob graues causas concedebant indulgentias, nedum magnas. Sic Gregorius concessit indulgentias in stationibus Romæ, in quibus, licet sit causa magna, non est data indulgētia plenaria, sed determinatorum annorum. Vt autem intelligas stationum originem, aduerte ex Tertulliano cap. 39. Apolog. ex tempore persecutionis, Christianos solere noctu conuenire in Basilicas Martyrum, tum ad laudes Dei & orationes, tum ad precandum pro bono communi. putà, pace, Imperatore, statu Ecclesiæ, & alijs; tum ad negotia circa religionem tractandum; tum ad corrigendum fratres, qui non benè ambulabāt: posteà persecutione cessante, fideles remittebātur, & negligentes iam erant in stationibus continuandis, propter quod Gregorius ad attrahendos animos fidelium, ne vacarent à diuinis laudibus, & ne à reuerentia martyrum remitterentur, adiunxit magnas indulgentias visitantibus loca. Et quamuis olim noctu solebant fideles esse in oratione, & visitare ea loca, propter pec cata euenientia factum est, vt die ista fierent; mansit autem idem nomen stationis: hoc enim nomen inter alia significata, significat locum, in quo frequenter conueniri solet ad negotia aliqua tractanda. Ex hoc potest conspici, non nisi ob grauē causam indulgentias concessas esse, non quòd debeat esse æqualis causa indulgentiæ, hoc enim non est necessarium, sed quod proportionaliter sit causa magna respectu eius, propter quam dantur paruæ indulgentiæ.

Secundum dictum est. Indulgentiæ magnæ, etiam propter uis causis concessæ, validæ sunt in totum. Tamen verum illud est, quod dici solet, indulgentiæ tantùm valent, quantum sonant. Quamuis ergo malè faciat qui sic eas dat, tamen dare tenent. Hoc mihi persuadeo, propter authoritatem multorum qui id asserunt: ita enim tenet S. Thom. 4. d. 20. q. 4. art. 3. Dur. Palud. ibid q. 4. Anton. 1. p. tit. 10. cap. 3. Sylu. verb. indulgentia. q. 3. Gloss. extrauag. antiquorum, Gabr. supplem. d. 45. q. 3 art. 1. Rursus hoc mihi persuadeo propter cap. cum ex eo, de pœnit. & remiss. vbi dicitur, per indiscretas indulgentias claues contemni, & pœnitentias sacramentales eneruari. Si ergo pœnitentiæ impositæ in confessione eneruantur, propter huiusmodi indulgentias, ergo valorem habent: propterea etiam quia minùs est inconueniens dicere potiùs Pontificem non benè facere concedendo tales indulgentias, quàm asserere, ipsum errare, & populum decipi. Non ergo dubitandum est, esse validas, quamuis, vt benè concedantur, debeant cum causis rationabilibus, & proportionatis dari.

Tertium dictum est: quilibet inferior debet existimare Pontifices habere causas sufficientes in concedendis indulgentiis, nec debet temerè iudicare maiorum facta, licèt suo ingenio non appareant ita magnæ rationes. Circa huiusmodi indulgentias hoc notandum est. Quando aliquæ harum ad certum tempus conceduntur, vnus non potest consequi, nisi semel; cùm verò sunt perpetuæ, & conceditur indulgentia plenaria visitantibus locum aliquem, & indulgentia hęc perpetuo manet, tunc obtinetur toties, quoties aliquis visitauerit. Ergo, vt ait D. Tho. loco citato, est perpetua indulgentia 40. dierum, visitantibus templum S. Petri Romæ, obtinetur enim toties quoties, etiam in vno die.

Laus Deo. Finis libri Sexti.

IN-

INSTRVCTIONIS SACERDOTVM, LIBER VII.

Quid sit matrimonium.

CAPVT I.

HOC vltimo instructionis huius libro, de vltimo sacramento agendum est, putà, de matrimonio. Ante omnia autem opus est, quid sit, statuere. Videtur autem sic posse definiri. Est *contractus viri & fœminæ legitimus, quo mutua corporum traditur potestas, gratiæ spiritualis collatiuus.*

In hac definitione aliquot sunt partes.

Prima est, *contractus*: hoc enim sacramentum ab alijs differt in eo, quod istud est contractus quidam naturalis inter duas personas, non quasliber, sed virum & fœminam; ob id, additur prima pars, *viri, & fœminæ*. At quia non omnis vir cum qualibet fœmina potest hunc tractare contractum, sed sunt multa impedimenta, de quibus statim dicemus, ob id dictum est in definitione, *legitimus*. Et rursus, in quarta parte describitur, circa quid versetur iste contractus, & dicitur, quod per ipsum vir accipit potestatem super corpus fœminæ, & fœmina accipit potestatem super viri corpus, in his, quæ ad vitam cõmunem, & filiorum procreationem pertinent. Dicitur autem, *traditur*, de præsenti: nam cùm fit solùm promissio quædam futuræ traditionis, tunc non matrimonium, sed sponsalia dicuntur. Vltima pars est, *gratiæ collatiuus*: non enim matrimonium est purus contractus, sicut venditiones, locationes, mutua, & alia huiusmodi, sed est etiam sacramentum, ob id gratiam dignè suscipientibus confert, sicut vnum ex alijs sacramentis: in quo multum errauit Duran. 4. distinct. 26. quæst. 3. qui dicit matrimonium non esse sacramentum, sicut

vnum ex alijs, nec gratiam conferre ex opere operato suscipientibus, quod etiam dicit Gloss. 1 qu. 1. cap. quicquid sed ista est hæretica sententia reprobata in Concil. Trid. sess. 24. can. 1. vbi statuitur matrimonium esse verè, & propriè sacramentum, vt vnum ex alijs: & sess. 7. can. 6. & 7. vbi statuitur, quodlibet sacramentum esse gratiæ collatiuum, & conferre dignè suscipientibus. Hic tamen notandum est multùm differre matrimonium in lege Euangelica inter fideles, & inter Paganos factum; est enim triplex discrimen.

Primum est, matrimonium infidelium est purus contractus naturalis, non tamen est sacramentum; immò in lege naturæ, & lege Iudaica erat solus contractus: at inter fideles in lege Christi, est etiam sacramentum. Christus enim contractum ipsum naturalem ordinauit in sacramentum: vnde in Concil. Trid. sess. 7. determinatur, omnia septem sacramenta à Christo instituta fuisse.

Hinc sequitur secundum discrimen, quod extra Ecclesiam contractus hic non dat gratiam contractantibus ex opere operato, nec dabat illam in lege naturæ aut veteri: at in lege Christi dat gratiam, quia sacramentum est.

Tertium discrimen, Actus coniugalis extra Ecclesiam non est meritorius, sed tantùm est licitus: Infideles enim qui rectè matrimonium contractant, non peccant in copula carnali? at verò fideles, si in gratia sint, & ob debitum finem actu hoc vtantur, merentur in ipso actu, sicut in alio bono opere, vt dicit S. Thom. in addit. q. 46. art. 6. Tunc autem est debitus finis, quando actus fit ex iustitiæ zelo & religione, vt homo faciat id, ob quod, & in quod matrimonium est institutum: in quo fuit hæresis Manichæorum, qui nuptias damnabant: dicentes talem actum esse peccatum mortale: sed damnata est hæresis in Concil. Florentin. & cap. ad abolendam, de hæret. Hinc patet quid sit matrimonium.

De causis matrimonij.

CAPVT II.

QVatuor causę sunt in matrimonio; finalis, efficiens, forma, & materia. Finis matrimonij triplex est.

Primus est, bonum prolis, puta, vt filij procreentur, procreati educentur, educati instituantur.

Secun-

Secundus est, in remedium concupiscentiæ : homo enim post originale peccatum multùm procliuis remansit in actũ carnis. Instituit ergo Deus matrimonium, vt homo concupiscentiæ aliquod remedium haberet, posset q; absque peccato talem actùm exercere. Et hoc est, quod dicit Paulus 1. Corinth. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere, tamen propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat.* Vnde status coniugatorum bonus est, & in eo saluus potest esse homo, si rectè iuxta statum viuat, tamen perfectior est status cælibatus, vt determinatur Concil. Tridentin. sess. 24. can. 10. & oppositum dicere, esset incidere in hæresim Lutheri.

Tertius finis est, mutua obsequia viri & vxoris : homo enim indigens factus est, nec potest vir sibi in omnibus prouidere, nec sola mulier, at simul vterque coniunctus sibi in necessarijs prouidet. Hic est finis matrimonij. Efficiens causa sunt ipsi contrahentes, inquantum est contractus quidam ; at verò vt sacramentum, tum Deus est causa principalis, & minister est causa instrumentalis, sicut in alijs sacramentis. Materia est consensus interior vtriusque, quo consentiunt in vnionem quandam mutuam. Forma autem sunt signa exteriora, verba, aut nutus, aut alia huiusmodi, quibus exprimitur cònsensus, siue fiant per se, siue per Procuratores. Hæ sunt causæ in matrimonio: tamen notandum est discrimen inter eas. Finis non est necessarius in actu in contrahentibus; quamuis enim intendant contrahere ob malum aliquem finem, matrimonium erit, licèt peccent sic contrahentes : finis enim prædictus triplex, vt suprà diximus, est ipsius matrimonij ex se, & ex institutione sua, non ex parte contrahentium. Minister ante Concil. Trid. non erat necessarius, quia poterat esse verum matrimonium sine ministro ; at vero sess. 24. cap. 1. de reformat. est adnullatum matrimonium clandestinum; & statuitur, vt, nisi adsit Ordinarius vel Curatus, aut sacerdos de ipsorum licentia, & ad minus duo testes, tunc nullum sit matrimoniũ. Dico igitur, quòd pertinet ad essentiam matrimonij minister cum testibus, at antè non pertinebat. Reliqua duo semper fuerunt necessaria. Ad matrimonium enim non est necessarius consensus vtriusque: nec sufficit vnius, sed debet esse amborũ, aliàs non est matrimonium : Rursus est necessarium signum aliquod sensibile, quo exprimatur talis consensus ; aliter non est matrimonium, licèt sit consensus ; sicut nec est matrimo-

nium, quando est signum exterius, & non est interior consensus: quamuis hoc secundum in foro exteriori reputetur matrimonium, qui præsumitur consensus interior, sed vere corã Deo non est. Ecclesia tamen iudicat de exterioribus, ob id, reputat pro matrimonio, non tamen in foro interiori confessionis, quod vocant forum poli, seu forum Dei. Hæc de causis matrimonij.

De impedimento erroris, & conditionis.

CAPVT III.

IMpedimenta, quæ impediunt contractum hunc matrimonij inter virum & vxorem, sunt in duplici differentia. Quædam sunt talia, quæ non solum vetant quominus attentetur matrimonium, sed, etiam si attentatum fuerit, nullum est matrimonium, & dicuntur impedimenta impedientia contrahendum, & dirimentia contractum. Quædam alia sunt, quæ prohibent ne contrahatur, tamen, si contractum fuerit, tenet, & est verum matrimonium; peccauit tamen, qui attentauit contrahere contra impedimentum. De impedimentis prioris generis, quæ nullum faciunt matrimonium, etiam si attentatus sit contractus, loquendum est prius: hæc autem sunt multa, quibusdam versibus contenta, quæ talia sunt.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Hæc celebranda vetant connubia, facta retractant.

Singula horum suo ordine sunt explicanda.

Primum impedimentum est, erroris. Potest autem error & deceptio esse in duobus; aut in substantia personæ, puta, cum coniux putat alterum esse talem personam, puta Petrum, & non est, Mariam, & non est; sicut Iacob putabat esse Rachel, & erat Lia. Aut potest esse error in qualitate personæ, vt, cum putat, quod sit diues, nobilis, virgo, & non est. Iuxta hanc distinctionem.

Dico primò, Error in qualitate personæ non dissoluit matrimonium: v.g. si quis duxit aliquam, existimans esse virginem, & non erat, matrimonium tenet. Rursus, si quæ nupsit alicui putans esse nobilem & diuitem, & non erat, licet erroris

causa

causa fit ipse coniux, quia se talem esse mentitur, nihilominus matrimonium est verum.

Dico secundò, Error in substantia personæ dirimit contractum: verbi graria, Maria nubit Petro, existimans esse Ioannem, non est matrimonium; & similiter ex parte viri, si error sit circa personam fœminæ. Vtraque propositio habetur, 29. q.1.cap.1.

Dico tertiò; Aliquando error videtur esse circa substãtiam, & est circa qualitatem; aliquando fit è contrà: v.g. si qua nubat alicui, putans esse filium Ducis, aut primogenitum, tunc iste error est examinandus: nam potest esse substantiæ, si mulier determinabat Ducem, & patrem, putà, quia putabat esse illam personam, quæ est filius talis Ducis; aut illum, qui est primogenitus talis patris, & tunc nullum est matrimonium: quòd si ipsa considerabat in generali Ducem, & patrem, putà, putans illum esse filium Ducis, sicut putabat esse nobilem, aut diuitẽ, sic & primogenitum, tunc error est in qualitate, & non impedit. Vide Nauar. sum. cap. 22. num. 32.

Secundum impedimentum est cõditionis. Circa quod sunt notandæ quatuor propositiones, per quas resoluuntur, quæ in hac parte accidere possunt.

Prima est; potest esse matrimonium inter seruos inter se, & inter liberos, & seruos: verbi gratia, potest seruus cum serua, vel libera cõtrahere, vel serua cum libero, vel cum seruo. Prior pars, de seruis inter se habetur de cõiugio seruorũ. c. 1. Posterior pars, de seruo cum libera, habetur 29. quæst. 2. cap. si quis liber. Non solùm autem tenet matrimonium annuentibus dominis seruorum, sed etiam ipsis contradicentibus, aut ignorantibus, licèt cum discrimine: nam, cùm tale matrimonium ex dominorum voluntate contractum est, non potest dominus vendere seruum in locis, vbi impediatur vita coniugalis: at verò cùm factum est, ipso ignorante, vel contradicente, tunc potest vendere, quamuis non debeat id facere, absque graui necessitate; sed si faciat, non ob id mortaliter peccabit. Numquam tamen potest impedire thorum illorum, dum præsentes sunt.

Secunda propositio: quoties intercedit error conditionis, tamen non fit deterior, aut n elioratur conditio errantis, matrimonium tenet: ver. gra. serus ducit seruam, putans esse liberam, matrimonium tenet, quia non fit deterior conditio errantis. Similiter si serua nubat seruo, putans esse liberum,

Rursus, seruus ducit liberam, putans esse seruam; vel serua nupsit libero, putans esse seruum, adhuc est matrimonium, quia melioratur conditio errantis in conditione. Ita habet sententia communis, quam tenet S. Thom. 4. d 36.

Tertia propositio, quando deterior fit conditio erranti, non tenet matrimonium: ver. gra. liber ducit seruam, putans esse liberam, aut libera nubit seruo putans esse liberum, non est matrimonium. Ita habetur c. ad nostram, de coniug. seruo. Limitatur ista propositio à Richardo. 4. d. 39. quæst. 1. artic. 1. & Nauarr. cap. 22. num. 33. nisi qui errat, sic contrahat, quod esset paratus contrahere, etiam cognita tali conditione seruitutis.

Quarta propositio; si, cognita deteriori conditione post cõtractum, iterum habet copulam errans affectu maritali, est matrimonium, saltem in foro exteriori, ita habetur cap. 2. de coniug. seruorum: ver. gra. liber duxit seruam, putans esse liberam, non est matrimonium, postea sciuit esse seruam, & affectu maritali accessit iterum, est matrimonium. Hic tamen aduerte duo.

Vnum est, quòd, si post contractum matrimonium cum ista ignorantia dominus manumittat seruum vel seruam, adhuc non est matrimonium, nisi, cognito errore, ille alius iterum consentiat, aut accedat affectu maritali: ver. gra. liber duxit seruam, putans esse liberam, dominus, hoc cognito manumittit seruam, cum qua iterum liber etiam affectu maritali habet copulam, adhuc non est matrimonium, donec error auferatur, & sit nouus consensus aut copula cum maritali affectu Ita habet Rosella. v. impedimentum 3. §. 2. & Nauarr. cap. 22. num. 33.

Alterum est, ex eodem Nauarr. quòd si liber sciat impedimentum conditionis post contractum, & velit adhuc contrahere, non fit matrimonium, nisi de nouo vtriusque accedat consensus; potestque alter nolle, & sic nullum erit matrimonium.

De impedimentis voti, & cognationis.

CAPVT IIII.

TErtium impedimentum, est votum, non quodcumque, sed solenne, & Religionis per Ecclesiam approbatæ, vt etiam est votum simplex religiosorum Societatis emissum exacto biennio tyrocinij; hoc enim dirimit contractum; vt, si monachus intentet contrahere post professionem. Notat Sylu. verb. matrimonium, 8. §. 5 quòd non quodcumque votū, etiam Religionis approbatæ, dirimit cōtractum; nam votum tertij ordinis Dominicanorum, & Franciscanorum non dirimit: hoc etiam habet votum solenne ordinis maioris, vt inferiùs dicemus.

Aduerte autem, quòd votum hoc non solùm impedit, & dirimit, sed etiam excommunicatus est lata sententia clericus, & monachus, qui post votum solenne in ordine, vel religione emissum contrahit; quæ excommunicatio habetur Clemen. 1. de consangui. & affini. & est Episcopo absolutio reseruata. Impedit autem non solùm votum solenne expressum, sed etiam tacitum, quod fit in religione post annum probationis, per hoc, quòd quis actum professi facit, ac se vt professum gerit.

Quartum impedimentum est cognatio. Est autem triplex cognatio, spiritualis, legalis, naturalis. Spiritualis contrahitur in susceptione sacramentorum duorum, Baptismi, & Confirmationis Hæc autem cognatio spiritualis, secundum ius antiquum, quod habetur c. 1. de cognat. spirituali, contrahitur tripliciter, seu triplex est.

Vna est paternitatis, & hæc est inter baptizantem, & baptizatum, & inter susceptores, & ipsum baptizatum. (Idem dicimus de Confirmatione) non enim valet matrimonium inter istos, puta baptizantem, & baptizatum, susceptorem, seu patrinum, & ipsum baptizatum, quia est cognatio paternitatis: sunt enim patres spirituales.

Altera est comparternitatis, & hæc contrahitur inter baptizantem, & patrem, ac matrem baptizati, & inter susceptores cum eisdem parentibus baptizati: imò vxor susceptoris, licèt non suscipiat, si est post copulam; contrahit cognationē eandem, quam maritus contrahit.

Tertia est inter filios legitimos, & naturales baptizantis, & baptizatum, & inter filios etiam naturales, & legitimos susceptorum, & baptizatum: similiter de filiabus, quæ dicitur confraternitas. In his omnibus est impedimentum hoc, secundum ius antiquum, tamen Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de reformatione limitauit, & statuit tria.

Primò, aufert cognationem confraternitatis: vnde, iam nō est impedimentum inter filios susceptorum, aut baptizantis cum baptizato.

Secundò, statuit, ne sint plures duobus susceptoribus: quòd si sint, non potest cognatio contrahi, nisi cum duobus, quos nominauerint parentes baptizati, qui debent in libro scribi, & hi contrahunt cognationem cum ipso baptizato, & patre, ac matre baptizati. Similiter eandem contrahit baptizans.

Hinc fit tertiò, quòd susceptorum vxores, cùm ipsæ nō suscipiant, non contrahant cognationem cum baptizato, nec cū parentibus ipsius. Hic vnum nota, quòd cùm aliqui fiunt patrini, & mittunt procuratores ad suscipiendum, ipsi non contrahunt cognationem, vt habent Panor. de cogna. spirituali c. veniens, & Ioan. Andr. c. potest quis, de reg. Iur. in 6. ipsi procuratores tamen contrahunt, si intendunt contrahere, vt habet Armilla. ver. matrimonium, §. 12.

Legalis cognatio insurgit ex adoptione, seu arrogatione, qua quis alienum filium recipit in suum. Hæc autem habet tres gradus.

Primus est inter ipsum adoptantem, & adoptatum, ac adoptati filios, & nepotes, vsque ad quartum gradum: adoptans enim non potest contrahere cum aliquo horum.

Secundus, inter adoptantis filios, & ipsum adoptatum. Aliqui volunt omnes filios, etiam naturales adoptantis contrahere cum adoptato hanc cognationem; at Innoc. & Hostien. c. vnic. de cogna. lega. volunt, legitimos solos contrahere cognationem.

Tertius gradus est inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter adoptantem, & vxorem adoptati. Hi gradus habentur de cognatione lega. c. vnico. Est tamen discrimen: nam secundus non est perpetuum impedimentum: non enim durat, nisi filijs existentibus sub patris potestate; mortuo enim patre: aut facta emancipatione, aut si adoptatus non est in adoptantis potestate, tunc cessat inter eos impedimentum.

Pri-

Primus verò, & secundus gradus sunt impedimenta perpetua, nisi fiat dispensatio per Papam. Alius gradus non est præter istos. Vnde, duo filij adoptati, puta filia, & filius, possunt contrahere, nisi aliunde habeant impedimentum. Rursus potest adoptans cum matre adoptati contrahere, vt habet Sylue. ver. matrimonium, §. 8.

De cognatione naturali, seu consanguinitate.

CAPVT V.

TErtia cognatio est naturalis, quæ secundum generationem carnalem consideratur; ob id, consanguinitas dicitur: est enim vinculum multorum ab vna stirpe descendentium. Est autem notandum, in generationibus duas considerari lineas, seu ordines.

Altera linea dicitur recta, secundum quam multi ab vno descēdunt, tamen inter se vnus ab altero procreatus est; vt pater, filius, nepos, pronepos, &c.

Altera est transuersalis linea, secundum quam multi ab vno descendunt, tamen non veniunt vnus ab altero; vt pater, filius, ex vna parte, & alter filius ex altera, qui sunt duo fratres, & filius vnius, & filius alterius fratris, & sic consequenter. Ad cognoscendum autem qui, in quo sint gradu, sunt ante oculos tres habēdæ regulæ, quas communiter ponunt Summistæ.

Prima est pro linea recta. Tantus est numerus graduū, quot sunt personæ inter personam propositam, & communē stirpem, ipsis extremis computatis, & adempta vna: v.g. volo scire, in quoto gradu sint pater & filius, tunc, quia nulla est persona intermedia, sed solùm duæ extremæ, vna dempta, manet vna, & sic erunt in primo gradu. Rursus, volo scire in quo gradu sint auus, & nepos, computo extrema, quæ duo sunt, & intermedium vnum est, puta pater nepotis, & filius aui, quæ faciunt tres personas, quarum vna dempta, manent duæ; erunt ergo in secundo gradu. Consequenter pronepos cum proauo erit in quarto, & sic de singulis.

Secunda regula, pro linea transuersali: propositis duabus personis ab vna radice descendentibus, sed non inuicem, in quoto gradu, altera est cum radice communi, in tanto sunt

inter se: ver. gr. sunt duo fratres vnius patris, volo scire, in quoto sint gradu, considero, in quo vnus est cum amborum patre, & per primam regulam sunt in primo pater, & filius: in eodem ergo erunt duo fratres inter se. Rursus, volo scire, duo filij duorum fratrum, in quoto sint gradu; considero in quoto sint gradu cum radice communi, scilicet auo, & per primam regulam inuenio, auum, & nepotem esse in secundo: erunt ergo illi duo nepotes filij fratrum diuersorum in secundo; & sic consequenter.

Tertia regula, adhuc pro linea transuersali: propositis duabus personis ab vna communi descendentibus, sed non inuicem, tamen vna est propinquior illi radici, altera remotior, sunt istæ duæ inter se in eo gradu, in quo erat remotior. Habetur ista regula, cap. finali, de consang. & affinit. v. g. volo scire, in quo sint gradu filius vnius fratris, & nepos alterius fratris, tum per primam regulam, vnius fratris filius cum auo est in secundo, at fratris alterius nepos est in tertio cum illo suo proauo; idem enim vnius auus, alterius est proauus: erunt ergo illi duo in tertio: nam remotior gradus trahit minùs remotũ. Exempla horum sunt facilia: Hæc dicta sunt secundum canones. Leges ciuiles aliam seruant computationem, quæ nostro proposito non multum conducit. His ergo constitutis, illas personas, quæ sibi sunt coniuncta intra quartum gradum inclusiuè, non posse contrahere, habet c. non debet, de consang. & affinit. Olim autem septem gradus erant prohibiti; iam verò restrictus est numerus vsque ad quartum. Quando verò duæ sunt coniunctæ in quinto, licèt ex vna parte sint coniunctæ in tertio, vel propinquiori gradu, etiam in primo, vt dicit Sylu verb. matrimonium 8. §. 5. tunc possunt contrahere. Intra quartum verò, peccatum est contrahere, & contractum dirimitur, & sunt excommunicati scienter sic contrahentes: Clemen. 1. de consangui. & affin. & excommunicatio est latæ sententiæ, sed Episcopalis. Vnum hic notare oportet ex Panorm. cap. quod dilectio, de consangui. & affini. quòd si aliqui sint in quarto ex ex vna parte, ex altera in secundo, vel tertio, & petatur dispensatio à Papa pro quarto, non narrato gradu propinquiori, quòd tenet dispensatio; nam illi verè sunt in quarto: nam iuxta regulam tertiam ratio habẽda est remotiorum. Addit etiam Sylu. ver. matrimonium 8. §. 5. nota 6. cùm conceditur alicui facultas, vt dispensetur in quarto, illi conceditur virtualiter, vt dispensetur in quarto coniuncto cum gradu

pro-

propinquiori ex altera parte. Aduerte autem, quod diximus, vsque ad quartum gradum tantùm esse prohibitum matrimonium, esse intelligendum de linea transuersali : nam in recta linea numquam licet , nec valet matrimonium in gradu remotissimo, vt tenet Sylu. cum communiori sententia; quamuis vix contingat matrimonium propter breuitatem vitæ.

De impedimento criminis.

CAPVT VI.

CRimen, quod impedit matrimonium, est adulterium, & homicidium, & vnum alteri mistum. Hoc autem cõtingit in quatuor casibus.

Primus est, cùm vnus coniugum conuenit cum altero, vt occidant alterum coniugum , vt possint inter se contrahere, tunc, si occidant, illi non possunt contrahere . Vbi nota, quòd non sat est velle occidere, sed debet esse realis occisio ; nec adhuc ista sufficit, sed opus est, vt intentione hac occidant, id est, vt contrahant: quamuis Caiet. ver. matrimonium , dicat sufficere occisionem ; sed communis opinio tenet, requiri quòd fiat ab vtroque, vel ab vno altero, consentiente , & hac intentione. Iste casus habetur c. laudabilem, de conuersione infidel. Et procedit hoc impedimentum, quamuis coniux occidat coniugem infidelem, vel occidere faciat, vt conuertatur ad fidem, & contrahat cum fideli : tunc enim non potest cum criminis consorte contrahere.

Secundus est, cùm vnus coniugum occidit alterum, per se, vel alterum, vt contrahat cum adultero; quamuis adulter non sit consors, aut conscius criminis : similiter si adulter occidat vnum coniugum, vt contrahat cum altero, & hoc ignorante. Vbi nota, quòd requiritur occisio cum hæc intentione, contra Caiet. tunc non potest esse matrimonium, vt habetur c. super hoc, de eo, qui pol. per adult. Aduerte, esse casum distinctum à præcedente: in priori enim, nõ interuenit copula adulteri, sed occisio ex pacto vtriusque; in posteriori verò requiritur copula, & tunc sufficit quòd adulter, vel adultera occidat, etiam altero ignorante.

Tertius casus est , cùm vnus coniugum committit adulterium promittit ei, cum quo adulteratur, se contracturum post

obitum

obitum coniugis. Quando ergo intercedit promissio matrimonij inter adulterum,& adulteram,cum copula,siue antecedenti,siue consequenti promissionem,tunc est impedimentũ, vt contrahere nequeant;vt habetur de eo,qui dux. vxor. quàm polluit,& c.significasti.

Quartus casus est, cùm vnus coniugum, qui per verba de præsenti contraxerunt, matrimonium cum alio contrahit etiam de præsenti, & habent copulam, tunc etiam, mortuo priori coniuge,isti non possunt contrahere. Sed aduerte,quòd sunt duæ conditiones necessariæ,vt sit hoc impedimentum.

Prima est,vt intercedat,vel interceserit copula cum secunda,aliàs,non est impedimentum.

Secundum est,quòd vterque sit conscius criminis: si enim alter ignorabat esse coniugatũ, tunc non est impedimentum. Habetur hic casus,c.propositum:& cap.veniens,de eo,qui duxit,quam polluit per adulter.continetur impedimentum hoc criminis.Et hæc satis de hoc.

De impedimento disparitatis cultus.

CAPVT VII.

QVatuor sunt notanda circa impedimenti huius intelligentiam.

Primum est, non baptizatus non potest contrahere cum baptizata;nec non baptizata cum baptizato; &, si contrahant, nullum est matrimonium, 28. quæst. 1. can. Caue. Quamuis autem non baptizatus, seu baptizata sint Catechumeni, & fidem habeant, adhuc non est matrimonium, vt tenent doctores; vnde, cum hæretico, vel hæretica, aut apostata, vel excommunicata, peccatum esset contrahere,tamen tenet matrimonium, vt habet Glossa communiter recepta, cap.non oportet.28.quæst.1.vnde fit, quòd, si vnus fidelium coniugum incidat in hæresim,vel ad infidelitatem conuertatur,non dissoluatur matrimonium,vt habetur c.quanto, de diuortijs.

Secundum est, quando infideles coniuges ad Christianissimum conuertuntur,tunc in suo matrimonio debent perseuerare,quamuis contraxerint contra ius canonicum, dummo-

do non habeant aliquid contra ius naturæ. Hoc habetur, cap.gaudemus,de diuortijs, vbi notat Papa; quòd si in secundo, vel tertio, vel quarto gradu contraxerunt, adhuc debent manere, quia hi gradus sunt prohibiti iure canonico, quod non obligat infideles. At si in primo contraxerunt pater cum filia, filius cum matre, soror cum fratre, sunt separandi, quia est contra ius naturæ, & à principio nullum fuit matrimonium, etiam antequam conuerterentur. Vnde illi, qui duxerunt plures vxores, si conuertantur, non possunt retinere, nisi primam, cum qua debent manere, quamuis dederint illi repudium. Quòd si ista non conuertatur, tunc possunt de nouo eligere vnam ex conuersis, cum qua contrahant nouum matrimonium.

Tertium est, cùm vnus infidelium coniugum conuertitur, altero manente in infidelitate, tunc, si infidelis non vult cohabitare cum conuerso, aut si vult, non id vult, nisi vt inducat in aliquod mortale, aut retrahat in infidelitatem: hoc enim modo dicitur velle habitare cum iniuria Creatoris, cùm aliquid petit, quod est peccatum; tunc conuersus potest illum relinquere, & cõtrahere cum altero in Christiana religione. Quando verò coniux infidelis vellet contrahere, relinquendo conuersum in sua libera voluntate seruiendi Creatori, non est relinquendus, iuxta illud Pauli: *Si quis frater vxorem habet infidelem non dimittat illam.* Hoc totum habetur c.gaudemus, de diuortijs.

Quartus est, cùm vnus tantùm infidelium conuertitur, tunc, si Iudæi sunt, quicumque conuertatur, siue vir, siue fœmina, paruuli filij debent sequi conuersum, & separandi sunt ab infideli. Ita habetur 28.quæst.1.c. Iudæi. Et idem dicendum est de alijs infidelibus, qui serui, vel mancipia sunt Christianorum. At verò de alijs infidelibus, liberis, & dominis seruorum, tunc filij sequuntur patrem conuersum, non matrem, c. ex literis, de conuersio.infidel. Hæc intelligo de filijs ante vsum rationis; nam de adultis, non sic, sed relinquendi sunt in sua libera voluntate: fides enim sine coactione est prædicanda infidelibus.

De vi, & ordine.

CAPVT VIII.

CIrca impedimentum Vis, seu violentiæ, tria dicta sunt aduertenda.

Primum est, Matrimonium per vim, seu metum contractum, licet interior fuerit consensus, nullum est. Ita habetur cap. cùm locum, & c. veniens 1. de sponsal. & cap. significauit, de eo, qui duxit in matrim. quam polluit. Tamen hic notare oportet, quòd non quicumque metus dirimit contractũ matrimonium, sed debet esse cadens in virum constantem: solet communis regula adhiberi hunc explicans, nimirum, quando maius est malum id, ex cuius metu id facit, quàm illud quod ex metu facit.

Primò, cùm minus malum facit, vt euitetur maius malum, vnde metus mortis propriæ, aut filiorum, aut rei suæ amissionis, aut verum, aut carceris perpetuæ, dicitur metus cadens in virum constantem: maiora enim sunt hæc mala, & similia, quàm ducere vxorẽ, & contrahere cum quacumque, cui qua licitè potest contrahi: talis metus dirimit cõtractum, non alius, cum minus est, quod timetur, quàm quod ex timore malum contrahitur.

Secundum est, si post violentiam, is, cui incussa est vis, consentit etiam tacitè, manente altero coniuge in suo consensu, est matrimonium. Ita habet cap. ad id, de sponsal. & potest accipere is, qui passus est violentiam, si vult, alterum coniugem, cui non est violentia incussa, etiam nolentem, & mutuantem propositum; si fuit talis consensus post violentiam.

Tertium est, si post violentiam intercessit copula, in foro exteriori compellentur ad contrahendum, & reputabitur matrimonium, at in foro interiori non censetur matrimonium, nisi fuerit consensus maritalis. Hæc de impedimento isto.

Circa ordinis impedimentum aduerte, quòd, qui accipit subdiaconatum, & reliquos maiores ordines, habet votum solenne castitatis, licèt ipse interius noluerit se obligare ad hoc, cùm sumebat ordines: nam ex ipsa sumptione obligatur, secundum modum, quò Ecclesia eos dat; & illa nolitio sui so-

lum

lùm noleiras, qua nollet se obligare; tamen absolutè voluit, dum voluit ordines susc ipere. Hoc autem votum dirimit contractum: & qui sic intrarat contrahere, peccat mortaliter, & excommunicationem ipso facto incurrit, Clementina vnica, de consanguinitate, & affinitate: quæ excommunicatio, Episcopalis est. Aliqui dicunt, etiam contrahere irregularitatem; inter quos sunt Palud. 4. in dist. 37. quæst. 1. Ant. 3. part. tit. 1. cap. 8. Nauarr. cap. 22. num. 52. sed non probatur hoc per textum aliquem; ob id, incertum est.

De impedimento ligaminis.

CAPVT IX.

IMpedimentum ligaminis est matrimonium ratum, non consummatum: cùm enim aliquis contrahit cum aliquo per verba de præsenti, non tamen est subsequuta copula, dicitur matrimonium ratum, non consummatum; hoc autem impedit, ne, vno viuente, alter coniugũ contrahere possit cum alio; &, si contrahit, nullum est matrimonium, licet consummatum per copulam, & habeat filios, sed debet redire ad primum, cap. de despon duorum. Ante Concilium Tridentinum, magnum sequebatur inconueniens; aliquando enim homines secundò contrahebant, nec poterant redire ad primum; quia primum fortè fuerat clandestinum, & in foro exteriori probari non poterat: vnde cogebatur ab eodem foro exteriori manere in secundo, quod non erat matrimonium: at forum interius obligabat ad primum; ob id, Concil. Trid. vti diximus superiùs, matrimonia clandestina futura annullauit, nec vllũ voluit esse matrimonium, quod non posset etiam in foro exteriori probari: vnde prædicta discordia cessat inter vtrumque forum.

Hic duo aduerte.

Alterum est, cùm vnus coniugum, altero viuente, ipse tamen eum putans mortuũ, probabili æstimatione ducit aliam, vel contrahit cum alio, non peccat; etiam si reddat, & exigat debitũ, cùm tamen primum sciuerit viuere, non amplius reddere debet. Quod si dubium tantùm fuerit aliquod, abstineat à petendo, licet non à reddendo. Ille tamen coniux, qui viuus reuersus fuerit, tenetur recipere suam cõiugem, nisi probetur

habuisse copulam cum secundo, postquam sciuit illum esse superstitem. Ita tenet communis opinio Doctorum. Circa istud impedimentum tamen, nota, quòd debet, non leuis, sed probabilis esse existimatio, qua putat coniugem mortuum, alias peccat contrahendo cum secundo. Probabilis existimatio absque scrupulo ea erit, quam iudex probabit, vel viri prudentes, vel ipse Confessarius cordatus, omnibus perpensis circumstantijs, iudicabit.

Alterum est, cùm aliquis coniux contrahit cum altera, putans suam viuere vxorem, quæ reuerà mortua est, non est matrimonium. Similiter, cùm fit ex parte vxoris, quæ contrahit, putans viuere maritum. Et ratio est, quia tales nõ habent maritalem consensum, sed fornicarium. Ita habet Nauarr. c. 22. numer. 56. quod intelligitur, quando cum tali existimatione contrahit, & scit se non posse ducere secundam, viuente prima, alias valet, vt habet Sylu. verb. matrimonium, 8. §. 5. quæst. 13. cum Nauarr.

De impedimento Iustitiæ publicæ honestatis.

CAPVT X.

IVstitia publicæ honestatis insurgit ex sponsalibus, & ex matrimonio rato, etiam nulla copula carnali intercedente. Quòd ex sponsalibus insurgat, habetur c. vnico, de sponsal. in 6. Quòd verò ex matrimonio rato, colligit Panorm. cap. sponsam, extrà, de sponsal. per locum à minori. si sponsalia, quæ minus ligant, inducunt hoc impedimentum, ergo & matrimonium. Hoc autem impedimentum tale est, quòd, qui spopondit cum aliqua, non potest contrahere cum consanguinea ipsius, siue ipsa viuente, siue mortua, nec ipsa cum consanguineis sponsi, vsque ad quartum gradum, vt notat Panorm. cap. sponsam, de sponsal. Et idem dicendum est de matrimonio de præsenti, etiam non intercedente copula. Aduerte autem, vnum ex capit. vnico, de sponsali. in 6. quòd hoc impedimentum contrahitur ex sponsalibus, quamuis sponsalia sint nulla, propter aliquod impedimentum aliud, dummodò non sint nulla ex defectu consensus: vt, si sponsi erant ante vsum rationis, aut amentes; aut dummodo non sint facta in generali; vt, si quis spondet ducere filiam cuiusdam, non determi-

terminando personam ipsam; aut dummodo non sint cum conditione de futuro tunc enim non cõtrahitur impedimentum hoc ante conditionem. In reliquis casibus, licèt sponsalia nulla sint, inducunt hoc impedimentum honestatis. Circà omnia hæc Concilium Trident. Sess. 24. ca. 3. duo de nouo ordinauit.

Alterum est, quòd, cùm sponsalia nulla sunt, quacumque de causa nulla sint, non inducunt hoc impedimentum honestatis, sed debent esse valida sponsalia.

Alterum est, Adhuc ista sponsalia non inducunt impedimentum, nisi in primo gradu solo: vnde, vir non potest contrahere cum consanguineis sponsæ suæ in primo gradu solo, cum alijs potest. Idem de matrimonio rato non consummato. Vnde Concilium tres abstulit gradus: caput autem Concilij sic habet; *Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacunque ratione valida non fuerint, sancta synodus annullat, vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedat.* Hæc de isto impedimento.

De impedimento affinitatis.

CAPVT XI.

AFfinitas, est cognatio quædam ex copula carnali procedens: quando enim habent copulam, duo cõsanguinei illorum affines sunt inuicem; insurgit autem affinitas, non solum ex copula licita matrimonij, sed etiam ex copula illicita, vt habetur capit. discretionem, de eo, qui cogno. consangui. vxor. Debet tamen esse naturalis copula inter virum, & fœminam, & non contra naturam, sed secundum vasa naturalia, alias non contrahitur affinitas, vt habetur capite extraordinarium, 35 quæst. 3. Notant autem Doctores, quòd debet esse talis copula, in qua vir seminet: si enim non seminat vir, licèt intret claustra fœminæ, & licet fœmina seminet, non contrahitur affinitas. Hæc affinitas extenditur vsque ad quartum gradum, vt habetur capit. non debet, de consangui. & affin. Vir enim non potest contrahere cum consanguineis fœminæ, cum qua habuit copulam, intra quartum gradum: similiter nec fœmina cum viri consanguineis in 4. Circa hoc autem Concilium Triden. sess. 24. cap. 4 vnum dispositi, quòd, cùm affinitas prouenit ex copula illicita, non

extendatur nisi ad duos primos gradus tantummodò: hic tamen aliquot sunt aduertenda.

Primum est, cùm affinitas superuenit alicui matrimonio iam rato, non soluit illud, sed facit; vt, qui fuit in culpa, non possit petere debitum citra dispẽsationem, sed solum reddere: v.gr. sunt duo iam coniugati de præsenti, vnus habet rem cum consanguinea alterius in secundo, iuxta Concilium contrahit impedimentum, vt non petat debitum: tamen cùm est ante ratum matrimonium, tunc impedit contrahendum, licèt sint sponsalia; &, si contrahatur ante dispensationem, nullum est matrimonium.

Secundum est, Aliquando incidit, vt simul sit impedimentum affinitatis, & honestatis, & tunc, qui petit dispensationem debet vtrumque saltem implicitè declarare, alias inualida est dispensatio, vt tenet Sylu. ver. matrimonium, 8. §. 24. v.g. Aliquis duxit Mariam vxorem, cum, qua habuit copulam, consummando matrimonium, hic, ratione matrimonij solius, contraxit impedimentum honestatis cum consanguineis vxoris vsque ad quartum gradum, ratione copulæ cum eisdem contraxit affinitatem, moritur vxor, & vult contrahere cum consanguinea vxoris in tertio, si iste petat dispẽsationem hoc modo, quod vult contrahere cum affine in tertio, non valet; nam non exprimitur honestatis impedimẽtum: si verò dicat, cum cõsanguinea vxoris in tertio, tunc est valida, quia vtrumque implicitè exprimitur.

Tertium est, aliquando accidit, quòd coniunguntur impedimenta honestatis, & affinitatis; sic, vt homo, qui ante poterat vnam duarum ducere, postea verò neutram, sine dispensatione: V.g. mater habet filiam, quam vult despondere cuidam, & verè desponder, post sponsalia ille habet rem cũ matre, vel sorore sponsæ, tunc, ratione affinitatis, non potest contrahere cum sponsa sua, ratione verò honestatis, non potest cum matre, nec sorore, nec cum alijs intra quartum gradum; &, si contrahere intendat, quamuis habeat filios, & filias, nullum est matrimonium, nec potest cum filia, nec cum matre, citra dispensationem, contrahere.

De impedimento impotentiæ.

CAPVT XII.

IMpotentia coëundi, impedimentum est dirimens contractum, & impediens contrahendum, sicut prædicta impedimen-

menta. Illa autem dicitur impotentia, qua non potest semen effundi, vt benè notauit Panorm. c. quod sedem, de sponsa. vnde castrati vtroque testiculo non possunt cõtrahere, quicquid alij velint: similiter, nec qui membra habet abscissa, aut talia, vt non possit in vas fœminæ emittere. Similiter fœmina tam arcta, vt non possit semen recipere, nec arte medicorum remedium vllum esse potest citra abscissionem, quam non tenetur pati, non potest contrahere. Similiter, qui ex complexione naturali, vel ex infirmitate contracta, non potest seminare, qui dicuntur frigidi; & qui arte dæmonis impediti sunt a generatione, id est, seminis effusione, qui dicuntur maleficiati, non possunt contrahere, vt habetur tit. de frigi. & malefic. per totum: qui tamen possunt seminare, licèt steriles sint, possunt contrahere. Aduerte tamen duas esse conditiones necessarias, vt impotentia hæc sit impedimentum.

Altera est, vt præcedat matrimonium: si enim superuenit matrimonio rato, non dissoluitur matrimonium, & tunc, qui eunuchus esset, non peccaret cognoscendo vxorem, vt notant Caiet. 2.2. q. 154. art. 1. & Nauar. cap. 22. num. 6. licèt non speraretur generatio futura.

Altera est, quòd impedimentum sit perpetuum: nam si est temporale, non dirimitur, & iura solent expectare triennium ad examen impotentiæ huius. Aliqui solent assignare tertiam conditionem, dummodò sit ignorantia: nam si vtrique sciunt tale impedimentum, dicunt posse contrahere: sed oppositum est tenendum, id est, non esse matrimonium, & ita tenet Panor. Hostie. Innoc. cap. consulta, de sponsal. & Nauar. loco citato. Est autem differentia inter frigidum, & maleficiatum; nam iura non concedunt frigido, vt post separationem ab vna, ducat alteram, quia, quòd naturale est, respectu cuiusque est, at maleficiatis concedunt, quia aliquando dæmon impedimentum facit alicui respectu vnius, non autem respectu alterius. Ita habet S. Thom. 4. sent. dist. 34. art. 3 Armilla. ver. matrimonium, §. 49. lege canones de frigidis, & maleficiat Hæc de impedimento impotentiæ.

(.˙.)

De impedimento conditionis & raptus.

CAPVT XIII.

QVadruplex poteſt conditio poni in matrimonio.

Vna eſt contra bonum matrimonij: ſunt enim tria bona matrimonij, proles, fides, ſeu fidelitas, & indiſſolubilitas. Poteſt ergo poni conditio contra aliquod horum. Contra prolem, ſic, duco te vxorem, ſi ſumpſeris potiones, vt ſias ſterilis: Contra fidelitatem, ſic, duco te vxorem, ſi promiſeris poſtea copiam tui his, quos ego ſignauero. Contra indiſſolubilitatem, ſic, duco te vxorem, ſi non inuenero poſtea aliam ditiorem te. Hæc dicitur conditio contra bonum matrimonij. Et huiuſmodi poſitæ conditiones, faciunt matrimonium nullum 22.q.2.can. ſolet, can. aliquando.

Secunda conditio dicitur turpis, quando ſub conditione petitur aliquod peccatum, quod tamen non eſt contra bonum matrimonij; vt, duco te vxorem, ſi occideris tuum patrem: nubo tibi, ſi furatus fueris poſtea centum aureos. Huiuſmodi dicitur conditio turpis, & hæc habetur pro non apoſita, &, ſi interfuit verus conſenſus de præſenti, eſt matrimonium, etiam ſi in foro exteriori non cenſebitur matrimonium: conditio enim turpis habetur pro nulla, c.1. de conditio. appoſitis.

Tertia conditio eſt impoſſibilis; vt, duco te vxorem, ſi pater conſentiat; & tamen qui talem conditionem ponit, ſcit illius patrem eſſe mortuum, talis conditio habetur pro non poſita, ſicut de turpi dictum eſt, & cenſetur matrimonium in exteriori foro; &, ſi interfuerit conſenſus interior de præſenti, etiam in foro interiori eſt matrimonium.

Quarta conditio eſt honeſta; & hæc duplex eſt.

Vna eſt de præſenti, aut præterito: vt, contraho tecum, ſi es dives, cõtraho tecum, ſi patrẽ es alloquutus, & tunc, ſtante conditione, eſt matrimonium, non ſtante, non eſt matrimonium.

Alia eſt de futuro: vt, contraho tecum, ſi dederit mihi pater tuus centum aureos; tunc, cùm conditio implebitur, fit matrimonium, perdurantibus illis in ſua voluntate: ante conditionem vero impletam non eſt matrimonium; &, ſi vnus interim contrahat cum altera, tenebit hoc ſecundum matrimonium, ſed peccabit mortaliter ſic contrahens. De iſta condi-

tione honesta tractatur, de condit. appo. cap. super ea. Huiusmodi conditionata matrimonia de præsenti, vix iam possunt accidere post Concilium Tridentinum, secundum quod, vt diximus, clandestina matrimonia annullantur; at in sponsalibus, quæ possunt fieri clandestina, possunt facilius accidere.

Post Conc. etiam Triden. sess. 24. c. 6. nouum aliud impedimentum habemus; putà, raptus: cùm enim aliquis rapit fœminam è domo parentum, aut eorum, in quorum est cura, ipsis inuitis, non potest contrahere cum illa toto illo tempore, quo fuerit in raptu; &, si contrahit, matrimonium est nullum, sed debet in loco libero constitui; & tunc, si vult, potest de nouo contrahere. Tamen grauis pœna est contra raptores illic posita: nam ipsi, & qui illis consilium, auxilium, vel fauorem dederint, sunt ipso iure excommunicati, perpetuò infames, omnium dignitatum incapaces; &, si clerici sint, de proprio decidunt gradu; & raptor tenetur dotare raptam, siue contrahat cum illa, siue non. Hæc sunt impedimenta prioris generis, quæ impediunt contrahendum, & dirimunt contractum. Alia sunt secundi generis, quæ tantum impediunt contrahendum, tamen non dirimunt contractum, in quibus peccant quidem attentantes contrahere, sed matrimonium contractum tenet. De horum singulis tractandum est in sequentibus modò capitibus.

De impedimentis Interdicti, & Voti, Sponsalium, & Catechismi.

CAPVT XIV.

QVinque sunt impedimenta, quæ impediunt contrahendum, sed non dirimunt contractũ. Huiusmodi sunt, interdictum, votum, sponsalia, catechismus, crimen.

De interdicto nota. cùm Episcopus, Vicarius, aut iudex interdicit aliquibus, ne contrahant, donec causa aliqua, aut impedimentum examinetur, tunc tali interdicto prohibetur sub mortali, ne contrahant; tamen si contrahant, tenet matrimonium, nisi aliud de prędictis impedimentis prioris generis interfuerit. ita habetur c. primo, secundo, & tertio, de matrimonio contracto contra interdictum.

Secundum impedimentum est, votum simplex castitatis, aut religionis; hoc enim impedit contrahendum, sed non dirimit contractum. Circa quod sunt aliqua notanda.

Primò, qui vouit votum castitatis, aut Religionis, & ante dispensationem cõtrahit, siue de futuro, siue de præsenti, mortaliter peccat; tamen matrimonium est validum, & in hoc omnes conueniunt.

Secundò, qui tale votum vouit, non solùm peccat contrahendo, sed consummando matrimonium: nam antequam consummetur matrimonium ratum, potest ingredi religionem, & implere votum, & tenetur. Vnde peccat consummando, & faciendo se inhabilem prorsus ad voti impletionem. Hoc tenet Anton. 3. p. tit. 1. cap. 4. & est communis sententia.

Tertio, qui vouit votum castitatis, non potest petere debitum, sed tantùm reddere petenti expresse, aut tacitè, nisi obtineat dispensationem, quam potest dare Episcopus, cum non est facile recursus ad Papam, iuxta Syluest. ver. dispensatio, §. 14. Armilla verò verbo matrimonium, §. 55. tenet posse simpliciter Episcopum dispensare. De voto verò religionis non est eadem ratio, sed potest petere absque dispensatione, quia non vouit castitatem, nisi in religione seruandam. Ita tenet Soto libr. 8. de iustit. & iure. quæst. 2. articul. 1. cum alijs doctoribus.

Quartò, mortuo coniuge, tenetur alter, qui vouit, implere votum, aut castitatis, aut religionis. Quòd si iterum contrahat, incurrit eadem peccata, quæ in primo contractu commissa sunt.

Tertium impedimentum est, sponsalium: qui enim contraxit cum altero de futuro, non potest contrahere cum altero de præsenti, &, si contrahat, tenet quidem matrimonium cõtractum, tamen mortaliter peccauit, nisi causa extiterit rationabilis, vt dicemus in materia de sponsalibus.

Quartum est, catechismi: cùm enim aliquis fuit susceptor in catechismo tantùm, & non in Baptismo, aut Confirmatione, tunc contrahit eandem cognationem, quæ in sacramento cõtrahitur, sed cum discrimine: nam, vt diximus, cognatio sacramenti dirimit contractum; at vero ista impedit solùm contrahendum, & non dirimit contractum, vt habetur, cap. per catechismum, de cognat. spiritual. in 6. Armilla, verb. matrimonium, §. 60. putat non esse mortale cum hoc

impe-

impedimento contrahere, nisi contemptus esset, sed veniale. Sed non auderem ego affirmare, si scienter contrahat, nec video, cur priora obligent sub mortali, & hoc non.

De impedimentis criminis.

CAPVT XV.

ALiquot sunt crimina, propter quæ homo prohibetur, ne possit contrahere, in pœnam criminis, & peccati commissi; contractum tamen matrimonium tenet, nisi aliud obstet impedimentum.

Primum crimen est incestus, cum consanguinea coniugis vsq; ad 4. gradum: v.g. si vxor rem habeat cum consanguineo viri intra 4. aut vir cum vxoris consanguinea, mortuo altero, non potest amplius contrahere ad modum prædictum. Ita habetur cap. 1. de eo, qui cogno. consangui. vxo.

Alterum crimen est vxoricidium. Qui suam vxorem occidit, non potest contrahere cum alia. 23. quæst. can admonere. Et aduerte, quòd si id facit intentione contrahendi cum adultera, non potest contrahere cum illa, & contractum est nullum; tamen si sine hac intentione facit, tunc est huiusmodi impedimentum, etiam si facit respectu aliarum ab adultera. Sed hoc impedimentum non procedit in vxore occidente virum, quia nullus est canon de hoc, vt tenet Armill. §. 58.

Tertium crimen est, raptus alienæ sponsæ: qui enim rapuit alienam vxorem vel sponsam, non potest contrahere. 27. q. 2. can. Statutum.

Quartum est, cùm quis sit susceptor filij proprij malo animo, vt contrahat cognationem cum vxore, ne reddat debitũ; talis enim, mortua vxore, non potest cum alia contrahere 30. q. 1. cap. de eo.

Quintum est, occidere sacerdotem, cap. qui presbyterum, da pœniten. & remiss. sed ibidem Panorm. limitat, dummodò sit in iudicio damnatus de tali crimine.

Sextum est, si quis monialem in vxorem accepit. 27. qu. 1. can. hi verò Hæc sunt crimina, propter quæ homo à matrimonio contrahendo prohibetur. Armill §. 60. putat hæc omnia non prohibere sub mortali; sed, vt iam dixi, non id auderem affirmare: non enim talis prohibitio fieret, & pro crimi-

ne tam graui, nisi obligaret sub mortali. Vnde cùm sciens quis contrahit, & absque dispensatione, quam Episcopus potest dare, vix à peccato mortali excusarem, quamuis non constanter affirmem.

De Sponsalibus: quæ dicantur sponsalia, & quibus modis contrahantur.

CAPVT XVI.

SPonsalia sic posse describi videntur, *promissio mutua futuri matrimonij, signo sensibili expressa.* In qua descriptione tres sunt partes.

Prima est, *promissio futuri matrimonij*: non enim sponsalia sunt matrimonia; nec enim fiunt per consensum & verba de præsenti, sed de futuro.

Secunda pars est, *mutua*: debet enim esse ex vtraque parte, puta, viri, & fœminæ promissio: cùm enim vnus tantùm promittit, tenetur quidem ratione promissionis, seruare quod promisit, tamen non sunt sponsalia: debet enim inuicem alter alteri promittere; ob id, in plurali dicuntur sponsalia.

Tertia pars est, *signo sensibili expressa*: hoc enim in matrimonio & sponsalibus necessarium est; vt consensus & promissio signo aliquo sensibili, verbo, nutu, aut alio modo significentur; vt, si duo inuicem sibi promitterent, tamen esset interior tantùm promissio, tunc vterque obligaretur seruare promissum; tamen non dicerentur sponsalia, nisi promissiones exteriùs innotescerent ipsis. Ex his duo sequuntur.

Vnum est, cùm sponsalia sint promissiones quædam contrahentium, & promissio sit actus rationis, non fiunt sponsalia, nisi inter habentes vsum rationis. Vnde canones determinarunt, vt ante septennium non essent valida sponsalia. cap. vnico, de desponsat. impub. in 6.

Alterum est, cùm sponsalia sint promissiones matrimonij, sequitur, vt in omnibus casibus seu impedimentis, in quibus matrimonium non potest fieri, etiam sponsalia nulla sint: nõ enim promissio eorum, quæ fieri non possunt, aut licitè fieri non possunt, efficaciam habet. Per hæc notum est, quæ dicantur sponsalia.

Nunc

Nunc de modis, quibus contrahantur agendum est. Hi autem sunt quatuor.

Primus, per simplicem & absolutam promissionem: absolutam, id est, sine conditione; simplicem verò, id est sine aliquo alio onere augente obligationem; vt, cùm quis dicit, ego ducam te vxorem, altera autem, ego nubam tibi.

Altero modo, per absolutam promissionem, sed aliquo onere accedente, putà iuramento, donatione annuli, aut alicuius arræ.

Tertio modo, per promissionem cõditionatam. Et possunt esse quatuor genera conditionum, de quibus dicenda sunt prorsus eadem omnia, quæ diximus de matrimonio conditionato: ob id non est opus repetere.

Quarto modo fiunt per virtualem promissionem. In cuius gratiam nota, ex c. vnico de desponsat. impuber. in 6 cùm duo impuberes, vel vnus impubes contrahunt de præsenti, tunc non censetur matrimonium, sed sponsalia: non enim vult Ecclesia illum consensum admittere, nisi tamquam de futuro; vnde æquiualet promissioni. Anni verò pubertatis in fœmina sunt duodecim, in masculo quatuordecim, ante quos non est matrimonium, sed sponsalia, modò iuxta Concilium Tridentinum, nisi talis consensus de præsenti sit cum testibus, & Parocho, vt dictum est, nullius est efficaciæ, nec æquiualet sponsalibus: cùm tamen ista sunt, procedit Canon antiquus.

De differentijs sponsalium, & matrimonij.

CAPVT XVII.

PRæter dictas differentias sunt tres inter sponsalia & matrimonium.

Prima est iuxta Concil. Triden. sess. 24. c. 1. matrimonia clandestina, quæ non fiunt ante duos aut tres testes cum Parocho, nullam habent efficaciam: at verò per hoc caput non annullantur spõsalia clandestina, sed sunt valida, licèt careant testibus & Parocho, quamuis prohibita sint cap. cùm inhibitio, de clandest. desponsa. vbi olim inhibebantur matrimonia clandestina, & ibi Panorm. intelligenda esse dicit sponsalia; tamen non annullabantur, modò annullantur. In qua re vnum est multùm notandum, olim in iure antiquo, vt

habe-

habetur cap. is, qui extrà, de sponsalibus, quando sponsalibus accedebat copula cum consensu maritali, fiebat matrimonium: at verò quia iam ad rationem matrimonij pertinent testes, & Parochus, id locum non habet, alias esset fraus contra Concilium facilis: duo enim possent sponsalia clandestina contrahere, & statim copulam consummare, & sic esset validum matrimonium clandestinum. Sed quid si sponsalia facta fuerunt coram testibus, & Parocho, & tunc subsequuta est copula: non crederem in hoc casu esse matrimonium, quia non inueniuntur omnia, quæ statuit Concilium.

Altera differentia est inter sponsalia, & matrimoniũ, quòd matrimonium non potest contrahi, nisi post annos pubertatis vtriusque contrahentis, vt iam diximus ex cap. vnico, de sponsa. impube. sponsalia verò possunt statim post septennium contrahi.

Tertia differentia est, in solubilitate: vinculum enim matrimonij est magis indissolubile: multis enim casibus soluuntur sponsalia, in quibus matrimonium solui non posset.

Quorum primus est, quando vterq; sponsus soluit promissionem factam: tunc enim, etiam si iuramentum interceserit, soluitur, & liber vterq; manet, vt cum alio possit contrahere. Ita habetur cap. præterea, 1. de sponsal.

Alter casus est, cùm alter ingreditur religionem, vt habetur cap. ex publico, de conuersio. & Sylu. ver. sponsalia, q. 12. dicit, quòd statim soluitur per ingressum ante professionem; sed in hoc casu, scilicet ante professionem, matrimonium non solueretur, etiam ratum: nam ratum non soluitur nisi per cõfessionem, consummatum autem nullo modo.

Tertius casus est, per ordinis maioris susceptionem, 27. quæst. 2. cap. scripsit, vt per subdiaconatum, & maiores ordines.

Quartus est, per votum castitatis communis simplex: si enim votum facit castitatis, & post contrahat, sponsalia nulla sunt, cap. rursus, qui cleri. vel vouen. si verò votum fecit post sponsalia, tunc non annullantur, vt habet Armill. ver. sponsalia, & Nauar. c. 22. nu. 25. nisi sit votum religionis: tunc enim tenetur ingredi, vt dicit Nauar.

Quintus est, per matrimonium de præsenti cum altero, siue consummatum, siue non, licet peccet mortaliter, qui, validis existentibus sponsalibus, contrahit cum altera de præ-

senti,

senti, tamen tenet matrimonium, cap. sicut ex literis, de sponsal.

Sextus est, quando vnus illorum in longinquas partes abit, vnde incertus est reditus; tunc enim soluuntur sponsalia, cap. de illis, de sponsali. nec secundum Canones expectandum est tempus, licet leges ciuiles definiant tempus duorum annorū in eadem prouincia. Cod. de sponsal. l. 2. & trium annorum in aliena prouincia, Cod. de repudijs l. 2.

Septimus casus est, cùm superuenit affinitas, vt, si sponsus habuerit rem tum consanguinea sponsæ, vel è contra intra quartum gradum, & post Concil. Triden. intra secundū, cùm copula est illicita, tunc sponsal. soluuntur.

Octauus est, quando ante annos septem duo contraxerunt sponsalia per parentes, & posteà peruenientes ad tempus legitimum, noluerunt ratificare; tunc enim soluuntur sponsalia, cap. de illis 1. de desponsa. impub. & tunc per huiusmodi sponsalia, non producitur impedimentum publicæ honestatis, quia deest consensus, cap. literas, de sponsal. impub.

Nonus est, quando fuit signatum certum tempus pro futuro matrimonio, & tunc vnus illorum deest: soluuntur enim sponsalia, & qui fuit in culpa imponitur ei pœnitentia, cap. sicut ex literis, de sponsal.

Decimus, quando post sponsalia vnus illorum contraxit contagiosum morbum, puta, lepram, morbum gallicum, Vel similem, aut deformitatem notabilem, vt abscissionem nasi, extractionem oculi, vel quid similis deformitatis: tunc enim soluuntur sponsalia, cap. literas, de coniugio leprosorum.

Vndecimus, cùm vnus illorum incidit in fornicationem: tunc enim, si alter vult soluere sponsalia, soluet, sed qui fornicatur non potest soluere, nisi prius requirat alterum, an velit, cap. quemadmodum, de iureiurando.

Duodecimus. cùm alter illorum post sponsalia fit hæreticus, aut infidelis, Canon. non solùm, 28. q. 1.

Decimustertius, quando post sponsalia superuenit inimicitia notabilis inter sponsos, tunc potest vnus petere solutionem, secundum Hostien. in summ. verb. sponsalia, §. fine. Coacta enim matrimonia, malos exitus habere solent, cap. requisiuit, de sponsali.

Decimusquartus, cùm sponsa promisit se daturam certam summam pecuniæ, vel apposita est conditio aliqua honesta,

& non est impleta, tunc non valent sponsalia, sicut diximus de matrimonio. Nota Nauar. cap. 22. nu. 26. quòd cùm sponsa tempore sponsalium diues erat, & postea facta est pauper, non tenetur sponsus cum ea contrahere, quia est conditio virtualis, qua omnia bona quæ habet, sponsa promittit sponso.

Decimusquintus, cùm est fama, esse inter sponsos impedimentum matrimonij, tunc soluuntur. cap. cum in tua, de sponsal.

Decimussextus, cùm vnus illorum est nimis asper & rigidus; vt habet Panorm. cap. veniens, qui cleric. vel vouen.

Decimusseptimus, quando superuenit aliquid post sponsalia, quod, si superueniret ante, mutaret animos sponsorum ad contrahendum, vt habet S. Thom. 4. distinct. 27. Quod intellige, quando rationabiliter mutaret animos; alias enim non soluuntur sponsalia. His casibus soluuntur sponsalia, non autem matrimonium: vnde differentia magna est inter sponsalia, & matrimonium quantum ad solubilitatem; magis enim insolubile est matrimonium.

De peccatis, quæ in ipso matrimonio committi possunt.

CAPVT XVIII.

MVltipliciter possunt contrahentes peccare, & in ipsomet matrimonio, & in vsu ipsius: in ipso quidem, ex sex capitibus potest procedere peccatum.

Primò, ex parte intentionis, seu interioris consensus: cùm enim alter, vel vterque illorum exterius fingunt fictos consensus, & tamen interius non habent, tunc est graue peccatum mortale sacrilegij, contra sacramentum ipsum matrimonij; nec est in foro interiori verum matrimonium, quamuis in exteriori iudicabitur matrimonium, & compellentur simul habitare.

Secundò, ex parte finis. Pro quo aduerte contrahentes posse contrahere ob vnum ex his tribus finibus.

Vnus est, ipsemet finis matrimonij, & prolis, remedij concupiscentiæ, & mutua obsequia: &, qui ob aliquid horum contrahit, non peccat, immò benè facit.

Alter est finis malus, qui quidem est mortale peccatum, & tunc contrahere ob talem aliquem finem, mortale est: vt, qui

contrahit, vt abutatur vxore, vt furetur, vt occidat, vt simile quid faciat, mortaliter peccat; tamen matrimonium verum est, & tenet, si cætera, quæ diximus, adsint.

Tertius finis est, cùm sumitur pro fine aliquo, qui licitus est contrahenti, tamen non est finis matrimonij, sed, qui contrahunt, faciunt sibi talem finem: verbi gratia, delectari carnali copula, acquirere diuitias ad sustentationem status, licita sunt coniugatis, tamen non sunt veri fines matrimonij: si quis enim contraheret ob ista & faceret finem, peccaret, sed solùm venialiter, vt habet Caiet. verb. matrimonium, quia non egrederetur à limite matrimonij: vnde non esset mortale. Adde quod ista aliquando sunt motiua tantùm, & non finis: mouet enim pulchritudo fœminæ aliquem, vt contrahat: sicut Iacob motus fuit à Rachel. Similiter mouet ob delectationem futuram, tunc si ista & similia motiua sunt tantùm, & non finis, nullum est peccatum.

Tertiò, accidit peccatum ex parte impedimentorum, per quæ prohibentur contrahere, & de hoc dico.

Primò, scienter attentare contrahere, existente impedimento dirimente contractum, est mortale: vt qui contrahunt in gradibus prohibitis, vel cum simili impedimento, & in hoc omnes conueniunt.

Dico secundo. contrahere scienter cum impedimento prohibente, sed non dirimente, est mortale, si impedimentum sit interdictum, votum, & sponsalia: at si sit aliquid aliorum. Caietan. & Armill. vt suprà diximus, tenent esse veniale, licèt non multùm affirmatiuè: sed iam dixi hoc esse dubium. Et vbi talia impedimenta sunt in consuetudine, forsan esset mortale; sed secūdū illos Doctores potest Episcopus dispẽsare.

Dico tertiò, solus Papa dispensat in impedimento dirimẽte contractum: at in vno casu potest Episcopus dispensare, putà, cùm interceßit copula; & contraxerunt in facie Ecclesiæ, & impedimentū est occultū, & scandalosa esset separatio, nec est facilis recursus ad Papā propter paupertatẽ, vel aliam causam; stantibus his, posset fieri dispensatio per Episcopum, etiam in gradibus prohibitis, & alio simili impedimento. Ita tenet Syl. verb. dispensatio. §. 15. & Tabien. verb. eodem. §. 14. & Armill. verbo eodem. §. 19. & 20. Nauar. cap. 22. num. 86.

Dico quartò: qui contrahunt cum talibus impedimentis ante habitam dispensationem, etiam cum spe certa habendi eam, mortaliter peccant, & nullum est matrimoninm, &

habita

habita dispensatione, opus est de nouo contrahere, quia semper manet impedimentum, donec actu sit dispensatio facta. Nauar. cap. 22. nu. 87. dicit, quòd illi, qui scienter contrahant, & habent copulam, vt facilius impetrent dispensationem a Papa, debent narrare Pontifici, se illa intentione habuisse copulam, & contraxisse, vt facilius eis dispensaretur, quo non narrato, dispensatio nulla est. Aduertendum tamen est, statutum esse in Concilio Tridentino, session. 24. cap. 5. de reformatione matrimonij huiusmodi contrahentes carere spe dispensationis, cuius verba sunt hæc: Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe consequendæ dispensationis careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit, quòd si ignorans id fecerit, si quidem solennitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subijcia ut pœnis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cuius salubria præcepta temere contempsit.

De alijs tribus peccatis in matrimonio accidentibus.

CAPVT XIX.

ACcidit etiam quartò peccare ex parte modi: modus autem hic antiquus est; tamen renouatur, & perficitur in Concilio Tridentino session. 24. capit. 1. vbi statuitur.

Primò, cùm aliqui contracturi sunt matrimonium, fiant denunciationes in Ecclesia tribus diebus festis continuis, inter missarum solennia; vt, si forte aliquod sit occultum impedimentum, manifestetur.

Secundò, si forte timetur, ne aliqui malitiosè impediant, tunc vna solum præmittatur, &, si adhuc timetur, nulla præmittatur.

Tertiò, cùm nulla in tali casu præmittitur, non consummeut matrimonium contrahentes, sed solum de præsenti contrahant; & ante consummationem fiant tales denunciationes, nisi aliter visum fuerit Episcopo: hoc enim ipsius prudentiæ re-

tiæ relinquitur. Hic est modus, contra quem agere peccatum esset mortale.

Accidit & quintò peccare in benedictione nuptiarum, cùm non debito fiunt tempore, circa quod etiam Concil. loco allegato disponit.

Primo hortatur, vt coniuges non consummẽt ante benedictionem: tamen aduerte, quòd si consummẽt, non est mortale, sed veniale, sicut erat ante Concil. vt habet Armil. v. debitum. & Caiet. ver. matrimonium.

Disponit secundò, vt ista benedictio fiat per Ordinariũ, aut Parochum, vel sacerdotem alium, de eius tamen licentia; & annullat omnem consuetudinem & priuilegium in contrarium, per quod Sacerdos alius ab Ordinario & Parocho poterat huiusmodi benedicere.

Disponit tertiò, vt Sacerdos, qui benedicere attentauerit sine licentia horum, sit ipso iure suspensus, donec aliter Ordinario contrahentium visum fuerit. Tempus autem, in quo nuptias celebrare non licet, est triplex; ab Aduentu vsque ad Epiphaniam; à Septuagesima vsque ad dominicam in Albis; a Letanijs vsque ad dominicam Trinitatis. An verò isti termini sint exclusiuè, an inclusiuè sumendi, standum est consuetudini loci. Concilium verò Tridentinum session. 24. capit. 10. abstulit tertium tempus, & secundum limitauit, vt sit à die Cinerum, vsque ad octauam Paschæ inclusiuè.

Accidit etiam sextò peccare ratione indispositionis subiectorum: qui enim cum conscientia mortalis huic accedit sacramento, peccat mortaliter, & priuat se gratia, quæ per hoc datur sacramentum: tamen Concil. Trident. session. 24. cap 1. de reformatione, hortatur contracturos, vt per tres dies ante confiteantur & communicent: peccant etiam, qui excommunicati maiori vel minori excommunicatione contrahunt: nam excommunicatio a passiua participatione sacramentorum prohibet. His modis peccare in matrimonio contingit.

De peccatis in vsu matrimonij.

CAPVT XX.

MVltis modis etiam peccare contingit in ipso matrimonij vsu, qui modi his duobus carminibus continentur.

Sit modus & finis, sine damno, solue, cohære.
Sit locus & tempus, tactus, ne spernito votum.

Oportet singulas explicare partes.

In primis circa modum cõtingit mortaliter peccare, quando contra naturam, putà, in vase non debito fit copula: quando etiam semen effunditur extra vas voluntariè: His enim duobus modis est mortale. At quando in vase proprio semen effunditur, quamuis modus non seruetur, puta, siue fœmina sit superior, siue à posteriori parte semen recipiat, siue alius sit præposterus modus, tunc non est mortale, nisi cùm est periculum effundendi semen extra vas; quo periculo non stante, vt dicit Alber. 4. dist. 32 non est mortale, sed si fiat ob delectationem solam, est veniale, si ob necessitatem aliquam nullum est peccatum.

Circa finem. nota, quòd cùm coniux accedit vxori tamquã ad non suam, quia nimirum ita accedit, quod habet animum accedendi, licèt non esset sua vxor tunc est mortale: qui verò accedit vt suæ, tamen causa delectationis, tunc est veniale. Hæc est doctrina sancti Thom. 4. d. 32.

Circa damnum aduerte, quod accedere ad grauidam, quando est notabile periculum abortus est mortale; quod si nullum est periculum aut paruum, veniale est, quia frequenter est periculum, nisi sit ad vitandam incontinentiam: accedere etiam ad menstruatam, veniale est: quamuis si fœmina perpetuum patiatur menstruum, aut sit periculum incontinentiæ, nullum sit peccatum, vt dicit Sylu. ver. debitum, §. 6. Tempore autem menstrui dicit S. Thom. loco citato, quòd non potest fœmina petere debitum, sed reddere petenti, primùm admonendo ipsum de menstruo: hoc autem peccatum est tantum veniale, quia nullum est periculum notabile, nec impeditur generatio.

Circa illud verbum, *Solue*, nota habere coniugem vtrumque potestatem supra corpus alterius, ita vt alter de iustitia possit alteri debitum copulæ petere, & qui negat (nulla cau-

sa existente rationabili) mortaliter peccat, contra illud 1. Corinth. 7. *Nolite fraudare inuicem.* Sunt tamen hic notanda aliqua.

Vnum est, quò sunt casus aliquot, in quibus vnus potest negare alteri etiam petenti debitum: de quibus vide Palud. 4. d. 32. & communiter Doctores Theologos ead. dist. & Summistas, verb. debitum.

Primus est, quando est impotens, qui non potest reddere; verum est, quòd si sua culpa factus est impotens, mortaliter peccauit in eo, quòd se impotentem fecit; tamen postea non facit nouum peccatum in non reddendo post pœnitentiã primi peccati.

Alter casus est, cùm timet probabiliter grauem infirmitatem ex ipsa copula: non enim tunc tenetur accedere, nec hoc est contra illud cap. quoniam. de coniug. leprof. vbi dicitur, quòd debet accedere ad leprosum coniugem: hoc enim intelligitur cùm non timetur contagio consilio medicorum; si enim timetur probabiliter, non tenetur.

Tertius casus est, cùm vnus coniugum commisit adulterium: tunc enim perdit ius petendi, & ille alter potest negare absque peccato, nisi etiam ipse commiserit, vt statim dicemus.

Quartus casus est, quando matrimonium est ratum, & nondum consummatum, & vnus vult ingredi religionem, tunc non tenetur reddere petenti. Cap. ex publico, de conuersio. coniuga. assignat tempus duorum mensium, in quo debeat talis deliberare statum, & ingredi, aut reddere debitum.

His adde quintum casum, quando vnus illorum fecit votum castitatis ante matrimonium, aut pòst, sed ex consensu alterius: tunc enim non habet ius petendi contra votum; & alter negare potest, nisi intercedat dispensatio voti.

Aduerte secundò, aliquando non solùm coniugem posse non reddere debitum alteri, sed mortaliter peccare reddendo, & hic casus vnus est, nempè, cùm vxor in adulterio pertinaciter manet, seu perseueranter, nec emendatur, tunc maritus tenetur illi non reddere debitum, vt habetur 23. quæstion. 1. can. si quis vxorem. Iste tamen casus limitatur à Doctoribus.

Primò, à Richar. 4. d. 32. quando illa vult desistere à peccato, & non perseuerare in adulterio: tunc enim potest reddere maritus absq; peccato, non tamen tenetur.

Secundò, limitatur à Sylu. verbo debitum, §.1. quando vir timet peccatum incontinentiæ, nisi accedat vxori: tunc enim potest; nec enim tenetur cum periculo animæ procurare correctionem alterius; nam hic canon fuit factus ad emendationem fœminæ.

Tertio, limitatur ab Armilla, verbo debitum, §.16. quando timentur rixæ graues, & scandalum, nisi reddat debitum.

Quartò, limitatur à Palud. dist. 32. quando nulla speratur emendatio ipsius: cùm enim vir non potest corrigere, non tenetur abstinere. Limitatur & ab eodem, quòd solùm obligetur vir, non reddere debitum vxori perseueranti in adulterio, non tamen obligatur vxor non reddere viro adultero perseuranti in adulterio: nam canon solùm loquitur de vito habente vxorem adulteram.

Aduerte quintò, quod sunt multi casus, in quibus vir tenetur reddere debitum, etiam postquam commisit adulterium, dummodò non perseueret in illo.

Primus est, cùm & ipse vir adulterium commisit. Ita habetur cap. significasti, de diuor.

Secundus est, quando potuit prohibere fornicationem, & noluit, vel ipse prostituit vxorem, cap. descriptionem, de eo, qui cognoscit consangui. vxoris.

Tertius, quando vir cognoscens vxorem fornicatam esse, accessit ei. 32. q. 1. can. dixit Dominus.

Quartus, quando vxor fornicata est violenter, vel quia credens maritum mortuum iterum nupsit, vel credens alienum esse suum maritum, accessit, tunc non perdit ius petendi, quia fornicatio hæc est materialis, & non peccatum. Ita habetur 34. quæst. 2. can. cum per bellicam, 32. quæst. 5. canon. proposito.

Quintus casus solet addi, quando vir dedit occasionem fœminæ adulterandi, quia noluit reddere debitum: tunc, si adulteretur fœmina, tenetur vir reddere debitum. 33. q. 5. can. secundum verba. & ita dicit S. Thom. 1. Corinth. 7. & Armill. verb. matrimonium, §. 73.

(∴)

De alijs peccatis in vsu matrimonij euenientibus.

CAPVT XXI.

SEquitur in carminibus propositis, *cohære*, per quod cohabitatio mariti, & vxoris in eodem toro, & domo significatur: Vnde peccant isti, qui dimittunt vxores suas, & vagantur per alienas prouincias, noluntq; redire ad eas, nec sunt absoluendi, donec firmum saltem propositum habeant, absq; mora redeundi: sunt tamen aliquot casus, in quibus licet separari inuicem.

Primus est, per vxoris fornicationem. 32. q. 1. can. si quis vxorem: non tamen per hoc soluitur matrimonium, ita, vt possint illi de nouo cum alijs contrahere, vt malè dixit Caietan. Matth. 5. & 19. hoc enim asserere est hæreticum, vt habetur Concil. Trident. sess. 24. can. 7. non enim soluitur, nisi quoad torum, & habitationem, & in casibus propositis cap. præcedenti, in tertio notabili. Adhuc non licet facere huiusmodi diuortium. Iste autem casus procedit, cùm mulier fornicatur, non autem cùm vir.

Secundus casus est, cùm alter coniugium trahit alterum ad peccandum, ita, vt alter non possit se ab ipso liberare, quin peccet, tunc iste potest se separare ab illo, qui sibi est causa peccandi. Ita habet Innoc. cap. maritus, de adulter. & Palud. dist. 39.

Tertius est, cùm alter conuertitur ad infidelitatem, vel fit hæreticus, ita habet Nauar cap. quæsiuit, de diuor.

Quartus est, cùm ex mutuo consensu vouent ambo castitatem: tunc enim separantur, quoad torum; &, si ex consensu vtriusq; vnus ingrediatur religionem, altero enim ingrediente, vel faciente votum perpetuum continentiæ, possunt ita separari.

Sequitur in carmine, *sit locus*. Copulam habere in loco sacro, secundum communem sententiam, est mortale. Richar. vero. d. 32. art. 1 & q. 3 & Angelus, ver. debitum. §, 32. limitant, nisi sint violenter in illo loco, putà, tempore belli, aut à iudice se defendant, aut simili causa, & multo tempore illic cogantur esse; tunc enim non esset peccatum. Sylu. verò verbo debitum. §. 3. dicit melius, quod, cùm reddit debitum ob periculum

lum incontinentiæ, non est peccatum, nec violatur Ecclesia, alias est peccatum.

Sequitur in carmine, *tempus*. S. Thom. 4. d. 32. dicit generaliter numquam esse mortale peccatum copulam coniugatorũ ratione temporis; licèt enim accedat die Veneris sancti, & nocte præcedente communionem, non est mortale; amen in huiusmodi solennitatibus dicit esse veniale, quamuis accedat ob periculum incontinentiæ; quia possunt adhibere remediũ orationis vel ieiunij, vel simile quid, ne incidant in peccatum. Ego ita credo, nisi cùm non ita facilè aliud occurrit remediũ: tunc nullum est peccatum.

Sequitur in carmine, *tactus*. Caiet. ver. matrimonium, notat, tactus, qui fiunt ante futuram copulam inter coniugatos non esse peccatum; qui verò fiunt absq; copula, esse veniale: cum verò timetur pollutio, si cum tali probabilitate, vel eo fine fiant, sunt mortale peccatum.

Vltimum verbum est, *ne spernito votum*. Qui enim vouit castitatem, & contraxit postea, aut qui post contractum, ex consensu coniugis vouet castitatem, non potest copulam habere absq; mortali peccato, nisi prius dispensationem à Papa habeat, de quo iam diximus supra. Hæc sunt, quæ de matrimonio aduertenda videntur.

(..)

Finis huius instructionis. Laus Deo.

TRA-

TRACTATVS DE SEPTEM PECCATIS MORTALIBVS.

Quid sit peccatum mortale.

CAPVT I.

CVM de septem peccatis, quæ vulgò mortalia vocantur, agere debeamus, meritò præmittendum est quid sit peccatum mortale. Videtur autem sic posse describi. *Recessus à regula diuina voluntarius, Dei gratia peccantem priuans, & æternæ morti adiudicans. In qua descriptione sex partes continentur.*

Prima est, *recessus*, id est, separatio ab aliquo principio stabili. Peccatum non est aliud quàm separatio ab aliquo principio.

Hoc autem principium explicatur in secunda parte, putà, *à regula*. Regula enim est principium dirigens hominem in sua operatione, per quam cognoscit, quid, & quomodo sit operandum: quando autem homo non facit secundum regulam, tunc recedit ab ea, & talis recessus dicitur peccatum.

Additur tertia pars, *diuina*: nam duplex est regula, vna, quæ dirigit hominem ad operationes artium; vt, quæ docet modum faciendi domos, scamna, militandi, faciendi denique alia huiusmodi: & dicitur regula artis. Altera regula est, quæ dirigit hominem ad operandum secundum virtutes, vt ad suum finem perueniat, & dicitur regula moris, & diuina, quæ quidem regula continetur in præceptis diuinis & humanis, quæ homines Dei auctoritate imponunt. Recedere à priori regula, peccatum est quidem, sed non de quo loquimur modò;

sed dicitur peccatum artis, id est, error quidam artis. Recessus verò à diuina regula, & à præcepto, cui debeat homo se in sua operatione conformare, peccatum dicitur, de quo loquimur in præsenti.

Additur quarta pars, *voluntarius*. Non omnis recessus à regula, etiam peccatum est, sed qui est voluntarius: vt autem aliquod opus dicatur voluntarium, tres conditiones sunt necessariæ.

Vna est, quòd à voluntate procedat, vel quia est actus elicitus ab ipsa, vel quia est imperatus ab ea: quando ergo aliquis actus in nobis est, qui à nostra non est voluntate, quia nec ipsum volumus, nec voluntas ipsius fuit causa, nullum est peccatum, quia non est voluntarium: vnde excusantur multæ imaginationes turpes & inhonestæ, & cogitationes repentinæ, etiam contra fidem, quæ non sunt peccata, cùm homo sua voluntate non consentit: nam sæpè ista ab inimici suggestione procedunt.

Secunda conditio est, quòd sit *liberum*, id est, sic à nostra voluntate procedat, quod sit nobis liberum, & illud facere, & non facere: vnde, quæ in nobis necessariò eueniunt, quamuis à voluntate proficiscantur, quia deest plena libertas, non dicuntur voluntaria, & sic, nec peccata censenda sunt. Exhac parte excusantur, saltem à mortali, multi motus repentini ex passione, vel inconsideratione aliqua procedentes, vel ex defectu rationis, quibus homo vult occidere, aut nocere alteri, quos homo, cùm suæ potestatis sit, statim prætermittit, & sedat.

Tertia conditio est, vt non procedat opus ex ignorantia regulæ: cùm enim aliquis operatus est liberè contra regulam, sed quia ignorabat regulam, & præceptum, quod si sciuisset, non vtique fecisset, illud tunc opus non censetur voluntarium, nec est peccatum; vt, qui ignorans prorsus esse diem festum, sumpsit carnes, vel ignorans esse diem dominicum, fecit opus seruile. Hic tamen attende quòd non semper ignorantia facit opus inuoluntarium, aut excusat, nisi cùm est ignorantia eorum, quæ homo non tenebatur scire aliàs, vel, si tenebatur, aò potuit scire, nec per seipsum stetit, quo minus sciret; vnde ignorantia præceptorum Decalogi non excusat, quia tenentur omnes scire, & per seipsos stat quo minus sciant, quia sunt naturalia præcepta, quæ vel ipsa natura docet. Debet ergo peccatum esse recessus à diuina regula voluntarius.

Additur

Additur in definitione, quinta pars, *priuans peccantem gratia Dei*. Homo sic per peccatum mortale priuatur gratia Dei; ex amico enim fit inimicus, & cum inimicus est, fit inimicitior. Et iste est vnus effectus peccati mortalis, qui dicitur macula. Pulchritudo enim animæ est gratia Dei, qua remota, manet anima deformis.

Alter defectus in in sexta parte descriptionis, *Æternæ morti adiudicans*. Per mortale enim deputatur homo pœnę inferni, quæ perpetua est, quam subibit, nisi ante mortem pœnitẽtiam peccati egerit.

Huiusmodi autem pœna peccati, duplex est.

Altera consistit in priuatione diuinæ visionis: nam damnatus numquam Deo fruetur: & dicitur hæc pœna damni.

Altera consistit in eo, quòd igne torquebitur perpetuo: & dicitur pœna sensus. Infligitur autem hæc duplex pœna propter duo quæ in mortali peccato sunt. Est enim auersio à Deo; cùm enim homo mortaliter peccat, à Deo se auertit, dum eius negligit præceptum, & ob hoc ei infligitur pœna damni. Est etiam conuersio ad creaturam: qui enim peccat, in aliqua creatura sibi complacet; ob hoc punitur pœna sensus à creatura ipsa, puta, ab igne. Hæc vtraque pœna dicitur mors animæ, à qua peccatum dicitur mortale, quia talis mortis est causa.

Quotuplex mortale, & quomodo differat à veniali.

CAPVT II.

PEccatum mortale duplex est: vnum, quod dicitur absolutè mortale: alterum, quod dicitur mortale tantùm ex genere. Mortale absolutè, & completè illud est, quod definitum est in cap. antecedenti. Id verò est mortale tantùm ex genere, quod ex se inductiuum est mortis æternæ, & priuatiuum gratiæ, tamen aliquo antecedente impeditur, ne talem inducat effectum: verbi gratia, est aliquod opus contra aliquod præceptum Dei, hoc mortale est; &, si perfectum est, vt consequatur effectum, est mortale absolutè: si verò impeditur quò minus talem obtineat effectum, est mortale tantum ex genere.

Impeditur autem peccatum, quo minùs sit absolutè mortale, dupliciter.

Vno modo ob leuitatẽ materiæ; vt furari, mortale est contra Dei præceptum; tamen furari quatrinum, non est mortale, nec priuat hominem gratia: quamuis non semper leuitas materiæ excuset.

Altero modo, ob defectum libertatis, quia homo non erat omninò sui compos; vt, cùm quis repentina ira mortem alicui vult infligere, potest esse tam subitus motus, vt non sit omnimodè libertas, & tunc non est mortale perfectum, sed ex genere suo. Actu verò computantur inter leuia peccata, quæ dicuntur venialia. Dices, in quo differt peccatum mortale a veniali? Dico, & nota, pro intelligentia, quòd recedere ab aliquo præcepto contingit multipliciter.

Vno modo, quando homo non agit, quod præceptum est, seu, quod regula diuina agere præcipit.

Altero modo, quando agit contrarium omninò eius, quòd regula exigit; vt, qui occidit, furatur, cùm Dominus non occidendum, non furandum præcipiat.

Tertio modo, quando, licèt nil agat contra regulam, nec prætermittat id, quod exigit regula, facit tamen aliquid, quod non est secundum finem regulæ; finis enim regulæ Deus est, & beatitudo nostra: in hoc enim ordinantur, & ad hoc nos dirigunt præcepta omnia. Recedit autem homo, cùm facit aliquid, quod non est contra præceptum, tamen non est ordinabile in Deum, & hoc dicitur præter regulam, vt verbum otiosum, mendacium iocosum, & alia huiusmodi. Quicquid ergo est contra regulam modo primo, & secundo, est mortale ex genere suo absolutè: tertio verò modo dicitur veniale, quod, quia gratia nõ priuat, nec æternæ morti adiudicat, facile consequitur veniam, & dicitur veniale.

Mortalia solent diuidi communiter in septem, quæ vulgò mortalia vocantur, includunturque in ista dictione, Saligia à nomine, cuiusque peccati sumpta prima litera: V. g. S. per quã denotatur superbia, & sic de singulis, auaritia, luxuria, ira, gula, inuidia, accidia. Vbi nota, quòd plura multò sunt vitia. Hæc tamen, quia multa ex his oriuntur, ob id separantur ab aliis in hoc numero præscripto, vt habet S. Thom. 2.2. q. 162. art. 8. Aduerte etiam, quòd ista non benè dicuntur mortalia, sed capitalia, vt habet S. Thom. & Greg. 31. moralium: non enim omnia eiusmodi sunt mortalia, nec ex genere; poterunt tamen

dici

dici mortalia, quia radices sunt multorum mortalium. Et cùm de singulis sit agendum, de superbia agendum est primo loco.

Quid sit superbia.

CAPVT III.

SVperbia sic videtur posse describi. Est *appetitus celsitudinis peruerse, voluntarius.* Tria prima verba sumuntur ex August. 14. lib. de ciuitate, c. 13. Vltimum additur à nobis, gratia maioris explicationis.

Dicitur primo loco, *Appetitus.* Superbia enim non consistit in cognitione, sed in appetitu, & volitione: est enim velle quoddam.

Additur secundum verbum, *Celsitudinis*, seu excellentiæ. Velle celsitudinem, & velle esse supra id, quod est: hoc enim superbire est, cùm vult homo esse maior eo, quod est. Dico id fieri tripliciter, aut in sua cogitatione, & iudicio, cùm vult suo intellectu reputare se supra id, quod verè in se est.

Secundò, in aliorum iudicio, cùm vult reputari maior quàm sit.

Tertiò, in opere, cùm vult id facere, quod superat id, quod verè est, quamuis non se iudicet maiorem, sed tantùm sit inconsideratio, qua non aduertit, quantus sit, & quantum possit. Hoc ergo modo superbus appetit celsitudinem.

Additur tertium verbum, *peruerse*, id est, inordinatè, & contra rationem: non enim velle hominem celsitudinem semper est superbia: quando enim id fit secundum rationem, putà, quando, & quomodo, & sine quibus oportet, virtus est magnanimitatis; vt, qui aggreditur magna, debito fine, & circumstantijs, non superbus, sed magnanimus dicitur. Superbia verò est velle esse super id, quod est, contra rationis regulam: superbus enim per se finem constituit in ipsa propria excellentia.

Additur vltimum verbum, *voluntarius*, ad significandum, quòd debet hic esse appetitus voluntatis: nam superbia est in voluntate, non in parte sensitiua. Et rursus debet esse voluntatis actus liber, & qui in nostra sit potestate, ad exclu-

dendas inclinationes in primos motus, in quibus homo aliquando vult esse super id, quod est: hæ enim non sunt superbia. Dicitur superbia, vt dicit Isidor. à super, & volo, quasi superbus velit esse super id, quod est.

Quot species superbiæ, & quale peccatum.

Caput IV.

Quatuor sunt superbiæ species.

Prima est, cùm quis sic appetit suam excellentiam, vt bonum, quod ab altero habet, sibi tribuat, ac si à se esset, ponendo finem in ipsa excellentia.

Hoc pluribus fit modis. Vno modo, cùm in sua existimatione, & in iudicio id sibi tribuit; vt, qui scientiam ab altero habitam existimat se à se potiùs habuisse, appetitu excellentiæ.

Altero, cùm vult id ita esse in aliorum existimatione; vt, qui vult ab alijs existimari, ac si scientiam à se habuisset.

Tertiò, cùm vult ipso opere id monstrare, id est, ita se gerit, ac si tale bonum à se habuisset.

Quartò, cùm desiderat saltem, & vellet à se habuisse tale bonum. His modis ista prima superbiæ species exercetur. Non solùm autem fit hoc per volitionem modo prædicto, sed per nolitionem, & dolorem: vt, cum homo vult non existimari, vel à se, vel ab alijs talis, vt qui ab alijs bonum acceperit.

Secunda species est, cùm bonum, quod ab alio habet absque vllo suo merito, appetit habere, ac si ex suo merito ei esset datum; & hoc totidem modis, aut apud se ita existimando, aut volendo, vt ita ab alijs existimetur, aut ita opere ostendendo, ac si ex suo merito habuisset, aut saltem desiderando. similiter etiam per nolitionem, & dolorem de contrario.

Tertia species est, cùm quis sibi vult tribuere excellentiam, quam non habet, aut in sua existimatione, aut aliorum existimatione, aut ipso opere, aut desiderio, & de contrario dolendo.

Quarta species est, cùm quis appetit excellentiam supra alios, ponendo finem in ipsa, & hoc eisdem modis, aut in sua, aut in aliorum existimatione, aut desiderio, aut ipso opere,

quia

quia nimirum contemnit alios, aut vult se ab alijs vt excellentem tractari, & de contrario dolet. His omnibus speciebus, & modis fit superbia, quorum cuique erunt exempla facilia : est enim communissima materia. Est autem notandum, quòd non semper superbia est mortale, imò frequenter est veniale: est enim mortale in tribus casibus.

Vnus est, cùm quis ita superbit, vt Dei habeat contemptum: tunc autem est Dei cõemptus, cùm, quod à Deo habet homo, existimat non habere, aut vult ita ab alijs existimari, aut desiderat, aut dolet de eo, aut se Deo æquat, vel anteponit. Talis superbia mortale grauissimum est.

Secundò, cùm homo ita appetit suam excellentiam, vt sit paratus Dei præceptum transgredi, & mortaliter peccare potius, quàm à sua excellentia cadere.

Tertiò, cùm sequitur iniuria proximi notabilis, putà, inhonorat, infamat grauiter, vel alia iniuria, quæ mortalis culpa est, afficit. Alijs modis superbia commissa veniale est, sed valdè periculosum, quia radix est multorum malorum, & impeditiuum bonorum spiritualium : & meritò: nam, qui se replet excellentia, dignus est, vt à Deo bono spirituali non repleatur, sicut humilitas multa à Deo impetrat, quia per eam homo vacuum coram Deo se repræsentat. Religiosis autem multum est nociua superbia, & spiritualis profectus multum impeditiua.

De remedijs contra superbiam.

CAPVT V.

MVlta sunt remedia contra superbiam, inter quæ maximè ad rem mihi facere videntur ista quatuor.

Primum est, si homo consideraret, quã parua sunt bona, in quibus superbit, & quàm minimus sit ipse respectu aliorum. Si superbit homo de scientia, de fortitudine, de nobilitate, de potentia, consideret, quot sint in mundo ipso excellentiores; quòd si non inuenit, consideret vel dæmones inferni, qui cum sint inimici Dei, excedunt omnes homines excessu valdè magno in bonis naturalibus. Consideret Angelos bonos. Denique consideret alios se maiores.

Secundum est, si consideret, quòd omne bonum accepit à Deo, nec est suum, sed Dei, quod potuisset Deus alijs communicare, qui meliùs ipso vterentur.

Tertium est, si considerer, quàm odiosus sit superbus, nõ solùm Deo, qui superbis resistit, sed hominibus, qui intimis maximè superbiam detestantur, & etiam ipsimet superbi alios superbos ferre non possunt.

Quartum est, si consideret homo, quoties se priuet bonis spiritualibus, & quàm incapacem se faciat gratiæ, & donorum spiritualium ob superbiam, quam nihil lucretur ob eam: quid enim habet ex hoc, quòd se magnum existimat, aut ab aliis vult existimari: si enim alij non existimant, sua voluntate id efficere non poterit. Istæ sunt considerationes multum vtiles contra superbiam, &, si his homo adiungat exercitium actuũ humilitatis, cum diuina gratia præualebit vtique contra vitium hoc, & multum in bono proficiet; & virtutes, & bona, quæ habet, pulchriora erunt: superbia enim maculat, & deturpat omne bonum hominis.

De vana gloria, & quid sit.

Caput VI.

VAna gloria, sicut præsumptio, & ambitio, ex superbia nascitur. Est autem vana gloria *appetitus gloriæ inordinatus.*

Sunt tres partes.

Prima est, *appetitus*: est enim vana gloria, quædam volitio, seu desiderium, aut complacentia, qui actus voluntatis sunt.

Secunda pars est, *gloriæ*: appetere enim non quamcunque rem, sed gloriam, spectat ad vanam gloriam. In cuius gratiam nota, esse differentiam inter ista, famam, laudem, honorem, & gloriam: fama enim est bona opinio, quæ habetur alicuius: ille enim dicitur habere famã, qui sui habet apud alios bonam existimationem, & opinionem. Mala fama, non fama, sed infamia dicenda. Laus verò est sermo manifestans alicuius boni excellentiam: laudamus enim, cùm alicuius excellentiam manifestamus. Honor verò, est reuerentia exhibita alicui in testimonium alicuius excellentiæ ipsius, & maximè virtutum. Gloria verò, est clara cum laude notitia, id est, fama coniuncta cum laude. Appetere ergo hanc gloriam, est vanæ gloriæ. Et in hoc differt Vana gloria a Superbia: Superbia enim

appetit

appetit excellentiam ; vana autem gloria appetit manifestationem excellentiæ, præcipuè apud alios. Appetere aũt hanc gloriam, non est ex se malum, sed differens, sicut appetere pecuniam, quod potest malè, & bene fieri. Cùm igitur appetitus gloriæ est inordinatus, tunc vitium est, ob id, additur tertia illa particula in definitione, *inordinatus*: cùm verò est appetitus secundum rationem, tunc non vitium, sed actus bonus est. Superest tamen explicare, quando sit ordinatus talis appetitus, & quando non. Vt igitur sit bonus, & ordinatus, tres debet esse conditiones.

Prima est, vt ista gloria appetatur de eo, quod verè dignum est gloria, id est, de bono aliquo.

Secunda, vt nõ appetatur gloria maior, quàm bonum illud dignum sit.

Tertia, quod sit ob finem bonum, nimirum in Dei gloriam, aut in proximi vtilitatem, aut in propriam, siue corporalem, siue spiritualem.

Inordinatus verò est hic appetitus multis modis.

Primò, cùm appetitus gloriæ est, de eo, quod non habet ipse appetens.

Secundò, cùm appetit gloriam maiorem, quàm sit dignum opus, de quo appetit.

Tertiò, cùm appetit gloriam de aliquo, quod non est suum, ac si esset suum.

Quartò, cùm appetit gloriam de eo, quod malum est, & indignum gloria.

Quintò, cùm appetit gloriam, & non propter debitum finem : debitus enim finis est aliquis ex tribus prædictis. His modis appetitus, seu desiderium, seu complacentia in gloria dicitur vana gloria, & est vitium ex superbia nascens, quamuis ab ipsa differat, vt dictum est.

Quale peccatum sit vana gloria.

CAPVT VII.

VAna gloria in quatuor his casibus, est mortale peccatum.

Primò, cùm est de peccato mortali aliquo : qui enim complacet, aut appetit laudari de aliquo mortali, peccat mortaliter.

Secun-

Secundò, cum appetitur talis laus ob finem mortalem: vt, qui vult laudari de aliquo facto, vt consequatur finem carnalem fornicationis, aut aliud simile.

Tertiò, cùm homo paratus est transgredi, aut de facto transgreditur aliquod præceptum ob vanam gloriam: vt medicus, qui, ne laudem populi amittat, non vult in morbo periculoso, quem non benè dignoscit, socium accipere, mortaliter peccat: similiter, qui errorem docuit pernicioſum, & non vult recantare, ne laudem perdat. Peccant isti mortaliter in vana gloria, propter quam Dei transgrediuntur præceptum.

Quartò, cum ob vanam gloriam sequitur notabile damnum proximo: vt, si medicus ignarus laudatur multum ab aliquo, ex qua laude sequitur, vt totus populus ad ipsum concurrat, quem ipse nescit curare, mortaliter peccat, nisi laudem nō admittat, dicendo non ita esse. In his casibus, gloria vana peccatum mortale est, in alijs est veniale; quamuis contingat, bona opera, vt ieiunium, eleemosynam, & talia huiusmodi facere, propter vanam gloriā. Tale peccatum, nisi aliquid ex prædictis adsit, veniale est; tamen homo talium operum amittit meritum: licet enim in gratia sit, defectu finis debiti opera eius non sunt meritoria, licèt ex se bona sint, &, si bonus finis apponeretur, meritoria essent. Vana gloria multas habet filias, quæ ad ipsam ordinantur. Hæ autem sunt octo, puta iactantia, hypocrisis, cōtentio, discordia, pertinacia, nouitatum inuentio, curiositas, inobedientia. De quarum singulis oportet breuiter tractare, quid, & quale peccatum sint.

Quid, & quale peccatum sit iactantia.

Caput VIII.

IActantia sic potest describi. Est *manifestatio excellentiæ propriæ supra id, quod vel in se, vel in aliorum existimatione est, verbis inordinatè facta*, in qua descriptione aliquot sunt partes.

Prima est, *manifestatio propriæ excellentiæ*. In hoc enim differt à superbia, & vana gloria. Superbia enim est appetitus excellentiæ. Vana gloria, appetitus est manifestationis. Iactantia verò, ipsa manifestatio, quam quisque de se facit.

Addi-

Additur secunda pars, quòd ista manifestatio fiat *verbis*: iactantia enim potius in verbis consistit: est enim laudare seipsum.

Tertia est, *inordinatè*, id est, contra rationem. Aliquando potest homo absque vitio se laudare, cùm bono fine id fit, nec laus est supra id, quod res in se est.

Quarta pars est, cùm laus est *supra id, quod res est in se, vel in aliorum existimatione*: aliquando enim homo non est excellens in se, & tunc laudare se supra id, quod est, iactantia dicitur. Aliquando, licèt sit in se, non tamen ita existimatur ab alijs, & tũc etiam laudare se supra id, quod est in aliorum iudicio, iactantia est, nisi ordinatè fiat, vt diximus. Ex his videri potest, quid sit iactantia. Est autem iactantia veniale peccatum ex se. Fit autem mortale in his casibus.

Primò, cùm homo se iactat de aliquo peccato mortali, siue quod commisit, siue quod sibi imponitur; vt, qui se iactat de homicidio, adulterio, raptu, vel alio simili: siue illud fecerit, siue non.

Secundò, cùm se iactat cum iniuria Dei, quale fuit illud peccatum Regis Tyri, Ezech. 28. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti, ego sum Deus.*

Tertiò, cum se iactat cum iniuria notabili proximi, vt Luc. 18. se Pharisæus iactabat dicens: *Non sum sicut cæteri homines, raptores, adulteri, vel vt hic publicanus.*

Quartò; cùm sequitur notabile detrimentum proximi; vt, qui se magnum iactat medicum, aut aduocatum, cùm non sit, vnde alij decipiuntur, & damnum prouenit eis, eò quod ad ipsum confluant, tunc peccatum est mortale ad restitutionem obligans.

Quintò, cùm iactantia fit ob aliquem finem, qui sit mortale peccatum, tunc & ipsa fit tale peccatum. Extra hos casus, iactantia ferè semper est veniale.

De Hypocrisi, quid, & quale sit peccatum.

CAPVT IX.

ALtera filia vanæ gloriæ est hypocrisis. Hæc autem sic potest describi. Est *simulatio virtutis*. In qua descriptione sunt duæ partes.

Altera est, *simulatio*. Est autem simulatio, cùm quis fingit opere aliquo se non habere, quod habet, aut habere, quod non habet. Vt enim est mendacium, cum verbo dico aliter, quàm sentio, ita est simulatio, cùm opere aliter me exhibeo, quam sim, intendens occultare meipsum.

At quia non omnis simulatio est Hypocrisis, ob id additur altera particula, *virtutis*: simulare enim virtutem, aut sanctitatem, quam homo non habet, aut occultando vitia, aut manifestando virtutem exteriùs, hypocrisis est.

Aduerte autem, esse duas species hypocrisis.

Vna est, quando non vult virtutem illam, sed apparere habere eam.

Altera est, cùm homo non habet quidem virtutem, tamen simulat se habere, quam non habet. Illa peior est quam haec: nam per illam non solum vult homo apparere, sed etiam vult contrarium virtutis. Vt autem, quale peccatum hypocrisis sit, percipiatur, aliquot dicta sunt notanda.

Primum est, hypocrisis, quocunque fine, & bono fiat, semper est peccatum, hoc est Caiet 2.2.q.111. Vnde si aliquis velit fingere virtutem, ne alios scandalizet, peccat saltem venialiter: & ratio est, quia est mendacium quoddam, & mendacium, quocumque fine fiat, semper est peccatum.

Secundum, hypocrisis in duobus casibus est mortale.

Vnus est, cùm est coniuncta cum voluntate transgrediendi præceptum aliquod; vt, cùm homo vult fornicari, & apparere curat castus: aut vult iniustum committere, & fingit se iustum.

Alter est, cùm fit ob finem, qui est aliquod mortale peccatum; vt, qui fingit se doctum, sanctum, vt consequatur Episcopatum, vel beneficium, quo est indignus; aut fingit se castum, vt possit fornicari, si in sua custodia ponatur fœmina.

Tertium dictum est, in alijs casibus veniale peccatum est.

De contentione, quid, & quale sit peccatum.

Caput X.

Tertia filia vanæ gloriæ est contentio. Est autem contentio, *sermo contrarius veritatem alterius oppugnans*: cùm enim vnus verbo, vel scripto veritatem oppugnare

alte-

alterius vult, contendere cùm illo dicitur. Vt autem, quando, & quomodo sit peccatum, dignoscatur, aliquot sunt notãda dicta.

Primùm, impugnare veritatem notam, animo disputandi solũ, vt fieri solet in scholis, nullũ est peccatum, nisi in modo peccet, vt dicetur statim.

Secundò, impugnare veritatem, non tamen animo impugnandi, & contradicendi, peccatum est. Et, si veritas illa erat in Dei honorem, aut proximi notabilem vtilitatem, est mortale peccatum; vt, cùm impugnantur res fidei, aut veritates morales, quę in proximorum redundant vtilitatem. Cum verò non est talis veritas huiusmodi, quales reperiuntur in huiusmodi scientijs multæ, est veniale.

Tertiò, hoc etiam dicendum est, cùm quis impugnat veritatem, quam putat esse falsitatem, sed absque ratione putat. Vnde non excusantur hæretici impugnantes nostras veritates, licèt putent esse falsitatem: id enim temerariè iudicant. Obseruandum hoc totum etiam est in priuatis contentionibus, quas quis facit in colloquijs familiaribus aliquando, cum contentio fit de aliquo, ex quo infamatur proximus, aut damnum patitur: & tunc talis contentiò peccatum est mortale, cùm graue est detrimentum proximi. Solet & altera via esse peccatum in contentione, puta, in modo: cùm enim modus scandalum alijs ingerit, peccatum est.

Similiter, cùm in eo miscentur iniuriæ; immò, cùm fit cum magna excandescẽtia, & perturbatione: in hac enim frequenter est aliquod veniale; quamuis cum feruore aliquo, seruato modo, pro loco, & persona, non sit peccatum, immò studiosum sit. Iniuriæ verò, & scandalum, si grauia sunt, mortale peccatum faciunt in contentione, dum scandalum sit actiuum, quod rationabiliter auditores patiuntur. Hic igitur tunc, & ex hac duplici parte contingit, contentionem esse peccatum.

De discordia, & pertinacia.

CAPVT XI.

QVarta filia est, discordia, de qua S. Thom. tractat. 2. 2. quæst. 37. Est autem discordia, voluntatum contrarietas: cùm enim circa vnum & idem vnus vult, alter non

vult dicuntur discordes, id est, diuersi cordis. Cor enim voluntatem significare solet. Aliquando discordia est peccatum mortale, aliquando veniale, aliquando nullum est peccatum. Tunc est mortale, cùm vnus ab altero discordat, ex intentione contradicendi, & hoc fine, nempè, vt discors sit ab eo; & est erga rem pernicioſam, quia est contra Dei honorem, aut in graue proximi detrimentum: vnde, talis discordia in rebus, quæ ad fidem pertinet, aut in rebus, quæ ad aliorum vtilitatem notabilem spectant, mortale peccatum facit. Ex quo fit, vt sit multum periculosa inter eos discordia, qui gubernandi munus habent: tunc enim, his duobus accidentibus, nempè animo discordiæ, & detrimento graui proximi, fit mortale. Cùm verò animus est quidem contradicendi, tamen non cedit res contra Dei honorem, aut in graue detrimentum, est veniale. Deficiente verò tali animo, quia reuera discordia est quia vtrique ita ratio dictat volendum, & ratio probabilis est, tunc nullum est peccatum per se.

Quinta filia, est pertinacia, quæ quidem est animi adhæsio in propria sententia, plus, quàm oportet: quando enim aliqui firmius tenent sententiam contra alios, quàm res ipsæ, & argumenta probent, dicuntur pertinaces; & in rebus contra Dei honorem, aut in graue detrimentum proximi, vt sit in rebus moralibus, aut in rebus medicinæ, tunc est mortale: his verò deficientibus, est veniale: pertinetque hoc vitium ad intellectum, sicut præcedens ad voluntatem.

De curiositate, quid, & quale peccatum sit.

Caput XII.

CVriositas non est propriè filia vanæ gloriæ, quamuis quodammodo reducatur ad ipsam, vt infrà dicemus. Potest autem sic describi, *appetitus sciendi inordinatus*. In cuius declarationem aduerte, duos esse appetitus in homine.

Vnus est, ex parte corporis, & hic est ad cibos, potus, & delectationes carnis.

Alter est ex parte animæ, qua parte homo ex natura rationali constat, & hic est ad scientiam, & rerum cognitiones. Et

sicut

ſicut ille nunquam ſatiatur, ſed ſemper viget adeò, vt ſæpè limites rationis excedat, ita etiam hic, ad temperandum hos duos appetitus, ne contra rationem ferantur, duæ ponuntur virtutes: nam temperantia frænat appetitum corporeæ naturæ; ſtudioſitas verò, appetitum alterum ſciendi. Hæc ita frænat appetitum hunc cognoſcendi, vt faciat, ne homo velit ſcire contra rationem, nec prætermittere ea ſcire, quæ ſecundum rationem ſunt neceſſaria. Sæpè enim homines, ob laborem addiſcendi, negligunt ſcire, quæ ſcire debent: ſæpè & ob appetitum plura volunt, quam debent. Hæc virtus medium ponit. Quando ergo homo excedit, vt velit plura ſcire, quàm ratio poſtulet, tunc eſt vitium curioſitatis: ob id, ſic definitur, Eſt appetitus ſciendi inordinatus. Per ſcientiam autem hic intelligi volumus, nō ſolùm cognitionem, quæ fit per intellectum, ſed etiam, quæ fit per imaginationem, & per ſenſus exteriores, viſum, auditum, &c. Dices quando iſte appetitus dicitur inordinatus? Dico; tunc dici inordinatum, cum peccatū eſt, ſeu contra rationem. Hoc autem quadruplici ex parte prouenire poteſt, nempe ex parte ſubiecti, obiecti, finis, & circumſtantiæ.

Ex parte quidē ſubiecti, cum homo nō eſt capax eorum, quæ vult ſcire: velle enim ſcire ſupra proprium captum, & intelligentiam, curioſitas eſt: vnde dicendi ſunt curioſi, ſeculares rudes, qui volunt res arduas Theologicas ſibi proponi. Similiter etiam ex parte ſubiecti, cùm res tales non pertinent ad ipſum addiſcentem. Etiam religioſus eſt curioſus, qui vult ſibi manifeſtari negotia militaria, & res ſeculares, ſi ſolum faciat hoc propter cognitionem; ſecùs ſi id fiat ob proximorum vtilitatem, vel Dei honorem.

Ex parte obiecti, multipliciter contingit curioſitas.

Primò, cùm res, quę deſiderantur ſciri, ſunt inutiles ſcienti, quæ nec ad propriam, nec ad proximorum vtilitatem, nec ad Dei honorem faciunt: talis curioſitas peccatum veniale eſt, ſicut & illa, quæ erat ex parte ſubiecti.

Secundò, ſi res ſunt noxiæ, nimirum, ſunt occaſio peccandi: tunc enim, quando res ſcita eſt probabilis occaſio peccandi, velle eam ſcire, aduertendo periculum, eſt peccatum: &, ſi eſt occaſio, vel periculum mortalis peccati, tunc curioſitas etiam eſt mortale. Si verò periculum eſt venialis, erit veniale: vnde, qui ſcit ſe multum procliuem in luxuriam, & ex induſtria vult

videre animalia aliqua inter se coëuntia, mortaliter peccat, quia se exponit periculo probabili mortalis peccati, quamuis, si non esset tantum periculum, esset veniale. Idem dicendum est de lectionibus librorum inhonestorum.

Tertiò, si res sunt prohibitæ: velle enim scire res prohibitas sub mortali, est mortale: vnde, velle discere magicas artes, mortale est; sunt enim prohibitæ, Cod. de maleficis & mathematic. Similiter, velle audire ea, quæ in confessione dicuntur, est mortale. Similiter etiam peccat mortaliter monachus, qui per duos menses integros vacat iuri ciuili, aut medicinæ, si egressus est à monasterio, vt hoc faciat; & similiter etiam est excommunicatus. Similiter peccat mortaliter, & est excommunicatus Sacerdos, qui idem facit: non tamen excommunicatio, & prohibitio ligat non Sacerdotes, licèt diaconi sint, aut ordines habeant inferiores; immò licet habeant beneficium, nisi habeant dignitatem, vel personatum; tunc enim excõmunicatio hæc ipso facto incurritur, nempè finitis duobus mensibus: non tamen est reseruata, sed potest absolui ab Ordinario. Totum hoc habetur cap. non magnoperè, & cap. super specula, ne cleric. vel monach. & cap. 1. eodem titulo in sexto.

Rursus quartò, si res sunt malæ: vnde qui vellet experiri aliqua arte, & modo, quanta sit delectatio carnalis coitus, solum ob scientiam, mortaliter peccaret. His modis committitur curiositas ex parte obiecti.

Committitur & tertiò ex parte finis: cùm enim finis est mortale peccatum, aut veniale, & curiositas est talis: vnde, qui vult scire vsuras palliatas, vt eas faciat, mortaliter peccat, licèt posteà non faciat: similiter, qui vult scire defectus alterius, vt infamet, mortaliter peccat, licèt non infamet. Qualis finis est, talis erit appetitus sic sciendi.

Committitur & quartò curiositas ex parte circumstantiæ, quamuis non sit defectus ex alijs tribus partibus. Et hoc multipliciter fit.

Primò, si quis velit scire ita, vt Dæmonum arte scientias comparet, tunc est mortale peccatum.

Secundò, si ita vellet scire, vt alium inducat ad mortaliter peccandum; vt, qui vult scire ea, quæ alius occultare tenetur, ratione iuramenti, vel ratione excommunicationis pœnæ impositæ, vel ratione ipsius secreti, talis cu-

riosi-

rioſitas, quamuis ille talis non manifeſtet, eſt mortale peccatum.

Tertiò, cùm, vt ſciat ea, quæ ſcire non tenetur, prætermittit ſcire ea, quæ obligatur ſcire: vt, ſi clericus velit ſcire negotia ſæcularia, prætermiſſis ijs, quæ ſcire ſecundum ſuum ſtatum tenetur. Et denique, cùm, vt ſciat homo, prætermittit implere præceptum aliquod; vt, qui vt vacet ſtudijs rerum aliquarum non neceſſariarum, prætermittit audire ſacrum in die feſto: tunc enim eſt mortale.

Quartò, cùm ſequitur ſcandalum graue aliorum: cùm enim ex eo, quod aliquis diſcere, aut cognoſcere vult, quæ non tenetur, dat graue ſcandalum alijs, graue etiam peccatum mortale eſt. His omnibus modis committitur curioſitas; in quibus octo ſunt caſus, in quibus mortale peccatum incurri poteſt: in reliquis veniale eſt.

De inuentione nouitatum.

CAPVT XIII.

ALia filia inanis gloriæ, eſt inuentio nouitatum, quam S. Thom. 2.2. quæſt. 133. articul. 5. & alij multi ſolent nominare preſumptionem nouitatum. Eſt autem vitium hoc, cùm aliquis vult mirabilia aliqua exhibere, vt laudem aliorum comparet; & quia noua mirabilia ſolent eſſe, ob id, vitium hoc dicitur inuentio nouitatum. Fit autem hoc tam in dictis, quàm in factis: cùm enim aliquis noua aliqua facta, & inuſitata facere vult hoc fine, aut nouas opiniones ſuſtinere, & proferre, inuentor eſt nouitatum. Eſt autem hoc vitium ex ſe veniale, niſi aliqua circumſtantia mortalis ei adiungatur, putà, quia eſt contra Dei honorem, aut in notabile detrimentum proximi, aut in finem mortalem, vt diximus de alijs.

Quid inobedientia, & quibus ſit obediendum.

CAPVT XIV.

VLtima filia vanæ gloriæ eſt inobedientia: vt autem, quid ſit, rectè percipiatur, opus eſt ſcire quid ſit obedientia. Obedientia igitur eſt *virtus, quæ promptum faci-*

hominem ad implendum mandatum superioris, vt tale est. In qua definitione tres sunt partes.

Prima est, *virtus*. Est enim obedientia, pars quędam iustitię, quæ in voluntate ponitur, ad perficiendum hominem in his, quæ sunt ad alterum.

Secunda pars est. *Quæ facit hominem promptum ad implendum ea, quæ à suo superiore ei mandantur*. Aduerte tamen, quòd dupliciter potest aliquis implere mandatum alterius.

Vno modo, materialiter, putà, dum facit ea, quæ alius mandat.

Altero modo formaliter, dum facit ea hac intentione, & motiuo, quia ab alio sibi mandata sunt.

Primum pertinet ad virtutes alias ab obedientia: qui enim credit per fidem, & diligit per charitatem, & suffert labores per patientiam, facit ea, quæ Deus mandat.

Secundum tamen pertinet ad obedientiam: velle enim ista facere, quia Deus ita vult, obedientiæ est: ob id, additur in definitiõe illa pars tertia, *vt tale est*, id est, obediẽtiæ est facere mandatum, quia mandatum est. Obedire ergo mandato ad quamlibet virtutem pertinet; & obedientia generaliter quælibet virtus est: tamen formaliter, obedire est vnius, & determinatæ virtutis, ab aliis omnibus distinctæ. Ex hac definitione facilè est cognoscere, quid inobedientia sit: est enim *transgressio mandati superiorum, quia mandatum est*. Transgredi enim mandatum materialiter, omnium est vitiorum commune: per ea enim homo recedit à regula rationis, & transgreditur mandatum, hoc motiuo, quia sibi mandatum, & præceptum, & pertinet ad vitium peculiare, quod dicitur inobedientia. Habes ergo quid obedientia, quid inobedientia sit. Dices, quibus est obediendum? Dico, superioribus: non enim est obedientia, nisi ratione alicuius superioris. Vnde, filij parentibus, serui dominis, milites Duci, populi Principibus, clerici Episcopis, religiosi Prælatis, fideles Pontifici, omnes Deo obedire debent: similiter de alijs superioribus dicendum est.

In quibus est obediendum.

CAPVT XV.

OPortet primùm in generali cognoscere, in quibus inferiores teneantur obedire superioribus. Ac erga hoc duo sunt notanda.

Alterum est similiter de communi superiori, in quibus non sit obediendum ei. Alterum, in quibus sit obediendum.

Circa primum aliquot dicta sunt notanda.

Primum est, nullus obligatur obedire suo superiori in actibus interioribus puris, puta, intellectus & voluntatis. Istud est, S. Thom. 2.2.q.104.art.5. & communis doctrina. Explico, si superior dicit inferiori, dilige inimicum, vel hunc hominem; aut crede istam opinionem, non obligatur inferior hoc facere; pertinet tamen ad perfectionem obedientiæ, vt ipse S. Thom. dicit, hoc facere, & in his obedire, sed non est obligatio, quia anima ipsa soli Deo subditur. Vnde patet, hominem non potuisse perfici per omnes humanas leges, quæ non obligant ad actus interiores puros, nisi accederet diuina, quæ totum potest obligare hominem, & obligat de facto. Istud dictũ limitatur à Sylu. ver. excommunicatio. 7. §. 4. quod intelligitur de actibus puris internis, qui non sunt commisti cum externis: aliquãdo enim ratione exterioris potest esse obligatio interioris; vt, qui præcipitur aliquid facere, similiter præcipitur, vt velit absolutè facere; alias enim non faceret. Et hoc modo in Clem. 1. de stat. monach. excommunicatur monachus, qui sine licentia Prælati confugit ad curias Principum sæcularium, hac intentione, vt suo monasterio nocumentum inferat.

Secunda est. Non est obediendum illi superiori in his quæ pertinent ad statum proprium. Istud est eiusdem S. Thom. ibidem: v.g. Pater præcipit filiæ, vt nubat, aut fiat monacha, non tenetur obedire. Si quis præcipiat alteri, vt viuat in continentia, non est ei obediendum ex obligatione.

Tertium est, non est obediendum inferiori contra præceptum superioris: verbi gratia, quando duo superiores præcipiunt opposita vni, inferior debet obedire superiori maiori prætermisso minori. Vnde obediendum est potiùs in rebus Ecclesiasticis Papæ, quàm Imperatori & Deo, quàm homini-

bus. Si igitur Papa præciperet alicui, vt resignaret suum beneficium curatum in aliquem indignum, non esset ei obediendum, quia est contra diuinum præceptum. Ita habet Panorm. in cap. inquisitioni, de sent. excomm. & Io. Andr. c. cum a Deo, de rescript.

Quartum est, nulli superiori præcipienti aliquod peccatum vel veniale, est obediendum. Ita habet cap. literas, de rest. spolia. & 11. q. 3. can quid ergo. Hic tamen insurgit dubium, quid debet facere inferior, quando dubius est, an quod ei præcipitur sit peccatum? Dico, debet obedire; ita tenet Sylues. ver. obedientia, §. 2. & habetur hoc expresè. 23. q 1. can. quid culpatur, vbi statuitur, cùm non est certum superiorum factum esse malum, esse obediendum: in dubijs enim debet inferior credere superiori.

Quintum est, nulli superiori præcipienti aliquid, ex quo sequitur scandalum, vel notabile detrimentum aliorum, est obediendum in tali præcepto. Ita habet Pan. vbi supra, & Sylu. ver. obedientia, § 5. vbi dicunt non esse in hoc obediendum, quamuis superior sub excommunicationis pœna præcipiat; hæc enim non ligat, quando malè imponitur.

Sextum est, nulli est obediendum in his, in quibus non est superior: inferior enim solum obligatur obedire in his, in quibus inferior est, vt seruus in seruilibus, filius in rebus domesticis, in disciplina, & sic de alijs. Ita habet Innoc. cap. inquisitioni, de sent. excomm. & est communis doctrina. Vnde si Papa præcipiat alicui, vt donet vineam suam alteri, vel vendat, non tenetur obedire.

Septimum est, nullus obligatur obedire superiori, quamuis cognoscat voluntatem eius, nisi talis voluntas sibi fuerit manifestata exterius, tacitè, vel expresè. Ita habent S. Thom. qu. 23. de veritate, & Sylu. verb. obedientia, §. vlt. Non tamen negant isti Doctores, esse perfectiorem obedientiam, obedire, & facere voluntatem superiorum, antequam ei manifestetur, sed dicunt non esse obligationem obediendi. Hæc sunt, in quibus nullus obligatur cuicumque superiori citra Deum obedire.

Circa secundum verò, in quibus obediendum sit, regula est generalis, vnicuiq; superiori obediẽdum est ex obligatione, in his tantùm, in quibus est superior. Hic tamen vnum emergit dubium, quid sit faciendum, quando duo superiores æquales præcipiunt vni res oppositas; v. g. miles est subditus Duci, &

paren-

parenti, si præcipiat pater vnum, quod non potest impleri cũ eo, quod Dux præcipit quid faciendum est, an debeat obedire patri in domesticis, an Duci in militaribus? Respõdet Syl. v. obedientia. §. 10 quòd, cæteris omnibus paribus, tum obediendum est ei, qui præcipit in ordine ad nobiliorem finem: vnde, si æquale sequitur detrimentum in re domestica, & in re militari, potiùs est obediendum Duci, quia præcipit in ordine ad bonum commune, quod nobilius est bono particulari vnius domus,

De obedientia Religiosorum respectu Prælatorum.

CAPVT XVI.

HActenus in generali loquuti sumus, quæ sint ea, in quibus obediendum est, nunc ad particularia ista applicare oportet, ac primum de obedientia Religiosorum erga suos Prælatos agere debemus. De quo sunt aliquot dicta notanda.

Et primum est, Nullus Religiosus tenetur obedire suo Prælato in his, quæ pertinent ad maiorem perfectionem, quàm sit religionis, quam professus est. Istud est S. Tho. 2. sent. dist. 44. q. 2. art. 3. vbi dicit, religiosum teneri in his tribus obedire Prælato, in his nempè, quæ in regula continentur, & in his, sine quibus illa in regula contenta impleri nequeunt, & in pœnis inflictis propter culpas cõtra prædicta duo. Si verò aliquis superior vellet alia exigere, quæ ad maiorem perfectionem pertinent, vt ieiunia, disciplinas, & alia, quæ non sunt in regula, quamuis perfectius esset ei obedire, non obligaretur subditus in talibus obedire: non enim votum extenditur ad huiusmodi opera.

Secundum, Religiosus non tenetur obedire Prælato in his, quæ sunt præter illa tria, putà, nec pertinent ad regulam, nec ad ea, sine quibus regula non seruatur, nec ad pœnam. Ita habet Innoc. cap. veniens, de iureiurando.

Tertium, non tenetur etiam subditus obedire Prælato in his, quæ sunt contra regulam. Vnde, si Prælatus præcipiat alicui, ne ieiunet tali die, si regula præcipitur hoc ieiunium, non tenetur obedire, licèt possit Prælatus dispensare. Ita dicit

Sylu.

Sylu. verb. religiosus. §. 6. Additur, nisi Prælatus id præcipiat ex aliqua causa rationabili, putà, cùm ieiunium obesset multum subdito ex alia causa rationabili. Hæc igitur tria dicta hoc vno verbo concluduntur; Non tenetur religiosus obedire Prælato in his, quæ sunt supra, aut præter, aut contra, sed in his, quæ sunt tantùm secundum regulam, quam est professus.

Quartum, transgredi mandatum Prælati, est mortale peccatum, Ita habet S. Thom. loco citato, sed declaratur bene à Caiet. ver. præceptum, nimirum cùm Prælatus præcipit aliquid cum intentione obligandi ad mortale, quod exprimitur, cùm præcipit in virtute sanctæ obedientiæ: cum enim aliter non præcipit, non est mortale, & rarò habent Prælati huiusmodi intentiones. Vnde non erit tunc mortale, nisi, quod præcipit Prælatus, sit alias præceptum diuinum aut Ecclesiæ, obligans ad mortale.

De obedientia respectu legum.

Caput XVII.

QValiter obedientia legibus sit exhibenda, necessarium quidem, sed difficile est determinare. Oportet primùm quid sit lex statuere. Omissis autem alijs definitionibus, quæ plurimæ solent dari, videtur sic posse describi; Lex est *rationis ordinatio homini, quid agendum, quidve non agendum sit, ostendens, in commune bonum instituta.* In qua definitione sunt tres partes.

Prima est, *rationis ordinatio*, id est, principium quoddam per rationem constitutum: est enim lex opus rationis.

Quid autem hoc principium faciat, explicatur in secunda parte, nimirum, *ostendens homini, quid debeat agere, quid debeat cauere.*

Finis autem explicatur in tertia parte, nimirum *instituta in bonum commune.* Leges enim in vtilitatem eorum, quibus imponuntur, institutæ sunt. Dicitur lex à legendo, quasi homo in ipsa legat, quod facere debeat; seu à ligando, quasi hominẽ ligat & obliget facere quod in ea continetur. Solet alijs nominibus appellari: dicitur enim ius, quia iustum statuit in rebus: dicitur præceptum, quoniam imperium instituentis exprimit: dicitur statutum, quia firmitatem debet habere: dicitur constitutio, quia aliquando multi conueniunt ad legem sta-

bilien-

biliendam. Hæc lex quinque actus habet, nempè, præcipere, prohibere, permittere (sunt enim aliquot leges mala aliqua permittentes ad bonum commune.) punire: sunt enim leges aliquot pœnales, pœnam pro malefactis determinantes: præmiare: aliquando enim lex præmium statuit implentibus ipsam, & hoc præcipuè conuenit legi diuinæ, iuxta illud Psal. 18, *in custodiendis illis retributio multa.*

Lex in duo diuiditur genera, in diuinam & humanam.

Lex diuina est, quæ à Deo est immediatè instituta, qualis est Euangelica, quæ à Christo Domino; & lex Moysis, quæ à Deo per Moysen data est.

Humana verò est, quæ ab hominibus est instituta per potestatem sibi à Deo datam, quales sunt illæ, quæ à Principibus, & alijs huiusmodi potestatibus sunt institutæ.

Diuina iterum diuiditur in naturalem, & positiuam.

Lex naturalis est, quæ sic à Deo est data, quòd rationi hominis naturaliter eam insculpsit, ita vt ratio hominis eam dictet. Huiusmodi sunt decem præcepta Decalogi; ita enim Deus ea ordinauit, vt naturale lumen rationis attingat, & cognoscat talia præcepta esse, & esse obseruanda.

Lex verò diuina positiua est, quæ data est à Deo; sed lumen humanum non eam distinguit, nisi prius per reuelationem aliquam ei manifestetur. Huiusmodi fuerunt in veteri testamento leges cæremoniales, & iudiciales multæ: in Euangelio verò sunt præcepta sacramentorum & fidei; sunt enim incognita homini secundum naturam, nec ei innotescunt, nisi per diuinam manifestationem.

Lex etiam humana diuiditur in Ecclesiasticam & secularem.

Ecclesiastica est, quæ à potestate aliqua Ecclesiastica est instituta, nimirum a Papa, Concilio, Episcopo, vel aliquo Ecclesiæ Prælato: diciturq; canonica lex: canō enim idem est, quòd regula, & quamuis omnis lex etiam dici possit, canon tamen attribuitur Ecclesiasticæ regulæ, quæ inter humanas est potissima.

Sæcularis autem aut ciuilis est, quæ à potestate sæculari est instituta, nimirum ab Imperatore, vel Rege, vel Duce, vel Republica, vel ab alio Principe, aut Republica, aut cōmunitate, aut aliquo alio superiori. Est ergo lex diuina naturalis, & diuina positiua, Canonica & ciuilis. Aliæ diuisiones ad rem pertinentes non sunt.

Quando lex vim obligandi habeat.

Caput XVIII.

Lex humana non statim obligandi eos, quibus datur, vim habet, sed sunt aliquot conditiones necessariæ.

Primò enim debet esse iusta; lex enim humana, cùm iniusta est, non obligat. Ad iustitiam autem legis sunt quatuor necessaria, vt tradit S. Tho. p. 2. q. 96. ar. 4.

Vnum est ex parte finis: debet enim institui in commune. Vnde leges, quæ instituuntur, & dantur communitatibus in bonum vnius particularis tantùm, sunt iniustæ; nisi bonum illius in totam redundet communitatem.

Alterum est ex parte agentis, vt lex instituatur ab eo, qui habet superioritatem & potestatem, & ita, vt non excedat limites suæ potestatis, aliter efficitur lex iniusta.

Tertium, vt sit materia bona; non contineatur, siue præcipiatur in lege res aliqua mala, vel prohibeatur bona.

Quartum est, vt sit forma bona, id est, lex seruet proportionem ciuium, vt non plùs oneret eum, qui minus est onerandus: propter quod superiùs diximus, leges gabellarum, quæ extorquent tributum ex his, quæ ciues in proprios vsus, & sustentationes emunt esse iniustas: tunc enim qui plùs indiget, plus soluit, quod est iniquum. Quando ergo in lege ista non reperiuntur, est iniusta, & non habet vim. Tamen notandum est ex eodem sancto Thoma, quòd lex dupliciter potest esse iniusta.

Vno modo, quia est contra bonum humanum; vt, quæ est in bonum priuatum ordinata, vel excedit limites potestatis, institutionis, vel non seruat debitam formam.

Altero modo, quia est contra bonum diuinum, nimirum, quia præcipit aliquid contra Dei legem.

Si priori modo est iniusta, licèt in conscientia non obliget, tamen propter scandalum debet aliquando seruari, iuxta illud Matth. 5. *Qui te angariauerit per mille passus, vade & alia duo, & qui abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium.*

Si verò posteriori modo est iniusta, nullo modo est seruanda; vt, si lex præciperet non esse colendos Sanctos, non esse adorandã Crucẽ, esse fornicandũ, vel quid simile. Et sic intelligitur istud Actor. 4. *Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus.* Debet ergo primùm lex esse iusta, vt vim habeat.

Nec

Nec hoc satis est, sed, secundum omnes, necessarium est secundò, vt sit promulgata: ante promulgationem enim & manifestationem, quamuis constet voluntas legislatoris; non habet vim obligandi lex, vt probat Soto libr.1.de iust.q.1.ar.1.

Nec adhuc satis est promulgatio, sed debet tertiò esse recepta ab his, quibus lex datur, vt habetur can.in istis d.4. si enim lex promulgata est, sed non recepta, non obligat.

Adhuc hoc non sufficit, sed opus est quartò, vt, postquam est recepta, non sit per aliam contrariam legem, aut consuetudinem derogata. Multi enim extant antiqui canones & leges, quæ olim promulgata & recepta fuerunt, modò tamen non obligant, quia per contrariam consuetudinem, aut leges alias sunt derogata.

Adhuc ista non sufficiunt, vt lex obliget vnumquemque in particulari, sed opus est quintò, vt non sit inuincibiliter, seu probabiliter ignorata. Cùm enim aliquis probabiliter, seu inuincibiliter ignorat legem, quamuis ipsam transgrediatur, nõ peccat. Loquor autem hactenus de lege humana. Aduerte tamen, quòd non quæuis ignorantia excusat à lege, vt alias diximus, sed illa, quando homo ignorat ea, quæ scire non tenebatur; aut, si tenebatur, non potuit scire, nec per ipsum stetit, quò minus sciret. Hæc autem dicitur inuincibilis, seu probabilis. His ergo quinq; positis, lex humana vim habet obligandi, siue cano. siue ciuil. sit. At lex diuina non sic se habet: nulla enim lex diuina iniusta est, nec indiget noua promulgatione, quia iam promulgata & recepta est, nec etiam potest derogari. Sola ignorantia est, quæ excusat ab obseruatione legis huius, sed non naturalis diuinæ: nullus enim peccans contra præceptum Decalogi excusatur à peccato: nam lex naturalis nunquam ignoratur inuincibiliter, sed crassè, vt habet Sylu. verb. præceptum. §.7. In sola autem diuina positiua locum habet ignorantia: vnde infideles, qui nihil audierunt de Euangelio, nec credunt Christo, non peccant peccatum infidelitatis in non credendo: excusantur enim ob ignorantiam; damnantur tamen propter alia peccata, quæ committunt contra ius diuinum naturale, quod obligantur obseruare.

Quanta sit legis obligatio.

Caput XIX.

Lex diuina, tam naturalis, quàm positiua, non obligat semper ad mortale: aliquando enim obligat ad veniale. Mendacium enim iocosum, & verbum otiosum, venialia sunt, licèt non sint secundum legem diuinam; frequenter tamen obligant ad mortale; præsertim Decalogi præcepta: cum enim non est leuitas materiæ, & actus est deliberatus, mortale peccatum est transgressio. De positiua autem lege, vsus Ecclesiæ, & Doctorum doctrina iam declaratum habet, quando mortale, quando non: at verò de lege humana, tam canonica, quàm ciuili, difficultas est. Sunt autem notanda aliqua, in quibus Doctores conueniunt.

Primum est; Possunt huiusmodi superiores, tam Ecclesiastici, quàm sæculares obligare ad mortale subditos, & facere præcepta obligantia ad mortale. Et in hoc conueniunt Doct. & probatur à Soto, lib. 1. de iust. q. 6. art. 4.

Secundum est, quando superior intendit obligare ad mortale, tunc obligat: quando autem intendit non obligare, non obligat. Itaque illud præceptum obligat ad mortale, cum constat, talem fuisse intentionem præcipientis. Similiter etiam, si constat, non fuisse, non obligat: vnde S. Thomas, 2.2. quæst. 186. artic. 9. dicit præcepta sancti Dominici non obligare ad peccatum, quia ipse regulæ institutor dixit, & expressit, se nolle obligare ad peccatum. In hoc etiam omnes conueniunt.

Tertiũ est, si quis ex contemptu seu intentione nõ obediendi, vult facere aduersus id, quod ei præcipitur à superiore, licèt non præcipiatur sub peccato mortali, peccat mortaliter: verbi gratia, præcipit Prælatus inferiori aliquid non obligans ad mortale, si inferior non facit, hac causa, quia non vult obedire, aut ex contemptu, peccat mortaliter. Similiter dicendum est respectu cuiusque alterius superioris, etiam respectu Dei: qui enim consilium diuinum non faceret ex contemptu, vel quia non vult Deo obedire, etiam mortaliter peccaret. Ita habet Caiet. 2. 2. q. 104. art. 2. Sylu. ver. lex. § 8. & ver. contemptus. § 2. In hoc omnes conueniunt.

Quartum est, cùm aliquid præcipitur sub pœna excommunicationis, aut alterius pœnæ, quæ homini in gratia existenti

non

non potest conuenire: vt sub pœna maledictionis à Deo & indignationis Apostolorũ, aut alicuius similis, obligat ad mortale; quamuis excommunicatio non imponatur ipso facto: siue enim ipso facto incurratur, siue, excommunicatio non potest fulminari, nisi in materia peccati mortalis.

Limitat autem hoc Caiet. ver. præceptum; quòd, cùm excõmunicatio non imponatur immediatè, sed ita, vt admoneatur prius qui est excommunicandus, tunc non facit mortale peccatum talis inobedientia, donec præcedat talis admonitio.

Quintum est. illa lex humana obligat ad mortale; cùm, licèt non constet præcipientis intentio, tamen vsus Ecclesiæ, aut Doctores communiter solent interpretari de tali obligatione ad mortale: verbi gratia, est lex ieiunij in Quadragesima non habet expressum, an obliget ad mortale: at communis sensus Ecclesiæ ita interpretatur cum Doctoribus etiam ita declarantibus; ob id censendum est obligare ad mortale. Similiter etiam dicendum est de præcepto communionis, tempore Paschæ, & confessionis, iuxta cap. omnis vtriusque, de pœniten. & remiss. non enim habetur expressum, an obliget ad mortale; tamen Ecclesiæ vsus ita declarat. In hoc dicto nullus etiam discordat.

Sextum est. Agens iuxta intentionem legis, licèt agat contra verba ipsius, aliquando non peccat.

Hoc est dictum etiam commune, & habetur à S. Tho. 1. 2. q. 96. ar. 6. v g. Est lex, quòd portæ ciuitatis noctu sint clausæ; tamen si accidat, vt hostes insequantur ciues, per quos ciuitas seruatur, esseteq; ciuitati damnosum, si non aperirentur; tunc aperire non est peccatum: nam est ob bonum cõmune, quod lex illa intendebat; &, si in tali casu esset legislator, vtique ita iudicaret. Aduertit tamen S. Tho. non licere agere semper secundum intentionem legis contra ipsius verbalem sensum, nisi cùm causa vrgens est, & cùm Princeps, seu Superior, cuius est legem interpretari, non adest, nec facile conueniri potest: si enim posset, non liceret tunc cuilibet sic contra legem agere.

Hæc sunt, in quibus non est discordia inter Doctores erga obedientiam legum, seu præceptorum.

De diuersitate Doctorum erga legum obedientiam.

Caput XX.

TRia sunt, in quibus Doctores discordant erga obedientiam legum humanarum. In cuius gratiam notanda est distinctio.

Leges humanæ se habent in duplici differentia.

Quædam sunt purè præceptiuæ, quę aliquid faciendum iubent, vel faciendum prohibent.

Quædam sunt pœnales, quibus pœna infligenda transgressoribus statuitur. Sunt ergo leges Ecclesiasticæ & ciuiles etiam purè præceptiuæ, & vtræq; pœnales: & in his tribus est difficultas.

Circa leges Ecclesiasticas, Nauarr. cap. 23. summæ, num. 48. & sequentibus; dicit, quòd generaliter, quoties in lege Ecclesiastica ponitur verbum exprimens præceptum, aut prohibitionem aut necessitatem, obligat ad mortale; vt, cùm dicitur, præcipimus, inhibemus, oportet, debet, & similia. Ratio huius Doctoris est, quia hoc est declaratum iam à Papa, & cùm legislator explicat intentionem suam, vt diximus, tenendum est, legem obligare secundum intentionem talem. Quòd autem Papa declarauerit, hoc probat ex Clem. exiui, de verb. signif. vbi Clemens Tertius fratribus S. Francisci petentibus, an omnia, quæ in eorum regula erant, ad mortale obligarent, an nulla, præter tria vota respondit, aliqua obligare, puta, quæ sunt per verbum præceptiuum data, alia verò non. Dicit secundò Nauarr. quòd, cùm non habetur verbum tale, sed dicitur, declaramus, ordinamus, vel est loquutio per modum imperatiuũ, id est, fiat hoc, vel illud, tunc non obligat ad mortale, quia non est declarata intentio legislatoris. Probat ex S. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 9, qui ita dicere videtur. Contra primum dictum tenet Caiet. ver. præceptum, vbi dicit, quòd quamuis lex verba talia contineat, adhuc non obligat ad mortale, nisi sit materia alicuius momenti. Si enim Decalogi præcepta ex leuitate materiæ obligant ad solum veniale, multò magis præcepta humana. Et ego ita credo: nec argumentum Nauarr. valet: nam Pontifex ille supponebat materiæ grauitatem. Erant enim diuina consilia, quæ monachis tantæ religionis

sunt res magni momenti. Alterum etiam dictum Nauarr. eodem modo est intelligendum: cùm enim res quæ declaratur, grauis est, obligat ad mortale: nec refert illo modo loqui: nam in similibus locutionibus includitur verbum præceptiuum. Nec Sanctus Thomas ita vniuersaliter loquitur, vt dicit Nauarrus.

Circa leges humanas ciuiles est secunda difficultas. Idem Nauarr. tenet, quòd nulla illarum obligat ad mortale, quamuis sit verbum præceptiuum, nisi res quæ præcipitur, sit alio iure diuino vel naturali præcepta: tunc enim obligat, sed ratione iuris præcedentis; vt, lex, quæ prohibet adulteria, obligat ad mortale, sed ratione iuris naturalis, alias non. Ratio eius est; quia non constat, neque est expressa intentio legislatoris volentis obligare ad mortale. Contrarium tenet Soto lib. 1. de iustitia, qu. 6. ar. 4. vbi probat leges humanas obligare ad mortale: nec requirit illam explicationem intentionis: immò dum non constat intentio, quòd noluit legislator obligare ad mortale, tenendum est obligare: intellige cùm res est grauis: cùm enim leuis est, vt, quòd ciues non induantur serico, vel non habeant tales, vel tales vestes, non esset peccatum mortale aliter facere. Ita ego credo; nam eo ipso, quòd aliquid graue præcipitur, includitur intentio obligandi ad mortale in legibus, nisi contrarium exprimatur: immò legislator forsan non meminit, nec aduertit quicquam de intentione mortalis, vel venialis, sed solùm vult obligare. Quanta autem sit obligatio, relinquitur grauitati materiæ, quæ præcipitur.

Circa leges pœnales, tàm ciuiles, quàm Ecclesiasticas, est tertia inter Doctores difficultas. Aliqui enim volunt eas ad nullam obligare culpam, nisi res ipsa alias ex se esset mala, absque tali lege; ita habet præfatus Nauar. & Castro lib. 1. de lege pœnali, cap. 9. & videtur idem tenere Caiet. verb. præceptum. Tamen contrarium tenet Soto lib. 1. de iust. qu. 6. art. 5. Sylu. ver. inobedientia. § vlt. vbi reprehendit distinctionem Henrici, quodlibet. 3. q. 22. & ver. præceptum. §. 3. Idem enim tenet Armill. ver. præceptum, §. 6. Dicunt isti, quòd obligant tales leges ad culpam, & statuunt regulam. Quando in lege humana ponitur grauis & notabilis pœna, vt pœna capitis, aut amissio omnium bonorum, aut perpetui exilij, obligat ad mortale: quando verò pœna non est tam grauis, non obligat, nisi ad veniale: quod intellige, supposita grauitate

materiæ, quæ in lege iusta est coniuncta cum grauitate pœnę. Ego ita puto dicendum cum istis: est enim communis sententia; & in rebus dubijs non debet homo exponere se periculo peccandi, agendo contra tales leges: videntur enim istæ exprimere maiorem intentionem obligandi ipsorum legislatorũ, cùm non solùm præcipiant, verùm pœnas infligant transgressori. Pœnam autem nullus tenetur soluere ante condemnationem, quamuis aliqui putent contrarium: sed opposita sententia communissima & vera est. Vnum autem est argumentum contra istos forte: nam cap. fin. de celebratione Miss. præcipitur, ne Latinus in Occidentali Ecclesia consacret in fermẽtato pane, aliàs priuatur officio & beneficio. Illa lex est pœnalis, & secundum hos non obligat ad mortale; & nullus profectò auderet dicere non esse mortale peccatum, scienter consecrare in fermentato. Lex ergo pœnalis obligat, Hæc sunt, in quibus non est tanta Doctorum concordia circa obedientiam legibus exhibendam. Tutior pars tamen tenenda est: nam, si leges humanæ, & pœnales præsertim, non obligant ad culpã, multa fient mala contra bonum commune, nec id affirmare est Doctoris, sed principis, aut alicuius Concilij. Simus ergo in communi sententia.

De obedientia clericorum ad Episcopum, & filiorum ad patres.

Caput XXI.

Ergo obedientiam clericorum ad Episcopos aliquot sunt dicta notanda.

Primum est, clerici in his, quæ ad statum proprium clericalem pertinent, tenentur suis Episcopis obedire, & absq; rationabili causa nolentes obedire in re graui præceptis Episcoporum mortaliter peccant, vt tenet Sylu. verb. obedientia. §. 7. & Angel. ibid. nu. 9 Si ergo Episcopus præcipit clerico, vt tali vestitu vtatur propter modestiam, vt taliter se gerat erga cultũ diuinum, tenetur obedire.

Secundum est, laici etiam tenentur obedire Episcopis, in his, quæ ad salutem ipsorum spiritualem pertinent. Ita habent Innoc. & Panor. cap. veniens, extr. de sent. excomm. In his ergo quæ ad sacrorum susceptionem, & præceptorum Ecclesiastico-

sticorum,& diuinorum impletionem spectant, debent laici obedire superioribus Ecclesiasticis.

Tertium est,clerici non sunt subditi sæcularibus potestatibus,nisi sit ex Pontificis aliqua concessione, ita habetur cap. Ecclesia,de constitutio : vnde non tenentur obedire ipsorum præceptis,nisi in his quæ faciunt clerici vt sæculares,seu laici: vnde,si in negotijs & contractibus sæcularibus se ingerat clericus, stare debet statutis sæcularium Principum.

Erga obedientiam filiorum ad patres , id vnum notandum est, teneri obedire parentibus,dum sub eorum sunt potestate, in his,quæ ad res domesticas,& bonos mores pertinent; & in re graui nolle acquiescere parentum præcepto , mortale est,vt tenet Sylu.ver. obedientia.§.1. & Angel.ibid.num.1. Quando ergo mater præcipit filiæ, ne inhonestè viuat, obedire tenetur:& quando præcipit pater filio,vt literis vacet, vt abstineat à mala aliqua conuersatione, vt domus curam habeat,obedire tenetur. Attende autem,quod spernere parentum consilia, vel præcepta,etiam obligantia ad veniale ; aut nolle facere hoc motiuo,vt non obediant (dico autem spernere positiuè, quia paruipendunt parentum obligationem) mortale est, vt superiùs diximus cap. 19. Ista sufficiant modò in particulari attigisse de inobedientia.

De præsumptione.

CAPVT XXII.

ALtera filia superbiæ , secunda post vanam gloriam, præsumptio est.Hæc autem potest sic describi. *Est appetitus se exhibendi supra propriam potestatem.* Cùm enim homo vult dicere,vel facere supra id, quod verè potest , ac si talia exhibendi haberet potestatem , dicitur præsumptuosus. Est autem præsumptio in quibusdam casibus mortale peccatum.

Primò , cùm præsumptio coniuncta est cum notabili damno proximi,vel saltem periculo talis damni;vt,qui,cùm ignarus sit medicinæ,aut parum sciat , vult exercere medendi artē; &,qui ignarus est legum,patrocinandi munus assumit ; & qui nescit Theologicas veritates,vult concionari populo de rebus multùm arduis.

Secundò , quando est vsurpatio alicuius dignitatis, aut of-

ficij sæcularis vel Ecclesiastici; vt, qui audit confessiones, cùm non habeat facultatem; aut iudicat, cùm non habeat potestatem.

Tertiò, cùm exponit se periculo mortaliter peccandi; vt, qui cognoscens se sæpè labi in mortale, cùm alloquitur fœminas solus, adhuc vult, confidens suis viribus, alloqui. Immò etsi confidat diuinæ gratiæ, cùm homo alias de se habeat prædictam experientiam: tunc enim esset tentare Deum: secus, cùm homo non haberet talem notitiam periculi, cui se exposuit. In his casibus mortale est præsumptio, in alijs frequenter est veniale. Est etiam alia præsumptio, quæ est contra spem, vnam ex virtutibus Theologicis, de qua S. Thom. 2.2. q. 21. hæc autem est, cùm homo plus fidit diuinæ misericordiæ, quàm debeat: tunc autem fidit plus, quàm debet, quando contra diuinam legem aliquid à Deo sperat; vt, qui putaret, seu vellet sola diuina misericordia saluari, nullo suo existente opere & merito: & hæc, cùm actus perfectus existit, est mortale peccatum.

De ambitione.

Caput XXIII.

Tertia filia superbiæ est ambitio. Hæc autem est appetitus inordinatus honorum & dignitatum, Ex genere suo non est mortale, sed veniale. In aliquibus casibus est mortale.

Primò, cùm appetitur honor de aliquo mortali peccato: vt enim laudem de mortali peccato velle, est mortale, ita & velle honorem & dignitatem pro mortali.

Secundò, cùm appetitur honor vel dignitas modo illicito, qui est mortale peccatum, vt velle dignitatem per simoniam, vsuram, homicidium, vel per dolum & fraudem.

Tertiò, cùm ponitur vltimus finis in ipso honore & dignitate, putà, cùm homo paratus est mortaliter peccare, vt dignitatem consequatur. Hoc modo peccat, qui, cùm sit indignus Episcopatu, vel beneficio aliquo curato, ipsam deliberate appetit. Malè enim appetitur id, quod absq; peccato retineri non potest.

Quartò, cùm propter finem aliquem, qui sit mortale peccatum, appetitur honor vel dignitas; vt cùm appetitur propter vindictam, vel ad alium malum vsum mortalem. His modis ambitio mortale peccatum est, in reliquis verò veniale est.

De Auaritia, quid sit.

CAPVT XXIV.

SEcundum capitale vitium est Auaritia, de qua tractat S. Thom. 2. 2. quæst. 118. Hæc autem sic potest describi. *Est amor immoderatus habendi.* In qua descriptione sunt tres partes.

Prima est, *amor*, Est enim Auaritia, appetitus, & affectus quidam, pertinetq; ad voluntatem.

Secunda pars est, *habendi*. Per hoc vocabulum intelligimus res vtiles, putà, pecunias, & alia, quæ pecunia æstimantur, ad proprios vsus, qualia sunt pecora, vineæ, domus, & alia huiusmodi, quæ diuitiæ vocantur. Amor enim horum, est Auaritia, si accedat tertia pars definitionis, nempè, quòd sit *immoderatus*, putà sine modo, & regula, seu mensura rationis.

Aduerte autem, quòd Auaritia consistit in his casibus & actibus, vt, in retinendo pecunias, & res alias vtiles præter modum, putà, non dando, quando, quomodo, & quibus oportet; aut in acquirēdo huiusmodi, & congregando præter modum; aut tertiò in immoderato affectu erga res huiusmodi.

Aduerte rursus, quòd auaritia non solùm consistit in ordine ad alterum, putà, non dando alteri, aut accipiendo ab altero, sed erga seipsum potest homo esse auarus, cùm sumptus necessarios sibi negat ex affectu pecuniæ. Habemus ergo ex his, quid sit Auaritia. Hæc autem habet vitium quoddam sibi contrarium, & extremum, putà; Prodigalitatem. Hæc autem consistit in dando plus, quàm potest, aut in minus, quàm oportet, propria conseruando, non solùm erga alios, sed erga seipsum: victus enim superfluus ad prodigali-

tatem spectat. In medio autem consistit liberalitas, quæ moderatus amor est diuitiarum : dat enim & retinet, quando, & quomodo oportet. Vnum tamen hic aduertendum est, quod Auaritia opponitur, & contraria est duplici virtuti, putà, iustitiæ & liberalitati; tunc enim est contra iustitiam, cùm versatur circa alienum, putà, cùm non datur, quod debetur, ex amore ipsius pecuniæ; aut cùm accipitur quod alienum est, per furtum, rapinam, vsuram, vel alia iniusta via. Cùm verò versatur circa propria, putà, circa immoderatum affectum in teb. proprijs, tunc est contra liberalitatem. Similiter etiam prodigalitas opponitur iustitiæ & liberalitati. Iustitiæ, cùm prodigus est aliquis ex alieno; vt, cùm multa debeat, inutiliter consumit pecunias, & fit impotens ad soluendum. Liberalitati, cùm ex propriis tantùm immoderatè consumit. Patet ergo, quid Auaritia, quid Prodigalitas sit, & quibus contrariæ sint virtutibus.

Quale peccatum sint Auaritia, & Prodigalitas.

Caput XXV.

Ad cognoscendum quale peccatum sit Auaritia, oportet considerare, & distinguere, quando contra iustitiã, & quando contra liberalitatem est. Cùm enim est cõtra iustitiam, ex genere suo est mortale peccatum, & de facto est mortale, nisi ob leuitatem materiæ, vel ob defectum deliberationis fiat veniale: vnde, qui ex auaritia, & pecuniæ affectu retinet alienum, nolens restituere, aut accipit alienum via aliqua iniusta, mortaliter peccat. Quando verò est contra liberalitatem, tunc ex se veniale peccatum est; quamuis fiat mortale, cùm opponitur præcepto charitatis: v.g. retinere multum pecunias proprias, nolendo dare, & succurrere alteri, & habendo immoderatum appetitum earum, veniale est: si tamen homo ex tali affectu non succurrat indigenti posito in extrema, aut graui necessitate, cùm obligatur precepto charitatis, mortaliter peccat. Similiter, cùm est paratus negligere, seu transgredi diuinum præceptum potiùs, quàm separare affectum a pecunia, peccat etiam mortaliter: vt, qui paratus est, si possit, furari, aut vsuram dare, aut negare indigenti extremè, aut quid simile. Idem etiam dicendum est de Prodigalitate:

cùm

cùm enim est contra iustitiam, tunc ex genere suo est mortale peccatum; & verè est mortale peccatum, nisi excusetur vna illarum duarum causarum, quas diximus de Auaritia: vnde, mortaliter peccat prodigus consumens pecunias alienas; vt tutores, & curatores, res pupillorum consumentes, & dispensatores, rem sibi traditam prodigentes, peccant mortaliter. Prodigus autem peccat mortaliter, cùm se impotentem facit ad soluenda debita sua, & cum reliquit prouidere familiæ, seu vxori, & liberis: at verò, cum est contra liberalitatem, ex genere suo est veniale; vt, qui ita de proprijs est prodigus, quòd nullam iniustitiam committit in alterum: tamen hoc modo fit etiam peccatum mortale, cum transgreditur aliquod præceptum charitatis; vt, qui notabile scandalum ingerit alijs sua prodigalitate, maximè, si est persona ecclesiastica, & qui, dum viuit prodigè, indigenti in graui, aut extrema necessitate non succurrit; & qui paratus est mortaliter peccare potius, quàm à tali prodigalitate, quàm peruersè liberalitatem vocat, desistere.

De filiabus Auaritiæ.

CAPVT XXVI.

MVltæ sunt filiæ Auaritiæ, quæ ad finem ipsius ordinantur, seu ab ipsa procedunt, quas S. Thom. 2.2.q.118. art.8, refert ex Greg. Hæ autem sunt num. 7. obduratio, inquietudo, fraus, fallacia, periurium, violentia, proditio. Quarum prima est obduratio, contra misericordiam, quæ consistit in retinendo: ex eo enim, quòd auarus vult inordinatè retinere pecuniam, fit obdurati cordis, & animi immisericordis ad subueniendum necessitatibus proximorum.

Ex eo etiam, quòd immoderatum habeat affectum, consequitur inquietudo, vt semper solicitus sit mente, & varijs curis, & anxietatibus distrahatur. Ex eo etiam, quòd vult acquirere immoderatè, sequitur, vt sæpè vtatur fallacia in verbis, & fraude in factis, & periurio, falsum confirmando; & violentia, furando, rapiendo aliena, & aliquando prodendo personas, vt Iudas, qui ex Auaritia Christum Dominum prodidit. Inter has filias oportet primò examinemus obdurationem cordis ad miserendum aliorum. Et quia ad hanc pertinet præ-

cipue non facere eleemosynã, nec subuenire indigenti, oportet tractemus istam materiam de eleemosyna, & misericordia per quam cognoscetur, quale, & quantum peccatum sit illa cordis obduratio.

De Eleemosyna quid sit.

Caput XXVII.

Eleemosyna non potest benè percipi, quid sit, nisi prius, misericordia quid sit, cognoscatur. Est igitur misericordia, *displicentia mali alieni, ad ipsi subueniendum inclinans.* In qua descriptione duæ sunt partes principales.

Vna est, *Displicentia mali alieni*: Per misericordiam displicet homini miseria proximi, nolletque in malis eum esse.

Altera pars est, *inclinans ad subueniendum.* Per misericordiam enim, homini non solùm displicet malum, & miseria aliena, sed inclinatur ad volendum ei subuenire, & malum ipsius subleuare, vt potest. Tractat S. Thomas, de hac virtute, 2.2. quæst. 30. Nascitur autem ex charitate, hoc modo, nam per charitatem homo vnitur cum suo proximo, ac malum illius, vt proprium, etiam sibi reputat, ac ex hac parte displicet, Nascitur etiam ex charitate, quia, cùm quis diligit seipsum, cumque malum, quod est alteri, sibi posse accidere considerat, sic ipsum detestatur, sibique displicet: vnde Arist. 1, Rhetor. dicebat, prudentes, & senes esse misericordes: prudentes quidem, quia considerant malum alterius etiam sibi accidere posse; senes verò, quia timent multùm sibi malum. Et ob hanc causam, etiam fœminæ, & miseri homines, ac formidolosi naturali quadam misericordia mouentur facilè. Hoc suppositio, potest sic describi, *Eleemosyna est opus, quo indigentiæ alterius subuenitur, ex misericordia procedens.* Velle enim subuenire, est actus misericordiæ, & illud opus, quo talis subuentio fit, dicitur Eleemosyna. Quod verbum græcè idem valet, ac apud Latinos misericordia. Solet enim nomen ipsum virtutis ipsi effectui attribui. Vide S. Tho. 2.2. q. 32.

Qui possint facere Eleemosynam, & quomodo religiosi.

CAPVT XXVIII.

NOn omnes possunt facere Eleemosynas, vt habet S. Thomas, 2.2.q.32.art.8. Nullus enim subditus, & inferior potest facere Eleemosynam de ea re, secūdum quā subditus est alteri: potest quidem, si quid habet proprium, erogare in eleemosynam; tamen de re superioris nō potest: vnde religiosi, vxores viuentib. viris, filijfamilias, famuli, serui non possunt facere eleemosynas, nisi in quatuor his casibus.

Primus, cùm est extrema necessitas indigētis: quando enim aliquis laborat extrema necessitate, potest inferior eleemosynam facere de re superioris, etiam ipso nolente, vt habet Glos. 12.q.1.can.non dicatur. quam sequitur communis Doctorum opinio.

Secundus, cùm est grauis etiam necessitas indigentis alicuius; tamen tunc, si potest haberi facultas à superiore est habenda, vt habet Panorm. c.si quis, de furtis.

Tertiò, cùm ipse superior dat commissionem, & facultatem inferiori. vt possit erogare eleemosynam.

Quartò, cùm inferior cognoscit de suo superiore, ipsum lętari, & sibi esse gratum, quod tales erogentur eleemosynæ. His casibus potest quilibet subditus facere eleemosynam de re superioris. At in particulari opus est ista discutere.

Religiosi enim, vltra prædictos cōmunes casus, possunt in duobus eleemosynam facere.

Alter est, cùm peregrinantur, vel iter faciunt: tunc enim de datis in propriam sustentationē, vel à Prælato, vel ab alijs facientibus eleemosynam, possunt etiam erogare indgentibus, vt habet Armil. ver. Eleemosyna, §.5.

Alter est, cùm cognoscunt superiorem suum gaudere de tali eleemosyna; &, si ipse adesset, vtique facturum, vel facultatem daturum. Ita habet Sylvest. ver. Eleemosyna, §.5. At in alijs casibus, non licet eis. Idem dicendum, quando sunt extra conuentum suum, in studijs, vel vniuersitatibus commorantes: tunc enim possunt facere eleemosynam, ac si peregrinantes essent, vt habet Armil.

Quando maritatæ possint facere Eleemosynam.

Caput XXIX.

Præter illos generales casus, in quibus licèt cuilibet inferiori facere eleemosynam, sunt etiam aliqui, in quibus licèt vxoribus.

Primus est, cùm sciunt gaudere, & lætari ipsarum coniuges, cùm ipsæ faciunt eleemosynam, licet numquam facultatem expressam fecerint.

Secundus, cùm maritus est amens: tunc enim rei administratio relicta est vxori.

Tertius, cùm profectus est in longinquam regionem.

Quartus, cùm ipse reliquit rei administrationem ipsi vxori.

Quintus, cùm determinat certam summam pecuniæ quotannis ipsi vxori, pro ipsius expensis. Ipsa autem adstringit se, nec expendit multùm, vt aliquid residuum sit, ex hoc potest tunc facere eleemosynam.

Sextus, cùm ipse maritus est multùm auarus, nec vult facere, eleemosynam, etiam cum debet, tunc vxor potest facere, exemplo Abigail, 1. Reg. 25. quæ donauit Dauid, viro suo nesciente.

Septimus, cum ipsa, vltra dotem, aliquid habet proprium, vnde possit facere eleemosynam, sicut potest dispensare in aliis, vt ipsi libuerit.

Octauus, cum proprio labore lucratur aliquid: ex hoc potest facere eleemosynam; quamuis non in omni loco id fiat; nam in Hispania, quæ mulier proprio labore lucratur, sunt etiam communia marito.

Nonus, cum aliquis donat mulieri ipsi aliquid, tunc potest de illo erogare eleemosynam.

Decimus, potest etiam de pecunijs, quas malè lucratur, putà, per adulterium: harum enim domina est, & potest distribuere, vt ipsi placuerit, vt habet Sot. 4. de iustit. quæst. 7. artic. 1.

Rursus vndecimus, potest de re, etiam communi marito, facere eleemosynam modicã, propter quam non fiet pauper, nec incidet in inopiam. Hæc omnia procedunt, quando non

est

est licentia mariti, qui caput est vxoris, quantum ad rei familiaris administrationem: nam cum est talis licentia, tunc potest erogare absolutè eleemosynam.

Quomodo filij familias, & famuli possint eleemosynam facere.

CAPVT XXX.

Filij etiam familias non possunt facere eleemosynas, nisi in quibusdam casibus, præter illos generales.

Primus, quando habent aliquot bona, quæ in bello consequuti sunt, quæ dicuntur bona castrensia.

Secundus, quando iter faciunt, pro quo peragendo, certam summam à patre accipiunt: tunc possunt ex hac facere eleemosynam.

Tertius, cum manēt extra domum, in studijs, & vniuersitatibus, vel alijs locis, ad negotia aliqua, accipiuntque summam pro sustentatione: tunc, se in expensis restringendo, possunt erogare residuum in eleemosynam.

Quartus, cm habent aliquod officium publicum; vt, cùm sunt Notarij, Aduocati, Medici: vel aliquam habent dignitatem Ecclesiasticam, aut beneficium; tunc ex redditibus, aut ex ijs, quæ lucrantur, possunt erogare eleemosynam.

Quintus, cùm sunt eleemosynæ tenues, & modicæ.

Sextus, cùm sciunt parentes suos gaudere, quod erogent tales pauperibus eleemosynas. In his casibus possunt filijfamilias facere eleemosynas: serui autem, & famuli, de rebus dominorum non possunt facere eleemosynas, extra casus communes, nisi modicum quid sit, & rarò: vnde isti dispensatores, & villici dominorum non possunt de re domini, ipso nesciente, facere eleemosynam, nisi rarò, idque modicum. Ex his patet, qui possint facere eleemosynam.

(.·.)

Quibus sit facienda Eleemosyna.

Caput XXXI.

Eleemosyna indigentibus est faciendaːest enim actus misericordiæ, quæ non versatur, nisi circa mala, & miserias proximorum. Non solum autem bonis, sed etiam malis fidelibus, & infidelibus est benefaciendum; nam misericordia nascitur ex charitate, quæ nullum excludit. Sunt tamē aliquot conditiones requisitæ in indigente, vt ei sit eroganda eleemosyna.

Prima est, vt nequeat laborare, & comparare sibi victum: cum enim potest, sed otio vacat, non tenemur ei dare, nisi sit in extrema necessitate, quando iam non potest laborare; & nisi etiam ille non inuenit, qui ipsius labore velit vti; vt habet Sylu. verb. eleemosyna. §. 3. Sed ista conditio intelligenda est, cum per laborem non acquirit homo detrimentum honoris. Sunt enim nobiles viri, & fœminę, quibus esset multum indecens alijs inseruire, & manibus laborare: his non est neganda eleemosyna, quamuis non laborent.

Secunda, quòd talis indigens non accipiat ansam, & occasionem peccandi, eò, quòd habeat talem eleemosynam. Sunt enim, qui, securi de eleemosyna, dant operam rebus illicitis, & malis: immò conuertunt ipsas eleemosynas in malum vsum: his melius est negare eleemosynam, vt corrigantur. Ita habetur ab Augustin. 5. quæst. 5. can. non omnis. *vtilius*, inquit, *furienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quam esuenti panis frangatur, si iniustitiæ se ductus acquiescat.*

Tertia, cum indiget in pœnam, vt propter iustitiam iudicis; vt, qui damnati sunt siti, & fame perire, his non tenemur facere eleemosynam, vt dicit S. Thom. 2. 2. quæst. 31. art. 2. tamen, qui voluerit, licet ei dare eleemosynam, vt dicit Soto libr. 5. de iustitia, q. 14. art vltim. dum non sit minister iustitiæ. Ministris enim opus est exequi sententiam, & iudicis damnationem. Dicit autem Soto, quod ille damnatus potest, si vult, non acceptare cibum, & permittere se mori, & ita est; licet Caiet. 2. 2. q 69. dicat, eum obligari sumere cibum talem, & conseruare vitam, vt potest.

Quarta, cùm talis indigentia est in bello iusto: cùm enim ciuitas inimicorum est circumdata iustè, & fame cogitur se

tradere, tunc non est ei ministrãdus cibus, nec liceret, sed esset graue peccatum; secus in bello iniusto, cùm iniustè est circundata, his est facienda eleemosyna. Tamen aduerte vnũ, quòd non solum alijs extra se homo potest facere eleemosynam, sed si distributor est eleemosynarum alterius, potest sibi, & suis facere de tali pecunia eleemosynam, si ita indiget, ac ille, quibus talis est eroganda eleemosyna, vt habet Caiet 2.2.q.32 art.9. & Sylu. v. eleemosyna §.3. & 4. & S. Tho. ibid. ad tertium, & Tabien. v. eleemosyna. §.13. Vt autem rectè dispenset, debet se considerare, ac si esset tertius, & quã faceret tertio indigenti, eleemosynam eamdem sibi faciat.

Eo quo facienda sit eleemosyna.

CAPVT XXXII.

ELeemosyna debet fieri ex propria substantia.

Vnde notandum est primò, quòd non est facienda eleemosyna de alieno, quod est apud nos; vt, de deposito, de commodato: hæc enim dominis proprijs est reseruanda, nisi occurreret extrema necessitas, quando ei liceret ab altero sumere, ad erogandum eleemosynam.

Secundò, non est facienda eleemosyna de obnoxio ad restitutionem; vt, qui multa habet debita, quibus vix potest satisfacere sua pecunia, non debet erogare eleemosynam, & se impotentem facere ad soluẽdum, nisi in casu præcedenti.

Tertiò, non est etiam facienda eleemosyna de acquisitis contra iustitiam, vt, per vsuram, per rapinam, furtum, vel per alium iniustum contractum: hæc enim sunt dominis restituenda. Dixi autem de acquisitis contra iustitiam; nam aliqua malè acquiruntur, sed non contra iustitiam; vt, quæ acquiruntur pro aliquo peccato, tamen ipsa acceptio non est contra iustitiam; vt, quæ mulier accipit pro abusu corporis, quæ dicuntur turpia lucra, & de his potest fieri eleemosyna, vt habet S. Thom. 2.2. quæst. 32. art. 7. Hoc etiam modo diximus, lib. 5. instruct. cap. 21 se habere, cum aliquis accipit pecuniam, vt occidat hominem aliquem, quamuis aliqui velint debere dari pauperibus: sed nos illic diximus, non teneri, sed posse sibi retinere, quia dominus est talis pecuniæ. Potest tamen,

si velit, facere eleemosynam, & consilium esset vtile id facere.

Rursus quartò, facienda est de non necessario ad vitæ conseruationem: non enim cum dispendio suæ vitæ debet aliquis alteri erogare; hoc tamen melius explicabitur in sequentibus capitibus.

Quando sit obligatio faciendi eleemosynam,

Caput XXXIII.

NOn parua difficultas est, scire, quando homo sub peccato mortali obligetur facere eleemosynam. In cuius gratiam, sunt duæ distinctiones multum considerandæ.

Prior est; Pecunia, & pecunia æstimabile quadrupliciter se potest habere respectu habentis, seu possessoris.

Vno modo, est talis pecunia necessaria ad vitæ propriæ, & suæ familiæ cõseruationem, ita vt, sine illa non possint vitam propriam, aut suorum conseruare: & hæc necessitas naturæ dicitur.

Altero modo, potest esse necessaria ad status sui decentiam simpliciter; ita vt, sine illa nullo modo possit sui status decentiam conseruare: & dicitur hæc necessitas personæ.

Tertiò, potest esse necessaria, siue ad vitam, siue ad status decentiam, non simpliciter, sed secundum quid, id est, sine illa posset homo decentiam sui status conseruare, tamen ægrè, & non commodè.

Quartò modo, pecunia potest esse nullo modo necessaria, nec ad vitam, nec ad status decentiam, nec etiam ad commodam conseruationem status, & tunc dicitur superflua. Aduerte tamen ex Caiet. Syluest. & Armill. ver. eleemosyna, & aliis Doctor. quod necessarium, vel superfluum non debent considerari solum respectu præsentis, sed etiam respectu periculorum, quæ probabiliter possunt accidere: verbi gratia, modò vnus solùm habet vxorem, seu sponsam, non ob id est censendum habere pecuniam superfluam, quamuis habeat plusquã necessariam ad decentiam status: nam spetat filios, & filias, quibus compuratis, non erit forsan superflua. Similiter, vno anno, quando res minus valent, forsan videtur res illius familiaris superflua, tamen, si cõputentur pericula probabilia, quia

altero

altero anno carius valebunt, non erit superflua ; tamen non sunt fingenda, aut imaginanda pericula, sed solum ea considerranda, quæ probabiliter, & iudicio viri prudentis accidere possunt. Aduerte, etiam, quòd sunt diuersi status in repub. ecclesiastica, & sæculari, nec debent esse eædem expensæ æquales omnibus, sed quibusdam maiores, quibusdam minores, ratione status sui.

Posterior distinctio sit: indigentia, seu necessitas est triplex. Quædam est extrema: hæc autem dicitur cum est necessitas vitæ propriæ perdendæ; vt, cùm quis est in periculo vitæ. Vbi aduerte, ex Soto lib. 5. de iustit. quæst. 3. artic. 4. quod non solùm est censenda extrema necessitas, cùm quis est in mortis periculo, sed cum probabiliter speratur mors, nisi antè subueniatur.

Altera necessitas est grauis; vt, cùm est graue periculum perdendi honores, & decentiam status: aut peccandi ; vt, cùm mater ex indigentia vult prostituere filias ; aut alterius notabilis mali.

Tertia est communis indigentia, quæ nec extrema, nec grauis multum est. Hæc omnia sunt ante oculos habenda, pro intelligentia eorum, quæ dicentur in cap. seq.

De obligatione faciendi eleemosynam.

CAPVT XXXIV.

SVnt aliquot conclusiones notandæ super dictis præcedentibus distinctionibus.

Quarum prima est. Eleemosyna est in præcepto, obligamurque sub mortali aliquando facere eleemosynam. In hac conclusione omnes Catholici conueniunt: est enim Catholica, & contraria est hæretica. Est Catholica, vt probatur aperte ex scriptura, Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* 1. Iacob. 2. *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam.* Luc. 3. *Quod superest date eleemosynam*, & Matth. 25. *Ite maledicti, &c. quia esuriui, & non dedistis mihi manducare. &c.*

Secunda conclusio. De necessarijs simpliciter ad vitæ propriæ, aut familiæ conseruationem, nullus tenetur alteri suc-

currere, etiam necessitate extrema laboranti, id est, cum dispendio suæ vitæ, aut parentum, & familiæ, nullus tenetur vitæ alterius succurrere, sed potiùs sibi: vnde, si laborent duo in extrema necessitate, vnusque cibum sibi necessarium tantùm habeat, non obligatur alteri dare; & in hoc omnes cõueniunt: At Sanctus Thom 2.2. quæst. 32. articu 6. excipit vnum casum, quando persona, cui succurritur, est multum necessaria reipu. & à qua bonum commune dependet ciuitatis, aut exercitus: tunc enim potiùs huic, quàm sibi succurrendum esset. At vero difficultas est, an iste obligetur sub præcepto id facere. Omnes enim cõueniunt, quod licet ei facere, tamẽ de obligatione discordant. Sylu. verb. eleemosyna. §. 2. &. Armilla ve. eleemosyna. 4. tenet, quòd solùm est consilium; & S. Thom. videtur dicere esse præceptum; & ita tenet Soto lib. 5. de iust. quæst. 1. ar. 7. Et ita est; nam propter bonum commune, tenetur quis proprium negligere. Quòd si non esset illa persona tam necessaria Reip licèt esset multum, tunc consilium esset. De hoc tamen diximus lib. 5. Instr.

Tertia conclusio: Ex necessarijs ad decentiam status, tamen non necessarijs ad vitæ conseruationem, tenetur homo facere eleemosynam in extrema necessitate existenti. In hac etiam omnes conueniunt. Potius enim debet facere iacturam decentiæ status sui, & debet se minuere, & restringere, quam quod alius moriatur, ob defectum eleemosynæ ab ipso faciendæ. Tamen aduerte, istas tres necessitates esse intelligendas, quando homo in ipsis manet, absque culpa, & potestate sua: nam si aliquis diceret; ego me volo occidere, nisi des mihi centum aureos, & de facto vult se occidere, nõ ob id sunt ei dandi: culpa enim potius eius est, quàm necessitas.

Quarta conclusio: Ex necessarijs secundum quid ad decentiam status, seu ad vitæ conseruationem, non tenetur homo facere eleemosynam, extra necessitates extremas, & graues: non enim, vt succurrat communibus indigentijs, tenetur ex præcepto pati incommodum, & restringere ea, quæ ad vitæ, & status conseruationem necessaria sunt. Hæ sunt conclusiones quatuor, in quibus Doctores conueniunt: in sequentibus duabus est controuersia.

De discordia Doctorum circa præceptum Eleemosynæ.

CAPVT XXXV.

DVo sunt, in quibus Doctores discrepant circa præceptum Eleemosynæ.

Alterum est, an ex superfluis teneatur homo, sub mortali, non solum in necessitate extrema, sed etiam in graui succurrere. De extrema enim nullus dubitat. De graui verò, multi dicunt, non obligari, nisi ex consilio, & ex æquitate; vnde solum obligatio est sub veniali. Ita habet Alexan. 4. p.q.113. mem.1. & Gabr. 4.d.16.q.4.con.5. At verò alij dicunt teneri sub mortali, & ex præcepto, etiam in grauibus erogare eleemosynam. Ita habet S. Thom. 4.d.15.q.2.art.1.q.3. Anton.2. part. tit. 1.c.24.§.4. Richard. 4.dist.15. Sylu. Tab. Armil. verb. Eleemosyna, & Medin. C. de pœn. tract.5. de Eleemosyna : & ita tenendum est.

Vnde, sit conclusio iuxta hanc veram sententiam. Tenetur quisque ex superfluis sui status, sub mortali peccato, facere eleemosynam in grauibus proximorum necessitatibus. Ista conclusio, præmissa Doctorum citatorum auctoritate, videtur manifesta in scriptura, Math.26. *Ite maledicti in ignem æternum, quia sitiui, & non dedistis mihi bibere; esurini, & non dedistis mihi manducare; nudus eram, & non cooperuistis me; infirmus eram, & non visitastis me.* Hic vides profectò, non esse has extremas necessitates, & tamen damnari hominem, quia non succurrit: ergo obligatio est sub mortali etiam extra extremam necessitatem. Hoc etiam potest colligi ex illo Iacob.2 . *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam*, & ex illo Ioan. allegato. Quæ testimonia non possunt intelligi de sola extrema necessitate. Et manifesta est ratio: nam amicitia humana non solum solueretur, si amicus non succurreret in extrema necessitate amico, sed etiam in graui. Multò ergo magis soluitur amicitia diuina; cum plus teneamur Christo erogare, quã cuilibet amico: quod autem pauperi fit, Christo fit; vt ipse dixit Matth.26. In persona propria pro paupere, *sitiui, & non dedistis mihi bibere.*

Alterum est, an ex superfluis teneamur facere eleemosy. in communibus necessitatibus, ex præcepto, ita vt nullus superflua possit sibi retinere absque mortali; sed debeat pauperibus

distribuere. Caiet. verb. eleemos. videtur dicere, ita esse, & Sanctus Thom. 2. 2. q. 32. ar. 5. iuxta aliquorum expositionē: tamen communis opinio tenet contrarium. Omnes enim illi Doct. præfati dicunt non obligari: imò aliqui, nec etiam obligari in graui, sub mortali.

Sit ergo altera conclusio. Nullus sub mortali tenetur distribuere superflua, extra extremas, & graues necessitates. Istam teneo, propter communem Doctor. sententiam, nec audeo obligare sub mortali eos, quos tot, & tanti Doctores excusant: vnum tamen admoneo, qui superflua habet, debere multum timere, & Confessarios debere illis maximè consulere, vt distribuant, nec apud se retineant; quia, etsi Doctor. scholasticorum communis sententia eos excusat, tamen Doctores sancti illos damnant, vt sit profectò sententia probabilis illos obligari sub præcepto.

Adducam aliquot istorum testimonia. Hieron. & habetur in Decret. dist. 42. cap. 1. *Aliena*, inquit, *rapere conuincitur, qui vltra sibi necessaria retinere probatur.* Ambro. & habetur dist. 47. can. sicut. *Plusquam sufficit*, inquit, *ad sumptus, violenter obtentum est, non minus est criminis habenti tollere, quàm, cum possis, & abundantes sis, indigentibus denegare.* Et inferius: *Esurientium est panis, quem tu detines; nudorum est indumentum, quod tu recludis; miserorum redemptio est pecunia, quam in terra defodis: tot ergo scias te inuadere bona; quot possis præstare, quod velis.* Hæc Ambros. Augustin. super Psal. 147. *Superflua*, inquit, *diuiti, necessaria sunt pauperi, alienare pit, qui ista detinet.* Basil. in homil. de diuite multa de hoc cumulat, & dicit, quòd, diues ille damnatus est, quia nesciebat se teneri præcepto teneri, superflua distribuere in pauperes. Chrysost. hom. 34. ad popul. Antioch. dicit, diuites habentes superflua, esse œconomos in Dei familia, & ex præcepto teneri distribuere ea in pauperes. Vides tot sanctos damnantes superfluæ retentionem sub mortali, multùm ergo timendum est; & nisi esset tam vnanimis Scholasticorum sententia, qua possunt excusari modo aliquo tales homines, absque vllo dubio esset omninò damnanda talis retentio.

Erga hoc autem, & præcedens caput, vnum obseruādum est: aliter teneri eos, qui aliorum habēt curam, præsertim Ecclesiæ; aliter eos, qui non habent, quantum ad præceptum eleemosynarum: hi enim satisfaciunt his indigentibus, qui occurrunt, erogando; illi verò vltra hoc tenentur inquirere: nam Episcopus, & quilibet superior, in sua ditione, debet inquirere necessita-

sitates, vt eis succurrat, aliter non satisfacit præcepto. Superfluum autem magis inuenitur in Ecclesiasticis personis, qui, cùm non habeant filias, & filios, non ita indigent, ac sæculares; & cum ipsorum etiam victus, & vestitus maiorem requirat modum, & modestiam.

De quodam dubio circa Eleemosynam.

CAPVT XXXVI.

CVm certum sit, eum, qui est in necessitate extrema, posse accipere ab alio, & rapere, quæ sibi sunt necessaria, dubium est, an huiusmodi homo teneatur ad restitutionem, si ad pinguiorem venerit fortunam. In quo dubio sunt variæ Doctorum sententiæ. Quidam putant eum non teneri, vt Scot. 4. dist. 15 q. 2. & Gabr. ibid. & Sot. 4. lib. de iust. quæst. 7. art. 1. Alij verò tenent eum obligari, vt Nauar. capit. 17. summ. num. 60. & Adrian. in mater. de restit. in peculiari quæstione de hoc. Medina verò C. de pœnit. tract. 5. de Eleemosyna, tenet mediam sententiam. Cum enim accepit de superfluo alterius, non tenetur restituere: cùm verò accepit de non superfluo, tenetur. Aduerte autem, quòd prædicti Doctores in multis conueniunt; in vno autem est discrepantia. Conueniunt quidem in eo, quod dicit Scot. quòd si quis, ante necessitatem extremam, accepit aliquid ab altero, ratione cuius acceptionis tenebatur restituere, & postea incurrat extremam necessitatem, & vtatur illo, quod accepit, non ob id soluitur ab obligatione restitutionis, si ad pinguem venerit fortunam. Rursus conueniunt, vt dicit Soto, cum aliquis patitur extremam necessitatem in vno loco, in altero tamen habet, vnde posset succurrere suæ necessitati; tunc quod accipit, tenetur reddere; vt, si mercator aliquis diues comprehendatur in loco, vbi nullus habet pecunias, ita vt inimici velint eum occidere, nisi det centum aureos, tunc iste potest illos accipere ab alio, tamen tenetur reddere, cùm in suo est loco.

Rursus tertiò conueniunt, quando aliquis verè habet aliquid pecunia appretiabile, tamen non sufficiens, nec vtile illi ad suam necessitatem; vt, si habens domos, & vineas, indigeat pecunia aliqua extremè, quam inuenire non potest; tunc, si accipiat, & rapiat, tenetur reddere postea. Rursus etiam conue-

niunt, cùm res accepta ab altero adhuc perseuerat, expleta necessitate; vt, qui manus inimicorum fugiens, quas aliter euadere non poterat, equum alienum rapuit, tunc superstitem tenetur equum reddere domino: in his omnibus non est contradictio. Sed difficultas posita est de eo, quod accipitur verè, & absolutè ab indigenti, & ipso vsu consumitur, & satisfit necessitati: & de hoc procedunt præfatæ opiniones; quamuis adhuc in hoc vno conueniant: quando res est modicæ quantitatis, non tenetur reddere, quia præsumitur, quod donasset is, à quo accepta est, si scisset: immò adhuc conueniunt, quòd, qui acceperit, non obligatur laborare, & negotiari, vt restituat; sed difficultas est, an, si ille factus fuerit ditior, teneatur restituere: & in hoc puncto dico duo.

Alterum: Esse probabilem illam opinionem, quam habēt, non teneri ad restitutionem; potestque securè se tutari pœnitens per illam, non restituendo: & Confessarius etiam securè potest illum in sua opinione absoluere, absq; restitutione.

Dico, alterum mihi esse probabilius, illum teneri ad restitutionē, vt dicit Medina: cùm nimirum accepit ex nō superfluo: quia, vt diximus, ille, à quo accepit, non obligatur donare; nam poterat mutuare: vnde, nisi præsumatur, vel sciatur esse donatum, obligatio est ad restitutionem. Cùm verò acceperit ex superfluo, ob eandem rationem, credo etiam obligari ad restitutionem, contra Medinam. Ratio est, nam hic, à quo accepit, non tenetur donare; sed potest mutuando succurrere necessitati illi: tamen, nisi præsumatur donatum, ille alius tenetur reddere, ad pinguem veniens fortunam. Ob eandem ergo causam, siue accipiat ex superfluo, siue non, debet reddere. Hoc idem diximus superiùs capit. 24. libro quinto, instructionis, vbi adduximus aliam rationem, vt ibi potest videri.

De alijs duobus modis erga idem.

Caput XXXVII.

ALiud dubium est, ex quo pendet solutio præcedentis, an obligemur in extrema necessitate alteri succurrere per donationem, an sufficiat per mutuum, vel venditionem, vel cambium, aut alio modo. Sunt & duæ opiniones. Adria. & Nauar. locis citatis dicunt, non obligari ex præ-

cepto

cepto donare, maximè, si est magna quantitas, sed sufficere mutuare; nam hoc modo succurritur necessitati illi. Alij verò dicunt, obligationem esse donandi. Medina loco citato dicit, ex superfluis esse donandum, ex non superfluis sufficere mutuare. In hoc conueniunt omnes, quòd quocumque modo dandum est, tamen, nisi ille acceptet mutuum, donare debemus.

Rursus conueniunt, quòd si debet dari sub mutuo, quòd non obligatur reddere, nisi fortè ad pinguiorem venerit fortunam. Puto autem posse sub hoc modo succurri, nec obligari sub præcepto donare: tamen Gen. 47. legimus, in illa necessitate Aegypti, Ioseph non donasse, sed dedisse sub conditione quadam, & Tob. 1. dedit bonus Tobias Gabelo indigenti summam argenti mutuò, sub chirographo. Consilium tamen laudabile est, præsertim ex superfluis, donare. Hinc fit, quòd, si quis artifex, vel robustus, laboraret extrema, aut graui necessitate, quia non inueniret materiam exercendi artem, vel laborem, posset aliquis succurrere vsum artis, vel laborem ipsius, nec teneretur donare, quamuis tunc de præsenti malè valeret. Posset enim sub prædicta conditione, si benè haberet donare, & non obligando posteà, vt laboraret.

Aliud dubium est, an, qui debent pecunias alijs creditoribus, si occurrat aliquis in extrema necessitate, & dent ei ex tali pecunia, sint obligati reddere creditoribus illud; sicut poterant accipere ab alijs, si ipsi non habuissent, & ministrare existenti in necessitate extrema. Hoc dubium mouet Med. loco cit. nempè teneri reddere, & soluere creditoribus. nam quamdiu in sua potestate sunt, ipsorum sunt, & dare tenentur indigenti illi, nec aufertur obligatio restituendi creditori; sicut iam diximus de illo, qui prius erat debitor, & posteà incidit in extremam necessitatem, non ob id tollitur obligatio restituendi. Qui verò accipit ab alio vt reddat indigenti extremè, non obligatur; nam, nomine indigentis, accipit, & indigens est, qui ad modum prædictum restituere tenetur, ad pinguem veniens fortunam.

(.·.)

De duobus dubijs circa præceptum Eleemosynæ.

Caput XXXVIII.

CVm constet iam Eleemosynam esse in præcepto; dubium est, an illud præceptum sit obligans tantùm fideles, seu Christianos. Ad quod dico, non solùm obligare fideles, sed etiam infideles omnes: est enim non solùm diuinum præceptum, sed simul naturale, sicut præceptum honorandi parentes, non furandi, non mœchandi, quæ quidem obligant omnes; vt habet Cypr. sermo. de Eleemosynis: vnde, peccat mortaliter paganus, & infidelis, qui non subuenit extremæ, aut graui necessitati proximi, vt superius est dictum. Et non solùm non subueniendo alteri pagano, sed etiam non subueniendo fideli; sicut & fidelis peccat, non subueniendo etiam infideli: naturale enim est, vt vnusquisque his, qui suæ speciei sunt, in necessitate succurrat; nisi aliquando ratio aliud postulet, vt superius diximus.

Aliud dubium est, an præceptum Ecclesiæ magis obliget Ecclesiasticas personas, respectu bonorum Ecclesiæ, quàm sæculares, aut etiam Ecclesiasticas, respectu bonorum, quæ non ab Ecclesia, sed aliunde habent; possunt enim habere bona aliqua ex patrimonio, vel alio modo conquisita, & non Ecclesiæ beneficio, & in his perinde se habent, ac sæculares. Ad hoc dubium Caiet. 2.2. q. 87. art. 1. & 185. art. 7. tenet, quòd teneantur de sibi superfluis ad vitam, & status decentiam facere eleemosynam; non solũ ex misericordia, sed ex iustitia; vt, si nõ faciant, ad restituendum teneantur. Putat enim Caiet. quòd non sunt horum bonorũ Ecclesiæ domini, sed dispensatores, &, sublato sibi sufficienti, reliquum est pauperũ. Sot. verò lib. 10. de iust. q. 4. ar. 3. tenet cõtrariũ: dicit enim, quòd Ecclesiasticus illius, portionis, quæ sibi ex diuisione obuenit, est verè dominus, sicut domini temporales sunt domini suorum bonorũ, & peccat nõ faciendo eleemosynam, sicut & alij, & in ijsdẽ casibus; quamuis magis teneatur succurrere, quàm sæculares, quia pater pauperum est, vt habetur 12. quæst. 1. per totam. Et ita tenendum est, vt satis ostendimus in Instructione: Dicit autem vnum Tabiena, verb. restitutio. §. 19. quòd quamuis dispensator sit talium bonorum, tamen, nomine eleemosynæ, potest suis consanguineis donare, si indigent, vt maritare neptes,

etiam

etiam filias illegitimas; poteſtque non ſolum pro ratione conditionis ipſorum abſolutè illis diſpenſare, ſed etiam habita ratione ſui ſtatus: nam maior eſt conditio ipſorum ob dignitatem conſanguinei: neptes enim Pontificum, Cardinalium, & ſimilium, pluribus indigent ad decentiam ſtatus. Sed hoc profectò ſecurius dici poteſt, tenendo tales perſonas dominos talium bonorum. Debent tamen in hoc vitari ſcandala & ſuperfluitates, & priùs neceſſitates grauiores aliorum ſuppleri, vt ſtatim dicemus.

Quo ordine ſit Eleemoſyna facienda.

CAPVT XXXIX.

QVamuis difficile ſit ordinem vniuerſalem, & certum faciendi, & diſtribuendi eleemoſynas conſtituere, vt omnes Doctores fatentur, tamen aliqua notitia ex ſequentibus concluſionibus haberi poteſt.

Quarum prima eſt, Maiori, ſeu grauiori neceſſitati prius eſt ſuccurrendum, quàm minus graui, in quocumque ſubiecto ea ſit. In hoc omnes conueniunt: quamuis enim conſanguineis, amicis, benefactoribus, notis, & alijs ſit eroganda, tamen priùs indigentiori eſt eroganda, quicumque ſit ille: vnde, ſi neceſſitas alieni eſt extrema, & conſanguinei eſt communis aut grauis, priùs extraneo danda eſt eleemoſyna. Similiter, ſi illa eſt grauis, & hæc eſt communis. Hinc ſequitur, quòd perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ volunt ſuos nepotes ditare; & ſæculares, qui volunt augere ſuos ſtatus, non poſſunt, cùm graues in Repu. ſunt neceſſitates & indigentiæ, quibus prius ſatisfacere tenentur.

Secunda concluſio, exiſtente æquali neceſſitate & indigentia, prius homo ſibimet quàm alijs prouidere debet. In hoc etiam omnes conueniunt: vbi aduerte, cùm aliquis eſt in neceſſitate extrema vel graui, & alij in ſimili, nec ipſe ſibi, & in alijs poteſt prouidere, tuc debet ſibi. Sed non ſemper ad id tenetur: aliquando enim tenetur, potius alijs, aliquando licet ei, & eſt conſilium conſulere alijs: aliquando vero eſt peccatum, ſed potius debet ſibi: tenetur quidem alijs, cùm id vergit in beneficium commune: vt enim ſuperius diximus, cùm eſt perſona publica, ex qua ſalus communitatis pendet, tunc tenetur quilibet particularis illi potius, quàm ſibi in neceſſitate extrema,

aut graui succurrere. Cùm verò non esset ita vtilis persona, tamen vtilis, aut vir bonus aliquis, aut amicus, aut pater, aut filius, aut multum coniunctus, tunc esset consilium, his potius, quã sibi cõsulere Cùm verò ipse esset publica persona, & multum vtilis Reipu. & ille alius non, tunc teneretur sibi potius prouidere: tamen circa hanc conclusionem duo dubia breuia existunt.

Alterum est, an homo potius sibi in extrema necessitate, quàm creditori suo in eadem necessitate existenti succurrere teneatur, ex his, quæ ei debet. Ad quod dubium Scot. 4. d. 15. q. 2. respondet, quòd si prius incidit in extremam necessitatem, quã creditor, non tenetur ei dare, tamẽ si simul inciderunt, aut creditor prius, tu c teneturr ei dare. Nauarr. c. 17. num. 70. dicit, quòd si res, quam habet, est in specie reddenda, nempè, quia erat commodatò aut depositò accepta, tunc tenetur reddere potiùs quàm sibi retinere. Si verò non est res in eadem specie reddenda, non tenetur. Sed melius habet Caietan. verb. restit. & Tabien. eodem verb. §. 4. & Soto libro quarto de iustitia, quæst 7. articul. 1. quòd non tenetur dare creditori, sed potius sibi succurrere potest. Omnes tamen conueniunt, quòd nulli licet, etiam existenti in graui necessitate, sumere ab alio in eadem necessitate existẽte: immò nec licet accipere; quamuis sit persona publica, & cui alter teneatur dare.

Alterum dubium est, an, sicut licet seipsum anteponere creditori in extrema necessitate, ita etiam liceat anteponere parentes, vt potius quis succurrere debeat parentibus, quam creditori. Tabien. verb restitutio. §. 4. dicit, succurrendum potius creditori, nec licere nisi seipsum tantum anteponere creditori. Soto verò loco allegato tenet, quòd liceret dare parentibus, relicto creditore: immò etiam filios & vxorem, non tamen fratres licet anteponere creditori. Et sine dubio de parentibus est sententia S. Thom. q. 31. art. 3. vbi dicit, obligationem parentum vincere omnem obligationem aliam. Et ita credo, immò non solum quod Soto dicit, sed etiam de fratribus, & his, qui in primo gradu sunt. Vide lib. 5. instr. cap. 24. vbi contrarium diximus, quia totum est probabile, sed modo hoc probabilius videtur.

Tertia conclusio: parentibus potiùs quàm filijs in eadem necessitate est succurrendum: v. g. laborat pater alicuius extrema necessitate, liberat & suus filius, neq; potest nisi alteri prouidere, potiùs patri & matri succurrendum est, quàm proprio

filio.

filio. In hoc omnes conueniunt, & S. Thomas 2.2. quæst. 31. ar. 3. Aduerte tamen, quòd si ordinem charitatis spectes, potiùs homo debet amare proprios filios, immò & vxorem, quàm parentes, vt auctor est S. Thom. 2.2. quæst. 28. Et ratio est, quia plus est sibi coniunctus filius, cùm sit de propria substantia, & vxor, quæ est vna caro secum, quàm parentes, à quibus procedit. Ordo autem charitatis incipit à coniunctioribus; at verò nō sic est ordo eleemosynæ, quæ cùm sit beneficium quoddam & retributio, plus respicit debitum; & quia parentibus plus debemus, quàm filijs, hinc est quòd plus illis est erogandа eleemosyna, quàm filijs & vxori.

Quarta conclusio est. In æquali necessitate iste ordo communiter est seruandus, vt primum locum consanguinei; secūdum, hi, quorum nobis est cura; tertium, benefactores, quartū amici; quintum, noti; sextum, extranei obtineant. Hoc intellige, cæteris paribus: nam tam vtilis potest esse extraneus Reipubl. vt præponendus sit consanguineo; & tam amicus, vt prę ponendus sit minimo benefactori.

In singulis autem ordinibus obseruanda est quinta conclusio: Meliores & vtiliores Reipubl. sunt præponendi in necessitate æquali: v.g. inter æquales consanguineos præponendus est melior, & studiosior Reipub. & vtilior. Similiter & inter amicos, & inter alios singulorum ordinum. Per has conclusiones mediocris potest haberi notitia ordinis erogandi eleemosynas.

Quanta debeat esse Eleemosyna.

CAPVT XL.

OMnes conueniunt, abundantem eleemosynam esse faciendam: Tamen aduerte, aliquam eleemosynam dici abundantem ex duplici parte, ex parte accipientis, & ex parte dantis. Ex parte quidem accipientis dicitur dupliciter abundans.

Vno modo, quando supplet omnem necessitatem indigentis; vt, qui indiget centum, si accipiat centum, abundanter accipit.

Altero modo, cùm non solùm supplet necessitatem, sed superfluit.

perfluit: plus enim accipit quàm indiget. De hac ergo abundantia ex parte accipientis.

Dico primò. Quisq; tenetur abundanter dare, vt sufficiat toti necessitati indigentis, cùm extrema aut grauis est, & ipse potest esse sine periculo æqualis, aut maioris indigentiæ propriæ. Quando igitur laborat quis extrema aut graui, tenetur, qui potest, liberare eum à graui seu ab extrema. Verum est, quod, si essent multi, qui vni vellent conferre, tunc sufficeret singulis dare quantum sufficit, vt vnà cum alijs succurratur necessitati indigentis.

Dico secundò, in communibus necessitatibus bonum est abundanter dare; non tamen est obligatio: satis est dare partem aliquam ad subleuandam necessitatem indigentium, præsertim cùm alij etiam simili modo eleemosynam faciunt.

Dico tertiò, dare abundanter ita, vt superfluum sit, potest, & benè & malè fieri. Benè quidem, si bona intentione datur, vt indigens, non solùm sibi, sed & alijs habeat; vel vt necessaria habeat, & quibus commodè viuat. Malè fit, si cognoscitur indigens abuti superfluo in ludis, vel alijs vitijs, & adhuc ei detur; aut cùm datur ad ostentationem & vanam gloriam; aut cùm alteri negatur necessarium, dum alteri ministratur superfluum; aut cùm tale superfluum perit, & fit Prodigalitas quædam: & huiusmodi peccata ex se venialia sunt, nisi cùm constaret indigentem mortale aliquid committere ob huiusmodi superfluum. Est etiam eleemosyna abundans ex parte dantis, cùm multum datur. Hoc autem multum non tam est considerandum in se, quàm habita ratione facultatis ipsius dantis: aliquando enim qui minus dat, plus dat & abundantius, quia minus habet; & plus est sibi illud paucum, quam diuiti illud multum. Et sic dicta est illa vidua, Lucæ 21. abundantius dedisse; cùm tamen in se paucum dedisset. Hoc autem modo abundanter dare laudabile est & meritorium, dummodo homo non incurrat seu contrahat indigentiam tantam, vt familiæ suæ commode succurrere non possit. Debet enim homo primo loco se, & suos constituere in necessitate æquali.

De vtilitate eleemosynæ.

CAPVT XLI.

PLena est scriptura vtilitate eleemosynæ; tres tamen sunt præcipuæ ipsius vtilitates.

Prima quidem, quòd eleemosyna est meritoria gloriæ & gratiæ augmenti, si fiat ab homine existente in gratia, & propter Deum. Aduerte tamen, quòd duplici ex parte creſcit eleemosyna, & vna est magis altera meritoria: Vno modo ratione affectus charitatis: quæ enim maiori charitate fit, magis est meritoria: vnde, si quis dat vnum scutum tali affectu, vt, si haberet centum, daret, habet meritum, ac si daret centum. Si quis etiam magna deuotione & feruore charitatis dat vnum Iulium, magis meretur, quàm qui cum minori deuotione daret etiam Iulium. Creſcit etiam altero modo ratione rei, seu operis ipsius: vnde, si duo habent æqualem charitatis feruorem, tamen vnus det plus, alter minus, magis meretur ille, quã hic. Debet tamen considerari quantitas ista eleemosynæ datæ per proportionem ad facultatem vtriusque. Aliquando enim plus dat, qui minus dat, vt diximus, quia pauperior est.

Est altera vtilitas eleemosynæ, quòd est satisfactoria pro pœnis peccatorum dimissorum. Et hoc est, quod in Scriptura dicitur, *Peccata tua eleemosynis redime*. Multum enim pœnæ in hoc mundo, aut in Purgatorio soluendæ remittitur per eleemosynam in gratia factam: non solum autem valet ad satisfactionem pro propriis peccatis, sed & pro peccatis aliorum, siue in Purgatorio, siue in hoc mundo sint, si sunt in gratia, pro quibus talis eleemosyna offertur.

Tertia vtilitas est, quòd est impetratoria: cõsequitur enim multa beneficia à Deo, & quod petit obtinet, qui facit eleemosynam, iuxta illud Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. immò, si est in mortali peccato, est magna dispositio ad obtinendum à Deo, vt per gratiam disponatur ad contritionem, qua consequatur peccati remissionem.

De solicitudine, seu inquietudine mentis, & quid sit.

Caput XLII.

Altera filia Auaritiæ est solicitudo seu inquietudo mentis, de qua tractat S. Thom. 2.2.q.55.ar.6 & Anton. 2.p. tit.1.ca.25 Potest autem sic describi: Est *vehemens applicatio mentis cum timore coniuncta.* In qua descriptione tres sunt partes.

Prima est, *applicatio mentis.* Applicare autem mentem, nihil aliud est, quam per mentem operari, intelligendo, cogitando, volendo: sicut applicare manum ad scribendum, est ipsum scribere.

Secunda pars est, *vehemens*: non enim quælibet applicatio mentis dicitur solicitudo, sed quæ est intensa & fortis.

Adhuc hoc non sufficit, nam vehemens applicatio mentis, si aliud non adsit, dicitur studium; sed tertia pars est necessaria, putà, *cum timore coniuncta.* Cum applicamus mentem ad cogitandum, & volendum aliquid, & timemus de consequutione, tunc dicimur solicitari: vnde, qui applicat mentem ad volendum scribere lectionem, & timet, quòd non poterit assequi, dicitur solicitus. Ista solicitudo est causa diligentiæ & velocitatis ad operandum: vnde Isidor. hoc vocabulum, *solicitus*, dicit deriuari à duobus, *solers*, & *citus*, quasi diligenter motus ad operandum. Est etiam ista solicitudo, causa cuiusdam inquietudinis, & interioris, & exterioris: ob id Caiet. 2.2. q.47. art. 9. aliunde trahit vocabuli originem, à *solum*, & *citus*, quasi loco motus; quia, qui est solicitus, nescit in vno manere loco. Quamuis hæc detiuatio non sit multum exacta, cùm illud, in vocabulo *solicitus*, sit natura longum, in illo vero vocabulo, *solum*, quod significat terram, sit breue. Est etiam causa ista solicitudo, vt homo intra se sit cogitabundus, nec externa aduertat; ob id forsan deriuatur vocabulum à *solus*, & *cum*, quasi solus, seu solitarius agat intra se. Quicquid sit, habemus, quid sit solicitudo & effectus ipsius.

Quomodo solicitudo sit peccatum.

CAPVT XLIII.

SOlicitudo; vt definita est, de se, nec bona, nec mala est; sed & potest esse studiosa & vitiosa, Studiosa est, quando est de re bona, & debitis circumstantijs, quando, & quomodo, & fine quo oportet: vnde in scripturis exigitur solicitudo ista, tum in his, quæ sunt ad Deum; ad Rom. 12. *Solicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes:* tum in his quæ sunt ad se: Deuteronom. 4. *Custodi te ipsum, & animam tuam solicitè:* tum in his, quæ sunt ad proximum: ad Ephes. 4. *Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Vitiosa est aliquando solicitudo, immò & mortale peccatum, & veniale peccatum. In cuius declarationem aliqua sunt aduertenda dicta.

Primum est: solicitudo de re mala est mala; & quidem, si res ipsa, de qua solicitamur, est mortalis, ipsa solicitudo est mortalis; si verò venialis, etiam venialis erit solicitudo: v.g. est aliquis solicitus de occidendo inimico, de obtinenda vxore aliena, de rapienda re alterius, est peccatum mortale: est aliquis solicitus de prodigalitate quadam in conuiuio facienda, de mendacijs iocosis fingendis, de rebus inutilibus sibi, est veniale peccatum.

Secundum est, solicitudo de re temporali, constituendo finem vltimum in ipsa, est etiam peccatum mortale. Hoc est S. Thom. loco citato. Tunc autem aliquis ponit finem vltimum in re aliqua temporali, quando est paratus potius mortaliter peccare, quàm omittere rem: qui sic ergo est affectus pecunijs & diuitijs, & hoc modo solicitus est de ipsis acquirendis, vel conseruandis, mortaliter peccat.

Tertium est, qui ex solicitudine dimittit id, quod tenetur facere, mortaliter peccat, vt dicit sanctus Thomas, si tenebatur facere illud sub præcepto: si verò aliter, venialiter peccat; vt, qui præ nimia solicitudine omittit audire sacrum in die festo, confiteri, & communicare, quando tenetur, mortaliter peccat: qui verò præ solicitudine non vacat orationi, aut non attentè, vt decet, diuina officia exercet, venialiter peccat.

Quartum est, qui timet, quando timendum non est, veniaLiter peccat; vt, qui præ solicitudine timet se non assequu-

turum,

turum, quod intendit, etiam positis mediis conuenientibus, & sufficientibus, venialiter peccat: est enim timor vanus.

Quintum est, qui solicitus est extra tempus proprium, quo solicitandus est, peccat ex se venialiter; vt, qui tempore Maij solicitatur de vindemia. Quamuis sit prudentia respicere & solicitari de futuro, hoc tamen est, quando in præsenti possumus prouidere futuro: quando verò nihil possumus prouidere in præsenti, aut non debemus, est vana solicitudo & peccatum. Similiter peccat, qui, dum est in Ecclesia, solicitus est de familia, & de re; non enim tali tempore solicitudo hæc assumi debet: omnia enim tempus suum habent.

De proditione.

Caput XLIV.

TErtia filia Auaritiæ, vt diximus, erat proditio. Hæc autem potest sic describi: *Manifestatio occulti illatiua nocumenti.* In qua descriptione sunt duæ partes.

Altera est, *occulti manifestatio*: prodere enim est manifestare id quod latebat. Tamen non in sola manifestatione consistit ratio proditionis, vt quoddam vitium est, sed est necessaria altera pars, quòd ista manifestatio sit inferens nocumentum, seu apta ad inferendum nocumentum ei, cuius occultum manifestatur; vnde, qui manifestat pecunias alterius latroni, vt eas capiat, dicitur ipsum prodere. Similiter, qui ciuitatem alicuius inimico tradit, dicitur etiam prodere. In vtroq; autem casu est manifestatio quædam. In priori manifestatione est per verbum, in posteriori, per factum, dum viam capiendi ciuitatem ipso facto aperit.

Fit autem ista proditio quadrupliciter.

Primò, circa personas, cum prodit quis personas, ad nocumentum ipsis inferendum, quo modo Dalida prodidit Samsonem, & Iudas Christum Dominum. Et hæc est graue mortale.

Secundò, circa res immobiles, vt, qui prodit castra, villas, ciuitates suorum dominorum, qui veri domini illarum sunt. Et hoc est mortale obligans ad restitutionem.

Tertiò, circa res mobiles; vt, qui absconditã alterius pecu-

niam,

niam, vel vestes latroni ostendit, vt rapiat. Et hoc est mortale etiam obligans ad restitutionem.

Quartò, circa secreta; vt, qui alterius secretum aperit in eius detrimentum. Et hoc est etiam mortale, cùm res est grauis, & quam celare tenebatur. His modis committi potest proditio: tamen ad maiorem declarationem aliquot dubia in capite sequenti examinare oportet.

De quibusdam dubijs circa proditionem.

CAPVT XLV.

ALiqua occurrunt dubia circa proditionis modos.

Primum est; an, si tyrannus aliquis iniustè detineat castrum, vel ciuitatem, vel villam alterius, liceat alicui Priuatæ personæ, quæ sub potestate ipsius tyranni est, & cui est commissa cura illius castri, ipsum tradere domino vero, tyranno insciо. Ad hoc respondet Anton. 2. p. tit. 1. cap. 22. §. 7. & dicit aliqua,

Primum est, si, qui tradit castrum, facit hoc, cupiditate pecuniæ, vel odio & inimicitia motus, vt fine præcipuo, tunc mortaliter peccat.

Secundum, quando id facit zelo iustitiæ, licet cum spe pecuniæ, non peccat mortaliter, si aliquæ adsint conditiones, nimirum.

Prima, vt non sequantur mortes & occisiones hominum in tali traditione.

Secunda, vt non sequantur grauia scandala.

Tertia, vt dominus verus nequeat alia via recuperare tale castrum. His stantibus non esset peccatum; aliquo verò, vel omnibus deficientibus esset peccatum: & quia ferè semper vnũ horum est, ob id, rarò licet iste casus.

Dicit tertiò Ant. quòd si quis etiam, his deficientibus castrũ tradat, mortaliter quidem peccat, tamen ad restitutionem nõ tenetur, quia non rapit alienum à vero domino; immò reddit proprio domino, licet malo & indebito modo. Consentit his Tabien. ver. interrogatio. §. 19. & Armill. v. proditio. Et ita mihi videtur dicendum.

Aliud dubium est, an tyrannum, qui habet obsessam ciuitatem iniustè, liceat alicui priuato per proditionem occidere: v.g. an liceat medico ipsius, aut coco ministrare venenum

occultè,& interficere.Respondent idem Anton.loco citato,& præfati Doctores,quòd nullo modo licet, sed esset mortale: nam seruare fidem est ius naturale, quod quidem cum omnibus est seruandum.Non ergo illi sub fide data possunt occulte nocere;quamuis posset miles vnius exercitus, duce concedente,in nocte aggredi contrarium exercitum,cuius causa iniusta est,& inuadere & occidere dormientes,quia nulla illis debetur fides;& ipsi debebant caute agere & attendere,cùm alios inuadant. Et hoc modo licet venenum imponere fontibus, vt bibentes pereant,cùm ipsi iniustè inuadant terras aliorum: sub fide tamen data non licet occidere, sicut nec sub saluo conductu;& sic etiam non licet personæ priuatæ inuadere loca & terras Turcarum,& ipsos occidere in domibus degentes, licet infesti & inimici sint nostri.Hinc fit,quòd si in hoc prædicto casu non licet huiusmodi homini occidere in tali modo, quòd etiam nulli alteri liceat consulere tale factum, aut ad id iuuare ipsum aliquo modo.

Aliud dubium est.An si quis esset deliberatus iam occidere per proditionem talem tyrannum, licet alteri promittere pecunias, si faciat & occidat.Antonin. respondet licere: nam hic non occidit,cùm iam ille animo decreuerit occidere: sed Armill.verb.proditio.§.3. negat,& ita negandum est: nam consentit in peccato, & hoc sufficit ad peccandum. Adde etiam quòd iste occidit;nam promissione pecuniæ magis confirmatur animus illius ad occidendum:adeò, quòd posset forsan retardari,& remoueri ab illo facto, spe tamen pecuniæ non retardatur.

Aliud dubium est,in secretis: An liceat aperire saltem secretum alicuius Tyranni: vt,si haberet obsessam ciuitatem, & vellet occultè inuadere, an liceret alicui militi suo aperire secretum. Dico,si iniustè agit & inuadit, potest manifestari: non enim secretum præfer sigillum confessionis, est seruandum in damnum tertij iniustum, & præsertim communitatis: & sic habemus exemplum in scriptura,2.Reg.17. de illo Chusi, qui se finxit amicum Absalon, & manifestauit Dauid secretum consilium Achitophelis. Si verò iustè ageret Princeps aliquis contra alterum,tunc non liceret ipsius secretum prodere.Per hoc patet resolutio peccati eorum,qui literas sigillatas alterius aperiunt: Est enim mortale, cùm res est grauis, quando verò sciunt rem esse leuis momenti, est veniale: Sed tamen periculosum est, nam difficile cognoscitur

scitur huiusmodi leuitas materiæ ante apertionem: & si, non cognita, aperiuntur literæ, mortale est, nisi in aliquibus casibus.

Primus, quando, qui aperit, probabiliter cognoscit esse in damnum proprium illas conscriptas, vel in damnum tertij, præsertim communitatis alicuius.

Secundus, cùm est superior: & sic Prælati subditorum literas aperiunt.

Tertius, cùm apertio fit cum ratihabitione; quia speratur rationabiliter, quòd ille, cui mittuntur, id ratum habebit, & acceptabit. Hæc de proditione.

De fraude.

CAPVT XLVI.

QVarta filia Auaritiæ, est fraus, quæ sic describi potest, *Deceptio alterius opere exhibita.* In qua descriptione sunt duæ partes.

Altera est, *Deceptio alterius.* Est autem decipere, falsam existimationem in alterius animum inducere, & ille actus, qui, mediante hoc fit, dicitur deceptio.

Altera pars est, *opere exhibita:* nam deceptio aliquando fit solis verbis, & dicitur dolus seu fallacia, aliquando verò fit etiam factis; vt, cùm vendo pro libra, quæ non est libra: & hæc dicitur fraus. Vtrumq; autem, tam dolus, quàm fraus filij sunt Auaritiæ. Sed nunc de fraude agamus. Procedit autem fraus ex astutia, quæ est vitium contra prudentiam. In cuius gratiam aduerte, prudentiam esse quandam virtutem, qua circa bonum finem media conuenientia applicamus: disponit enim prudentia media bona ad finem bonum. Cùm ergo sint duo in prudentia, & finis bonus, & media bona, duplex ei vitium opponitur.

Vnum est ex parte finis, cùm quis intendit finem malum, & huic media proportionata, siue bona, siue mala secundum se aptat: & vitium hoc dicitur prudentia carnis; vt, qui, intendens occidere inimicum, vel committere adulterium, media apta applicat.

Alterum est ex parte mediorum; vt, cùm quis bonum aut malum finem intendens, excogitat media mala, sed apta fini, & dicitur astutia. Exemplum est in illo Villico Luc. 16. qui,

vt, ablata villicatione, haberet, vnde viueret, media mala, sed apta excogitauit, nempè remittere debitoribus domini sui partem debiti, quod quidem ei non licebat: fuit in hoc astutus; quamuis quia illum finem fecit sibi vltimum, dum postposuit diuinum præceptum, non defraudandi ipsius consequutionem, fuit etiam prudentia carnis, quia finis fuit malus. Astutia autè solum est in excogitandis medijs: ipsorum verò executio ad dolum, cum verbis, ad fraudem, cùm operibus fit, pertinet. Est autem fraus ex suo genere peccatum mortale, & de facto est peccatum mortale, nisi excusetur duplici causa; aut quia materia est leuis; vt, qui fraudem facit in baiocco vel quattrino; aut, licet sit in magna quantitate, tamen non fuit intentio defraudandi; tunc enim, cùm ignorantia interfuit, excusatio est peccati: tamen cùm primum veritas cognita fuerit, tenetur, qui fraudem commisit, reddere quod per fraudem accepit; aliter peccat mortaliter, ac si intentionem habuisset, & manet obligatus ad restituendum. Prudentia carnis & astutia mortale peccatum sunt, cùm circa finem, vel media, quæ mortalia sunt, versantur, alia sunt venialia. De his vide S. Thom. 2. 2. q. 55.

De fraude in emptione, ratione iniusti pretij.

Caput XLVII.

QVia fraus præcipuè in emptionibus & venditionibus committitur, ob id, in particulari de his aliqua tractanda sunt; cumq; multipliciter proueniat fraus in his contractibus, prima radix est, ratione pretij. In cuius gratiam notandum est, iustum in pretio esse duplex.

Vnum est legitimum, & hoc est, quod lege aliqua taxatum est & definitum.

Alterum est naturale, quod nulla lege est taxatum, sed iuxta rei valorem. Valor autem hic dupliciter sumitur.

Vno modo à communi existimatione bonorum mercatorum: tantum enim valet res, quantum communiter tali loco & tempore æstimatur, vt habetur leg. pretia. ff. ad leg. Falcid.

Altero modo. cùm non est res, quæ communiter vendatur arbitrio mercatoris alicuius prudentis & intelligentis, vt habet Sylu. verb. emptio. §. 7. De vtroq; isto iusto, tam legitimo,

quàm

quàm naturali, loquitur Arist. lib. 5. ethicor. cap. 7. Est autem inter hæc duo pretia duplex discrimen.

Alterum est, quòd pretium legitimum consistit in indiuisibili: cùm enim sit taxatum lege, vnum & idem est: at naturale non sic; nam non semper communis æstimatio, aut arbitriũ prudentium in vno & indiuisibili pretio conformatur, sed hi pluris, illi minoris æstimant, licèt sit in medico differentia, iuxta pretij quantitatem: vnde solent Doctores communiter pretium naturale diuidere in tres partes, in rigidum, medium & infimum. Rigidum est summum, quod in communi æstimatione, vel iudicio mercatorum inuenitur; vt, si vnus diceret, valet centum, alter nonaginta quinque, tertius nonaginta, centum esset rigidum; infimum, quo minus non æstimatur. Inter hoc vtrumque medium est. Omnia ista dicuntur pretia iusta; nec est fraus, modò rigidum, modò infimum, eodem loco & tempore pro re vna exigere, & accipere.

Alterum discrimen est, legitimum pretium manet immobile, nec variatur per augmentum vel diminutionem; at verò naturale variatur. Sunt enim aliquot causæ, quæ variant iustũ pretium naturale.

Prima causa est, copia vel inopia mercium. Cùm enim copia multa est mercium, tunc minuitur pretium, quod ante erat iustum, & ex copia fit iniustum; nam iustũ minus est iam. Contra verò, cùm est magna inopia mercium, augetur iustum pretium: sed hæc causa intelligitur, cùm non interuenit fraus: nam solent mercatores duo vel tres conuenire, & facere monopolium, emendo omnes merces nundinarum, aut abscondentes eas, vt inopia appareat, & augeatur pretiũ; tale autem augmentum est iniustum, & est obligatio ad restitutionem.

Altera causa, copia, vel inopia emptorum. Cùm enim multi sunt emptores, tunc crescit pretium; cùm verò pauci, minuitur: nam multitudo emptorum inopiam inducit mercium; inopia verò copiam. Ad hanc causam reducũtur aliqui casus.

Primus est, Caietan. verb. emptio. Ea, quæ veneunt sub hasta, vel à proxenetis, vilius possunt emi, quàm valeant communiter illa in officina mercatorum: vnde, quod valet centum, potest emi sexaginta, & minoris, dummodò non sit fraus: nam aliqui solent rogare coemptores, ne emant, aut

imponant pretium, vt ipsi vilius emant; hoc autem non licet.

Rursus, etiam potest carius vendi, cùm emptores inter se certant augendo pretium, dummodò non sit etiam fraus, vt venditor secretò emptores supponat falsos ad augendum pretium.

Alter casus est, Sylvest. verb. emptio. §. 8. cùm aliquis mercenarius non habet aliquem, qui conducat ipsum, & rogat aliquem, vt saltem dimidio pretio, quàm alij soleant conduci, ipsum conducat, tunc licitè potest hoc fieri.

Tertia causa est, modus emendi. Vilius enim emuntur merces, quæ simul in magna quantitate emuntur, quàm quæ per partes.

De regula fraudis ratione iniusti pretij.

Caput XLVIII.

COnstituto iam, quid sit iustum pretium, oportet nunc aduertere res esse in duplici differentia. Quædam ad vitæ necessitatem, quales sunt, quæ ad victum, vestitum, & huiusmodi spectant: quædam pertinent ad vitæ delectationem & ornatum, vt gemmæ, pretiosi equi, statuæ, canes, accipitres, & alia huiusmodi.

Sit ergo prima conclusio. Res ad vitæ ornatum seu delectationem pertinentes, non habent pretium naturale certum, sed tantùm possunt vendi, quantum potest venditor extorquere, citra fraudem vllam: vnde non est iniustitia, accipere quatuor millia aureorum pro statua antiqua, pro gemma, pro alia simili re, dummodo talis sit res, qualis venditur. Ista est Soto lib. 6. de iustitia. q. 2. ar. 3. in fine.

Secunda conclusio: Excedere iustum pretium, siue legitimum, siue naturale, scienter, est mortale, obligans ad restitutionem, cùm est notabilis excessus; & hoc tam in venditione quàm in emptione: vnde, qui vilius iusto emit; aut, qui carius iusto vendit, peccant & obligantur restituere. Aduerte tamen, quòd non semper in exteriori foro compelletur venditor, vel emptor reddere quod accepit, sed cùm est iniustitia infra aut supra medietatem iusti pretij; putà, qui emit quatuor, quod valet decem; aut, qui vendit sexdecim, quod valet decem: tunc enim rescinditur iste contractus iure ciuili, Cod. de re-

scinden.vendit. l.2. & iure can.cap.cum dilecti, & cap. cum causa,de emptio.& venditio. Qui autem vendit supra medietatem,tenetur in foro exteriori reddere acceptum superfluum vel suam rem accipere, & manet emptio apud ipsum. Cùm verò res est empta infra medietatem, optio est emptoris, aut reddendi rem,aut æquandi pretium iustum, vt habet Sylvest. verb. emptio.§.9. In foro verò conscientiæ semper tenetur homo,quamuis fraus non sit tanta,ad restitutionem,vt docet D.Thom.2.2.quæst.77.art.1. & Innoc. cap.in ciuit. de vsuris, & Panorm.in cap.plerique,de immunit.Eccles. & Soto lib.6. quæst 6.articul.1.contra aliquos, qui dixerunt non peccare, cùm quis defraudat præter istam legis taxationem, aut saltem,non teneri ad restitutionem. Sed hoc falsum est, & contra rei naturam : Leges enim ad lites vitandas tantum id permittunt, nec rescindunt contractum, nisi modo prædicto.

Tertia conclusio,qui vendit, potest supra iustum pretium rei exigere damnum emergens in vendendo, non tamen potest vendere vtilitatem,quam,qui emit, accipit supra rei valorem.Ista etiam sunt S.Thom.2.2.q.167.ar.1.Explico,Petrus habet domum valentem centum,rogatus ab alio,vt vendat eam sibi,ipse non vult;tandem precibus victus vendit ; tamen,quia sibi erat multum commoda, & detrimentum patitur ex venditione,potest exigere totum damnum,admonito tamen emptore de hoc.At verò,si nullum damnum patitur, tamen domus est multum vtilis emptori, non potest vltra iustum pretium exigere aliquid ratione ipsius vtilitatis. Ratio vtriusque est,quia damnum est suum,vtilitas alterius: nullus autem vēdere potest,nisi quod suum est.

De fraude ratione rei venditæ.

CAPVT XLIX.

SEcunda radix, vnde oritur fraus in emptione seu venditione,est ratione ipsius rei venditæ,cùm res ipsa vitium aliquod habet,& venditur, ac si non haberet. In cuius gratiam aduerte esse triplex vitium in re aliqua vendita.

Vnum est in substantia,dum,quod non est,venditur pro eo quod est: vt,quod non est aurum,pro auro, quod non est argēum,pro argento;quod non est gemma,pro gemma.

Alterum est in quantitate; vt, quod non est tantum, vendere pro tanto, non libram, pro libra, non modium, pro modio, non cadum, pro cado.

Tertium est, in qualitate; dum, quod non est tale, pro tali venditur, v.g. equus cæcus, pro non cæco, mancus, pro non manco, vinum lymphatum, pro puro, Latinum, pro Græco, & sic de alijs. Horum trium vitiorum eadem est ratio: quæ enim de vno, de alijs etiam dici possunt. Ad cognoscendas autem fraudes ratione rei vitiosæ, aliquot sunt notandæ conclusiones.

Prima est, rem vitiosam vendere tanto pretio, quanto si non haberet vitium, peccatum est obligans ad restitutionem, & mortale, si materia non est leuis, & scienter fit. In hac omnes Doctores conueniunt. Vendere ergo equum habentem vitium, puta cæcum, vel mancum, centum aureis, qui tantum solummodò valeret, si vitium non haberet, iniustitia est.

Secunda conclusio, vitium rei manifestum non tenetur venditor manifestare: vnde potest iustè vendere rem vitiosam, dummodo non excedat pretium: accipiendo tantum, ac si non esset vitiosa, licet emptor non aduertat esse vitiosam; vt, aliquis habet equum monoculum, potest vendere pretio iusto, quod valet cum illo defectu, quamuis sciat emptorem non aduertisse esse monoculum. Ista est S. Tho. 2.2. q. 77. art. 3. tamen contrarium tenet Panorm. capit. iniustum, de rerum permutat. & Conr. quæst. 54. de contractibus: dicunt enim, quòd cùm venditor videt emptorem ignorare vitium, debet eum admonere, licèt manifestū sit. Sed mihi in hac parte videtur distinguendum. Aut enim emptor poterat aduertere, & ex negligentia non aduertit, aut non poterat aduertere, quia impotens erat, nimirum cæcus aut inexpertus, quia ignorat quis sit defectus. Si modo priori non aduertat, puto non esse iniustitiam vendere, nec obligari ad restitutionem, facta rei venditione, sed solùm ex charitate; &, si vitium esset in magnum detrimentum emptoris, erit mortale contra charitatem, aliter erit veniale. Modo verò posteriori tenetur de iustitia, ac si vitium esset occultum, vt dicemus statim.

Tertia conclusio, Quando vitium est occultum, non sufficit pretium iustum petere, quantum cum vitio valet, sed est manifestandum in tribus casibus.

Primus, quando illud vitium est in damnum emptoris: v. g. vendit aliquis equum militi cum vitio occulto, quod periculosum est in bello, tale vitium est manifestandum, quia est in damnum emptoris, qui pro bello emit equum. Similiter, vendit quis vinum quod scit parùm duraturum, volenti emere ad conseruandum, tenetur manifestare, neque sufficit iustum petere pretium.

Secundò, cùm res erit inutilis emptori, verbi gratia, Pharmacopola vendit scammoneam, quæ licèt non nocebit, tamen non erit vllius vsus infirmo; vendit autem pro alio vtili, quod petit emptor, iniustè facit, quamuis pretium rei iustum exigat.

Tertiò, cùm cognoscit probabiliter venditor, emptorem emere ad reuendendum; tunc debet manifestare vitium: nam vendet emptor ille rem tanto pretio, ac si non haberet vitium. His casibus occultum vitium est manifestandum: alias, est mortale peccatum ex genere suo obligans ad restitutionem.

Aduerte tamen vnum, ex sancto Thoma, loco citato, quòd non sat est, vitium manifestare in genere, & in vniuersum: aliquando enim astuti homines, vendentes equum habentem aliquod occultum vitium, dicere solent: omne vitium habet, est cæcus, est claudus, est talis & talis, & numerant verum defectum: hoc autem non sufficit; nam virtualiter negant vitium occultum, dum affirmant vitium, quod videt emptor non esse. Debet ergo vitium clarè, & distincte aperiri.

Quarta conclusio. Quando nullum horum trium est, & causa rationabilis existit, nullumque mendacium intercedit, licet vendere rem iusto pretio, non detecto vitio occulto. Ista est Soto lib. 6 quæstio. 3. articul. 2. & deducit eam ex S. Thoma: verbi gratia, est aliquis qui iusto pretio non potest vendere vinum, vel propter iniquitatem iudicis, vel propter emptorum malitiam, qui conueniunt inter se, vt pauci emant, ad remittendum pretium, vel propter aliam causam rationabilem, tunc iste potest minuere mensuram, aut parum aquę miscere, & vendere pro puro, ac pro completa mensura, iustum exigendo pretium, dummodò non dicat mendacium; quod si dicat, non erit pernicioſum, nec mortale, nec obligans ad restitutionem.

Similiter, aliquis habet sericũ Granatense, quod verè æquat bonitatem alterius serici, tunc, si nõ potest vendere iusto pre-

tio, licet pro eo serico, quod petitur, vendere, non tamen mentiendo, vt diximus. Eodem modo, licet aliquando Latinum pro Græco vendere, & alias similiter merces. Aduerte tamen, quòd non licet hac intentione merces emere, vt vendantur pro alijs, sed emptas licet sic vendere, tali causa rationabili existente.

Quinta conclusio: Emptor tenetur manifestare venditori ignoranti rem venditam valorem ipsius: verbi gratia, rusticus vendit gemmam magni valoris vili pretio, ex ignorantia, emptor cognoscens tenetur ei veritatem aperire, & dare valoris iustum pretium, aliàs peccat, & obligatur ad restitutionem. Non tamen est eadem ratio de eo, qui emit vineam alterius, in qua scit magnum thesaurũ, & non manifestat, donec emat, & possideat ipsum: hic enim licitè id facit, nec tenetur manifestare, vt habet S. Thom. 2.2. quæst. 66. art. 5. ad secundum & Syluester verb. inuentum, §. 2. & Soto lib. 6. quæst. 3. artic. 2. Et ratio est, quia, cum venditur vinea, vel emitur, sola planities est, quæ venditur, cùm his, quæ supra sunt, non autem ea, quæ subtus sunt. Vnde pretium iustum inde est sumendum, non ab his, quæ sub terra occulta sunt. Et quamuis ista sententia nonnihil habeat difficultatis, tamen teneri secure potest, propter auctoritatem Doctorum.

De fraude, ratione modi vendendi

Caput L.

Tertia radix, vnde fraus oritur, est ex modo vendendi, vel emendi, putà cum res emitur, aut venditur credito, aut numerata pecunia. Ad quarum fraudum manifestationem, sunt tres regulæ, seu conclusiones notandæ.

Prima est, licet vendere rem summo pretio iusto, cùm credito venditur; licetque rem emere infimo pretio, cum vel numerata pecunia, vel anticipata venditur. Explico, diximus superiùs, esse tria pretia iusta naturalia vnius rei, summum, medium, infimum. Dico ergo, quòd potest venditor exigere summum pretium, cùm creditò vendit, quod non exigeret, si numerata pecunia venderet. Rursus, licet emptori emere vilissimo, & infimo iusto pretio, cum anticipata pecunia emit; cum tamen res ista emeretur medio, vel summo pretio, si non

esset

esset talis anticipatio. In hac conclusione omnes conueniunt.

Secunda conclusio: Non licet supra totum iustum pretium vendere rem, quia creditò venditur; nec licet emere infrà infimum pretium, quia anticipata pecunia emitur. In hac etiam omnes conueniunt: exemplo sint nobis duo abusus communes.

Alter est mercatorum, qui solent in fine nundinarum, cum res minùs valet, propter inopiam emptorum, vendere suas merces creditò, exigendo pretium, quod valebat in medio nundinarum tempore, quod propter emptorum copiam multo maius erat: hoc iniquum est, & obligatur venditor restituere, nec excusatur, quia ipsi merces tanti stant, nec lucratur quicquam; quia, vt benè dicit Soto lib. 6. quæst. 4. ar. 1. merces huic periculo ex se sunt expositæ, vt, & minus, & plus valeant, & aliquando perdat, aliquando lucretur mercator; neq; semper debeat vendi tanti, vel pluris, quanti stant venditori ipsi.

Alter abusus est quorundam, qui videntes rusticos, & laborantes non valentes terras, & vineas suas colere ex inopia, subministrant pecunias, emendo, anticipata solutione, minoris, quàm creditur res suo tempore valitura, & sic emunt frumentum, vinum, & alia eiusmodi: quod quidem nullo modo licet, sed est vsura palliata, obligans ad restitutionem.

Tertia conclusio: Res tanti debet vendi, aut emi, quanti valet, aut valitura probabiliter creditur tempore, quo res ipsa traditur. Hæc conclusio est radix præcedentium, & per eam multorum casuum solutio habetur. Explico, aliquando non traditur simul res, & rei pretium, sed prius vnum altero, tunc pretium iustum sumendum est à tempore, quo traditur res, vt valeat tantum, quantum probabiliter valitura creditur tempore illo. Ex hoc patet solutio huius casus: Aliquis in mense Ianuario, cum modius frumenti valet, verbi gratia, tria scuta, emit frumentum tradendum mense Augusto; si creditur probabiliter, quod valebit tunc tria scuta potest modò emere, anticipata solutione, tribus scutis pretio taxato, &, siue res minus, siue plus tunc valeat, nihil refert, sat est, quòd empta est probabili pretio tunc futuro, licet sit minus præsenti. Ita deciditur iste casus, capitulo nauiganti, de vsur.

Alius

Alius casus est; Multi mercatores vehunt frumentum in nauibus ad aliquam ciuitatem, in qua valet modius sex aureis: accedente tamen tanta copia, valebit tribus: tunc, si vnus mercatorum hoc præuidens præcurrat, & citius præueniat, & vendat tanto pretio, antequam alij venientes sint in causa diminutionis, licitè id potest facere, nec admonere tenetur: vendit enim frumentum pretio tunc existenti, cum res traditur: de futuro enim non tenetur curare, Ita habet S. Tho. 2.2. qu. 77. art. 3. ad. 4.

Hoc etiam modo soluitur alius tertius casus. Si quis Princeps vellet taxare, & moderari mercium pretia, & v.g post tres dies, diuulgabitur pretium, potest aliquis mercator hoc sciens, vendere merces maiori pretio tunc currenti ante illam taxationem, nec admonere futuri; non tamen licet ei, qui mandatum habet à Principe, vt tali tempore pretium taxet, differre, donec suas merces vendat.

Soluitur etiam quartus casus, Aliquis vendit merces, soluẽdas post sex menses, quæ quidem, futura est solutio, magis valebunt, quàm modo, cum traduntur, non licet huic vendere pretio futuro, sed præsenti. Hoc tamen intelligitur, quando ille alias non erat seruaturus suas merces, vsque ad illud tempus; nam, si seruaturus erat, & precibus emptoris cogitur vendere, potest exigere pretium probabile futurum, & pacisci, licet postea minus valeant.

Et sic intelligendus est casus, capitulo nauiganti, de Vsur. vbi videtur absolutè iste casus concedi, sed limitandus est, iuxta capitulum in ciuitate, de vsuris, quando merces erant seruandæ, & ita tenet Soto lib. 6. quæst. 4. art. 2. quamuis Caietan. 2 2. quæst. 78. articul. 1. distinctionem metaphysicam imaginetur, quæ parum, aut nihil ad res morales has facit. Soto tamen loco citato, limitat prædictam regulam limitatione bona, & notanda. Sunt n. aliquot merces, quæ non possunt vendi, nisi credito, alias enim nõ posset iustũ percipi pretium; vt fit in serico apud Florentinos: vehitur enim magna copia serici quod, si venderetur soluta pecunia, vilius iusto venderetur, propter paucitatem emptorum: ideo solet vendi credito aliis mercatoribus, donec ipsi reuendant, & habeant vnde soluant. In his pretium iustum potest exigi à tempore solutionis pecuniarum: quod enim probabiliter creditur tunc merces vaſituras, potest exigi, siue tunc plus, siue minus valeant. Rursus, sunt merces, quæ aliter vendi, aut emi nequeunt, nisi an-

tici-

ticipata solutione, quales, sunt merces lanarum : non enim aliter mercatores possunt eas habere, nisi anticipando solutionem, qua pastores possint pascere oues, & expensas suas facere. In his pretium iustum est sumendum à tempore solutionis, non à tempore, quo lanæ traduntur. Hoc tamen non licet in alijs mercibus, nisi in his, quæ aliter contractari nequeunt.

De quibusdam dubijs.

CAPVT LI.

DVbium vnum occurrit, an liceat, cum res credito venditur, supra iustum pretium exigere lucrum cessans, ratione pecuniæ numeratæ: verbi gratia, est mercator vendens suas merces, quæ valent centum, si venderet numerata pecunia, exponeret negotiationi centum hæc, & lucraretur plura, an liceat exigere ab emptore illa centum, quæ merces valent, & lucrum cessans? Anton. 2. part. titul. 1. capit. 8. §. 2. omnino negat, sed putat esse vsuram. Soto libr. 6. quæstion. 4. articul. 1. dubitat; tamen inclinat in partem Anton. at Richardus & Caietanus, quos ipse citat, tenent licitum esse. Mihi videtur, cum distinctione procedendum. Aut enim venditor sponte vendit sua, aut rogatus ab emptore, cum alias ipse habeat emptores, qui emant numerata pecunia, modo prioti non licet, posteriori vero licitum est: nam tunc videtur iam damnum emergens, cum iste posset merces numerato vendere, damnum autem emergens, vt superius diximus, potest exigi.

Aliud dubium est, an liceat supra istud pretium exigere aliquid ab emptore, ratione periculi, cui exponuntur merces, cum credito venduntur, certior enim habetur pecunia præsens, quàm futura. Medina C. de restitutione, quæstion. 38. tenet licitum esse. Conrad. verò, quæstion. 59. de contract. & Soto, loco citato, negant. Concedunt quidem posse exigi aliquid ratione expensarum, quando timentur dictæ expensæ probabiliter futuræ; vt, qui vendit homini solito non soluere, quin prius coram Iudice sæpè compareat, potest vltra pretium mercium aliquid exigere, ratione periculi probabilis expensarum: tamen propter nudum periculum, quod in ipso credito est, non licet. Hoc mihi videtur securius, & tenendum; nam

alias aperiretur porta ad vsuras: posset enim tũc in omni mutuo aliquid exigi, ratione periculi talis; & tunc vsura fuit consequeretur intentum.

De emptione cum pacto retrouendendi.

Caput LII.

QVarta radix, vnde oritur fraus in emptione, & venditione, est. cum res non simpliciter venditur, aut emitur, putà, cum sic venditur, quod obligatur emptor, quotiescunque suam accipiat pecuniam, iterum reuendere rem venditori, & hic contractus dicitur emptio, seu venditio cum pacto retrouendendi, & licitus est ex se, & solet etiam apponi conditio, vt, nisi intra sex, vel tot annos venditos redimat, sit emptio omnino: & hoc etiam licitum est. Res autem sic empta minus valet, quàm cum emitur simpliciter, & sine pacto: nam emitur res cum tali onere, quamuis minus sit istud onus, cùm apponitur prędicta conditio, vt redimatur intra tot annos, alias redimi non possit. Ad iustitiam huius contractus duo exiguntur.

Vnum est; vt qui emit, intentionem habeat emendi; nam aliàs esset vsura, & mutuum virtuale cum lucro: nam accipit capitale posteà, & lucrum rei emptæ: & maximè cognoscitur intentio emendi, cum ob necessitatem fit. Aliqui etenim volentes vilius emere, quia non aliter possunt, tali vruntur contractu; hic autem in immobilibus fit rebus, vt domibus, vineis, &c.

Alterum est, vt, cum reuenditio fit, non plùs accipiatur à venditore, quàm fuit, quod ei datum fuit. His stantibus duobus, non est fraus in huiusmodi contractu.

De negotiatione.

Caput LIII.

NEgotiatio quædam emptio est: est enim emptio ad reuenditionem rei inuariatæ ordinata. Emere enim ad reuendendum, est negotiari, non quocumque modo: nam aliqui emunt rem, sed non, vt emunt, vendunt, sed mu-

tando

tando rem; vt, qui emit ferrum, & vendit clauos, emit lignum, & vendit scamna. Hoc autem non est negotiari est emere rem, & ipsam sic manentem vendere ; vt, qui emunt vinum, frumentum, mel, vt iterum vendant. Negotiatio necessaria est in republica : non enim omnes regiones abundant omnibus; sed in quibusdam hæc, in alijs illa alia reperiuntur: vnde conueniens fuit, esse homines , qui ab vno loco in locum alium transportarent rem eam, quæ ibi esse non potuit, nisi per negotiationem. Potest autem fieri illicita negotiatio multis modis.

Primò, ratione finis : Negotiatio enim propter solum lucrum turpis est, vt habet S. Thom. 2.2. quæst 37. art. 4. Lucrum enim, nisi in finem bonum ordinetur , ex se bonum non est: negotiari ergo propter ipsum solum, & non propter sustentationem familiæ, vel alium bonum finem, peccatum est ex se veniale.

Secundò, ratione personarum: non enim clericis licet negotiari, vt habetur dist 88. per totam.

Tertiò, ratione eorum, cum quib. negotium fit. Est etenim mortale peccatum, & excõmunicatio in Cœna Domini, vendere Turcis, & fidei inimicis arma, ferrum, puluerem, ligna, & alia huiusmodi, quæ ad bella necessaria sunt.

Quartò, ratione temporis: non enim in diebus festis negotiandum est, vt habetur c. 1. de ferijs.

Quintò, ratione loci : non enim in templis, & locis sacris negotiandum est: quod Dominus significauit, eum emẽtes, & vendentes flagello eiecit à templo. Ita habetur c. decet , de immunit. ecclesiarum, in 6. vnde, si essent nundinæ, & aliæ negotiationes tumultuarię, esset mortale in templo negotiari, alias esset veniale.

Sextò, est illicita negotiatio', quando fit in communitatis detrimentum, solent enim aliqui ex frumento necessario ad communitatis vsum , aut ex vino, vel oleo, aut alijs emere, ad conseruandum , vt alio tempore vendant: vnde in causa sunt, vt sit eorum inopia, neque inueniant pauperes, vnde emant ad sui sustentationem, & sic mirum in modum augentur pretia. Talis negotiatio est pessima, & nociua Reipublicæ, essentque huiusmodi homines relegandi. Quando verò esset magna abundantia , vt etiam abundarent post satisfactionem cuiusque necessitatis , posset tunc talis negotiatio licita esse ; aut quando aliquis ex proprijs terris illa colligeret, liceret seruare

in aliud tempus. Similiter etiam licitum est emere ab his, qui necessitate aliqua vendunt, nec habent facile emptores, ad iterum reuendendum, vt Romæ faciunt Iudæi, & in aliis locis multi faciunt, ementes libros, & vestes veteres, & alia huiusmodi.

Septimò, potest esse negotiatio illicita in pretio. Quamuis enim liceat istis negotiatoribus plus exigere pro mercibus, quàm sibi in aliis locis, vel temporibus steterint, ratione modi vendendi, quia per minutum vendunt, vel ratione laborum, & expensarum, tamen non licet immoderatum exigere pretium, supra id, quod tali loco communis æstimatio recipit; nec excusantur aliquando, quòd sibi tanti merces steterint: nam, vt supra diximus, his periculis exposita debet esse negotiatio. Aliquando etiam fiunt inutiles, & imprudentes expensæ, & harum ratio non habenda est in augendo pretium. Vide de negotiatione Soto lib. 6. quæst. 2. art. 2. & Summistas, vet. negotiatio. Atque hæc satis dicta sint de fraude.

De mendacio.

Caput LIV.

Aliæ tres filiæ Auaritiæ supersunt, nempè periurium, fallacia, mendacium. De periurio autem diximus satis in octauo præcepto, lib. 5. Instr. Fallacia autem est fraus in verbo, vt diximus superius, & de hac ferè eadem, quę de fraude dicenda sunt: cùm enim est in damnum notabile proximi, mortale est; secus, est veniale vt plurimum. De mendacio autem nunc pauca dicenda sunt, nempè, quid mendacium, quotuplex, & quale peccatum. Mendacium potest sic describi: *Verbum falsum cum intentione fallendi.* In primis dicitur, *Verbum*; nã mendacium propriè est peccatum oris: & per verbum, non solum vocem, sed scripturam, quæ loco vocis datur, intelligimus.

Rursus dicitur *falsum*, vbi nota, quòd verbum dupliciter potest dici falsum.

Vno modo, quando aliter per ipsum enunciatur res, quàm ipsa sit in se; vt, si quis dicat, Papa non est Romæ, falsum dicit verbum; nam non enunciat rem, vt est, cum verè sit Papa Romæ.

Alte-

Altero modo dicitur falsum/, cum aliter enunciatur res, quàm homo, qui profert verbum in suo corde, existimat; vt, si ego putans Romæ esse Papam, dicam, Papa non est Romę, dico falsum. Et aduerte, quòd aliquando stat dicere falsum modo priori, & non hoc posteriori: si enim ego putans Papam non esse Romæ, cum tamen sit, dicam; Papa non est Romæ, dicam falsum modo priori: non posteriori. In hac igitur definitione solum sumitur modo posteriori: non enim est mendacium dicere, quod non ita est, sed dicere aliter, quam homo putat, siue sit, siue non sit ita in re: ob id dicitur mentiri; quasi contra mentem ire.

Tertium verbum est, *cum intentione fallendi*: Qui enim aliter, quàm sentit, proloquitur, alterum fallit, & fallere intēdit: non etenim sic profert, nisi vt diuersam opinionem in animo alterius generet: hoc autem est fallere.

Est autem mendacium triplex, pernicioſum, officioſum, iocoſum.

Pernicioſum est, quod est in damnum, & detrimentum alicuius.

Officioſum, quod potiùs est in vtilitatem alicuius.

Iocoſum, quod nec in detrimentum, nec vtilitatem alicuius est.

Dico ergo primò, omne mendacium, vniuersaliter loquendo, est peccatum; ipsum etiam officioſum, quod videtur mendacium minus culpabile, adhuc est peccatum.

Dico secundò, omne etiam mendacium, si cum iuramento fiat, est peccatum mortale: est enim periurium, quod in quacumque materia est mortale.

Dico tertio, pernicioſum mendacium ex genere suo est mortale, & de facto etiam est mortale, nisi excusetur leuitate materiæ: cum enim est leue detrimentum, sit veniale: aut etiam nisi excusetur indeliberatione: quando enim homo non fuit plenè compos sui in mēdacio tali proferendo, etiam est veniale.

Dico quartò, mendacia officioſa, & iocoſa esse venialia, si sunt sine iuramento.

De Luxuriæ filiabus.

Caput LV.

Quia in lib. 5. instructionis, supra sextum præceptũ, multa diximus de luxuria, ob id supersedendum huic tractatui censemus: solùm dicam de filiabus ipsius, quas illic prætermisimus; de quibus vide S. Thom. 2.2. q. 113. art. 5. & Gregor. lib. 31. moralium. Hæ autem sunt octo, nimirum, cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, amor huius mundi; horror futuri sæculi.

Pro quarum intelligentia aduerte; Primò, animam nostram quamuis vna sit, habere varias potentias, tam cognoscitiuas, quibus cognoscit, quàm appetitiuas, quibus appetit: maximè autem hæ in duas diuiduntur partes, & in potentias superiores, putà intellectum, & voluntatem, & inferiores, putà sensus corporis, tam interiores, quàm exteriores, & appetitus hos sensus consequentes. Cùm autem omnes hæ potentiæ in vnica fundentur, seu ab vna moueantur anima, fit, vt, dum intensè vna potentia operatur erga suum obiectum, altera nullo modo, aut remisse operetur erga suum. Hoc experientia ostendit: Auditu enim multum occupato in audiendo, visus vix videt quæ sunt ante se: similiter sensu interiori occupato in imaginando, sensus exterior nullo modo, aut remisse sentit. Hoc etiam fit respectu potentiarum superiorum: cum enim istæ occupatæ sunt, inferiores parum sunt suis obiectis intentæ: & contra, his multum erga res corporeas intentis, superiores turbantur, & vix erga sua obiecta operantur.

Aduerte secundò, quanto potentia magis delectatur in obiecto, tanto intensiùs, & fortiùs operatur erga ipsum; & consequenter aliæ potentiæ remissè operantur, & rapiuntur ab illa. Cum igitur, inter omnes corporeas delectationes, primum locum obtineat carnalis, & luxuriosa delectatio, hinc est, quòd ipsa facit partem sensitiuam, & corpoream fortissimè, & intensissimè intentam in tali obiecto, vnde delectatio procedit: parte autem hac multùm occupata in suo obiecto, cõsequens est, vt superiores potentiæ perturbentur, & ratio remissior fiat, & debilis in operando, ex eo, quòd rapitur, & absorbetur ab inferiori parte. In hac ergo turbatione rationis, & remis-

sione

sione consistunt filiæ luxuriæ. Est enim duplex potentia superior, intellectus, & voluntas. Intellectus autem ipse quatuor habet actus.

Primus est, simplex cõsideratio, qua apprehendit finem bonum, & secundum rationem.

Alter est, consilium, quo disquirit media, quibus cõsequendus est finis.

Tertius est, iudicium, quo iudicat de vnoquoq; qualis sit.

Quartus est, imperium, quo voluntati ea, quæ facienda sunt, proponit, vt ipsa præcipiat potentijs executiuis, vt faciant.

Omnes hi quatuor actus turbantur ex ipso raptu potentiarum inferiorum. Intellectus enim fit ineptus ad considerationem finis boni, dum rapitur ad cogitanda, quæ carnis delectationem faciunt, & hæc est cæcitas mentis.

Rursus fit ineptus ad consultandum de medijs ad finem bonum, & hæc est præcipitatio, qua homo non curat vti consilio in bonis, ex mentis occupatione in carnalibus.

Rursus remittitur iudicium, & examen rei, dum non curat, quale sit, quod faciat, & hæc est consideratio.

Rursus fit debilissimus homo ad exequenda bona apprehensa, & cognita, nec vires in eo habent bona proposita, quæ aliquando proponit facienda: & hæc est inconstantia. Omnes hæ filiæ sunt contra quatuor præcipuos actus prudentiæ enumeratos. Vnde benè dixit Aristot. 6. Ethic. quòd intemperantia destruit prudentiam: est enim præcipua intemperantia, luxuria. Hinc sequitur, quàm pernicioſum sit hoc vitium hominibus contemplatiuis, Rectoribus, Gubernatoribus, Regibus, Principibus, Iudicibus, literatis, & his, qui maximè prudentia vtuntur, & intellectu.

Ex parte etiam voluntatis sunt aliæ filiæ. In voluntate enim sunt duo actus: est volitio, qua homo vult bonum finem; & volitio, qua vult media ad talem finem. Hæc etiã duo turbantur.

Nam rapitur voluntas ad volendum, quod sensus vult, & peruertitur finis bonus; & hinc insurgit amor sui, dum homo, quæ sibi delectabilia sunt, vult; & consequenter est odiũ Dei, id est, quædam auersio animi à Deo, quæ, si perueniat ad consensum plenum, vt odio habeatur Deus, est mortalissimum peccatum.

Rursus rapitur etiam voluntas erga media, vt ea velit, quæ

ad propriam delectationem carnis ordinantur, & hinc insurgit amor sæculi,& mundi huius , & futuri horror, quo ei displicet futura vita,dum vellet permanere in mundo, in quo delectationes suas habet. Atque hi actus,si plenus consensus voluntatis sint,sunt mortalia;si verò imperfecti quidam actus,& indeliberati,venialia. Priora verò circa intellectum tunc sunt mortalia , aut quando finis vltimus in creatura ponitur,aut quando prætermittitur ex inconsideratione , aut præcipitatione,aut alijs aliquod diuinum mandatum. Hæc sufficiant de his filiabus.

De Ira , quid, & quotuplex sit.

Caput LVI.

QVartum vitium capitale est Ira: hæc autem potest sic describi. *Est appetitus vindictæ*. In cuius gratiam aduerte,iram non solùm homini, qua parte homo est,& animam habet rationalem,conuenire, sed etiam ratione partis sensitiuæ , in qua cum animalibus alijs conuenit ; vnde ira , quæ in alijs animalibus reperitur , etiam homini conuenit.

In ira ergo communi hominibus , & animali, hæc tria reperiuntur.

Est primò apprehensio alicuius mali illati , difficilis ad repellendum: non enim animal irascitur , nisi cum sensu percipit aliquod malum sibi illatum,vel proximè inferendũ, quod non potest facilè repellere à se.

Secundò , est quædam sanguinis ebullitio , & feruor circa cor: cùm enim congregantur spiritus vitales in corde , ad adiutorium ipsius animalis,contra malum illatum, sanguis,aduentu spirituum calidorum,feruet,& ebullit.

Tertio,est quidam appetitus,seu potius appetitio inferendi malum ei,a quo est sibi malum illatum : & hoc quidem ad releuandum malum illatum;& hoc tertium propriè est ira: ob id,definita est,*appetitus esse vindictæ*:hæc ira est irrationalis,quę quidem contingit homini in parte sensitiua , aliquando ipso nolente,& contradicente. Altera ira est soli homini propria, quæ in parte rationali,putà,in voluntate accidit,& in hac duo concurrunt.

Alterum

Alterum ex parte intellectus, putà, perceptio alicuius mali, & iniuriæ illatæ.

Alterum ex parte voluntatis, putà, volitio repellendi tale malum, & inferendi malum ei, à quo malum sibi illatum est: atque hæc volitio, quæ dicitur appetitus rationalis vindictæ, dicitur, & est ira; quæ quidem, vt plurimum cõiuncta est cum ira sensus, & motione corporis: non enim mouetur pars superior, quin pars etiam inferior, & sensitiua moueatur. Dicitur ira ab eundo, quasi homo per iram extra se eat: vnde, quiescere ab ira, dicitur in mentem redire.

Huius iræ solent tres species assignari ab Arist. 4. Ethico. & Damasc. libr. 2. de fide, cap. 16. & S. Thom. 2. 2. quæstion. 158. & ab alijs communiter. Species autem sunt hæ, ira, iracundia, & furor.

Ira', dicitur appetitus vindictæ, cito insurgens, & cito etiam desinens: sunt enim homines, qui facili ex causa irascuntur vehementer, & cito sedantur; & isti dicuntur ab Aristot. acuti: & inter animalia bruta, aliqua sunt similis conditionis.

Iracundia verò, est ira permanens, vnde dicitur à Damasceno, μῆνις, à verbo Græco, μίνω, id est, maneo quasi manens, quia homo diu permanet in apprehensione mali illati, & appetitu vindictæ. Et hos vocat Aristot. amaros: & inter animalia sunt aliqua, quæ huiusmodi sunt, & hæc memoria pollent.

Furor vero est, quando manet quidem memoria mali illati, sed appetitus vindictæ nequaquam insurgit, nisi tẽpore conuenienti, cum se potest homo vindicare: & dicuntur hi ab Aristotel. difficiles: & inter animalia sunt multa huiusmodi, & maximè illa, quæ astuta, & generosa sunt.

Quando Ira sit peccatum.

CAPVT LVI.

ADuertendum est, iram, quæ in parte sensitiua hominis est, ex se non esse peccatum, cùm non sit ex libertate procedens; nec etiã est meritoria, ob eandem causam At verò, cum consensus hominis accedit, seu ex consensu voluntatis procedit, tunc potest habere rationem boni, vel mali, sicut ira rationalis.

Vnde aduertant homines cholerici, qui citò inflammantur, & prorumpunt in appetitus vindictæ irrationabiles, & inordinatos, quòd non peccant, saltem mortaliter, nisi cùm voluntas liberè consentit, aut cùm sunt ita negligentes, vt, cùm possint frænare tales appetitus, non frænent, nec cohibeant. Dixi autem iram habere rationem boni, vel mali, cùm ex libera voluntate est, quia non semper ira est peccatum: aliquando enim est virtus, cùm secundùm rationē rectam irascimur contra dæmonem, à quo malum accepimus. Irascimur autem inferēdo ei malum, dum in nullo ei acquiescere decernimus. Irascimur etiam contra peccatum, ipsum à nobis relegare conantes. Aliquando ira est peccatum, & hoc in quinque maximè casibus.

Primò, ex parte eius, cui irascimur, cùm non est dignus illo malo, quod per iram volumus ipsi inferri.

Secundò, cùm, etsi dignus est malo, tamen non tanto.

Tertiò, cum, etiamsi tanto dignus sit, tamen præter ordinem inferri volumus; vt, qui per se ipsum mortem vult inferri occisori fratris sui: quamuis enim dignus sit, tamen non est rectus ordo talis.

Quartò, quando, etiamsi omnia ista seruentur, tamen non est debitus finis: non enim ex iustitiæ zelo, vel amore virtutis, sed potius ex odio personæ id volumus. In his quatuor casibus ira est mortale peccatū ex genere suo: & verè est mortale, cum est materia grauis, nec deest plenus rationis consensus.

Quintò, his quatuor seruatis, putà, quòd subiectum sit dignum malo, & tanto, & seruetur ordo, & finis, adhuc potest esse peccatum iræ ex parte motus sensitiuæ partis, cum est nimia perturbatio: & hoc ex se veniale est.

De filiabus Iræ.

Caput LVIII.

IRa sex habet filias, indignationem, tumorem mentis, clamorem, contumeliam, blasphemam, seu maledictionem, & rixam. In quarum declarationem aduerte, iram tres habere status.

Primus enim concipitur interius tantum.

Secundus exterius aliquo signo manifestatur.

Tertius ad opus pertinet, in quo vindicta cōsistit. Hi status

signi-

significantur Matth. 5. per illa verba, *qui irascitur fratri suo, qui dixerit, racha*, hæc enim vox, interiectio est iram manifestantis, *qui dixerit fatue*: iam enim per tale verbum iniuria afficitur frater. Ratione horum, duas habet virtutes contrarias.

Nam ira interior opponitur mansuetudini: hæc enim virtus frænat motus, & concitationes, & appetitus interiores ad vindictam, ne insurgant, aut immoderatè insurgant.

Rursus ira opponitur clementiæ, ratione exterioris actus: clementia enim animum iam concitatum cohibet, ne exterius procedat ad vindictam: vnde Cicero dixit, animus concitatur ad puniendum, per clementiam retinetur. Qua parte ergo ira interius cõsistit, duas habet filias, indignationẽ, & mentis tumorem.

Indignatio est, qua homo indignum reputat sua familiaritate, & colloquio eum, à quo malum accepit, & hæc mortale est in tribus casibus.

Primus, cum in tantum proceditur, vt homo paratus sit nõ iuuare proximum illum, etiam in his, in quibus tenetur de præcepto.

Secundus, cum adest contemptus interior personæ.

Tertius, cum scandalum notabile sequitur ex tali subtractione ab amicitia, & conuersatione. Extra hos casus, est veniale.

Tumor mentis, est audacia quædam, qua homo insurgere audet, ad vindictam sumendam, ex qua variæ cogitationes in mente sequuntur, quibus homo cogitat modum vindictæ, & iuxta peccatum, quod est in vindicta, sic etiam erit in hoc tumore.

Qua parte verò ira in signo exteriore consistit, oriuntur tres filiæ.

Clamor, qui est inordinata, & confusa loquutio, & ex se veniale est, nisi ob scandalum fiat mortale.

Contumelia, id est, verbum iniuriosum.

Blasphemia, id est, maledictio in Deum, vel proximum: de quibus dixi in instructione satis.

Qua parte autem ira est in opere, habet filiam rixam, sub qua est bellum, & vulnera, & contentiones, & alia huiusmodi. Hæc sufficiant de Ira.

De Gula, quid sit, & quæ eius species.

Caput LIX.

Quintum capitale vitium, est gula. Hæc autem sic describi potest: *Est appetitus inordinatus cibi, & potus*. Cibus, & potus ad corporis sustentationem ordinantur; quando igitur isti sumuntur propter hunc finem, modo, & circùstantia debitis, non est vitium, sed potius virtus. Quando verò aliquid horum prætermittimus, tunc inordinatio fit, & est vitium gulæ.

Hæc autem gula, vt habet Greg. 20. lib. moralium, & S. Tho. 2. q. 148. quintupliciter committitur.

Primò, circa substantiam cibi, & potus, cum præter modum sunt pretiosa, & lauta.

Secundò, circa quantitatem, cùm quis vescitur, vel bibit supra id, quo indiget.

Tertiò, circa qualitatem, cùm cibos delicatos nimis, & exquisitos quærit.

Quartò, circa ipsam delectationem gustus, cùm nimis complacet in gustus delectatione.

Quintò, circa tempus, cùm indebito tempore sumuntur cibus, & potus.

Huius gulæ duæ sunt species.

Altera, quæ in cibo immoderato consistit, & dicitur comessatio, & crapula.

Altera, quæ in immoderato potu, & dicitur ebrietas: de quibus meminit Paulus ad Galat. 5. ponens has inter opera carnis.

Quale peccatum sit Gula.

Caput LX.

Gula, tam quæ in cibo, quam quæ in potu consistit, in sex casibus est mortale peccatum.

Primò, quando aliquis in his ponit vltimũ finem, iuxta illud Pauli; *Quorum Deus venter est*: nimirum, cùm homo nihil quærit aliud, quàm comedere, & bibere; ita vt potius sit paratus committere quodcumque peccatum, quàm pati defectum in cibo, & in potu.

Secun-

Secundò, quando ex appetitu cibi & potus homo prætermittit id, quod ex aliquo præcepto tenetur facere; vt, qui diebus prohibitis vescitur carnibus, & diebus ieiunij non seruat ipsum; & qui, vt cibis lautis & pretiosis fruatur, se facit impotentem ad debita soluenda creditoribus; aut non succurrit grauibus vel extremis necessitatibus proximorum; aut filias in debito statu non collocat.

Tertiò, cùm damnum aliquod notabile corporis sibi infert; vt, qui ob nimium cibum vel potum incidit in febrim: vel alteri, & sic ministrat causam: & hoc, si aduertenter facit, aut saltem cùm debuisset aduertere: nam si expertus est sibi talem cibum, vel alteri multùm nocere, quamuis non aduertat, à culpa non excusatur. Quando verò damnum non est graue, tunc erit veniale; vt, infirmus patiens febrim, si bibat aquam, quam scit futuram causam alicuius augmenti, solum venialiter peccat, sicut etiam, qui ei ministrat.

Quartò, quando graue scandalum datur proximo: vnde si alij grauiter scandalizentur ex cibi vel potus alicuius superfluitate, tenetur sub mortali cauere à tali gula: de quo scandalo dicebat Paul. se non manducaturum carnes in æternum, si sciret fratrem suum inde scandalum acceptarum.

Quintò, quando cibus vel potus est contra naturam: vnde, vesci carnibus hominis, aut humanum bibere sanguinẽ, mortale peccatum est, vt habet Caiet. 2. 2. q. 148. art. 2. & Nauarr. in summ. c. 23. nu. 130. Esset tamen hoc licitum ob infirmitatem, vel in graui aliqua necessitate, cum iam homo occisus inueniretur: non tamen liceret occidere propter hoc, in nullo casu. Ita limitant præfati Doctores.

Sextò, quando timetur probabiliter ex nimio potu aliquod peccatum mortale; vt, qui se scit multum in luxuriam procliuem, & peccare, cùm modum non seruat, tunc mortale peccatum est gula. Si quis tamen cognosceret se nocturnam pollutionem passurum ex potu vel cibo inordinato, si non assumeretur hoc fine, & propter talem pollutionem cibus, non esset mortale, sed veniale, vt alias diximus in 6 præcepto. In his casibus est mortale, in alijs veniale vt plurimum est peccatum, vt communiter docent Theologi & Summistæ, verb. gula.

De ebrietate, quale sit peccatum.

Caput XLI.

Circa ebrietatem, id est, actum illum, quo quis in potu vtitur, vt vsum rationis ad tempus perdat, sunt aliqua dicta notanda.

Primum est, quando aliquis sciens se vsum rationis perditurum, seu in ebrietatem venturum, adhuc potum talem sumit, mortaliter peccat. Ita habet S. Thom. 2.2. quæst. 150. art. 2. quia damnum notabile sibi infert, nempe amissionem rationis.

Secundum, quando sciens alterum in eandem ebrietatem lapsurum, ei potum ministrat etiam ob eandem causam, mortaliter peccat.

Tertium, quando aliquis expertus est alias se, vel aliũ, quoties tanto, vel tali potu vtitur, inebriari, peccat mortaliter sumendo, vel ministrando.

Quartum, quando hoc fine, nempe, vt inebrietur, aliquis potum sumit, vel alteri ministrat, mortaliter peccat.

Quintum, quando ebrietas non est perfecta, sed imperfecta, quę turbat aliquo modo rationem, sed non omninò, tunc est graue veniale. In his omnes conueniunt: sunt tamen aliquot dubiola.

Vnum est, an liceat ob sanitatem inebriari. Paucos puto casus, in quibus ebrietas ad sanitatem obtinendam necessaria sit; tamen si aliquis sit, dubitatur, an liceat talem sumere, vel ministrare potum. Ang verb ebrietas, tenet, non licere, sed esse mortale. At Sylu. verb. ebrietas, & Caiet 2.2.q.150.ar.2. tenent licere. Mihi videtur, cum Syl. & Caiet. dicendum, licitum esse, ad tempus velle amittere vsum rationis, vt postea melius & diuturniùs possit recuperari: tamen id licitum erit duabus positis conditionibus.

Prima est, vt alia via, vel medicina non possit recuperari salus.

Altera est, vt in illa ebrietate non timeatur aliquod damnũ, putà, quòd ebrius blasphemet, vel aliud committat malum: tunc enim non liceret, alias esset licitum hoc.

Alterum dubium est, an actus mali, quos ebrius facit in ebrietate existens, sint peccata; vt si fornicetur, si occidat, vulneret, &c. Ad hoc respondent S. Thom. 2.2 q.150.ar.4. Caiet. verb.

ebrietas,& ibidem Syl.Et responsio in his consistit. Quando ebrius citra culpam suam factus est ebrius, tunc nullam contrahit culpam, per quoscumque actus malos in ebrietate factos.Quando culpabilis fuit ebrietas, tunc, si solitus erat aliàs inebriari, esse furiosus,& vulnerare,vel blasphemare, vel simile facere,tunc peccat,non solùm ebrietatis peccatum,sed etiam alia peccata noua,quæ probabiliter timebantur in ebrietate:& tunc iste peccat,quando etiam peccat ebrietatis peccatum,siue fiat postea,siue non.Et dicit Syl.quòd si occidat in ebrietate,fit irregularis,quando solitus erat aliàs esse furiosus, vt diximus : quando verò non erat solitus talia mala facere, nec timebantur,tunc non sunt noua peccata,sed ebrietatis peccatum fit grauius.

Aliud dubium est,si validi sunt contractus ebrij. Sylu. verb. ebrietas, respondet,quòd non,& ita est: vnde nec valet matrimonium,nec alij contractus ; nec,qui in ludo lucrantur ab ebrio,possunt lucrum retinere,sed tenentur ad restitutionem : ebrius enim,tempore ebrietatis reputatur vt amens.

De filiabus Gulæ.

CAPVT LXII.

QVinque sunt filiæ gulæ, de quibus vide S. Thom. 2.2. q. 148. putà mentis hebetudo, inepta lætitia,multiloquiũ, scurrilitas,& immunditia.

Mentis hebetudo potiùs pœna est quàm peccatum;fit enim ingenium hebes,& ineptum ad percipiendum & iudicandum ex nimio cibo & potu.Esset quidem peccatum, quando homo aduertenter ita fieret ineptus , vt non posset vacare his,quæ præcepto tenetur facere,vt habet Ang.ver.hebetudo;vt,si medicus deberet tali tempore studere pro aliqua re graui & infirmo necessaria, & ipse se ita repleret,vt non posset attendere. Similiter de Aduocato & Concionatore dicendum est in his casibus vrgentibus.

Altera filia est,inepta lætitia,qua homo congaudet in his, quæ nullam delectationem ex se sunt apta facere. Etiam hæc ex se veniale peccatum est,nisi sit materia mala, & quæ faciat mortale.

Tertia est,multiloquium, & loquacitas, quæ ex se veniale

est,nisi

est, nisi sit mista cum contumelijs & infamijs contra proximũ vel blasphemijs contra Deum.

Quarta est, scurrilitas, nempè verba vel facta inhonesta, vel ad risum prouocantia. Et hæc, si fiant causa delectationis venereæ, mortale peccatum est; si verò solùm ad risum prouocandi veniale graue est.

Vltima est immunditia, qua quis vsq; ad vomitum vescitur, & hæc est veniale: quamuis enim aliquis vsq; ad vomitum vescatur, vel bibat, nisi sequatur aliquod damnum notabile corporis, vel scandalum, non est mortale: immò etiam, quamuis aduertenter hoc faciat, vt euomat, vt Caiet. verb. gula, & Nauarr. cap. 23. num. 127. dicunt, contra Angel. verb. gula, qui contrarium tenet.

De inuidia, & quid sit.

Caput LXIII.

SExtum capitale vitium est Inuidia. Hæc autem sic describitur a S. Thom. 2. 2. q. 36. *Tristitia de alieno bono, inquantum propriæ excellentiæ est diminutiuum.* In qua descriptione sunt duæ partes.

Altera est, *tristitia de alieno bono.* Est enim inuidia vitium, quo bonum proximi nobis displicet, & de ipso tristamur, volentes non esse tale bonum: non tamen quæcumque huiusmodi tristitia est inuidia, sed quæ procedit ex hac causa, & motiuo, nimirum, quia nobis videtur per bonum alterius nostram gloriam & excellentiam minui, dum nobis æqualis fit maior per tale bonum: ob id additur posterior illa pars in definitione, *vt propriæ excellentiæ est diminutiuum.* Est enim inuidia inter æquales, vel eos, qui ferè æquales reputantur: ob id dicitur inuidia, quasi non videre: inuidus enim non vult alterius videre bonum, nec ipsum inuidiosum coram se, ne bonum, quod displicet, videat. Aduertendum autem est, quòd multipliciter contingit aliquem tristari de bono alterius.

Primò quidem, quia aliquod malum inde prouenturum putat; vt, qui dolet de electione alicuius in dignitatem, quia sibi mors vel damnum aliquod inde proueniet, & hæc tristitia est affectus, seu effectus timoris.

Secundò, tristari potest aliquis de alterius bono, quia ipse

caret

caret eo; vt, quia videt hominem doctum, tristatur de illo bono, non quia in altero sit, sed quia ipse eo caret: & hæc tristitia est æmulatio.

Tertiò, tristari potest de bono alterius, quia cum tali bono indignum iudicat; vt, qui tristatur de malorum prosperitate temporali, quia indigni sunt: & hæc est indignatio. De quibus vide Arist. 2. Rhetor.

Quartò, potest tristari, quia malum illi vult: quando enim volumus alicui malum, bonum eius nobis displicet, & hoc est odium.

Quintò, potest tristari de bono alterius, vt propriæ excellentiæ est diminutiuum: & hæc tristitia inuidia est, vti diximus.

Sextò, potest tristari, quia illi maius bonum vult; vt, tristantur boni de bono temporali malorum, quando illis occasionem ad peccatum futuram vident: & hæc tristitia ex charitate est.

Septimò, potest esse huiusmodi tristitia ex iustitia; vt, qui dolet de beneficio collato indigno, quia iniuste datum est: & hæc ex zelo est. Cùm ergo multis modis accidat tristari de bono alicuius, vno tantùm contingit inuidia; ob id in definitione duæ partes positæ sunt, prior communis est alijs præter inuidiam; posterior autem propria est ipsius.

Quale peccatum sit tristitia ex timore.

CAPVT LXIV.

NOn solùm de tristitia, quæ inuidia est, sed de alijs etiam oportet considerare, qualiter se habeant. Illa ergo tristitia de bono alterius, quia inde malũ timemus, quod ad timorem pertinet, aliquando est peccatum, aliquando non: ob id, sunt notanda tria dicta.

Primum est, quando timemus malum iniustè inferendum ab alio, ob bonum ipsi collatum, & nobis certum est tale malum prouenturum, iustum est tristari: vt, eligitur in iudicem homo, qui committit iniustitias multas, & mihi probabile est commissurum esse, licet mihi tristari de tali potestate ei data. Ratio & signum huius est, quòd si ego haberem potestatem priuandi tali potestate illum, in tali casu liceret. Licitum ergo est, tristari de bono alicuius, quo licitè possemus eum priuare,

si in

si in nobis esset potestas, ob illam causam, propter quam tristamur, vt dicit Caiet. 2.2. q. 36. ar. 2.

Secundò, quando malum, quod timemus, iustè ab illo inferendum est, tunc tristari de bono, malum est: v. g. Eligitur in iudicem homo rectus, qui vitia exterminabit, & castigabit malos iusta pœna, si quis ob timorem tristaretur de potestate illi concessa, malè faceret: quamuis enim liceat timere ipsum malum, non tamen licitum est ob timorem hunc, displicere, & tristari de bono illius; sicut neq; liceret ob id priuare illum tali bono. Huiusmodi autē tristitia, si esset ex consensu voluntatis pleno. & esset de magno bono, esset peccatum mortale, sicut inuidia, vt dicemus.

Tertiò, quando malum timemus, iniustè quidem inferendum, tamen non est nobis certum, tale malum prouenturum, sed leui suspicione colligimus; tunc talis tristitia est mala, sicut esset malum etiam, in tali casu priuare illum tali bono. Per hęc possumus iudicare in alijs multis casibus similiter.

De æmulatione.

Caput LXV.

Æmulatio est tristitia de bono alterius, quatenus nos eo priuati sumus vti diximus. De hac autem tria etiam dicta sunt notanda.

Primum est, cùm bona, quæ æmulamur, sunt spiritualia, & ad animæ salutem pertinentia, talis æmulatio sancta est & licita: vt, video hominem pœnitentem, deuotum, religiosum, contristor ex tali bono, non quia in illo sit, sed quia in me non est, hoc licet, immò laudatur a Paulo 1. Cor. 12. *æmulamini charismata meliora.* 1. Cor. 14. *sectamini charitatem, æmulamini spiritualia.*

Secundum, quando bona, de quibus tristamur, sunt temporalia: si nobis sunt proportionata, licitum est tristari, sicut etiam licitum esset desiderare talia: verb. gra. aliquis non habet, quo possit familiam sustinere, videt alios sibi æquales habere, tristatur de hoc, quia simili sustentatione priuatur, bonum hoc est.

Tertium, quando bona sunt temporalia, sed homini tali improportionata, tunc tristari bonum non est, sicut neq; desiderare; vt, si mediocris homo tristetur, quia non est Rex, quia

non

non est Papa,& hoc veniale est ex se.Quando autem appetuntur in malum finem temporalia,tunc tristitia omnis mala est, & tantum peccatum,quantum est desiderium talium bonorũ ob illum finem.

Indignatio autem est,qua tristamur de bono alicuius, quia indignus est tali bono:& hoc locum habet in temporalibus.Et attende,quòd non loquimur, quando ista indignatio est contra iustitiam,& qui dolet ob hoc,dolet, quia iniustitia committitur,de hoc enim dicemus pòst; sed de eo qui dolet,quia videt huiusmodi temporalia collocata in hominibus indignis & non ob alium finem dolet. Huiusmodi indignatio, vt dicit S.Tho.& Caiet.loc.cit.si non aliud habet, quàm quod dictum est,mala est,& ex se veniale; nam cùm id, de quo dolet,nec sit malum culpæ,nec pœnæ,videtur quodammodo arguere Deũ & dolere,quasi iniustitia sit ex parte datoris. Est ergo mala talis indignatio;& si prorumpat in id,quod Deum arguat,quòd iniustus sit,& malè distribuat,est grauissimum mortale peccatum & blasphemia.Hæc indignatio Psal.36 reprehenditur,*Desine ab ira*, inquit,*& relinque furorem*. Si autem talis indignatio sit,quia mali abutũtur bonis,vel alio bono fine, iam ad aliam tristitiam pertinet hoc,vt dicemus.

De odio,inuidia,& tristitia bona.

CAPVT LXVI.

TRistitia,quę ex odio procedit,iudicanda est ex ipso odio. Cùm enim malum alicui volumus propter ipsum subiectum & personam,quæ inimica est nobis, tunc peccatum est; &,si malum est graue, & odium ex libera voluntate, mortale est,secus,veniale. Simili modo se habet huiusmodi tristitia,quæ,si de bono graui,& ex libertate sit,mortale est,secus autem,veniale.Inuidia autem secundum S.Tho. & omnes Doctores ex genere suo mortale est, & de facto est mortale, si duæ adsint conditiones.

Vna est,cùm est voluntatis consensus:sæpè enim solum est quidam motus in parte sensitiua,aut voluntate,sed subitus,& ferè naturalis,quo homo tristatur de bono æqualis;& tunc ad summum,est veniale:nam mortale exigit voluntatis plenum consensum.

Altera est,quòd bonum,de quo tristamur, sit graue: cùm

enim

enim leue est, vt pueris solet accidere, qui in ludibus solent socijs inuidere, veniale peccatum est. Reliquæ duæ tristitiæ, quæ ex charitate & iustitia sunt, bonæ sunt. Licet tristari de sanitate alicuius, quia occasio est illi peccandi mortaliter: in quo casu licet illi malum velle, & infirmitatem ob bonum maius. Licet etiam tristari, quia dignitates dantur indignis, & violatur iustitia. Licet tristari, quia viuunt Hæresiarchæ, & aliorum corruptores; & licet illis mortem desiderare, ne alios inficiant; & ne alijs tãtum malum inferant. Ex his multorum casuum resolutio patet.

De filiabus inuidiæ.

Caput LXVII.

Quinque filiæ inuidiæ assignantur, odium, susurratio, detractio, gaudiũ in aduersis proximi, & afflictio in prosperis.

Odium est, quo alicui malum volumus ob malum ipsius, & non ob aliquod bonum eius, vel alterius: & hoc peccatũ est, de quo diximus in lib. 4 institutionis.

Susurratio est, qua famam auferimus in occultò.

Detractio verò, qua in manifesto: & de his diximus in l.

Gaudium in aduersis proximi, peccatum est; &, si malum proximi, de quo gaudemus, graue est, & gaudium sit ex rationis consensu, mortale est.

Afflictio in prosperis, est tristitia de bonis proximi. Inuidus enim duas habet tristitias.

Altera est, de bono proximi, prout per ipsum videtur propria minui excellentia: & hæc est ipsa inuidia.

Altera est consequens: nam inuidus vellet nihil boni accidere inuidioso, & bonum eius impedire conatur, saltè desiderio. Quando ergo ei tale bonum euenit, quia contra inuidi voluntatem euenit, affligitur & tristatur: & hæc tristitia est filia inuidiæ, vt habet S. Tho. loco citato; & est peccatum eo modo, quo gaudium in aduersis. Hæc satis sint de inuidia.

(..)

De Acedia, quid sit.

CAPVT LXVIII.

VLtimum capitale vitium, acedia est. De qua primùm percipere oportet, quid sit. Potest autem sic describi: *tristitia de bono spirituali, vt ad ipsum hominem attinet.* In cuius declarationem aduerte, bonum spirituale vocari hominis beatitudinem, quę in fruitione Dei consistit; & ea bona quæ ad ipsam consequendam ordinantur; vt, charitatem, virtutum opera, diuina præcepta, sacramenta, & alia huiusmodi. Hæc bona tripliciter possunt considerari.

Vno modo, vt à Deo procedunt, vt ab omnium bonorum principio, & auctore. Alio modo, vt in proximis nostris sunt. Tertiò, vt ad nos ipsos etiam pertinent.

Aduerte rursus, quòd, cùm per charitatem non solum diligamus Deum, sed etiam proximum, & nos ipsos; & charitatis sit, gaudere de bono illius, quem charitate diligimus, fit, vt charitas inclinet nos ad gaudendum de huiusmodi bonis, secundum illam triplicem considerationem.

Primò quidem, vt à Deo sunt: qui enim diligit Deum, gaudet de bono opere ab ipso Deo procedente, quatenus eius potentia & bonitas, iustitia, sapientiaque manifestantur. Similiter qui diligit proximum, gaudet de bono spirituali ipsius, quatenus per ipsum benè se habet, & disponitur ad suum finem consequendum, vel quia iam ipsum est consecutus. Qui etiam diligit se propter Deum, gaudet consequenter de tali bono spirituali, quod ad ipsum pertinet, & gaudet se ad Deum ipsum ordinari per tale bonum, propter quem scilicet Deum diligit semetipsum. Aduerte rursus, iuxta triplicem eandem boni spiritualis considerationem, quòd triplex potest esse tristitia in homine de tali bono, & vnaquæque est contra charitatem, vel qua diligendus est Deus, vel qua diligendus est proximus, vel qua ipse se debet diligere propter Deum.

Prima tristitia est, qua homo contristatur de bono spirituali, vt à Deo est, quasi nolens ipsius manifestationem & gloriam; & ista tristitia est pessima, & nascitur ex odio Dei, quod est grauissimum peccatorum, & maximè in damnatis reperitur.

Secunda tristitia est, qua homo tristatur de tali spirituali bono, vt est in proximo, quasi nolens ipsum proximum tali bono præditum. Et hæc est graue peccatum; & dicitur inuidentia gratiæ fraternæ; & est vnum ex peccatis contra Spiritum sanctum, quæ dicuntur non remitti, quia difficile remittuntur: aliisque inuidentia, ex genere suo, est mortale peccatum; & si adsit consensus rationis, & grauitas materiæ, de facto est mortale.

Tertia tristitia est, qua homini displicet bonum spirituale, qua parte ad ipsum pertinet, quasi nolendo & fastidiendo se capacem talis boni, & se ad id ordinari: tristatur enim de beatitudine, de diuinis præceptis, de sacramentis, de bonis aliis spiritualibus, quasi volens, ne ad ipsum pertinerent. Hæc tristitia dicitur acedia, qua homo velut nauseam habet rerum spiritualium: & nascitur præsertim ex duplici capite.

Vno quidem ex nimio affectu, quem homo habet rerum temporalium, & huius mundi delectatione.

Altero, ex terrore laborum & studiorum, quibus spiritualia bona sunt consequenda. Et hoc secundum ex priori nascitur: nam per prius perditur gustus spiritualium: gustu deperdito, statim res laboriosa fit; vt in his, qui vescuntur cibis nullum saporem habentibus. Acedia autem nomen est Græcum; ἀκηδία enim dicitur sine labore, aut sine cura; nam κηδὼ, Græcè curam vel laborem significat: vnde Latinè dicitur acedia, illo η mutato in e longum. Aliqui putant esse nomen Latinum deriuatum ab acidus, a, um, id est frigidus; quia sicut frigida non facilè mouentur, ita accidiosus ex nimia tristitia torpescit: hæc enim nomina ab affectu sumuntur: sed melius puto dici, quod diximus, putà esse Græcum. Vide S. Thom. 2. 2. quæst. 35.

Quale peccatum sit acedia.

Caput LXIX.

Acedia, vt habet S. Thom. loco citato, ex genere suo est mortale peccatum, cùm sit contra charitatem, vt superius declarauimus. De hac dicitur 2. Cor. 7. *Tristitia huius sæculi mortem operatur*, fit tamen veniale dupliciter.

Vno modo, quando non accedit plenus rationis consen-

sus,

sus, sed sistit solùm in parte sensitiua, aut in ratione imperfecta: suboriuntur enim aliquando quidam motus, & tristitiæ internæ, quibus homo plenum non adhibet consensum; tunc in his non est mortale, sed ad summum veniale peccatum.

Altero modo, quando, etsi ratio consentit, tamen materia est leuis: tunc autem dicitur materia leuis, quando homo non verè tristatur de bono spirituali secundum se, sed de eo, ratione alicuius circumstantiæ loci & temporis; vt, qui contristatur de ieiunio, quia tali die obseruandum est: qui tristatur de concione, quæ tali tempore fit; tamen absolutè non contristatur de his, quasi nolens esse concionem, esse ieiunium, & alia huiusmodi: frequenter in his est tantùm veniale. Quando verò acedia est de ipso bono spirituali absolutè, & ex rationis consensu, tunc est mortale. Solet etiam acedia esse peccatum, ratione effectuum suorum: sed iam hoc potiùs ad filias ipsius, de quibus modo agendum est.

De filiabus Acediæ.

CAPVT LXX.

SEx sunt filiæ acediæ, desperatio, pusillanimitas, torpor, malitia, rancor, mentis euagatio.

Desperatio quidem est, qua homo diffidit se finem consequuturum supremum: hæc autem facilè oritur ex acedia, qua homo velut à se respicit talem finem. Est autem desperatio peccatum mortale graue, cùm ex consensu rationis pleno fit: quando verò solum est quidam motus imperfectus, veniale est.

Pusillanimitas est, qua homo non audet diuina cõsilia, quæ perfectionis sunt, exequi: & hæc veniale est ex se.

Torpor verò est, quo negligit homo se, & omittit facere, quæ ex præcepto tenetur: & hic mortale est.

Malitia autem est, qua homo odio habet ipsa bona spiritualia in se, quia vellet ea non esse; aut, qua etiam pœnitet hominem benè fecisse, & impleuisse, quæ tenebatur facere; aut contemnit Dei beneficium, desiderando, non fuisse natum, & cognouisse Christum, dolendo, &c. Et hæc est mortale.

Rancor est, quo homines, qui inducunt ad spiritualia, vt religiosi, concionatores, & alij huiusmodi, sunt ei fastidio, &

eos

eos auerſatur : & hic eſt veniale, niſi coniungatur cum odio, quo eis malum notabile deliberatè deſiderat.

Euagatio mentis, eſt defectus intentionis, quæ rebus ſpiritualibus exequendis & exercendis eſt adhibenda : & hæc ex ſe veniale eſt, niſi cùm exigitur ex præcepto aliquo talis attentio; vt, in recitandis horis Canonicis, quando homo obligatur recitare, & in audiendo ſacrum diebus feſtis: in his enim rebus euagatio mentis eſſet mortalis, ſi notabilis eſſet, & culpabiliter, ſeu ex negligentia haberetur.

Sed de his ſatis diximus in inſtructione.

Finis tractatus ſeptem peccatorum mortalium. Laus Deo, Glorioſæq; eius Genetrici.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN